






COLLEGII

SALMANTICENSIS

CARMELITARUM

DISCALCEATORUM

CURSUS THEOLOGICUS

ANICII. — EX TYPIS M.-P MARCHESSOU

COLLEGII

SALMANTICENSIS

FR. DISCALCEATORUM

B. MARIÆ DE MONTE CARMELI

Parenti suo Eliæ consecrati

CURSUS THEOLOGICUS

Summam Theologicam Angelici Doctoris D. Thomæ complectens.

TOMUS SECUNDUS

Tractatus quartus. — De Voluntate Dei.
Tractatus quintus. — De Prædestinatione.

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. IN CHRISTO PATRI D. D.

CAROLO AMABILI DE LA TOUR-D'AUVERGNE-LAURAGUAIS

ARCHIEPISCOPO BITURICENSI

DICATUS

EDITIO NOVA, CORRECTA



PARISIIS

APUD VICTOREM PALMÉ, BIBLIOPOLAM

—

1876

Dub. 5. Utrum detur in creatura intellectuali secundum se sumpta appetitus elicitus, et naturalis respectu visionis claræ Dei? 114
Art. 2. Utrum essentia Dei ab intellectu creato per aliquam similitudinem videatur? 118

Disputatio II.

De similitudine, seu specie requisita ad visionem claram Dei? 119
Dub. 1. Utrum juxta mentem D. Thom. sit admittenda aliqua similitudo creata in ordine ad visionem claram Dei eliciendam? 119
Dub. 2. Utrum essentia divina uniatur de facto cum intellectu beati per modum speciei intelligibilis in ordine ad claram Dei visionem? 125
Dub. 3. Utrum essentia divina, ut habet rationem speciei intelligibilis concurrat active ad visionem claram Dei? 140
Dub. 4. Utrum sit possibilis per divinam potentiam species impressa creata, per quam Deus quidditative, et prout est in se ipso possit videri? 152
Dub. 5. Utrum prima ratio, quam D. Thom. in hoc art. adducit, sufficienter convincat impossibilitatem speciei impressæ quidditative, et clare Deum repræsentantis? 157
Dub. 6. Utrum ex secunda ratione D. Thom. sufficienter colligatur impossibilitas speciei impressæ repræsentantis quidditative, et clare Deum prout est in se ipso? 164
Dub. 7. Quæ specialiter obstent contra secundam rationem D. Thom. et quomodo solvenda? 166
Dub. 8. Utrum ultima ratio articuli probet impossibilitatem speciei intelligibilis creatæ, repræsentantis quidditative Deum? ubi etiam argumenta, quæ dub. 4 hujus disp. ex adversariis adduximus, dissolvuntur. 176
Dub. 9. Utrum necessario, et indispensabiliter detur in beatis verbum, seu species expressa repræsentans quidditative Deum prout est in se? 180
Dub. 10. Utrum recte probetur impossibilitas verbi creati clare, et quidditative repræsentantis Deum, ex eo quod Deus essentialiter est ipsum *esse* quidditative intellectum, et ita nequit mediante verbo creato quidditative intelligi? 188
Art. 3. Utrum essentia Dei videri possit oculis corporeis? 201
Art. 4. Utrum aliquis intellectus per sua naturalia divinam essentiam videre possit? 201

Disputatio III.

De impossibilitate visionis Dei prout est in se per vires creatas ordinis naturalis, vel alicui intellectui creato connaturales. 202
Dub. 1. Utrum per potentiam Dei absolutam sit possibilis aliquis intellectus, qui per vires proprias ordinis naturalis possit videre Deum prout est in se? 202
Dub. 2. Utrum sint possibiles per divinam potentiam aliqua substantia, aliquisque intellectus, quibus sit connaturale lumen gloriæ, et possint ex propriis viribus videre Deum per essentiam? 206
Art. 5. Utrum intellectus creatus ad videndum Dei essentiam aliquo creato lumine indigeat? 219

Disputatio IV.

De necessitate luminis gloriæ ad videndum divinam essentiam prout est in se. 219
Dub. 1. Utrum lumen gloriæ concurrat ad visionem Dei prout est in se per modum speciei impressæ? 220
Dub. 2. Utrum lumen gloriæ sit dispositio necessaria ad hoc ut essentia divina in ratione formæ seu speciei intelligibilis uniatur intellectibus beatorum? 226
Dub. 3. Utrum lumen gloriæ ad visionem Dei recipiendam necessario desideretur? 231
Dub. 4. Utrum per potentiam Dei absolutam possit intellectus creatus sine lumine gloriæ per solam suam potentiam obedientialem, addito tamen influxu concomitante in visionem, non vero aliquo alio prævio, in eumdem intellectum, illam elicere. 235
Dub. 5. Utrum per divinam potentiam possit in ratione luminis divina essentia uniri intellectui creato, et ita constituere illum absque creato lumine in actu primo ad videndum Deum, ut est in se. 242
Art. 6. Utrum videntium Dei essentiam unus alio perfectius videat. 249

Disputatio V.

De æqualitate, et inæqualitate visionum in beatis. 250
Dub. 1. Utrum inter visiones beatificas reperiatur inæqualitas. 250
Dub. 2 Utrum inæqualitas reperta in visionibus beatificis non solum sit intensiva, et extensiva, sed etiam essentialis, et specifica. 252
Dub. 3. Utrum melior potentia intellectiva cum æquali lumine gloriæ clarius essentiam divinam intueatur. 258
Art. 7. Utrum videntes Deum per essentiam ipsum comprehendant. 266

Disputatio VI.

De incomprehensibilitate Dei ab intellectu creato. 267
Dub. unic. Utrum per divinam potentiam possit intellectus creatus comprehendere Deum. 267
Art. 8. Utrum videntes Deum per essentiam omnia videant in Deo. 278

Disputatio VII.

De iis quæ viso Deo in eo videntur, aut videri possunt. 279
Dub 1. Utrum videntes Deum videant omnia absoluta, quæ formaliter, et omnino necessario sunt in illo. 279
Dub. 2. Utrum divina essentia possit videri sine personis, vel una persona sine alia. 281
Dub. 3. Utrum beati ex vi visionis divinæ essentiæ possint videre, et de facto videant decreta libera Dei. 289
Dub. 4. Utrum ex vi visionis divinæ essentiæ possint, aut debeant videri effectus existentes in aliqua differentia temporis. 294
Dub. 5. Utrum ex vi visionis divinæ essentiæ possint videri creaturæ possibiles. 300
Art. 9. Utrum ea quæ videntur in Deo a videntibus divinam essentiam per aliquas similitudines videantur. 310

Art. 10. Utrum videntes Deum per essentiam, simul videant omnia, quæ in ipso vident. 311
Art. 11. Utrum aliquis in hac vita possit videre Deum per essentiam. 311
Art. 12. Utrum per rationem naturalem Deum in hac vita cognoscere possimus. 312
Art. 13 Utrum per gratiam habeatur altior cognitio Dei, quam ea, quæ habetur per rationem naturalem. 313

TRACTATUS III

In quæst. 14 primæ part. Angel. Doctoris.

QUÆSTIO XIV.

De Scientia Dei.
Dub. unic. Utrum ea quæ D. Thom. in proœmio hujus quæst. docet, sint vera? 316
Art. 1. Utrum in Deo sit scientia? 318

Disputatio I.

De Scientia Dei quoad *an est?* 318
Dub. 1. Utrum cognitio intellectiva sit formaliter in Deo? 318
Dub. 2. Utrum ex eo quod Deus sit summe immaterialis, recte probet Angelicus Doctor, eum esse summe intelligentem? 321
Dub 3. Utrum in Deo sit scientia propriè, et formaliter dicta, et respectu quorum? 322
Dub. 4. Utrum scientia Dei sit attributum illius? 339

Disputatio II.

De duplici discrimine quod D. Thom. in hoc articulo inter cognoscentia, et non cognoscentia constituit. 350
Dub. 1. Utrum sit vera prima differentia, quam D. Thom. assignat inter cognoscentia, et non cognoscentia, quod hæc tantum habent suam formam, illa vero habent etiam formas aliarum rerum? 350
Dub. 2. Utrum cognoscentia non solum habeant formam rei alterius; sed etiam fiant per identitatem aliæ res in *esse* cognoscibili, sive repræsentativo? 368
Art. 2. Utrum Deus intelligat se? 387

Disputatio III.

De intellectione, et scientia Dei quoad ejus primarium objectum. 387
Dub. 1. Utrum Deus se ipsum primario intelligat? 387
Dub. 2. Utrum objectum per se primum, et specificativum intellectionis essentialis Dei sit divina essentia, ut distincta ab attributis, et relationibus? an vero ut omnia hæc formaliter, et expresse dicit? 392
Art. 3. Utrum Deus comprehendat se ipsum? 402
Art. 4. Utrum ipsum *intelligere* Dei sit ejus substantia? 403

Disputatio IV.

De *intelligere* Dei quoad vim, quam habet ad constituendam divinam essentiam, et naturam. 403
Dub. 1. Utrum constitutivum divinæ essentiæ vel naturæ sit sola ratio substantiæ spiritualis a se, seu per essentiam talis, prout distincta virtualiter a ratione substantiæ intelligentis per essentiam, sive radicaliter, et in actu primo, sive in actu secundo? 403
Dub. 2. Utrum constitutivum divinæ essentiæ, seu naturæ sit sola ratio substantiæ radicaliter, et per essentiam intellectivæ, prout distinctæ virtualiter ab intellectione per essentiam, an vero prout absque omni distinctione virtuali est ipsamet intellectio? 414
Art. 5. Utrum Deus cognoscat alia a se? 429
Art. 6. Utrum Deus cognoscat alia a se propria cognitione? 429
Art. 7. Utrum scientia Dei sit discursiva? 430
Art. 8. Utrum scientia Dei sit causa rerum? 431

Disputatio V.

De Scientia Dei quoad ejus causalitatem erga creaturas. 431
Dub. 1. Utrum scientia Dei sit aliquo modo causa rerum? 431
Dub. 2. Quænam scientia Dei sit causa rerum? 433
Dub. 3. Utrum sicut scientia Dei formaliter sumpta, est causa dirigens ad productionem creaturarum, ita etiam sit principium immediate effectivum, et exequens productionem earumdem? 442
Art. 9. Utrum Deus habeat scientiam nonentium? 459
Art. 10. Utrum Deus cognoscat mala? 460

Disputatio VI.

De scientia Dei collata cum malis 460
Dub. 1. Utrum Deus cognoscat mala? 460
Dub. 2. Utrum Deus necessario cognoscat mala per bona creata? 461
Artic. 11. Utrum Deus cognoscat singularia? 466
Art. 12. Utrum Deus possit cognoscere infinita? 467
Art. 13. Utrum scientia Dei sit futurorum contingentium? 467

Disputatio VII.

De an est? scientiæ Dei respectu futurorum contingentium absolutorum, et de iis, in quibus nequeunt ab eo certo cognosci 468
Dub. 1. Quid, et quotuplex sit futurorum contingens? 469
Dub. 2. Utrum Deus certo sciat futura contingentia absoluta? 470
Dub. 3. Utrum Deus certo sciat futura libera absoluta per suam essentiam, et divinas ideas, ut repræsentant veritatem ipsorum antecedenter ad decretum suæ voluntatis? 477
Dub. 4. Utrum Deus certo cognoscat futura contingentia absoluta in decreto libero suæ voluntatis, non quidem ut præsenti, sed ut futuro? 484
Dub. 5. Utrum Deus certo cognoscat futura contingentia absoluta, et aliquo modo pendentia a libertate creata in comprehensione causarum secundarum antecedenter ad liberam divinæ voluntatis determinationem? 495
Dub. 6. Utrum Deus certo cognoscat futura contingentia absoluta in eorum veritate ob-

BQ
6852
.S2

jectiva antecedenter ad divinum decretum? 500

Disputatio VIII.

De scientia Dei respectu futurorum contingentium absolutorum quoad ea, in quibus certo ab illo cognoscuntur. 524

Dub. 1. Utrum Deus certo cognoscat cuncta futura contingentia absoluta in decreto exercito suæ voluntatis antecedenter ad quamlibet eorum infallibilem futuritionem, seu in sua essentia determinata per tale decretum? 524

Dub. 2. Utrum juxta Scripturam, et Patres præcipue vero D. Thom, futura contingentia absoluta sint ab æterno realiter, et physice præsentia Deo in mensura æternitatis, et ratione hujus præsentiæ certo ab illo cognoscantur? 536

Dub. 3. Utrum sufficienti ratione probetur, futura contingentia absoluta fuisse ab æterno, et esse nunc realiter, et physice præsentia Deo in mensura æternitatis, et ratione hujus præsentiæ certo ab illo cognosci? 548

Dub. 4. Utrum æternitas, et præsentia jam explicata futurorum in illa sit omnino necessaria ad hoc ut Deus certo, et infallibiliter cognoscat futura contingentia absoluta, antequam sint præsentia in sua propria, et adæquata mensura, seu quoad nos? 567

Disputatio IX.

De scientia futurorum conditionatorum, quam Deus in suo decreto efficaci, conditionato tamen habet. 574

Dub. 1. De multiplici divisione futuri conditionati, et quænam ex illis ad præsentem disputationem spectent? 574

Dub. 2. Utrum juxta Scripturam sacram Deus certo sciat futura contingentia conditionata, sive illa sint disparata, pendentia tamen, tam quoad conditionem, quam quoad eventum a causis liberis, sive non sint disparata, sed habentia connexionem tantum probabilem, sive conjecturalem cum conditione? 575

Dub. 3. Utrum juxta sanctorum Patrum mentem Deus cognoscat omnino certo, et infallibiliter futura contingentia conditionata, sive sint disparata, modo dicto, sive habeant probabilem connexionem cum eventu futuro? 385

Dub. 4. Utrum sufficienti ratione ostendatur, Deum certo, et omnino infallibiliter cognoscere tam futura contingentia conditionata, et disparata, quam ea, quæ tantum habent probabilem, et conjecturalem nexum ex parte objecti cum conditione? 586

Dub. 5. Utrum ponenda sint in Deo decreta conditionata positiva, et efficacia circa omnia futura contingentia conditionata, et an eis seclusis, possint prædicta futura omnino certo, et infallibiliter a Deo cognosci? 591

Disputatio X.

De impossibilitate scientiæ mediæ, sive conditionatæ ex auctoritate petita? 599

Dub. 1. Utrum juxta sacram Scripturam admittenda sit scientia media, sive conditionata? 600

Dub. 2. Utrum juxta mentem Augustini ex testimoniis ejus desumptam colligatur, dandam esse scientiam mediam, sive conditionatam? 610

Dub. 3. Utrum vel juxta principia adversariorum, vel absolutè, et simpliciter loquendo colligatur ex effectibus doctrinæ Augustini, vel ex aliis signis, quod juxta ejus mentem sit rejicienda scientia media, sive conditionata? 622

Dub. 4. Utrum juxta mentem Angelici Doct. ex testimoniis ejus desumptam sit danda in Deo scientia media, sive conditionata? 628

Dub. 5. Utrum ex aliquibus aliis signis colligatur, quod juxta divi Thomæ mentem non sit danda scientia media? 632

Dub. 6. Utrum scientia media a tempore Augustini, usque ab hæc tempora perenniter fluxerit, et a Theologis tam junioribus quam antiquis, maxime vero ab iis, qui Concilio Tridentino interfuerunt, approbata fuerit? 634

Dub. 7. Utrum scientia media a tempore Augustini, et antiquorum Patrum, usque ad annum 1560 antiquos scholasticos latuerit, et a junioribus Theologis ex doctrina eorumdem Patrum eruta sit, an vero a prædictis antiquis Theologis, et Scholasticis cognita, et reprobata fuerit? 638

Dub. 8. Quomodo ex dictis deducatur, doctrinam negantem scientiam mediam præferendam esse doctrinæ illam adstruenti? ubi specialiter Doctores negantes prædictam scientiam mediam recensentur. 648

Disputatio XI.

De impossibilitate scientiæ mediæ ex defectu necessitatis ejus, et ex incomposibilitate illius cum aliis, quæ sunt in Deo desumpta. 651

Dub. 1. Utrum scientia media sit Deo necessaria ad hoc ut certo possit prædestinare, vel consensum voluntatis creatæ, absque læsione suæ libertatis efficaciter prædiffinire, an vero utrumque horum tollat? 652

Dub. 2 Utrum ex alio etiam capite scientia media sit incomposibilis cum divina prædestinatione respectu adultorum? 657

Disputatio XII.

De impossibilitate scientiæ mediæ tam a priori, aut quasi a priori, quam ex variis inconvenientibus deprompta. 662

Dub. 1. Utrum impossibilitas scientiæ mediæ ratione a priori, aut quasi a priori sufficienter ostendatur? 662

Dub. 2. Utrum scientia media sit impossibilis ex eo quod per eam tollatur a Deo ratio primæ causæ, primique auctoris gratiæ? 662

Dub. 3. Utrum scientia media sit impossibilis ex eo quod sequatur ex ea, Deum non posse adimplere ea, quæ promittit circa fidem, vel conversionem creaturæ rationalis, ex facultate suæ omnipotentiæ, sed potius ex præscientia nostri futuri consensus? 666

Dub. 4. Utrum scientia media repugnet, ex eo quod ex illa colligatur, Deum concurrere ad actus nostros liberos cæco, et ignorami modo, et absque intentione illorum in particulari? 667

Art. 14. Utrum Deus cognoscat enuntiabilia? 669

Art. 15. Utrum scientia Dei sit variabilis? 669

Art. 16. Utrum Deus de rebus habeat scientiam speculativam? 670

TOMUS SECUNDUS

TRACTATUS IV

In quæstionem 19 primæ part. Angel. Doct.

QUÆSTIO XIX.

De voluntate Dei. 1
Art. 1. Utrum in Deo sit voluntas? 1

Disputatio I.

De voluntate Dei, quoad an est? illius. 2
Dub. 1. Utrum in Deo detur voluntas? 2
Dub. 2. Utrum ex vi rationis, quam D. Thom. in hoc art. adducit, recte probetur, esse in Deo voluntatem? 3

Disputatio II.

De voluntate Dei, quoad quid est? illius. 11
Dub. 1. Utrum voluntas Dei sit per modum potentiæ, an vero tantum per modum actus ultimi, et puri? 11
Dub. 2. Utrum cohæreat cum voluntate per modum actus purissimi, et infiniti, quod sint in ea virtutes affectivæ virtualiter ab illa distinctæ? 18
Dub. 3. Utrum voluntas, seu velle divinum sit ita idem essentia Dei, ut ad illius formalissimum conceptum spectet? 26
Art. 2. Utrum Deus velit alia a se? 35

Disputatio III.

De volitione divina respectu creaturarum quoad an est? illius, et de objecto formali ejusdem. 35
Dub. 1. Utrum in Deo sit volitio creaturarum? 35
Dub. 2. Utrum Deus velit alia a se, tanquam objecta formalia saltim partialia suæ volitionis, an vero objectum formale adæquatum sit sola divina bonitas? 39
Art. 3. Utrum quidquid Deus vult ex necessitate velit? 48

Disputatio IV.

De necessitate, et quidditate volitionis Dei erga se ipsum. 48
Dub. 1. Utrum Deus necessario velit bonitatem suam? 48
Dub. 2. Utrum Deus velit se ipsum amore proprio, et stricte dicto? an vero volitio, qua se vult, tantum sit actus gaudii de propriis bonis? 57

Disputatio V.

De modo, quo voluntas divina circa creaturas se habet, an nimirum libere, an vero necessario circa illas versetur? 67
Dub. 1. Utrum Deus necessitate quoad specificationem, et exercitium simul amet creaturas possibiles? 67
Dub 2. Utrum creaturas existentes in aliqua temporis differentia amet Deus necessario tam quoad specificationem, quam quoad exercitium? 79
Dub. 3. Utrum Deus ita libere se habeat circa creaturas, ut non solum potuerit velle, et nolle, sed etiam velle, et non velle illas, manente ejus voluntate suspensa, et absque ullo actu circa ipsas? 86

Disputatio VI.

Quomodo inter se comparentur divina voluntas ut natura, et ut libertas, seu ut voluntas est. 95
Dub. unic. Utrum divina voluntas ut natura, et ut libertas est, distinguantur virtualiter, et quem ordinem inter se servent? 96

Disputatio VII.

De actu libero divinæ voluntatis quoad quid est? illius. 101
Dub. 1. Utrum actus liber addat supra volitionem necessariam divinæ voluntatis aliquam realem perfectionem realiter ab ipsa distinctam? 101
Dub. 2. Addatne actus liber supra actum necessarium aliquam formalitatem ex se realem, et virtualiter tantummodo ab actu necessario distinctam, ab ipso tamen libere separabilem. 105
Dub. 3. Utrum actus liber consistat in aliqua formalitate virtualiter addita actui necessario, quæ solum sit realis, et infinita ab essentia divina per modum transcendentis inclusa, et possit adesse, vel abesse a Deo? 108
Dub. 4. An actus liber addat supra actum necessarium aliquam relationem rationis ad ejus intrinsecum complementum spectantem? 110
Dub. 5. Utrum actus liber consistat in aliqua denominatione extrinseca desumpta ex productione transeunte ad extra, vel ex rebus productis, et actui necessario superaddita? 111
Dub. 6. Consistatne actus liber in formalitate necessaria divinæ volitionis, connotando extrinsecam actionem Dei? 112
Dub. 7. In quonam essentia actus liberi consistat? 114
Dub. 8. Utrum possit alio sufficienti modo natura actus liberi Dei probabiliter, et juxta mentem divi Thomæ explicari? 125
Dub. 9. Quæ obstent contra hunc dicendi modum? et quomodo solvenda? 128
Dub. 10. Quomodo juxta hos duos dicendi modos solvantur omnia, quæ pro aliis sententiis supra adduximus? 131
Artic. 4. Utrum voluntas Dei sit causa rerum? 132

Disputatio VIII.

De voluntate Dei quoad causalitatem, quam erga creaturas habet. 133
Dub. unic. Utrum divina voluntas sit causa rerum? 133
Art. 5. Utrum voluntatis divinæ sit assignare aliquam causam? 134
Art. 6. Utrum voluntas Dei semper impleatur? 138

Disputatio IX.

De voluntate Dei antecedente et consequente, et an utraque semper impleatur? 138
Dub. 1. Quid sit voluntas Dei antecedens?

Quidve consequens? et an hæc divisio sit adæquata divinæ voluntati, seu volitioni? 138
Dub. 2. Utrum voluntas antecedens sit voluntas secundum quid, et voluntas consequens voluntas simpliciter, et quomodo inter se comparentur? 140
Dub. 3. Utrum in Deo voluntas antecedens sit verus actus voluntatis formaliter in ipso, et non solum eminenter existens? ubi etiam agitur, an voluntas antecedens semper impleatur? 142
Dub. 4. Utrum voluntas Dei consequens semper impleatur? 148
Art. 7. Utrum voluntas Dei sit mutabilis? 148
Art. 8. Utrum voluntas Dei necessitatem rebus volitis imponat? 149
Artic. 9. Utrum voluntas Dei sit malorum? 150

Disputatio X.

De prædiffinitionibus, seu prædeterminationibus immanentibus divinæ voluntatis respectu omnium effectuum causarum secundarum. 151
Dub. 1. Utrum juxta sacram Scripturam Deus prædiffiniat omnes effectus, aut actus bonos causarum secundarum sumptos in particulari, et cum omnibus circumstantiis? 151
Dub. 2. Utrum juxta doctrinam Patrum Deus prædiffiniat omnes actus bonos causarum secundarum in particulari, et cum omnibus circumstantiis sumptos? 156
Dub. 3. Utrum sufficienti ratione probetur, Deum decreto suo absoluto, et efficaci prædiffinire omnes actus causarum secundarum? 167
Dub. 4. Utrum hæc prædiffinitio Dei efficax jam dicta in causis liberis libertatem earum adimat? 173
Dub. 5. Quomodo cohæreat cum libertate voluntatis, quod in sensu composito non possit non elicere actum efficaciter præfinitum, seu ad quem extrinsece præmovetur, dummodo possit in sensu diviso. 178
Dub. 6. Quomodo solvenda sint argumenta pro contraria sententia dub. 4 a num. 71 usque ad 78 adducta, necnon aliud argumentum adversariorum una cum sua confirmatione dub. 3 a num. 53 usque ad 55 allatum. 193
Dub. 7. Utrum Deus decreto absoluto, et ex se efficaci prædiffiniat peccatum, verbi gratia, odium Dei deliberate exercitum quoad materiale seu fundamentum illius? 197
Art. 10. Utrum Deus habeat liberum arbitrium? 235
Art. 11. Utrum sit distinguenda in Deo voluntas signi? 235
Art. 12. Utrum convenienter circa divinam voluntatem ponantur quinque signa? 235

TRACTATUS V

In quæstionem 23 primæ part. D. Thom.

QUÆSTIO XXIII.

De Prædestinatione et Reprobatione. 237
De Prædestinatione. 238
Art. 1. Utrum homines prædestinentur a Deo? 238

Disputatio I.

De prædestinatione quoad nomen, convenientiam, et an est? ipsius. 239
Dub. 1. In quo sensu sumatur in præsenti nomen prædestinationis. 239
Dub. 2. Utrum conveniens fuerit, dari prædestinationem hominum? 242
Dub. 3. Utrum Deus aliquos homines de facto prædestinaverit? 249

Disputatio II.

De prædestinatione quoad quid est? illius. 253
Dub. 1. Utrum prædestinatio essentialiter consistat in actu divini intellectus, vel in actu suæ voluntatis vel in utroque simul? 253
Dub. 2. In quo actu intellectus consistat essentialiter, et in recto prædestinatio. 263
Dub. 3. Utrum prædestinatio sit pars subjectiva, an vero tantum objectiva divinæ providentiæ? 289
Dub. 4. Quomodo ex dictis colligatur sufficientia diffinitionum, quæ de prædestinatione communiter traduntur, et quomodo omnes illæ inter se cohæreant? 301
Art. 2. Utrum prædestinatio aliquid ponat in prædestinato? 310

Disputatio III.

De prædestinatione quoad ejus subjectum, aut quasi subjectum. 310
Dub. unic. Utrum prædestinatio secundum se sumpta sit tantum in prædestinante, et an executio ipsius active accepta sit tantum in Deo, passive vero in prædestinato? 310

Disputatio IV.

De prædestinatione quoad supernaturales effectus, quos causat. 321
Dub. 1. Utrum glorificatio seu visio beatifica prædestinatorum sit effectus divinæ prædestinationis? 321
Dub. 2. Utrum omnis justificatio electorum sit effectus prædestinationis eorumdem? 325
Dub. 3. Quænam vocationes electorum sint effectus prædestinationis eorum? 331
Dub. 4. Utrum actus supernaturales electorum, quatenus procedunt a libero eorum arbitrio sint effectus prædestinationis ipsorum? Ubi etiam de aliis donis supernaturalibus, an sint effectus prædestinationis electorum agitur? 338

Disputatio V.

De prædestinatione quoad effectus ordinis naturalis ab illa provenientes. 345
Dub. unic. Utrum ipsum *esse* substantiale prædestinati, et omnia entia ordinis naturalis sint effectus prædestinationis electorum. 345

Disputatio VI.

De prædestinatione quoad alium ejus effectum, scilicet permissionem peccati. 360
Dub. unic. Utrum permissiones omnium peccatorum sint effectus prædestinationis electorum? 360
Art. 3. Utrum Deus aliquem hominem reprobet? 370

Disputatio VII.

De reprobatione quoad an et quid est? illius. 371
Dub. 1. Utrum detur in Deo reprobatio. 371
Dub. 2. Utrum reprobatio consistat in actu voluntatis, vel intellectus divini, et quisnam ille sit? 375

Disputatio VIII.

De causis, et effectibus reprobationis. 381
Dub. 1. Utrum Deus habuerit voluntatem absolutam, et efficacem, qua intendit excludere aliquos a regno cœlesti, et infligere eis æternæ damnationis pœnam, antequam illorum peccata præviderit? an vero post prævisionem eorum, et dependenter ab illis, ut a causa, vel ratione meritoria illius voluntatis? 381
Dubio. 2. Utrum detur causa reprobationis quoad primam permissionem primi peccati cum effectu conducentis ad æternam damnationem reprobi? 391
Dub. 3. Quinam juxta dicta sint effectus reprobationis? 404
Art. 4. Utrum prædestinati eligantur a Deo? 413

Disputatio IX.

De modo quo Deus elegit prædestinatos ad gloriam. 414
Dub. 1. Utrum juxta sacram Scripturam electio efficax prædestinatorum ad gloriam fiat omnino gratis, et ante prævisionem meritorum? an vero non sit omnino gratuita, sed ex justitia, et post prævisa merita eorum? 414
Dub. 2. Utrum juxta D. Augustini, et D. Thom. necnon aliorum sanctorum Patrum mentem electio efficax prædestinatorum ad gloriam fiat omnino gratis, et ante prævisionem meritorum? an vero ex justitia, et post prævisa merita eorum? 428
Dub. 3. Utrum sufficienti ratione probetur, electionem prædestinatorum ad gloriam fuisse omnino gratis, et ante prævisionem meritorum? an vero ex justitia, et post prævisa merita? 438
Art. 5. Utrum præscientia meritorum sit causa prædestinationis 462

Disputatio X.

De causa prædestinationis ex parte prædestinati quoad primum effectum, seu quoad omnes effectus suæ prædestinationis ordine executionis consideratos. 463
Dub. 1. An opera naturalia prædestinati possint esse aliquo modo causa dispositiva, vel meritoria ordine executionis respectu primi effectus predestinationis, seu respectu omnium effectuum illius? 463
Dub. 2. Utrum opera facta ex gratia sint causa meritoria, vel dispositiva primi effectus prædestinationis, vel saltim prævisio ejus sit conditio ad illum prærequisita? 475
Art. 6. Utrum prædestinatio sit certa? 482
Art. 7. Utrum numerus prædestinatorum sit certus? 482
Art. 8. Utrum prædestinatio possit juvari precibus sanctorum? 484

Disputatio XI.

De causa prædestinationis ex parte meritorum alterius puri hominis. 484
Dub un. Utrum merita unius puri hominis possint esse causa meritoria prædestinationis alterius quoad omnes suos effectus consideratæ. 485

INDEX LOCORUM

SACRÆ SCRIPTURÆ

QUÆ IN PRIMO & SECUNDO TOMO CONTINENTUR.

Numerus prior tomum, posterior paginam demonstrat.

EX VETERI TESTAMENTO

Ex Genesi.

1. *In principio creavit Deus cœlum, et terram.* I, 537, 559, 552
3. *Adam quasi unus ex nobis factus est, etc. Nunc ergo ne forte mittat manum suam.* I, 576

Ex Exodo.

4. *Si non crediderint tibi, nec audierint sermonem signi prioris.* I, 577
18. *Non bonam rem facis.* II, 381
33. *Miserebor cui voluero.* II, 370

Ex Levitico.

10. *Ignem alienum, quod eis præceptum non erat.* II, 380

Ex Deuteronomio.

4. *Non vidistis aliquam similitudinem in die qua locutus est vobis Dominus.* I, 576
18. *Quod si tacita cogitatione responderis, quomodo possum intelligere.* I, 582

Ex I Regum.

23. *Si tradent me viri Ceilæ in manus ejus.* I, 580

Ex II Regum

14. *Non vult Deus perire animam.* II, 383

Ex III Regum.

11. *Non ingrediemini ad eas, nec ingredientur ad vestras.* I, 580

Ex IV Regum

11. *Si percussisses quinquies, aut sexies, etc., percussisses Syriam, usque ad consummationem.* I, 577

Ex Esther.

13 *Nemo est qui possit resistere voluntati ejus.* II, 148, 150
14. *Te, Domine, qui habes omnium scientiam.* I, 334

Ex Job.

11. *Infernus, et perditio coram Domino.* I, 461
21. *Numquid Deum docebit quisquam scientiam.* I, 334
31. *Nonne ipse considerat vias meas.* I, 405

Ex Psalmis.

5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* II, 198
24 *Universæ viæ Domini misericordia et veritas.* II, 375
29. *Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia.* II, 386
30. *In manibus tuis sortes meæ.* II, 421
35. *Qui fecit cœlos in intellectu.* I, 432
42. *A gente non sancta.* II, 380
50. *Sacrificium dedissem utique.* I, 579
68. *Delicta mea a te non sunt abscondita.* II, 461
71. *Ante solem permanet nomen ejus.* II, 247
89. *Prius quam montes fierent, etc. aut formaretur terra.* I, 537
93. *Qui plantavit aurem non audiet.* I, 319
102. *Non secundum peccata nostra fecit nobis.* II, 406
103. *Omnia in sapientia fecisti.* I, 432
113. *Omnia quæcumque voluit fecit.* I, 527, et II, 142
117. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes.* II, 372
118. *Inclina cor meum, Deus, in testimonia tua.* II, 430
137. *Excelsus Dominus, et humilia respicit.* I, 319
138. *Mirabilis facta est scientia tua.* I, 334
138. *Intellexisti cogitationes meas.* I, 471

Ex Proverbiis.

1. *Vocavi, et renuistis.* II, 331
3. *Dominus fundavit terram.* II, 432
15. *Ipse novit hominum vanitatem.* I, 461
21. *Sicut divisiones aquarum, ita cor*

regis in manu Domini quocumque voluerit, vertet illud. II, 155

Ex lib. Ecclesiastes.

23. *Domino Deo, antequam crearentur, omnia sunt cognita.* I, 471
Ult. *Cuncta, quæ fiunt sub sole adducet Dominus.* II, 353

Ex Canticis.

3. *Tenui eum, nec dimittam.* I, 268

Ex lib. Sapientiæ.

1. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.* II, 361, 383
1. *Impii manus accersierunt illam.* II, 383
5. *Lassati sumus in via iniquitatis.* II, 362,
8. *Attingit a fine usque ad finem fortiter.* II, 153
8. *Quis eorum quæ sunt magis quam illa est artifex.* I, 432
9. *Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis.* II, 237
11. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses.* II, 133
11. *Diligis omnia, quæ sunt, et nihil odisti eorum, quæ fecisti.* II, 385
14. *Odio sunt Dei impius, et impietas ejus.* II, 82
19. *Præsciebat Deus futura illorum.* I, 542

Ex Ecclesiastico.

1. *Omnis sapientia a Domino Deo est.* I, 319
5. *Apposui tibi ignem et aquam, ante hominem vita, et mors.* II, 151
12. *Altissimus odio habet peccatores.* II, 82
17. *Destinavit illi sortem.* II, 239
33. *Quare dies diem superat.* II, 250
33. *Lux lucem, et annus annum, etc. Domini scientia separati sunt, et immutavit tempora.* II, 361
39. *Opera omnis carnis a sæculo coram illo.* I, 539
42. *Cognovit enim Dominus omnem scientiam.* I, 334

Ex Isaia.

5. *Væ qui trahitis iniquitatem, etc. et quasi vinculum plaustri peccatum.* II, 406
9. *Parvulus datus est nobis.* II, 242
14. *Dominus exercituum decrevit, et quis poterit infirmare.* II, 254
14. *Juravit Dominus exercituum dicens: Si non putavi, ita erit.* I, 527
15. *Nunc ergo habitatores Jerusalem, et viri Juda.* II, 152
24. *Quomodo si paucæ olivæ, quæ remanserunt, excutiantur.* II, 483
27. *Numquid juxta plagam percutientis se, percutit eum.* II, 406
30. *Expectat Dominus, ut misereatur vestri.* II, 383
40. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram illo.* I, 465
41. *Annunciate quæ ventura sunt, et sciemus quia dii estis.* I, 471
41. *Qui suscitavit ab oriente justum, et vocavit eum, ut sequeretur se.* II, 331
56. *Inventus sum a non quærentibus me, palam apparui iis qui non me interrogabant.* II, 467
64. *Quæ præparavit Deus expectantibus se, occurristi lætanter, et facienti justitiam.* II, 417

Ex Jeremia.

32. *Fortissime, Magne, Potens Dominus.* I, 271
38. *Si profectus exieris ad Principes Regis Babilonis, vivet anima tua.* I, 580

Ex libro Trenorum.

4. *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur.* II, 473

Ex Ezechiele.

18. *Numquid voluntatis meæ est mors impii.* II, 466
18. *Si impius egerit pœnitentiam, vita vivet, et non morietur.* II, 474
36. *Faciam ut in præceptis meis ambuletis, et operamini.* II, 340

Ex Daniele.

3. *Potens est Deus nos de manibus tuis! o rex, liberare.* II, 83
4. *Peccata tua eleemosynis redime.* II, 465
13. *Domine, qui nosti omnia, antequam fierent.* I, 471

Ex Osea.

13. *Perditio tua, Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* II, 375
13. *Occurram eis quasi ursa raptis catulis.* II, 386

Ex Abacuc.

1. *Mundi sunt oculi tui, ad iniquitatem respicere non poteris.* I, 460

Ex Zacharia.

1. *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.* II, 474

Ex Malachia.

1. *Jacob dilexi.* II, 253, 364, 421

Ex I Machabæor.

1. *Destinavit aliquos de populo, et abierunt ad regem.* II, 239

Ex II Machabæorum.

6. *Destinavit non admittere illicita propter vitæ amorem.* II, 239

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex Matth.

5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* I, 95, 101
7. *Si ergo vos cum sitis mali, nostis data filiis vestris, etc.* I, 465
10. *Pares nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et æstus.* I, 251

11. *Si in Sydoniis facta fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te.* I, 477
13. *Separabunt malos de medio justorum.* II, 372
20. *Sedere autem ad dexteram meam non est meum dare vobis.* II, 417
22. *Multi enim vocati, pauci vero electi.* II, 248, 253, 483
22. *Vocati ad nuptias venire noluerunt.* II, 331
24. *Propter electos breviabuntur dies illi, etc. ut in errorem inducantur, si fieri potest etiam electi.* II, 414
25. *Venite, benedicti Patris mei.* II, 417
25. *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.* II, 372, 417,
25. *Nescio vos.* II, 379
26. *Fiat voluntas tua.* II, 2

Ex Marco.

11. *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis.* II, 248
13. *De die autem illa nemo scit.* I, 299
uit. *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* II, 244

Ex Luca.

12. *Nolite timere pusillus grex.* II, 250, 414, 421
16. *Si Moysem et Prophetas non audiunt.* I, 580
17. *Oportet illum reprobari a generatione hac.* II, 372
15. *Sine me nihil potestis facere.* II, 467

Ex Joanne.

1. *Dedit eis potestatem, filios Dei fieri.* II, 465
3. *Sic Deus dilexit mundum.* II, 37
4. *Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi, da mihi bibere.* I, 579
5. *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi.* I, 580
6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum.* II, 467
14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* I, 250
14. *Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum.* I, 283
14. *Non credis quia ego in Patre, et Pater in me est.* I, 283
14. *Nunc dixi vobis prius quam fiat, ut cum factum fuerit credatis.* I, 471
15. *Omnia quæcumque audivi a Patre meo nota feci vobis.* II, 93
15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* II, 421, 459, 486
16. *Spiritus qui a Patre procedit, docebit vos omnia : non enim loquetur a semetipso.* II, 93
18. *Unigenitus qui est in sinu Patris, etc.* I, 101, 102.

Ex Actibus Apostolorum.

2. *Hunc diffinito consilio, et scientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis.* II, 203
4. *Sicut convenerunt Herodes, et Pontius Pilatus.* II, 203
4. *Quæ manus tua, et consilium tuum decreverunt fieri.* II, 253
8. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, et roga Deum si forte remittatur hæc cogitatio cordis tui.* I, 579
13. *Quotquot erant præordinati in vitam æternam.* II, 430

Ex Paulo ad Roman.

1. *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, et in immunditiam.* II, 204, 372
1. *Propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum et in passiones ignominiæ.* II, 204
4. *Patrem multarum gentium posui te ante Deum.* I, 539, 666
8. *Ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* II, 246
8. *Quos præscivit, et prædestinavit.* I, 542, II, 241, 250, 323, 325, 326
8. *Quis accusabit adversus electos Dei.* II, 423 431
9. *Voluntati ejus quis resistit?* I, 527
9. *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni, aut mali egissent, Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* II, 143, 253, 364, 421, 434. 438
9. *Sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum.* II, 353, 366, 371
9. *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est : Jacob dilexi, Esaü autem odio habui.* II, 255, 421
9. *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere illud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam.* II, 396
9. *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo.* II, 422
9. *Cujus vult miseretur, et quem vult, indurat.* II, 404, 422
9. *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* II, 422, 423, 467
9. *Dicit enim Scriptura Pharaoni, quia in hoc ipsum excitavi te.* II, 367
9. *Volens Deus ostendere iram suam, et notam facere potentiam suam.* II, 371, 404, 423
11. *Si autem gratia jam non ex operibus : alioqui gratia jam non esset gratia.* II 249, 468
11. *Incomprehensibilia sunt judicia ejus.* I, 371
11. *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus!* I, 315, 334, 617, II, 245, 396, 424
11. *Reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt.* II, 250
11. *Non repulit Deus plebem suam.* II, 255, 427

Ex Epistola I ad Corinthios.

2. *Quæ sunt Dei nemo novit, nisi spiritus Dei.* I, 387, II, 237
2. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* I, 580
2. *Oculus non vidit, etc., quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* II, 153
2. *Nos autem, non spiritum Dei accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ ab eo donata sunt nobis.* II, 242
3. *Omnia vestra sunt, sive vita sive mors, sive præsentia, sive futura.* II, 247, 351
4. *Ne supra quam scriptum est, unus contra alterum infletur pro alio : quis enim te discernit?* I, 604

4. *Quis enim te discernit, quid habes, quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis.* II, 469, 471, 475
4. *Nos Apostolos novissimos ostendit, tanquam morti destinatos.* II, 239
11. *Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat.* II, 263
12. *Hæc operatur unus atque idem spiritus.* II, 83
13. *Videmus nunc per speculum, etc.* I, 95, 281

Ex Epist. II ad Corinthios.

3. *Vos ipsos tentate, si estis in fide, ipsi vos probate.* II, 262
3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis.* II, 467
9. *Qui parce seminat, parce et metet.* I, 250
9. *Unusquisque prout destinavit in corde suo.* II, 239
12. *Audivi arcana Dei.* I, 102
15. *Stella enim differt ab stella.* I, 250

Ex Epistola ad Galatas.

1. *Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ.* II, 421

Ex Epistola ad Ephesios.

1. *Sorte vocati sumus prædestinati secundum propositum ejus.* II, 83, 151
1. *Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi.* II, 417
1. *Elegit nos ante mundi constitutionem.* I, 657, II, 324, 351, 417
1. *Prædestinavit nos per Jesum Christum.* II, 247
1. *Elegit nos in ipso.* II, 253, 321, 417, 486
1. *Prædestinavit nos secundum consilium.* II, 250, 253, 262
1. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum, etc. in quo nos sorte vocati sumus.* II, 421, 431
1. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* II, 112
2. *Ipsius enim sumus factura creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus.* II, 152
3. *Propter nimiam charitatem, qua dilexit nos.* II, 112

Ex Epistola ad Philip.

3. *Bravium destinatum.* II, 239

Ex Epistola I ad Colossens.

1. *Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum suorum.* II, 421
2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei.* I, 334

Ex Epistola ad Thessalon.

4. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.* II, 2

Ex Epistola I ad Timotheum.

1. *Regi sæculorum immortali, etc.* I, 93
2. *Deus vult, omnes homines salvos fieri.* II, 141, 143. 141, 432
2. *Unus Deus, et unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* II, 144
6. *Lucem habitat inaccessibilem, etc.* I, 93

Ex Epistola II ad Timot.

2. *Non solum sunt vasa aurea, et argentea, sed et lignea et fictilia.* II, 371
4. *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* I, 251

Ex Epistola ad Titum.

1. *Confitentur, se nosse Deum, factis autem negant, ad omne opus bonum reprobi.* II, 372
3. *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos.* II, 467

Ex Epistola ad Hebræos.

1. *Per quem fecit et sæcula.* I, 539
6. *Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, etc. proferens autem spinas, et tribulos reprobata est.* II, 372
10. *Voluntatem Dei facientes.* II, 112
11. *Magis eligens afflictionem cum populo Dei.* I, 262
11. *Accedentem ad Deum oportet credere.* I, 272
12. *Esaü cupiens, hæreditare benedictionem, reprobatus est.* II, 372

Ex Jacobo.

1. *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur.* II, 200

Ex Epistola I Petri Apost.

3. *Non tardat Dominus, sicut quidam existimant.* II, 144

Ex Epistola II Petri Apost.

3. *Patienter agit propter vos nolens aliquos perire.* II, 383, 390

Ex I Joann.

3. *Cum apparuerit, similes ei erimus.* I, 95, 151, 180
3. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius manet in eo.* II, 81, 249
4. *In hoc est charitas, non quod nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse nos dilexit.* II, 449
5. *Scialis, quoniam vitam æternam habetis, qui creditis.* II, 248
14. *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum...* II, 471

Ex Apocalypsi.

4. *Propter voluntatem suam erant et creata sunt.* II, 133
5. *Dignus est agnus, qui occisus est.* II, 476
11. *Iratæ sunt gentes, et advenit ira tua.* II, 386

LAUS DEO

TRACTATUS QUARTUS.

DE VOLUNTATE DEI.

IN QUÆSTIONEM XIX PRIMÆ PARTIS

ANGELICI DOCTORIS.

PROOEMIUM

D. Thomæ.

Post considerationem eorum, quæ ad divinam scientiam pertinent, considerandum est de iis, quæ pertinent ad voluntatem divinam, ut sit prima consideratio de ipsa Dei voluntate. Secunda de iis, quæ ad voluntatem absolute pertinent. Tertia de his, quæ ad intellectum in ordine ad voluntatem pertinent. Circa ipsam autem voluntatem quæruntur duodecim.

3 q. 18 ar. 1 cor. Et 1 dis. 45 artic. 1. Et 1 cont. c. 72 et 73 § 2 et lib. 4, c. 19, col. 2. Et ver. q. 23, art. 1.

ARTICULUS I.

Utrum in Deo sit voluntas?

Ad primum sic proceditur. Videtur quod in Deo non sit voluntas. Objectum enim voluntatis est finis et bonum : sed Dei non est assignare aliquem finem : ergo voluntas non est in Deo.

Et opusc. 3, cap. 32 et 35.

2 Præterea, voluntas est appetitus quidam : appetitus autem cum sit rei non habitæ, imperfectionem designat, quæ Deo non competit : ergo voluntas non est in Deo.

† Lib. 3 de Anim. tex. 51.

3 Præterea, secundum Philosophum in 3. de Anima, † voluntas est movens motum : sed Deus est primum movens immobile, ut probatur 8. Physic. * ergo in Deo non est voluntas.

* Lib. 8 Phys. tex. 49, tom. 2.

Sed contra est quod dicit Apostolus Roman. 12 : Ut probetis quæ sit voluntas Dei.

Respondeo dicendum, in Deo voluntatem esse, sicut et in eo est intellectus. Voluntas enim intellectum consequitur. Sicut enim res naturalis habet esse in actu per suam formam, ita intellectus intelligens actu, per suam formam intelligibilem. Quælibet autem res ad suam formam naturalem hanc habet habitudinem, ut quando non habet ipsam tendat in eam, et quando habet ipsam, quiescat in ea. Et idem est de qualibet perfectione naturali quod est bonum naturæ. Et hæc habitudo ad bonum in rebus carentibus cognitione, vocatur appetitus naturalis. Unde et natura intellectualis ad bonum apprehensum per formam intelligibilem similem habitudinem habet, ut scilicet cum habet ipsum, quiescat in illo, cum vero non habet, quærat ipsum, et utrumque pertinet ad voluntatem. Unde in quolibet habente intellectum est voluntas. Sicut in quolibet habente sensum est appetitus animalis. Et sic oportet in Deo esse voluntatem, cum sit in eo intellectus. Et sicut suum intelligere est suum esse, ita suum velle.

Ad primum ergo dicendum, quod licet nihil aliud a Deo sit finis Dei, tamen ipsemet est finis respectu omnium, quæ ab eo fiunt, et hoc per suam essentiam, cum per suam essentiam sit bonus, ut supra ostensum † est. Finis enim habet rationem boni.

† q. 6, ar. 3.

Ad secundum dicendum, quod voluntas in nobis pertinet ad appetitivam partem. Quæ licet ab appetendo nominetur, non tamen hunc solum habet actum ut appetat, quæ non habet, sed etiam ut amet quod habet, et delectetur in illo. Et quantum ad hoc voluntas in Deo ponitur, quæ semper habet bonum, quod est ejus objectum, cum sit indifferens ab eo secundum essentiam, ut dictum est *.

* In corp. art.

Ad tertium dicendum, quod voluntas, cujus objectum principale est bonum, quod est extra voluntatem, oportet quod sit mota ab aliquo. Sed objectum divinæ voluntatis est bonitas sua, quæ est ejus essentia. Unde cum voluntas Dei sit ejus essentia, non movetur ab alio a se, sed a se tantum eo modo loquendi quo intelligere et velle dicitur motus. Et secundum hoc Plato dixit quod primum movens movet se ipsum.

Prima conclusio est affirmativa.

Secunda conclusio : Sicut intelligere Dei est suum esse, ita suum velle.

DISPUTATIO I.

De voluntate Dei quoad an est *illius.*

1. Quia quæstio *an est?* primum locum inter alias sibi vendicat, ideo primo loco cum D. Thom. disputationem de *an est?* divinæ voluntatis excitamus.

DUBIUM I.

An in Deo detur voluntas?

Quia de *an est?* divinæ voluntatis potest absolute inquiri, et similiter, an ex ratione a Divo Thom. in hoc art. adducta sufficienter probetur, propterea majoris claritatis gratia de illo priori in hoc dub. et de posteriori in sequenti discutiemus.

§ 1.

Proponitur duplex dubitandi ratio.

Prior dubitandi ratio. Prima dubitandi ratio est, quod voluntas importat specialem quandam potentiam elicitivam proprii actus; sed hæc nequit reperiri in Deo : ergo nec voluntas. Major patet. Nam voluntas est facultas quædam vitalis, quippe quæ oritur ab intellectuali vita ut talis est : facultas autem vitalis est potentia activa, ac proinde elicitiva proprii actus, ut communiter docent philosophi. Minor vero etiam constat. Tum, quia, juxta D. Thomam in secunda conclusione articuli, sicut *intelligere* Dei est *esse* Dei, ita etiam *velle* : ergo sicut respectu *esse* essentialis Dei nequit dari specialis potentia, a qua procedat, quia est ens omnibus modis a se, et omnino improductum, ita nec respectu ipsius *velle*. Tum etiam : quia quidquid in Deo est, debet esse purissimus actus omnem excludens potentialitatem, aut potentialitatis vestigium; at ratio potentiæ activæ sicut ex se et secundum sua essentialia præscindit ab actu, ita etiam potentialitatem includit. Maxime quia potentia volitiva non solum elicit, sed recipit volitionem : ac proinde in illo priori, in quo elicit, est in potentia ad illam : quandoquidem licet tunc non habeat eam, potest tamen ipsam habere.

2. Posterior. Secunda. Si semel in Deo est voluntas, erit etiam in eo appetitus naturalis, seu innatus; sed hic derogat divinæ perfectioni : ergo etiam voluntas. Major patet. Nam præcipuus voluntatis actus et aliorum origo, quo quis vult proprium *esse*, fundatur in illa naturali propensione, qua res in suum *esse* propendit : et in universum quivis amor elicitus habet pro fundamento aliquam naturalem inclinationem, seu appetitum ad bonum : et ideo nequit in malum sub ratione mali ferri, quia non potest esse naturalis propensio ad illud.

Minor vero etiam constat. Tum, quia hic modus appetitus imperfectionem involvit, nimirum ut non sequatur ex cognitione, sitque communis brutis, et rebus etiam inanimatis. Tum etiam : quia appetitus iste ad summum potest convenire iis rebus, quæ vel non omnino habent suam consummatam perfectionem, vel ea privari queunt, nam si indefectibiliter illam possiderent, non restaret aliquid, quod naturaliter appeterent : at quodlibet horum arguit imperfectionem, ut ex se constat : ac proinde derogat summæ et indefectibili perfectioni Dei : ergo etc.

§ II.

Vera sententia.

3. Conclusio. Nihilominus dicendum est, vere in Deo reperiri voluntatem. Hæc est de fide : ut patet ex illo ad Thessalonicens., 4 : *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.* Thessal. 1. Ad Roman., 12 : *Ut probetis quæ sit voluntas Dei.* Rom. 12. Matthæi 6 et 26 : *Fiat voluntas tua.* Et alibi sæpe. Idemque probat productio creaturarum a Deo, quæ secundum fidem procedunt ex libera ipsius voluntate, juxta illud : *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Matth. 6 et 26.

Ratio pro conclusione D. Thom. Probatur assertio ratione Divi Thomæ, I contra Gent. cap. 72, quam ipse sub his verbis affert : *Illud quod consequitur omne ens, convenit enti in quantum est ens : quod autem est hujusmodi, oportet quod in eo maxime inveniatur, quod est primum ens. Cuilibet autem enti competit appetere suam perfectionem, et conservationem sui esse : unicuique tamen secundum suum modum. Intellectualibus quidem per voluntatem, animalibus per sensibilem appetitum, carentibus vero sensu per appetitum naturalem : aliter tamen quæ habent, et quæ non habent. Nam ea quæ non habent, per appetitivam virtutem sui generis desiderio tendunt ad acquirendum quod eis deest : quæ autem habent, quietantur in ipso. Hoc igitur primo enti quod Deus est, deesse non potest. Cum igitur ipse sit intelligens, inest sibi*

sibi voluntas qua placet sibi suum esse, et sua bonitas.

Confirmatio. Angelic. Doct. Confirmatur ratione ejusdem sancti Doctoris, ibidem : *Nam intelligere quanto perfectius est, tanto delectabilius est intelligenti : sed Deus intelligit, et suum intelligere est perfectissimum, ut supra ostensum est : ergo intelligere est ei delectabilissimum. Delectatio autem intelligibilis est per voluntatem : sicut delectatio sensibilis est per concupiscentiæ appetitum : est igitur in Deo voluntas.*

1. Alia ratio D.Thom. Secundo probatur assertio ratione ejusdem sancti Doctoris, loco citato : *Quoniam forma per intellectum considerata non movet nec aliquid causat nisi mediante voluntate : cujus objectum est finis et bonum, a quo movetur aliquis ad agendum ; unde intellectus speculativus non movet neque imaginatio pura absque æstimatione boni vel mali : sed forma divini intellectus est causa motus et esse in aliis : agit enim res per intellectum, ut infra ostendetur : oportet igitur quod ipse sit volens.*

§ III.

Diluuntur rationes dubitandi initio adductæ.

5. Ad primam. Ad secundam. Ad primam patebit ex dicendis disput. sequenti n. 10 et deinceps.

Ad secundam neganda est minor. Et ad primam probationem, quod licet quivis appetitus innatus non petat necessario sequi ex cognitione ; nihilominus non excludit, quominus simul sit in appetente appetitus elicitus ejusdem boni, et consequenter cognitio illius ; et ideo creatura intellectualis appetitu naturali et simul elicito fertur in proprium bonum. Unde appetitus innatus ex genere suo non includit necessario imperfectionem : quia ad hoc desiderabatur ut esset incomposibilis cum cognitione.

Adde, appetitum innatum includi etiam tum in ipsa cognitione, tum etiam in appetitu elicito quatenus utrumque habet naturalem inclinationem in proprium objectum et perfectionem. Unde sicut ad hæc duo indispensabiliter requiritur cognitio, ita etiam ad appetitum innatum ut intime inclusum in illis. Ex quo etiam constat ad id quod in eadem probatione additur, scilicet appetitum innatum convenire brutis et rebus inanimatis : quia multa sunt prædicata communia viventibus et non viventibus, ut, v. g. ratio entis et substantiæ, quæ tamen ex se non dicunt imperfectionem.

6. Ad secundam probationem respondetur, convincere non esse in Deo appetitum innatum per modum desiderii in ordine ad perfectiones intrinsecas ipsius ; non tamen per modum complacentiæ et quietis in illis. Nam appetitus innatus aliquando est per modum desiderii, aliquando vero per modum complacentiæ, ut patet in materia prima, quæ simul desiderat formam non habitam, et complacet in ea, per quam actu informatur.

DUBIUM II.

Utrum ex vi rationis quam D. Thom. in hoc art. adducit recte probetur esse in Deo voluntatem ?

7. Quia Angelicus Doctor rationem, quam in hoc art. adducit, aliis prætulit et propterea ea solummodo in præsenti utitur, placuit illam in peculiari dubio examinare, et ab aliquibus calumniis, ipsi immerito impositis defendere : ut ita doctrina Angelici præceptoris ex omni capite magis elucidata maneat.

§ I.

Decisio dubii.

Assertio. Dicendum ergo est, rationem a sancto Thoma in hoc art. adductam optimam esse ad probandum esse in Deo voluntatem. Ita communiter ejus discipuli, nec non et Suarez lib. 3 de attributis positivis Dei c. 6, Suarez, Molina in præsenti, Valentia disp. 1, q. 19, Molina, Valen., puncto 1, favet Herice 1 p. tract. 2, dis. 11, c. 3, quamvis c. 2 (immerito tamen ut ex dicendis in hoc dub. patebit) dixerit, D. Thomam in hac ratione aliquid supposuisse quod probare debuisset. Herice.

Ratio. D.Thom. Assertio hæc non aliter melius suadebitur, quam sancti Doctoris rationem adducendo, quæ quidem sub hac forma potest proponi. Quoniam voluntas consequitur ad intellectum : sed in Deo est intellectus et intellectualis cognitio, ut patet ex iis quæ sanctus Doctor in q. 14 hujus 1 p. dixit : ergo etiam voluntas. Minor cum consequentia patet. Major vero probatur. Sicut res naturales habent esse in actu per suam formam, ita intellectus actu intelligens per formam intelligibilem : sed ad res naturales consequitur appetitus naturalis, per quem

appetunt suam formam quando illam non habent, et quiescunt in ea jam habita : ergo similiter ad naturam intellectualem subsequetur suus appetitus, per quem tendat in bonum apprehensum per formam intelligibilem, quando illud nonhabet, et quiescat in eo jam habito : ac proinde cum utrunque eorum, nimirum desiderare, et quiescere in bono apprehenso per intellectum, et jam habito, pertineat ad voluntatem, consequens erit, ut hæc sequatur ad intellectum, ac proinde in Deo reperiatur.

8. Confirmatur. Confirmatur et explicatur efficacia et bonitas hujus rationis, quippe quæ ex propriis et adæquatis principiis ostendit esse in Deo voluntatem. Tum, quia teste philosopho, 1 Rhetoricorum, et 3 de Anima text. 5, radix seu ratio a priori voluntatis est intellectus. Unde optime, et ex propria radice probat sanctus Doctor esse in Deo voluntatem, ex eo quod sit in eo intellectus, qui est radix illius. Quare idem D. Thom. infra et cum eo communiter Theologi ostendunt Verbum divinum esse principium Spiritus Sancti, qui est amor : quia ex vi processionis communicatur eidem Verbo *esse* intellectivum. Arist.

Tum etiam : quia sicut ex eo quod in quavis re naturali sit, vel esse connaturaliter possit aliqua forma seu perfectio ut bona sibi, colligitur tanquam ex causa propria et adæquata esse in ea appetitum et propensionem in illam ut bonam, quandoquidem ideo appetitur aliquid, quia est bonum rei appetenti, ita ex eo quod natura intellectualis habeat suam propriam formam, et media illa apprehendat aliquod bonum ut proprium et conveniens sibi, sequitur tanquam ex causa adæquata, quod sit in ea appetitus, quo possit tendere in bonum illud apprehensum : Cumque talis appetitus hoc ipso quod sequatur formam apprehensam per intellectum, sit appetitus intellectualis, seu voluntas (ut statim magis explicabitur) consequens est ut hæc in Deo ex prædicto principio efficaciter convincatur.

§ II.

Objectiones contra rationem Angelici Doctoris.

9. Vazquez. Objectio prima. Sed Gabriel Vazquez in præsenti putat rationem hanc D. Thom. non esse efficacem, sed tantum congruentiam quamdam, seu explicationem appetitus rationalis in natura intelligente, desumptam ex naturali appetitu, qui in rebus naturalibus invenitur. Et ideo tam ipse quam alii plura contra eam objiciunt. Primo quidem. Nam ex proportione illa, quæ est inter res naturales et naturam intellectualem, ex eo quod sicut illæ constituuntur in actu per suam formam naturalem, ita ista per suam formam intelligibilem, solum potest colligi, quod sicut ob hanc rationem res naturalis habet inclinationem ad suam formam, per quam est in actu, sic etiam natura intellectualis inclinatur ad formam intelligibilem, per quam actuatur : at hoc ex ratione D. Thomæ non infertur; sed solum quod ibidem sit inclinatio in bonum apprehensum : ergo illatio et consequentia in ea facta non est legitima.

Confirmatio. Confirmatur. Quoniam D. Thom. videtur in hac ratione arguere in quatuor terminis, addendo nimirum in conclusione aliquem terminum præter tres illos, qui in majori et minori positi sunt : sed hic modus arguendi est vitiosus, ut constat ex iis quæ in institutionibus Dialecticis communiter dici solent : ergo etc. Major patet. Nam in majori et minori secundi syllogismi non meminit boni apprehensi : in conclusione autem intulit dari in creatura intellectuali inclinationem ad illud, ut intuenti patebit : ergo etc.

10. Solutio ex Cajet. Nec refert si cum Cajet. in præsenti respondeas, formam intelligibilem, per quam apprehenditur bonum, esse ipsummet bonum apprehensum sub alio modo essendi, scilicet sub *esse* repræsentativo, ideoque D. Thomam potuisse a forma intelligibili ad bonum apprehensum se divertere.

Impugnatur a Vazquez. Nam contra hoc objicit Vazquez, quod in primis non est ita certum formam intelligibilem esse ipsum bonum apprehensum, aut e converso. Deinde, quoniam adhuc hoc admisso, non convinceretur intentum, scilicet dari in natura intellectuali appetitum rationalem ad bonum apprehensum : quia appetitus hic est ad bonum apprehensum prout est in se sub suo modo essendi naturali; non vero prout in specie intelligibili, et sub *esse* repræsentativo continetur : ergo ex eo quod sit in natura intellectuali appetitus ad speciem intelligibilem, aut ad rem ipsam intellectam, prout in specie repræsentatur, non colligetur sufficienter, esse in ea voluntatem, seu appetitum rationalem.

Additamentum. Adde, quod appetitus rationalis non est ad intelligendum tantummodo, sed ut rem alias intellectam possideamus : at appeti-

tus

tus in speciem intelligibilem, etiam si in hoc rem ipsam ut objectum intellectionis includas, tantum est appetitus intellectionis formaliter loquendo. Nam sicut species intelligibilis sic sumpta, solum est per se primo instituta in ordine ad intelligendum, ita appetitus ad illam secundum istam rationem, tantum est appetitus ad eam ut deservit ad intellectionem; atque adeo formaliter loquendo, solum erit appetitus ejusdem intellectionis.

11. Secunda objectio principalis.

Secundo et principaliter. Quia gratis admisso, quod a forma intelligibili potuerit D. Thom. ad bonum ipsum apprehensum se divertere, adhuc non sequitur ex discursu illo dari in Deo voluntatem : ergo etc. Antecedens patet. Nam ex proportione illa inter res naturales, habentes esse per suas formas, et inter intellectum actuatum per formam intelligibilem, tantum sequitur, quod sicut res naturales se ipsis et ratione suæ formæ appetunt proprium bonum absque aliqua alia facultate superaddita, ita intellectus constitutus in actu per formam intelligibilem, se ipso et ratione suæ formæ absque aliquo alio inclinabitur in bonum apprehensum : at inclinatio hæc in bonum apprehensum non est voluntas, ut ex se constat; quandoquidem voluntas est potentia quædam realiter distincta ab intellectu, ut docet idem D. Thom. infra q. 78, art. 1, et q. 82, art. 3 : ergo etc.

12. Tertia objectio.

Tertio. Quoniam sanctus Doctor in sua ratione non videtur servasse debitam proportionem in subjectis. Nam ex eo quod res naturalis inclinetur in suam formam, a qua in actu constituitur, deberet colligere ipsum intellectum, quem asserit esse actu intelligentem per formam intelligibilem inclinari in illam : et tamen hoc non intulit, sed in natura intellectuali esse prædictam inclinationem.

Confirmatur. Nam voluntas ex natura sua est prior quam intellectio, aut species intelligibilis : ergo ex eo quod appetitus naturalis subsequatur ad formam naturalem, quia est constitutiva rei, male infertur voluntatem, seu appetitum rationalem subsequi adhuc in natura intellectuali ad intellectionem, aut formam intelligibilem. Antecedens patet. Nam voluntas non subsequitur ad intellectum, ut est idem cum objecto ; sed ut intellectus est. Unde sicut est prius quod sit intellectus, quam quod intelligat, aut informetur per speciem intelligibilem, per quam fit idem cum objecto, ita prius erit quod subsequatur voluntas, quam quod adsit intellectio, aut forma intelligibilis : et ideo in nobis voluntas longo tempore præcedit acquisitionem formarum intelligibilium, per quas intelligimus.

Ex quo etiam consequentia liquet. Quia ad formam constitutivam solum possunt subsequi ea, quæ sunt posteriora, quam illa; ac proinde supponunt rem constitutam. Quare cum appetitus naturalis sit posterior re naturali jam constituta, ut communiter docent philosophi, secus vero voluntas collata cum intellectu constituto in actu, consequens est, ut ex eo quod ille subsequatur ad rem naturalem, non possit colligi, voluntatem in natura intellectuali subsequi ad intellectionem, aut formam intelligibilem.

Ultimo. Quia D. Thom. duo supponit in hac ratione, ut fundamenta illius. Primum est intellectum constitui in actu intelligentem per formam, seu speciem intelligibilem, sicut res naturalis fit in actu per suam formam, ut ex corpore articuli constat. Secundum vero, res naturales hanc habere habitudinem ad suam formam, ut cum non habent eam, tendant in illam : at utrumque horum est falsum : ergo etc. Minor patet. Nam in primis intellectus nequit constitui in actu intelligendi per formam intelligibilem : quandoquidem intelligere non est effectus formalis speciei intelligibilis; sed actio quædam vitalis realiter distincta ab illa : alioqui hoc ipso quod adesset species intelligibilis, non posset non adesse intellectio rei, cujus est illa species, cujus oppositum in nobis experimur. Et deinde res naturalis non potest prædictam illam habitudinem ad suam formam habere. Nam sicut dum non habet eam, tunc non est talis res, ita neque in ipsa potest esse aliqua habitudo, aut inclinatio in talem formam. 13.

§ III.

Solvuntur objectiones contra rationem D. Thomæ præter ultimam.

14. Ad primam objectionem.

Ad primam ex his objectionibus respondetur supponendo, quod, cum D. Thom. ait, quamvis rem naturalem habere hanc habitudinem ad suam formam, ut ea non habita, tendat in illam, et eadem adepta, quiescat in ipsa, nomine formæ non intellexit formam constitutivam, sed aliam formam, seu perfectionem, et bonum propor-

tionatum rei constitutæ per suam formam essentialem, et ad illam suo modo subsecutam, ut constat ex eodem sancto Doctore, 1 contra Gent. c. 72, ratione secunda: et ex iis, quæ jam innuimus, scilicet rem naturalem non esse talem usquedum habeat propriam formam constitutivam. Et ideo ea non habita non posse appetere aliquid, cum appetere necessario supponat esse.

Unde sicut optime colligitur, rem naturalem semel constitutam per suam formam essentialem, habere inclinationem in perfectionem sibi propriam, ita etiam recte inferetur, naturam intellectualem semel actuatam medio intellectu a sua forma intelligibili, per quam cognoscat bonum sibi conveniens, habere appetitum proportionatum, scilicet intellectualem, medio quo possit tendere in bonum illud alias apprehensum, et secundum suum *esse* naturale sumptum. Nam sicut res naturalis perficitur a suo bono, ita natura intellectualis, ut talis, perficitur per bonum illud alias apprehensum, et secundum suum *esse* naturale acceptum, cujus specie intellectus informatur.

Quod etiam explicari potest ex eo, quod bonum illud alias apprehensum, et secundum suum *esse* naturale acceptum, est perfectio et consummatio ejusdem formæ intelligibilis: quandoquidem per eam, quippe quæ est ipsum bonum apprehensum præcise in *esse* intelligibili, tantum habetur bonum illud intelligibiliter: atque adeo imperfecte, seu non consummate. Cum vero jam acquiritur secundum *esse* naturale, habetur perfecte et in *esse* consummato: id autem, per quod habetur bonum ultimate et perfecte, est consummatio et complementum ejus, per quod imperfecte acquiritur. Unde non mirum quod ad naturam intellectualem actuatam medio intellectu per formam intelligibilem, seu per bonum illud non consummate habitum, subsequatur appetitus ad illud perfecte habendum, scilicet secundum *esse* naturale.

15. Ad confirmationem. Per quod etiam ad confirmationem satis patet. Quia bonum alias apprehensum, et forma, seu (quod idem est) perfectio, ad quam natura intellectualis actuata per formam intelligibilem, dicit prædictam habitudinem, ut in eam non habitam tendat, aut quiescat in illa semel obtenta, sunt unum et idem, ut ostensum est: et ita D. Thom. non arguit in quatuor terminis, sed in tribus.

Ex quo etiam fit optimam esse solutionem ex Cajet. ibidem adductam, si tamen recte et juxta mentem ipsius intelligatur. Nam solum propter rationem dictam, scilicet quia acquisitio boni secundum *esse* naturale est consummatio et perfectio ejusdem boni, ut jam habiti intelligibiliter, et per formam intelligibilem, necnon et naturæ intellectualis per illam actuatæ medio intellectu, intulit ex identitate jam dictæ formæ intelligibilis cum bono apprehenso potuisse D. Thomam ab ipsa forma ad bonum apprehensum se (ut sic dicamus) divertere, concludendo esse in natura intellectuali appetitum ad illud secundum suum *esse* naturale consequendum. Approbatur solutio Cajet.

Nec contra solutionem hanc sic intellectam procedunt objectiones ibidem factæ. Non quidem prima. Quoniam in via D. Thom. est omnino certum formam intelligibilem esse ipsum objectum apprehensum sub alio modo essendi, et constat ex iis, quæ in tractat. 2, disput. 2, num. 132, et in tract. 3, disput. 2, num. 14, diximus. Nec tandem aliæ ut intuenti patebit. Ad impugnationes contra eam.

Advertendum tamen, quod licet vis rationis D. Thom. optime explicetur tuendo prædictam solutionem, non tamen pendet necessario ab illa. Nam quamvis gratis daremus, speciem intelligibilem esse adhuc in ordine intelligibili alterius naturæ, ac rem ipsam intellectam; nihilominus satis esset, rem illam media specie et forma intelligibili, ut bonam apprehendi, et ut talem fieri præsentem intellectui, ad hoc, ut inde colligeretur esse in natura intellectuali proprium appetitum, per quem possit in illam tendere. Animadversio.

16. Objectio. Sed dices, quod postquam D. Thom. asseruit, quamlibet rem naturalem hanc habere habitudinem ad suam formam, ut cum non habet ipsam, tendat in eam, et quando eamdem habet, quiescat in illa, statim addidit: *Et idem est de qualibet perfectione naturali, quod est bonum naturæ*: ergo nomine formæ in prioribus verbis intellexit formam constituentem, non vero superadditam perfectionem, quæ est bonum naturæ; alioqui frustra et nugatorie prædicta verba addidisset, ut ex se constat.

Respondetur, sensum horum verborum non esse, quod res naturalis ad perfectionem illam superadditam dicat habitudinem prædictam, nimirum ut quiescat in ea jam habita, et tendat in illam non acquisitam. Quoniam licet hoc sit verum, id tamen jam sanctus Doctor in prioribus verbis expresserat. Dilnitur.

serat, ut supra ostendimus. Quare sensus illorum est, quod etiam perfectio naturalis dicit eamdem habitudinem ad rem naturalem, ita ut quandiu non communicatur illi, appetat se illi communicare; semel vero communicata, statim quiescat : quoniam hoc pertinet ad bonum ipsius naturæ. Unde ex his verbis sic intellectis priorem illam propositionem implicite confirmavit. Nam si perfectio ipsa naturalis habet prædictam habitudinem ad rem naturalem, ut per eam perfectibilem, quia, ut inquit sanctus Doctor, id pertinet ad bonum naturæ fit in re ut ob eamdem rationem ipsamet res naturalis, ut perfectibilis per illam, dicat eamdem habitudinem ad suam perfectionem : quia perfectibile et forma perficiens mutuo se respiciunt, et in prædictis habitudinibus sibi correspondent.

17. Additamentum. Adde posse etiam non improbabiliter dici, quod cum D. Thomas asseruit, quamlibet rem naturalem hanc habere habitudinem ad suam formam, ut cum non habet ipsam, tendat in eam, tunc nomine formæ intellexit, non quidem formam essentialiter constitutivam, sed perfectionem illam, quæ per naturalem dimanationem, ab ea fluit. Quæ quidem peculiari ratione dicitur sua forma, quia non ponit in numero cum forma essentialiter constituente ; sed potest censeri unum quid cum ea, quatenus per unam et eamdem actionem generantis una cum illa fit : quia ambæ, modo alibi dicendo, constituunt unum completum et integrum generationis terminum : juxta illud : *Qui dat formam, dat etiam consequentia ad formam*. Unde forma essentialiter constitutiva rei, ut est in *esse* perfecto et consummato, quod sibi debetur in instanti generationis, includit tum se ipsam, tum etiam omnia, quæ ab ea per naturalem dimanationem subsequuntur.

Cæterum cum D. Thom. addidit : *Et idem est de qualibet perfectione naturæ*, loquitur de illis perfectionibus, quæ ab ipsa natura quam perficiunt, non fluunt per naturalem dimanationem. Quia talis natura censetur integra et perfecta quoad ea, quæ in instanti generationis illi debentur, etiamsi non habeat prædictas perfectiones : et ideo ponunt in numero cum ipsa natura et forma constitutiva. Et ita ad hoc significandum nomine *perfectionis naturæ*, et non nomine *formæ* insigniuntur. Unde sanctus Doctor ex habitudine illa quam dicit res naturalis ad utramque perfectionem, ac proinde ad omnem perfectionem quam potest habere, colligit, idem esse dicendum de natura intellectuali actuata medio intellectu per speciem intelligibilem : ut nimirum dum non habet propriam perfectionem, scilicet bonum apprehensum, tendat in illud; cum vero illud habet, quiescat in ipso.

18. Ad secundum. Ad secundum principale negandum est antecedens. Et ad probationem dicendum est, optime ex proportione illa inter rem naturalem constitutam per suam formam, et naturam intellectualem actuatam per formam intelligibilem, inferri quod ad eas subsequatur suus appetitus, proportionatus ad naturam cujuslibet : atque ita in rebus naturalibus detur appetitus naturalis, et in natura intellectuali appetitus intellectualis : qui proinde tam ab ea, quam ab intellectu distinguatur. Nam in rebus naturalibus appetitus subsequitur ad formam in *esse* rei : at in natura intellectuali ad formam apprehensam per intellectum : cumque appetitus subsecutus ad formam in *esse* rei sit naturalis, et identificatus cum re, quam afficit; et subsecutus ad formam apprehensam per intellectum, sit intellectualis, et consequenter a natura intellectuali, et ejus intellectu distinctus, fit inde, ut ex prædicta proportione bene inferatur, esse in natura intellectuali appetitum rationalem, seu intellectualem, scilicet voluntatem.

19. Elucidatur. Explicatur magis hoc ipsum ex Cajet. in præsenti. Nam cum ad omne *esse*, seu ad rem actuatam per suum *esse* existentiæ subsequatur suus appetitus proportionatus ad tale *esse*, merito quia duo tantum sunt genera essendi, primum secundum quod res est aliquid secundum naturale *esse* : secundum vero quatenus res est aliquid apprehensibiliter in ordine intelligibili, oportet duplicem appetitum utrique *esse* proportionatum ponere. Et ideo quia primum genus essendi consistit in *esse* ad instar actus primi, secundum autem in *esse* per modum actus secundi, qui est apprehendere, ut in hoc dub. num. 21 dicemus, ideo appetere appetitu subsecuto ad *esse* naturale non est actus secundus, sed ipsamet natura ut inclinata et propensa in suum bonum. At actu appetere appetitu subsecuto ad *esse*, quod in cognitione intellectuali consistit, est actus secundus elicitus a virtute appetitiva, consequente naturam in quantum est intellectualiter apprehensiva. quæ nihil aliud est quam voluntas, ut omnes Philosophi et Theologi communiter fatentur. Unde in hoc consistit proportionalis similitudo formæ naturalis et intelligibilis in littera

adducta. Et ideo D. Thom. inchoavit suum discursum ex hoc, quod sicut forma naturalis constituit ens, ita forma intelligibilis constituit ens tali modo, scilicet quod sit ens cognoscitivum et cognoscens : ac proinde sit ipsa res cognita sub alio essendi modo. Nam ex hoc bene colligitur subsequendum esse ex utroque suum appetitum proportionatum, ut jam diximus. Sed hæc amplius statim explicabuntur.

20. Ad tertiam. Ad tertium respondetur negando antecedens. Nam in hoc quod intellectus constituatur in actu per suam formam intelligibilem, involvitur necessario quod natura ipsa intellectualis sit quæ principalius actuatur per illam. Unde sicut in re naturali, actuata per suam formam naturalem, reperitur suus appetitus ad propriam perfectionem, ita etiam in ipsa natura intellectuali actuata medio intellectu per formam intelligibilem, debet esse suus appetitus ad propriam perfectionem, scilicet bonum apprehensum, qui sit proportionatus ad ipsam ; ac proinde talis, ut licet subsequatur ad naturam intellectualem constitutam in actu mediante intellectu per prædictam formam intelligibilem ; nihilominus non recipiatur in illo quoties intellectus est aliquo modo distinctus ab ipsa natura. Quia tam ratio hujus appetitus, quam intellectus hoc exposcit : ex eo quod intellectus non fertur in ens sub ratione boni, sed sub ratione veri. Et ideo quidquid in ipso est, respicit ens ut verum, non vero ut bonum : cum tamen appetitus intellectualis tendat in ens ut bonum non vero ut verum.

Ad confirmationem. Ad confirmationem respondetur facultatem volitivam non subsequi ad intellectionem, aut ad formam intelligibilem, bene tamen volitionem, seu appetitum intellectualem per modum actus secundi consideratum. At D. Thom. propositionem illam : *Voluntas sequitur ad intellectum*, non intulit immediate, sed mediate : ex eo quod volitio sequitur ad intellectionem, et consequenter voluntas ad intellectum. Unde concl us't quod tam desiderare bonum apprehensum, quam quiescere in illo jam adepto, pertinet ad voluntatem : ac si diceret, dari voluntatem in natura intellectuali hoc ipso quod in ea dentur proprii actus ipsius, scilicet desiderare bonum apprehensum, et quiescere in illo jam adepto.

§ IV.

Diluitur ultima objectio.

21. Animadversio ad solutionem ultimi. Ad ultimum, ut respondeamus, prænotandum est, quod sicut forma intelligibilis potest considerari dupliciter, scilicet vel in *esse* entis, vel in *esse* intelligibili, seu repræsentativo ; et secundum priorem considerationem potest habere rationem accidentis et qualitatis, ac proinde non esse ejusdem naturæ cum objecto : at vero secundum posteriorem est ejusdem essentiæ et naturæ cum illo, licet sub diverso modo essendi, nimirum intelligibili, ut constat ex iis, quæ ex D. Th. tract. de Scientia Dei disp. 2, num. 14, diximus : ita in *esse* entis habet suam existentiam naturalem similem ei, quæ convenit aliis accidentibus : at vero in ordine intelligibili existit per aliam existentiam ad ordinem intelligibilem pertinentem, scilicet per intellectionem. Nam cum ad quemvis ordinem essendi sequatur sua existentia, fit inde, ut cum sint duo ordines essendi (scilicet in *esse* entis, seu in *esse* naturali et entitativo, et insuper in *esse* intelligibili) quod forma intelligibilis debeat existere per distinctam existentiam, ut pertinet ad ordinem entis et ad ordinem intelligibilem : cumque id quod est ultima actualitas ulterius non actuabilis habeat in quovis essendi ordine rationem existentiæ respectu illius, et intellectio sit ultima actualitas, ulterius non actuabilis in ordine essendi intelligibili, consequens est ut intellectio sit existentia formæ intelligibilis, ut ad hunc ordinem formaliter spectat.

Explicatio animadversionis. Quod etiam (ut sic quædam objectio, quæ hic fieri poterat, dissolvatur) non incongrue explicabitur ex eo, quod si ordo operativus in rebus naturalibus constitueret distinctum ordinem, non qualemcumque, sed essendi, et diversum ab ordine essendi naturali, seu entitativo, sicut ordo intelligibilis et intelligibiliter operandi illum constituit, tunc operatio talis ordinis esset existentia illius formaliter sumpti : quia esset ultima actualitas ulterius non actuabilis prædicti ordinis, quod est proprium existentiæ. Quare tota ratio ob quam ordini operativo naturali non correspondet propria existentia, est, quia non constituit ordinem essendi diversum ab ordine essendi intra lineam naturæ, sicut ordo intelligibilis illum constituit. Nam existentia correspondet ordini essendi, quia est ulti-

mus

mus actus hujus ordinis : non vero ordini operativo nisi ratione ordinis essendi.

22. Ad ultimum. Hinc ergo ad argumentum respondetur concedendo majorem, et negando minorem quoad utramque partem. Et ad probationem contra primam (solutio enim probationis contra secundam partem satis ex dictis constat) dicendum est, non ideo dici, quod forma intelligibilis constituit intellectum intelligentem in actu, quia forma seu species intelligibilis sit ipsa intellectio, ut argumentum optime concludit; sed quia intellectio est ipsa existentia formæ intelligibilis ut ad ordinem intelligibilem formaliter spectat : existentia autem est suo modo effectus formalis secundarius formæ illius ordinis, cujus est existentia, quatenus tribuendo suum effectum formalem primarium, determinat formaliter ad hoc ut subsequatur secundarius, juxta naturam ipsius, scilicet vel vitaliter, ut in præsenti contingit, vel per simplicem emanationem, ut in existentia ordinis naturalis accidit. Et ita forma intelligibilis concurrit formaliter modo dicto ad hoc ut subsequatur intellectio, quæ est existentia illius in hoc ordine : et simul etiam influit effective ad illam : quia natura hujus existentiæ, quippe quæ est vitalis, id petit.

Cæterum quia hæc solutio tangit doctrinam in hac et in aliis quamplurimis materiis juxta scholam D. Thom. valde fundamentalem, et non paucis, hisque difficilibus objectionibus expositam, ideo placuit aliqua contra illam proponere, ut ita magis elucidata maneat.

23. Objectio prior contra præcedentem solutionem. Primum est, quod intellectio indiget alia existentia a se realiter distincta, ad hoc ut existat : quia in creaturis essentia et *esse* distinguuntur realiter : at id quod est formaliter ipsa existentia, non indiget alia existentia, ut sit, sicut id quod est formaliter ipsum *fieri*, non eget alio *fieri*, ut fiat : ergo etc.

Secunda. Secundum. Species intelligibilis, tam secundum id quod habet in *esse* entitativo, quam in ordine intelligibili, est extra suas causas, antequam sit intellectio, et secundum utrumque *esse* essentiæ manet extra illas, quantumvis intellectio cesset, ut ex se constat : ergo secundum nullam sui rationem constituetur formaliter extra causas, seu existens per intellectionem.

Confirmatur. Confirmatur. Quia species secundum suum *esse* intelligibile causat effective intellectionem : at causa efficiens debet secundum illud *esse* essentiæ, secundum quod causat, præsupponi existens ad suum effectum.

Tertia. Tertium. Quoniam species intelligibilis, secundum suum *esse* essentiæ pertinens ad ordinem intelligibilem, est de se permanens : intellectio autem est de se fluens : et ita non habet sufficientem proportionem saltim connaturalem ad hoc ut sit existentia speciei secundum prædictam rationem.

Corroboratur. Confirmatur. Quoniam forma causans existentiam tanquam effectum formalem secundarium, nequit naturaliter loquendo separari ab illa : et ita tandiu durat, quandiu sua existentia, et e contra, ut in formis naturalibus constat : at ab intellectione separatur naturaliter species : ergo non comparabuntur per modum formæ et effectus formalis etiam secundarii.

24. Ultima. Ultimum quod contra prædictam solutionem proponitur, est. Quoniam ideo natura v. g. existens per existentiam humanam, nequit existere simul per divinam, quia jam præsupponitur existens; et propterea juxta opinionem D. Thom. 3 p. q. 17, art. 2, ad hoc ut humanitas in Christo Domino existeret per existentiam Verbi, oportuit, ut non existeret per propriam existentiam : at intellectus et species existunt per suam existentiam naturalem ; et ideo etsi non sit intellectio, re vera existunt : ergo nequibunt simul existere per intellectionem tanquam per existentiam ordinis intelligibilis. Maxime quia quod intellectio sit existentia alterius ordinis, nihil potest conferre ad hoc ut intellectus existens per existentiam ordinis naturalis, existat per intellectionem tanquam per existentiam ordinis intelligibilis. Sicut quod existentia propria humanitatis et Verbi divini sint diversi ordinis, nihil prodest ad hoc ut humanitas Christi Domini per utramque existentiam simul existat.

25. Ad primam. Ad primam ergo ex his impugnationibus contra prædictam solutionem respondetur, quod licet ad hoc, ut intellectio sit simpliciter extra causas, requiratur quod habeat suam existentiam naturalem, et ad ordinem entitativum pertinentem, quæ correspondeat ei, ut est accidens et qualitas; attamen præcise ratione sui, ut est formaliter ipsa actualissima unio intellectus cum objecto cognito, habet rationem existentiæ intelligibilis : et ita non indiget formaliter alia existentia in hoc ordine formalissime sumpto. Nam sicut totus ordo intelligibilis est ordo unionis intellectus cum objecto, ita summa et actualissima unio habet ratio-

nem ultimæ actualitatis in hoc ordine, ac proinde rationem existentiæ respectu illius; licet alias materialiter, vel per modum conditionis requiratur illa alia naturalis existentia et ad ordinem naturalem spectans.

26. Ad secundam. Ad secundam, quod licet tota entitas et ratio speciei intelligibilis, ut ad ordinem naturalem et intelligibilem pertinet, possit existere existentia naturali antequam adsit intellectio, propter identificationem utriusque inter se : et ità prædicta existentia ponat illam simpliciter extra causas ; attamen intelligibiliter et per existentiam ad ordinem intelligibilem formaliter pertinentem, solum habet existere per intellectionem, quæ non habet ponere illam simpliciter extra causas; sed solum in tali ordine, scilicet intelligibili.

Elucidatio solutionis. Potestque hoc ipsum aliqualiter explicari exemplo potentiæ obedientialis, quam habet quævis natura substantialis ad hoc, ut subsistat per subsistentiam Verbi divini : quæ, juxta ea quæ in tractatu 2, disputat. 1, num. 13 innuimus, si in ratione potentiæ obedientialis formaliter sumatur, est satis probabile quod sit aliquid supernaturale et ordinis hypostatici : et tamen dum talis natura non est unita cum Verbo, tunc prædicta potentia obedientialis existit per existentiam naturalem ejusdem naturæ propter identificationem, quam cum ea habet : et si prædicta natura uniretur Verbo, tunc existeret per existentiam Verbi tanquam per existentiam ejusdem ordinis : ita ergo in præsenti, proportione servata, philosophandum est. Diximus *proportione servata*, quia inter hoc exemplum, et rem de qua agimus, est etiam sua disparitas, quatenus potentia illa obedientialis nequit simul existere per utramque existentiam, ut num. 29 dicemus : intellectus autem utramque existentiam, naturalem scilicet et intelligibilem, queit simul habere.

Ad confirmationem. Ad confirmationem, quod species intelligibilis redacta ad actum per existentiam naturalem, quæ simpliciter extrahit illam extra causas, concurrit effective ad suam existentiam ordinis intelligibilis. Quia, ut dicebamus, natura hujus existentiæ, quippe quæ vitalis est, petit produci a propria potentia vitali, constituta in actu per speciem intelligibilem : et alias ratio agendi non est existentia, sed essentia actualis ab ea realiter distincta. Et ideo satis est, quod hæc per aliquam existentiam, ponentem rem simpliciter extra causas, existat ad hoc, ut possit active in suam existentiam ordinis intelligibilis influere.

27. Ad tertiam. Ad tertiam respondetur, quod sicut species intentionalis quatenus præcise et formaliter pertinet ad ordinem intelligibilem abstrahit a modo essendi permanenti et fluenti, et ideo species sensuum externorum, species intelligibiles, ac supernaturales, quæ aliquando communicantur Prophetis, possunt habere *esse* fluens; at vero species intelligibiles, quas per abstractionem a phantasmatibus acquirimus, habent modum essendi permanenter, et uterque modus essendi est materialis respectu speciei formaliter sumptæ; et propterea si daretur duplex species intelligibilis, quarum una haberet modum essendi permanentem, et alia transeuntem, utraque tamen per se primo repræsentaret eamdem naturam, tunc in ratione specierum intelligibilium essent ejusdem naturæ et speciei atomæ : ita intellectio formalissime accepta et ut habet rationem existentiæ, solum dicit actualissimam unionem potentiæ cum objecto, et de materiali aliquando affert *esse* entitativum et naturale fluens, ut in nobis; aliquando vero permanens, ut in intellectione beata et Angelica, qua Angelus se per suam substantiam cognoscit.

Proportio igitur speciei et intellectionis in ratione existentiæ et formæ terminabilis per illam, non debet attendi penes id, quod de materiali, aut in *esse* rei utrumque affert, sed in illo, quod de formali et in ordine intelligibili important : at in hoc habent maximam proportionem. Nam species ut formaliter pertinet ad ordinem intelligibilem, est unio in acta primo potentiæ cum objecto : intellectio autem est ipsa actualissima unio ejusdem cum prædicto objecto.

28. Additamentum. Adde, quod sicut potentia operativa, est de se permanens, et tamen actus ei correspondens, puta operatio, solet esse aliquid fluens, et nihilominus in ratione actus et potentiæ habent inter se proportionem, quia hæc proportio non petit convenientiam quoad modum essendi permanenter, vel transeunter, ita quia existentia ordinis intelligibilis debet re ipsa esse vitalis operatio, et elici ab intellectu et specie intelligibili, ideo non est contra proportionem requisitam inter eam et ejus principium, quod per ipsam intelligibiliter debet existere, quod intellectio habeat modum essendi fluenter, intellectus vero et species modum essendi permanenter.

Ad

Ad confirmationem respondetur, majorem esse veram de formis causantibus unicum *esse* existentiæ tantummodo, secus vero de illis, quæ duplex *esse* existentiæ causant, ita ut primum ponat rem simpliciter extra causas, secundum vero non nisi in tali ordine, scilicet intelligibili : quia in his formis satis est non posse naturaliter separari ab illa existentia, per quam sunt simpliciter extra causas.

Adde, quod adhuc in his formis non est formale, et necessario requisitum quod possint separari a sua existentia in ordine intelligibili, sed hoc est quid materiale ratione potentialitatis; et aliorum, quæ de materiali important : et ideo in Deo, et in Angelis, ut habent rationem speciei respectu cognitionis ab ipsismet ut rationem speciei sortiuntur.

Ad ultimam objectionem, concedendum est antecedens, et neganda consequentia, et ratio disparitatis est. Tum, quia existentia humanitatis, quippe substantialis, necnon et existentia Verbi, dant existere simpliciter : et ita semel existente simpliciter humanitate per suam existentiam, est incapax ut simul existat per existentiam Verbi : alioqui talis existentia esset accidentalis, et non tribueret *esse* simpliciter, ut optime expendunt N. Complut. in lib. de Generat. disp. 2, num. 46. At existentia intelligibilis tantum est existentia secundum quid et cum addito, scilicet in ordine intelligibili, et propterea est compositibilis cum alia existentia. Sed circa hæc videantur illa, quæ in tract. de Scientia Dei disp. 2, a num. 105 usque ad 110 diximus : ubi etiam alias objectiones et absurda, quæ ex eo quod intellectio sit existentia ordinis intelligibilis sequi videbantur, tetigimus et solvimus.

DISPUTATIO II.

De voluntate Dei quoad quid est *illius.*

1. Quia quæstio *quid est?* ad quæstionem *an est?* subsequitur, propterea optimo ordine post disputationem *an est?* divinæ voluntatis, ad hanc devenimus. Unde sicut in præcedenti disp. priorem conclusionem hujus articuli, ita in hac posteriorem explicabimus. Et quemadmodum quidquid in illa dictum est ex iis, quæ in eadem prima assertione continebantur ortum duxere, sic quidquid in ista dicetur, ex posteriori articuli assertione, et ex iis, quæ in ea latitant, desumentur. Nam quæ in hac disputatione discutientur, nempe an sit in Deo voluntas per modum potentiæ etc.? Debet decidi ex eo quo l *velle* Dei in sensu jam dicendo, est *esse* Dei, ut D. Thom. in secunda conclusione articuli asserebat. Et ideo ibidem debet identice formaliter habere quidquid perfectionis est in Deo, et insuper intra propriam lineam includere omnem perfectionem excogitabilem, quæ ad lineam volendi spectat, non vero eam, quæ ad alias lineas pertinet. Per quæ, ut ex jam dicendis constabit, cuncta quæ in hac disputatione occurrent, decidemus. Unde ex hoc etiam capite merito post præced. disp. de *an est?* divinæ voluntatis, hanc instituimus.

DUBIUM 1.

Utrum voluntas Dei sit per modum potentiæ, an vero tantum per modum actus ultimi et puri?

2. Explicatio tituli. Pro tituli intelligentia notandum est, volitionem in Deo duobus modis posse accipi, scilicet vel essentialiter, vel notionaliter. Secundum priorem rationem solum respicit objectum volitum : at secundum posteriorem dicit ordinem ad terminum realiter per illam productum, eo sane modo, quem fusius infra q. 27 (Deo dante) explicabimus. In præsenti ergo tantum loquimur de volitione, seu voluntate essentialiter sumpta. Et licet voluntas divina sic considerata pertineat alias ad rationem potentiæ executivæ seu omnipotentiæ, ac proinde respiciat creaturas ut effectus, ab ea in suo ordine procedentes : nunc tamen non loquimur de illa secundum hanc considerationem; sed ut præcise dicit ordinem ad objectum ut volitum, et ut tantum terminatur ad ea, quæ sunt ad intra.

§ I^er^.

Referuntur variæ sententiæ.

3. Prima sententia Villegas. Prima sententia affirmat dari in Deo voluntatem per modum potentiæ realis. Hanc satis innuit Villegas controvers. 9, c. 1; imo ibidem videtur asserere dari in divinis voluntatem quæ sit potentia realis, tam activa, quam passiva : et pro ea refert Scot. in 2, dist. 25, q. unica, § *Dico ergo*, ibi : *sed dico aliter*, et Mayronem in 1, dist. 36, q. 1, art. 2, et q. 2, art. 1 et 2, item dist. 46, q. 3, art. 3. Scotus. Mayron.

Primum argumentum. Probatur primo. Nam voluntas, et volitio divina ex natura rei distinguuntur : ergo voluntas habet rationem potentiæ realis respectu volitionis. Conseq. patet. Nam hoc ipso quod volitio ex natura rei, et secluso intellectu distinguatur a voluntate, oritur etiam secluso intellectu ab illa : et per consequens voluntas erit vera potentia realis respectu ipsius. Antecedens vero probatur. Quoniam secluso intellectu, essentia volitionis divinæ non est esse volitivam, sed esse ipsum actum volendi : et similiter essentia voluntatis, non est esse ipsum actum volendi, sed esse virtutem volitivam : at ea, quæ secluso intellectu habent distinctas essentias, distinguuntur ex natura rei : ergo, etc.

4. Secundum. Secundo. Nam voluntas divina potuit elicere actum, v. g. electionis Judæ ad gloriam, quem tamen non elicuit : ergo comparatur tanquam vera potentia activa, imo etiam passiva respectu illius : ergo etiam respectu actus amoris Dei : quia voluntas vel respectu omnium suorum actuum, vel nullius debet esse potentia. Antecedens videtur certum. Nam Judas potuit esse electus ad gloriam, non tamen fuit electus : ergo etiam voluntas divina potuit elicere actum eligendi illum, licet de facto non elicuerit. Prima vero consequentia etiam constat. Quoniam quoties voluntas potest esse, et non esse sine aliquo actu, habet veram rationem potentiæ activæ, et passivæ respectu illius, ut in nobis experimur.

5. Secunda sententia. Secunda sententia asserit dari in Deo voluntatem per modum potentiæ solum secundum rationem, et modum nostrum intelligendi. Ita aliqui ex junioribus. Et

Probatur ex D. Thom. videtur esse D. Thom. 1 p., q. 41, art. 4, ubi respectu actuum intelligendi et volendi (inquit) non est in Deo ratio potentiæ secundum rem; sed secundum nostrum modum intelligendi.

Suadetur ratione primo. Probatur ratione primo. Hoc quod est posse diligere inter perfectiones simpliciter simplices connumeratur : ergo debet inveniri in Deo : ac proinde etiam voluntas per modum potentiæ secundum rationem. Hæc ultima conseq. patet. Quoniam voluntas per modum potentiæ secundum rationem nihil aliud esse videtur, quam virtus seu *posse* ad diligendum, quod non distinguatur nisi secundum rationem a dilectione, ut in Deo contingit. Prima vero consequentia etiam constat. Quoniam in Deo debent poni omnes perfectiones simpliciter simplices, quippe quæ nullam involvunt imperfectionem : alioqui non esset ens infinite perfectum. Antecedens autem etiam liquet. Nam posse diligere est melius in unoquoque, quam non posse : et non est incomposibile cum actu volendi, vel cum quavis alia perfectione, quin potius si Deus non posset diligere, non esset Deus : at perfectio simpliciter simplex in hoc consistit : ergo, etc.

Confirmatur. Confirmatur et explicatur. Nam *posse*, seu potentia ad volendum pertinet in nobis ad perfectionem naturæ intellectualis, ut ex se constat : ergo hæc eadem perfectio debet reperiri in Deo : ergo cum non possit in eo, esse per modum potentiæ secundum rem, quia non distinguitur realiter a sua volitione, ut statim ostendemus; erit utique per modum potentiæ saltim secundum nostrum modum intelligendi.

6. Secundo et principaliter. Secundo. Voluntas, et volitio distinguuntur in Deo virtualiter, seu ratione ratiocinata : ergo voluntas habet rationem potentiæ, saltim secundum rationem respectu volitionis. Conseq. patet. Nam ex eo in creaturis voluntas, et volitio comparantur per modum potentiæ, et actus secundum rem, quia realiter inter se distinguuntur : ergo si in Deo sunt distincta saltim secundum rationem ratiocinatam, comparabuntur etiam inter se per modum potentiæ, et actus secundum rationem.

Antecedens vero probatur. Quia tunc aliqua distinguuntur virtualiter, seu ratione ratiocinata, quando identificantur a parte rei in una et eadem formalitate, et nihilominus præstant propria plurium, non minus, ac si essent plura; sed voluntas, et volitio divina sic inter se identificantur, et præstant propria plurium, scilicet voluntatis et volitionis nostræ, non minus ac si essent plures : ergo distinguentur ibidem virtualiter, seu ratione ratiocinata.

7. Tertio. Tertio. Nam volitio ex genere suo est appetitus elicitus, ut ex se constare videtur, et ex iis, quæ dub. præcedenti diximus : ergo non potest non saltim secundum rationem elici ab aliqua virtute elicitiva ipsius, scilicet a voluntate : ac proinde talis virtus seu voluntas, erit potentia elicitiva, saltim secundum rationem respectu ejusdem. Hæc ultima consequentia ex se patet. Prima vero etiam constat. Quia repugnat volitionem esse elicitam saltim secundum rationem : et non dari aliquam voluntatem elicitivam, a qua saltim secundum rationem eliciatur.

8. Ultimo. Ultimo. Nam voluntas, et volitio divina ita

ita inter se comparantur, ut si per impossibile realiter distinguerentur, tunc non se haberent disparate, sed volitio oriretur a voluntate, ut a vera potentia activa; non tamen econtra : ergo voluntas divina erit modo potentia activa, saltim secundum rationem, respectu suæ volitionis : et volitio erit actus, saltim secundum rationem elicitus ab ipsa. Antecedens ex se constat. Consequentia vero etiam patet. Nam ex eo colligimus, æternitatem oriri nunc, saltim secundum rationem ab immutabilitate Dei, quia si per impossibile realiter distinguerentur, tunc non se haberent disparate, sed immutabilitas esset causa æternitatis, non tamen e converso, quandoquidem ex eo quod aliquid est penitus immutabile, profluit quod sit æternum : ergo similiter ex eo colligemus, voluntatem, et volitionem divinam comparari nunc per modum actus et potentiæ activæ secundum rationem : quia si realiter distinguerentur, compararentur per modum actus, et potentiæ secundum rem.

9. Tertia sententia

9. Tertia sententia inquit, non esse in Deo voluntatem per modum actus primi, seu potentiæ etiam secundum nostrum modum intelligendi. Hæc est Aureoli apud Capreolum in 1, dist. 35, q. 1, art. 2. Fundamentum est. Quia ratio actus primi seu potentiæ ut sic, non potest vere Deo attribui, ut formaliter in eo inventa respectu actus essentialis, et immanentis ipsius Dei : ergo nec secundum nostrum modum intelligendi potest in Deo concipi potentia, aut actus primus distinctus ratione a secundo. Consequentia patet. Quia hæc distinctio rationis supponit, quod ea, quæ sic distinguuntur, reperiantur formaliter in Deo, ut in reliquis attributis patet. Antecedens vero probatur. Quia ratio potentiæ, aut actus primi dicit in sua ratione formali imperfectionem : quoniam præscindit ab actu secundo et ultima actualitate.

Aureolus

Confirmatur.

Confirmatur. Quia volitio in nobis, ratione suæ actualitatis, non potest intelligi per modum actus primi et potentiæ : ergo multo minus divina voluntas poterit sic concipi : quandoquidem est longe purior et actualior volitione creata.

§ II.

Ex mente D. Thomæ dubium deciditur.

10. Animadversio.

10. Pro decisione notandum est, dupliciter posse concipi potentiam volitivam secundum nostrum modum intelligendi. Vel ita ut ratio illa potentiæ teneat se ex parte rei conceptæ, ac proinde non solum apprehendamus, sed positive attribuamus eam alicui, judicantes vere reperiri in ipso. Vel ita ut ratione nostri imperfecti modi intelligendi apprehendamus aliquid per modum potentiæ, et ad instar potentiarum, quæ in nobis reperiuntur; non tamen judicemus, rationem illam esse veram potentiam : et consequenter ratio potentiæ non sit ex parte rei conceptæ; sed ex parte nostri modi concipiendi : eo sane modo (proportione tamen servata) quo substantias spirituales pro hoc statu apprehendimus ad instar rerum materialium, non tamen judicamus eas esse materiales; sed potius oppositum.

11. Assertio.

Hoc ergo supposito dicendum est, non dari in Deo voluntatem per modum potentiæ secundum rem, nec etiam per modum potentiæ secundum rationem, ita ut hæc ratio teneat se ex parte rei conceptæ; sed solum secundum nostrum modum intelligendi : non qualemcunque sed præcise apprehendentem illam ad instar potentiæ, quæ vere et formaliter sit talis. Hæc est absque dubio mens D. Thom. loco cit. pro secunda sententia, et 2 cont. Gent., cap. 10, ubi inquit : *Intellectus, et voluntas in Deo non sunt potentiæ ut potentiæ, sed ut actus.* Si autem esset in Deo ratio potentiæ volitivæ ex parte rei conceptæ, tunc voluntas esset in eo per modum potentiæ; non vero ut actus. Unde S. Doct. sequuntur communiter ejus discipuli : et ideo opus non est, singulos referre. Et ex aliis Suarez lib. 3 de attributis cap. 7, Herice 1 p. disp. 12, cap. 1.

D. Thom.

Suarez.

Herice.

Ratio assertionis quoad 3 p.

Tertia hujus assertionis pars solum indiget explicatione : et ideo primo loco eam ostendimus. Nam cum intellectus noster apprehendat divina ad instar creaturarum; imo pro hoc statu ad instar rerum materialium, fit inde, ut apprehendat divinam voluntatem ad instar potentiæ secundum rem : quia in creaturis voluntas habet hoc modo rationem potentiæ. Cæterum quia idem intellectus, ut recte procedat (secundum quam rationem de illo loquimur) debet sistere præcise in apprehensione quoad ea prædicata, quæ re vera in Deo non inveniuntur, quia si judicaret, ea ita esse in Deo, sicut ipse concipit, falleretur, ideo non judicat esse in eo rationem potentiæ : ac proinde nec talis ratio ex parte Dei concepti se tenet : quia ut statim osten-

demus, implicat eam in ipso inveniri.

12. Ratio illius quoad duas priores D.Thom.

Prima vero, et secunda ejusdem assertionis pars probatur ratione fundamentali, desumpta ex D. Thom. loco cit. ex q. 41, quæ potest ad hanc formam reduci. Nam loquendo de voluntate essentialiter sumpta, ut præcise dicit ordinem ad objectum volitum, et sistit intra Deum (quo pacto de illa nunc loquimur) nequit dari in Deo voluntas, quæ sit potentia secundum rem : ergo neque voluntas, quæ secundum nostrum modum intelligendi concipiatur per modum potentiæ formaliter talis, ita ut ratio hæc teneat se ex parte rei conceptæ.

Antecedens patet. Nam ratio voluntatis, quæ sit potentia secundum rem, indispensabiliter requirit, quod vere ab ea procedat aliquid, realiter ab illa diversum, et vere in ipsa receptum. Quoniam ex qua parte esset potentia activa secundum rem, non posset non ab ea aliquid realiter produci, ac proinde re ipsa, ab illa diversum : et ex qua parte esset activa ad intra per actionem immanentem, non posset non recipi in ipsa id, quod ab eadem realiter procederet : sed a voluntate divina essentialiter sumpta et ut præcise sistit in Deo ad intra, non potest aliquid, realiter ab ea diversum ad intra procedere, ac proinde neque in illa realiter recipi, quia identificatur cum omnibus, quæ intra Deum sunt, ut infra q. 27, docent communiter Theologi contra Scotum, et ejus discipulos : ergo talis voluntas, secundum prædictam rationem sumpta, nequibit esse formaliter potentia secundum rem.

Consequentia vero etiam constat. Nam concipi aliquid in objecto ex parte rei conceptæ, supponit, illud revera inveniri in objecto cognito : alioqui non se teneret ex parte rei conceptæ ; sed fingeretur teneri : et consequenter potius ex parte intellectus se haberet.

13. Confirmatur.

Confirmatur, et explicatur ex eodem sancto Doct. Nam in hoc distinguitur ratio potentiæ secundum rem ab aliis attributis, v. g. ab æternitate secundum rem, quod ad rationem æternitatis secundum rem, non oportet quod ab ea procedat realiter aliquid ad intra, sed solum quod sit duratio infinita Dei ambiens omnem durationem creatam : secus tamen ad rationem potentiæ : unde quia ponimus in Deo potentiam generativam respectu Verbi divini, ideo Verbum realiter procedit ab illa : ergo sicut esset implicatio, quod ex parte rei conceptæ conciperemus in Deo æternitatem et illam Deo, ut quid ex parte ejus se tenens, tribueremus, si non esset in eo secundum rem prædicta ratio durationis infinitæ, sed solum secundum nostrum modum concipiendi, quoniam esse in eo solum secundum nostrum modum intelligendi, non est esse in illo ex parte rei conceptæ, sed solum fingi, quod sit in ipso, ita, si semel ratio potentiæ importat, quod aliquid ab ea realiter procedat, implicat concipere in Deo rationem potentiæ volitivæ ex parte rei conceptæ, et illam vere ipsi tribuere, si non procedat ab ea aliquid secundum rem : quia procedere aliquid secundum rationem, non est revera procedere ; sed solum fingi, quod procedat.

11. Objectio.

Nec refert si objicias, amplius requiri ad hoc ut aliquid tribuatur alicui secundum rem, quam ad hoc ut eidem tribuatur ex parte rei conceptæ, et secundum rationem : ergo ex eo quod voluntati divinæ non tribuatur, quod sit potentia secundum rem, non bene colligitur esse ei denegandam rationem talis potentiæ ex parte rei conceptæ, et secundum rationem. Consequentia videtur legitima. Antecedens autem probatur. Tum, quia sicut amplius est esse aliquid tale ex parte rei conceptæ et secundum rem, quam esse tale ex parte ejusdem rei conceptæ, et secundum rationem, ita magis ad illud, quam ad istud desiderabitur. Tum etiam : quia licet divinis attributis denegetur, quod distinguantur ab essentia Dei secundum rem ; non tamen ideo denegatur eis, quod distinguantur ab illa ex parte rei conceptæ, et secundum rationem : quia ad hoc tantum desideratur, ut ex parte rei conceptæ sit fundamentum ad hoc ut intellectus distinguat illa secundum rationem ab essentia : ergo, etc.

Enodatio

Respondetur enim, antecedens solum esse verum de iis, quæ tribuenda sunt v. g. Deo ex parte rei conceptæ tanquam aliquid, quod solum fundamentaliter, sive virtualiter, et veluti in semine est in illo ; non vero de illis, de quibus loquimur, quæque sunt ei tribuenda, per modum alicujus formaliter existentis in ipso, qualis esset voluntas, si per modum potentiæ ex parte rei conceptæ ei tribueretur. Nam ad hoc ut ista ex parte rei conceptæ, et secundum rationem ipsi tribuantur, idest, ita ut intellectus judicet, ea esse in illo non solum fundamentaliter et veluti in semine, sed etiam formaliter, requiritur ut reperiantur in eo secundum suum *esse* formale ex parte rei conceptæ : alioqui non posset intellectus

tus vere, et modo dicto, ei illa tribuere : ac proinde requiritur ut sint in Deo ex parte rei conceptæ et secundum rem.

15. Unde quia eminentia divina, ratione cujus tribuitur ei distinctio virtualis ex parte rei conceptæ, et secundum rationem, est in Deo formaliter, et non solum fundamentaliter, et veluti in semine, propterea nequit illi talis eminentia tribui ex parte rei conceptæ, et secundum rationem, prout tribui hoc modo distinguitur, ab hoc quod est tribui ei ex parte rei conceptæ, et secundum rem : ex eo quod idem est aliquid tribui Deo ex parte rei conceptæ, et secundum rationem, tanquam quid formaliter existens in ipso, ac tribui ei tanquam quid secundum suam rationem formalem existens formaliter in ipso secundum rem.

Ad probationes antecedentis.

Ad primam probationem antecedentis patet ex dictis, et etiam ad secundam. Quare cum distinctio virtualis, sive fundamentalis, et veluti in semine non sit distinctio, quæ formaliter sit in Deo in ratione distinctionis, et ita quæ virtualiter tantum distinguuntur, non sunt formaliter ex parte rei conceptæ; sed solum fundamentaliter, et in semine distincta, idcirco non mirum quod prædicta distinctio ex parte rei conceptæ, et secundum rationem affirmantem vere esse in Deo, illi tribuatur : quia per hoc tantum habetur quod sit in Deo formaliter, et secundum rem eminentia jam dicta, et fundamentum ad distinctionem rationis.

16. Replica.

Nec refert si urgeas, quod saltim poterit tribui divinæ voluntati quod ex parte rei conceptæ, et secundum rationem sit vera potentia virtualiter, sive cum fundamento in re talis, respectu proprii actus, scilicet volitionis : quia ad hoc satis est eminentia prædictæ voluntatis, quæ absque distinctione reali, simul habet rationem voluntatis, et volitionis.

Solutio.

Respondetur enim negando sequelam. Quia ad rationem potentiæ fundamentaliter talis respectu proprii actus, requiritur distinctio virtualis inter potentiam, et actum ejus : quam tamen in præsenti non inveniri, tam ex sequenti ratione, qua nostra assertio suadebitur, quam ex dicendis in hoc, et sequenti dub. patebit.

17. Alia assertionis ratio.

Secundo ergo principaliter probatur assertio. Nam in Deo non distinguitur adhuc virtualiter voluntas a volitione; sed tantum datur in eo voluntas per modum actus purissimi : ergo non potest ex parte rei conceptæ concipi in eo ullo modo voluntas per modum potentiæ; sed per modum purissimi actus. Patet conseq. Quia ad hoc ut posset ex parte rei conceptæ concipi ullo modo in Deo voluntas per modum potentiæ, ad minus desiderabatur distingui saltim virtualiter in eo duplicem formalitatem : et unam earum habere rationem voluntatis et potentiæ; non vero volitionis : aliam vero rationem volitionis, et non voluntatis, seu potentiæ volitivæ. Antecedens vero etiam constat. Nam cum Deus secundum suam essentiam sit actus purissimus, et infinite perfectus, oportet ut tam intra lineam volendi, quam intra omnem aliam lineam sit purissimus actus, habens infinitam perfectionem, quia quævis potentialitas repugnat actui puro : ergo non potest intra lineam volendi distingui in eo virtualiter voluntas a volitione; sed solum dabitur in illo voluntas per modum volitionis actualissimæ et infinite perfectæ.

Patet consequentia. Quia cum volitio pertineat ad lineam voluntatis, non esset divina voluntas infinite perfecta, ac proinde per modum actus purissimi, nisi absque distinctione virtuali identificaret sibi suam volitionem, ut ex dicendis in hac disp., n. 34 et deinceps, et ex dictis in tract. de Scientia Dei satis constat. Et hoc ipso quod illam sic sibi identificet, erit voluntas per modum volitionis actualissimæ et infinite perfectæ.

§ III.

Satisfit argumentis aliarum sententiarum.

18. Ad primum primæ sententiæ.

Ad primum pro prima sententia negandum est antecedens. Et ad probationem patet ex dictis non esse in Deo voluntatem per modum potentiæ ex parte rei conceptæ : et ideo ex parte ejus tantum dari voluntatem per modum actus purissimi, ut statim magis explicabitur.

Ad secundum.

Ad secundum negandum est antecedens. Et ad probationem concesso antecedenti, negari debet conseq. Quoniam, ut verum sit, Judam potuisse esse electum ad gloriam, non tamen fuisse electum non requiritur quod Deus potuerit elicere actum, quem tamen non elicuerit, ac si entitas aut realitas illius actus non sit semper, et necessario in Deo, sed possit esse, et non esse in illo, nam hoc aperte repugnat cum simplicitate, et actualitate ipsius; sed sufficit quod entitas aut realitas divinæ volitionis, quæ quoad realitatem suam sem-

per, et necessario est in Deo per modum purissimæ actualitatis, potuerit terminari ad Judam; non tamen fuerit terminata: quamvis per hoc quod terminetur, vel non terminetur, nihil reale et intrinsecum Deo adveniat, aut advenire possit. Ex hoc autem non potest colligi (ut constat) esse in Deo potentiam secundum rem. Cæterum quomodo inter se cohærere possint quod realitas divinæ volitionis semper, et necessario sit in Deo et nihilominus possit terminari, et non terminari ad Judam eligendo, vel respuendo illum absque additione, vel absentia alicujus intrinseci, longiorem tangit difficultatem, de qua infra art. 3, dub. penult. et ultimo latius dicemus.

19. Ad primum secundæ. Ad fundamenta secundæ sententiæ, et primo ad primum, quatenus contra assertionem nostram pugnant, in hoc quod semper innuunt distingui in Deo virtualiter voluntatem a volitione, et ob id posse a nobis intelligi in eo ex parte rei conceptæ rationem potentiæ volitivæ, patet ex dictis: et nihilominus dicendum est, antecedens esse verum quoad *posse diligere*, quod præcise dicit vim ad diligendum per modum actus purissimi, quæ non distinguatur etiam virtualiter ab ipsa volitione: secus vero quoad *posse diligere*, quod secundum rem, aut virtualiter sit distinctum. Et deinde concedenda est prima consequentia, si intelligatur de primo *posse*, et neganda secunda. Quia ad rationem potentiæ volitivæ ex parte rei conceptæ, requiritur *posse ad diligendum*, quod non solum virtualiter, sed etiam realiter distinguatur a volitione, vel termino per se primo producto, ut jam ostendimus.

Additamentum. Adde, quod licet daremus, distingui in Deo virtualiter voluntatem a volitione, tantum sequeretur esse in illo rationem potentiæ volitivæ, quæ solum virtualiter, non vero formaliter sit talis. Nam cum voluntas ut potentia, dicatur talis per ordinem ad actum, seu terminum, quatenus ab ea emanat seu procedit, consequens est, ut ubi ex parte rei conceptæ non est formaliter emanatio, vel terminus ut formaliter emanans; sed tantum virtualiter, ut loquendo de divina voluntate sumpta in sensu n. 2 dicto, contingit (quandoquidem non potest esse formalis, et vera emanatio unius ab alio, quoties non est formalis, et vera distinctio inter illa) ibi tantum sit ex parte ejusdem rei conceptæ ratio potentiæ, quæ solum virtualiter non vero formaliter sit talis.

Ad confirmationem respondetur, quod licet potentia, quæ non est per modum potentiæ, sed per modum actus, sit denudata ab imperfectionibus: et ideo detur in Deo potentia v. g. spirativa ad intra, quia non est per modum potentiæ, sed per modum actus, et ita pertingit se ipsa formalissime, usque ad actum activæ spirationis, ac proinde solus terminus, et spiratio passiva quantum est ex vi hujus capitis, ab ea realiter distinguitur; nihilominus *posse diligere* (ut in nobis contingit) per modum potentiæ separabilis, aut præscindentis ab actu, quæ ex parte correspondet potentiæ spirativæ in divinis, non est denudabile ab imperfectionibus potentialitatis, ita ut sine illis salva maneat prædicta ratio: et ideo *posse diligere* hoc modo, non est formaliter in Deo. Cum hoc tamen stat ut volitio ejus, quippe quæ est actus purus, et infinitus intra lineam volendi, includat eminentiori modo quidquid perfectionis est in potentia volitiva creata et ejus volitione, ab illa distincta, secundum illud, quod habent actualitatis. 20. Ad confirmationem.

Ad secundum negandum est antecedens. Ad probationem, quod ut aliqua formalitas sit virtualiter multiplex, non sufficit præstare propria plurium utcunque, sed propria plurium pertinentium ad distinctas lineas. At voluntas et volitio non pertinent ad distinctas lineas, sed ad unam: quia quævis linea debet pertingere usque ad ultimam actualitatem: et ita ad lineam voluntatis spectat ipsa volitio. 21. Ad secundum.

Ratio autem ob quam ad distinctionem virtualem non sufficit præstare utcunque propria plurium, sed plurium ex se spectantium ad distinctas lineas, reddi potest ex iis, quæ in tract. de Visione Dei disp. 2, num. 69, diximus. Nimirum, quod quoties una formalitas præstat propria plurium unius lineæ, non æquivalet illis ut pluribus, sed ut unum sunt, et quatenus spectant ad illam lineam: secus vero quando æquivalet pluribus, ut pertinentibus ad distinctas lineas: ac proinde hæc æquivalentia, et virtus arguit multiplicitatem virtualem; non vero illa prior. Unde licet intellectus divinus æquivaleat omnibus intellectibus creatis, non ideo est virtualiter multiplex, quia omnes illi pertinent ad eamdem lineam. Econtra vero, quia illa simplicissima formalitas essentiæ divinæ et relationis, æquivalet essentiæ creatæ, et ejus relationibus, et ex alia parte hæc duo in creaturis non utcunque, sed per se pertinent Ratio solutionis.

tinent ad distinctas lineas, ideo essentia et relatio divina virtualiter distinguuntur.

Additamentum. Adde, et explicabitur magis præcedens solutio, quod ut aliqua Dei formalitas sit multiplex virtualiter per correspondentiam ad plura realiter distincta, quibus æquivaleat, oportet quod nullum illorum, secundum suam rationem formalem sumptum, dicat in sua præcisione conceptum Deo repugnantem : et ideo intellectus et voluntas distinguuntur in divinis virtualiter per correspondentiam ad intellectum, et voluntatem creatam realiter distincta : quia conceptus objectivi intellectus, et voluntatis in sua præcisione non important necessario aliquid Deo repugnans. Quare cum conceptus objectivus potentiæ ad intra repugnet perfectioni Dei, saltim quoad essentialia considerati, ut dictum est, consequens erit formalitatem divinæ voluntatis non esse multiplicem virtualiter, ita ut ibi sit formalitas potentiæ volitivæ formaliter talis, et formalitas volitionis : licet formalitas illa æquivaleat voluntati, et volitioni nostræ.

22. Objectio. Nec refert si objicias, non posse voluntatem divinam æquivalere voluntati et volitioni nostræ, quin sit eminentior utraque : ergo eo ipso erit multiplex virtualiter, seu præbebit fundamentum ad distinctionem rationis. Patet consequentia. Quia sola hæc eminentia, et æquivalentia invitat intellectum ad hoc, ut concipiat illam pluribus conceptibus formalibus, ac proinde ad hoc ut cum fundamento in re distinguat illam in plures formalitates, et conceptus objectivos : ergo sufficiet etiam ad multiplicationem virtualem : quandoquidem idem est distinctio virtualis et fundamentalis.

Exodatur. Non igitur hoc refert. Nam concesso antecedenti, neganda est consequentia. Et ad probationem dicendum est, prædictam eminentiam, quia est eminentia unius, et ejusdem purissimæ formalitatis per modum actus secundi formalissime talis, potius quantum est de se invitare ad hoc, ut sic concipiatur, ac proinde ad hoc ut concipiatur per modum cujusdam vis ad volendum, quæ sit ipsissima volitio, quamvis intellectus noster ob suam imperfectionem possit illam pluribus conceptibus formalibus concipere. Cæterum ad hoc ut eam per prædictos conceptus divinæ perfectioni non repugnantes intelligat, oportet ut per primum conceptum percipiat ipsam prout dicit vim ad volendum, præscindendo et non determinando ex parte intellectus, an illa vis sit per modum actus purissimi, an vero per modum potentiæ? et deinde per secundum conceptum formalem concipiat vim illam, ut est formalissime idem ac volitio per modum actus purissimi, excludentis omnino rationem potentiæ. Quare si per primum conceptum percipiat voluntatem per modum potentiæ ex parte rei conceptæ, aut distinguat ibi duplicem formalitatem, tunc concipiet divinam voluntatem aliter, ac ipsa est, et per conceptum repugnantem suæ infinitæ perfectioni, et summæ actualitati.

23. Ad tertium. Ad tertium respondetur, quod cum dicimus in omni creatura cognoscente esse appetitum elicitum correspondentem directe et intra propriam lineam voluntati, ut actus ultimus suæ lineæ, non esse intelligendum in Deo de appetitu proprie elicito, cum in eo non sit potentia eliciens ; sed de volitione infinita et vitali : quæ intra prædictam lineam sit actus purissimus per essentiam. Cæterum quia volitionem hanc ad modum volitionis elicitæ intelligimus, ut in tertia assertionis parte explicuimus, ideo sic illam nominamus.

24. Ad quartum. Ad quartum concedendum est antecedens, et neganda consequentia. Ad probationem concesso etiam antecedenti in sensu statim explicando, debet negari consequentia. Et ratio disparitatis est, quod immutabilitas, et æternitas vere ac formaliter reperiuntur in Deo, et insuper nunc distinguuntur virtualiter : et ideo non mirum quod immutabilitas habeat se respectu æternitatis, non quidem per modum potentiæ secundum rationem, sed per modum rationis a priori : secus tamen voluntas et volitio ; quandoquidem non datur in Deo voluntas per modum voluntatis, seu potentiæ volitivæ, sed solum per modum volitionis, et modo explicato. Et ita nec voluntas et volitio possunt distingui virtualiter : nec voluntas queit esse nunc actu, et formaliter ratio a priori respectu volitionis : quia hæc duo supponunt dari utrunque extremum formaliter in Deo, ut in prædicto exemplo immutabilitatis et æternitatis cernere licet.

Animadversio. Diximus, voluntatem divinam non posse nunc esse actu, et formaliter rationem a priori volitionis suæ, ut denotaremus quod sicut in volitione Dei per modum actus purissimi clauditur virtualiter, et eminenter tota perfectio voluntatis, et volitionis creatæ, secundum id quod habent actualitatis, ita potest dici volitionem divinam prout

æquivalet nostræ voluntati, esse secundum nostrum modum concipiendi quasi virtualem rationem respectu sui ipsius, ut æquivalet nostræ volitioni : non quidem ut per hoc significemus duplicem rationem, etiam virtualiter distinctam in Deo, sed solum eminentiam ejus : et quod ratione hujus eminentiæ ita se habet, ut si per impossibile daretur in Deo voluntas distincta realiter a volitione, tunc compararentur inter se, per modum potentiæ, et actus secundum rem.

25. Ad fundamentum tertiæ sententiæ.

Ad fundamentum tertiæ sententiæ (quæ recte inspecta non differt a nostra, nisi in hoc quod volitionem divinam nimis æquiparat volitioni creatæ, quatenus innuit, illam non æquivalere seclusis imperfectionibus, tam nostræ potentiæ volitivæ, quam volitioni) patet ex dictis, et in solutione ad sequentem confirmationem dicendis.

Ad confirmationem.

Ad confirmationem, non esse mirum, quod volitio creata non possit concipi ut æquivalens tam sibi, quam potentiæ volitivæ : quia est finitæ et limitatæ perfectionis : ac proinde distinguitur realiter a voluntate. Cæterum volitio divina, quia est infinita intra lineam volendi, et per consequens purissimus actus in hoc ordine, ideo potest æquivalère voluntati et volitioni creatæ, et concipi in sensu explicato per modum voluntatis et volitionis.

DUBIUM II.

An cohæreat cum voluntate per modum actus purissimi et infiniti, quod sint in ea virtutes affectivæ virtualiter ab illa distinctæ?

26. Explicatio tituli.

Non intendimus ex professo explicare, an in voluntate divina sint formaliter virtutes affectivæ, ut misericordia, justitia, liberalitas etc.? et in quo hæ consistant : quia id ad præsentem quæstionem non spectat; sed tantum, an semel datis in Deo prædictis

D.Thom.

virtutibus, ut docet D. Th. infra q. 21, et alibi sæpe, et cum eo fere omnes Theologi, debeant distingui virtualiter a divina voluntate? an vero eadem voluntas ratione suæ purissimæ actualitatis debeat adeo intime illas sibi identificare, ut nec virtualiter ab eisdem distinguatur? Cæterum quia quoad hoc eadem est ratio de quavis ex his virtutibus, ac de omnibus, ideo dubium hoc majoris brevitatis, et claritatis gratia, quoad misericordiam, inter omnes notissimam, præcipue discutiemus.

§ Ier.

Rationes dubitandi pro parte negativa.

Primum argumentum.

Partem negantem suadere videntur hæc argumenta. Nam virtus misericordiæ pertinet ad lineam voluntatis : ergo identificabitur absque ulla distinctione, etiam virtuali, cum eadem voluntate. Conseq. patet. Quia alioqui voluntas Dei nec esset infinita in genere volendi, nec per modum actus purissimi : quandoquidem, ut supra dicebamus, quævis formalitas Dei, hoc ipso quod sit in eo per modum actus purissimi et infiniti, identificat sibi omnimode quidquid pertinet ad propriam lineam, usque ad ultimum actum illius. Antecedens vero etiam constat. Nam cum linea voluntatis sit infinita in genere volendi, ambit quidquid pertinet ad hoc genus : ergo cum virtus misericordiæ pertineat ad hoc genus, spectabit etiam ad lineam volendi.

Confirmatur primo.

Confirmatur primo. Nam voluntas divina nequit virtualiter distingui ab actualitate actus misericordiæ : ergo neque ab ipsa virtute misericordiæ. Patet conseq. Quia in Deo non datur misericordia per modum potentiæ; sed per modum ultimæ actualitatis : quæ quantum est ex se, extenditur ad sublevandam omnem miseriam. Antecedens vero probatur. Nam actus misericordiæ non potest non esse intra lineam misericordiæ; et ideo nequit ab ea distingui : ergo neque poterit non esse intra lineam voluntatis : ac proinde nequit ab ea virtualiter distingui. Patet utraque conseq. Quia quod est intra lineam alicujus virtutis affectivæ, est etiam intra lineam voluntatis, potentis se extendere ad omnia, ad quæ suæ virtutes se extendunt; et quod est intra lineam voluntatis, nequit ab ea virtualiter distingui.

Confirmatur secundo.

Confirmatur secundo. Nam eo ipso quod in Deo detur voluntas, non per modum potentiæ, sed per modum actus purissimi et secundi, debet se extendere, quantum est ex parte ipsius volitionis, ad omnia et singula volibilia : ergo frustra additur alius actus virtualiter distinctus, ad aliquid volibile in particulari terminatus.

27. Secundum.

Secundo. Voluntas divina se ipsa formalissime est determinata ad speciem actus misericordiæ, vel justitiæ ut talis : ergo non erit in ea virtus misericordiæ, aut justitiæ, etiam virtualiter superaddita. Patet consequentia. Quia quævis virtus affectiva ponitur ad determinandam voluntatem,

tatem, quoad aliquam speciem actus. Antecedens autem probatur. Nam implicat voluntatem divinam exercere actum injustitiæ, aut crudelitatis, quæ sunt vitia actualia positive opposita actui misericordiæ et justitiæ : ergo se ipsa est determinata ad speciem actus misericordiæ, aut justitiæ : sicut, quia beatus hoc ipso quod talis, nequit odio habere Deum, ideo se ipso præcise ut beatus, determinatus est quoad specificationem ad amandum illum.

Confirmatur primo. Nam ex eo quod nos sumus ex propria natura determinati, saltim quoad specificationem, ad amandum proprium *esse*, ideo non egemus virtute realiter, aut virtualiter superaddita ad illud amandum, ut communiter docent Theologi : ergo nec voluntas divina egebit virtute justitiæ, aut misericordiæ virtualiter superaddita : quandoquidem ex se est determinata ad speciem actus justitiæ, aut misericordiæ.

Confirmatur secundo. — Confirmatur secundo. Virtus misericordiæ ponitur ad confortandam potentiam, et auferendam difficultatem, quæ in actu misericordiæ invenitur, ut in nobis experientia testatur : quia habitus tantum dantur ad faciliter operandum : ergo nequit poni in voluntate divina tanquam quid virtualiter superadditum ipsi. Patet consequentia. Nam respectu divinæ voluntatis, quippe quæ se ipsa formalissime sumpta, est infinite efficax, nulla est difficultas, nullave confortationis necessitas : ergo, etc.

28. Tertium. — Tertio. Quia licet unus actus voluntatis possit imperative esse ab alio actu, non tamen elicitive : ergo si semel in Deo est voluntas per modum actus purissimi, nequit esse in Deo alius actus voluntatis, scilicet miserendi, virtualiter ab illo condistinctus. Antecedens patet ex iis, quæ in nobis experimur. Nam licet actus, v. g. humilitatis, possit imperari ab actu charitatis, non tamen elici : et sic de aliis. Consequentia etiam patet. Quia si semel in Deo ponitur actus miserendi, virtualiter distinctus a voluntate ipsius, tunc jam unus actus, scilicet misericordiæ, esset elicitive a voluntate divina, ac proinde ab alio actu : quandoquidem in Deo tantum est voluntas per modum actus.

29. Quartum. — Quarto. Quia licet ex distinctione virtuali inter voluntatem Dei, et actum misericordiæ, non sequatur esse in Deo rationem potentiæ, quæ vere et formaliter sit talis ex parte rei conceptæ, ut supra ostendimus; nihilominus saltim infertur, divinam voluntatem præbere fundamentum ad hoc ut intellectus ponat ibi denominationem potentiæ secundum rationem, ita ut saltim fundamentum ad hanc denominationem teneat se ex parte rei conceptæ : at hoc derogat infinitæ perfectioni ejusdem voluntatis : ergo, etc. Minor videtur certa : quandoquidem divina voluntas esset longe purior et actualior, si tantam haberet puritatem et actualitatem, ut nec fundamentum aliquod ad quamvis rationem potentiæ, etiam secundum nostrum modum intelligendi, præberet : ergo, etc.

Sequela vero etiam videtur nota. Quoniam id, a quo aliquid virtualiter distinctum, per modum actus vitalis ejus virtualiter oritur, præbet prædictum fundamentum : sicut id, quod virtualiter ab alio distinguitur, præstat fundamentum ad hoc ut denominetur actu, et formaliter distinctum secundum rationem : ita ut saltim fundamentum hujus distinctionis vere se teneat ex parte rei conceptæ : quamvis vera et formalis distinctio ex parte rei conceptæ petat distinctionem actualem vere in rebus repertam : non secus ac vera, et formalis ratio potentiæ ex parte rei conceptæ hanc eamdem distinctionem, et insuper processionem unius ab alio exposcit.

30. Ultimum. — Ultimo. Providentia Dei naturalis, supernaturalis, et hypostatica non sunt distincti actus intellectus virtualiter distincti : ergo neque virtus misericordiæ per modum actus purissimi erit virtualiter distincta a voluntate per modum actus purissimi considerata. Antecedens probatur. Quia distinctio specifica providentiæ debet sumi ex fine ultimo provisoris; non vero ex finibus intermediis, et particularibus rerum provisarum, alioqui tot erunt species providentiæ, quot sunt fines particulares rerum provisarum : et ita alia esset species providentiæ pro animalibus, alia pro cœlis, alia vero pro hominibus : quia omnia ista habent suos fines particulares : sed ultimus finis, seu ratio finalis Dei, qui est generalis provisor, tantum est unus, scilicet ostensio suæ bonitatis, et attributorum : ergo tantum erit in eo unica providentia secundum speciem.

Consequentia vero sic suadetur. Quia etiam volitiones divinæ debent distingui ex suis rationibus finalibus : sicut volitiones nostræ ex suis finibus distinguuntur : ergo cum ratio finalis divinæ volitionis hoc ipso quod sit volitio primi et universalissimi entis, debeat esse universalissima, complec-

tens omnes fines, scilicet bonitas, et ostensio ejus quoad omnes suas perfectiones, fit inde, ut unica solum volitio absque ulla distinctione sit in eo pro omnibus objectis volibilibus assignanda : sicut finis illius, tantum est unicus, et universalissimus.

§ II.

Vera et communis sententia, et duplex ejus fundamentum.

31. Assertio. Nihilominus dicendum est, recte cohærere cum divina voluntate, quantumvis sit per modum actus purissimi, quod ponantur in ea virtutes affectivæ, misericordiæ, liberalitatis, etc. quæ sint virtualiter distinctæ D.Thom ab illa. Hæc est D. Thom. infra quæst. 21, art. 3, ubi in Deo distinguit has virtutes ex diversa ratione formali earum : si autem essent una et eadem formalitas divinæ voluntatis absque omni distinctione virtuali, non possent inter se ex diversis rationibus distingui : cumque idem sanctus Doctor admittat in Deo voluntatem per modum actus purissimi, ut dub. præcedenti vidimus, consequens est ut, juxta ipsius mentem, recte cohæreat cum puritate voluntatis divinæ, quod sint in ea virtutes affectivæ, virtualiter ab illa diversæ. Idem etiam docet 2, 2, q. 30, art. 2, ad primum ; in 4, dist. 46, q. 1, et 1 contra Gent. cap. 91, ut statim expendemus. Quem communiter omnes alii Theologi, uno vel altero excepto, sequuntur : et ideo non est opus singulos referre.

Prior ratio. Deinde ratione suadetur assertio primo, supponendo tamen prius, potissimum ejus fundamentum desumendum esse ex communi consensu Theologorum, asserentium, quod v. g. proprius actus misericordiæ, ut abstrahit a creata et increata, est sublevare, seu pellere miseriam alienam : ac proinde ejus objectum formalé, est aliena miseria ut pellenda. Etenim objecta habent se ad instar primorum principiorum respectu virtutum, aut potentiarum : quia tota illarum ratio ex objectis tanquam ex prima radice desumitur : prima autem principia non tam probanda, quam ex communi Doctorum consensu accipienda sunt. Maxime quia, quoad præsens, adest peculiaris ratio, ob quam communi placito standum est ; alioqui facile potentiæ, aut virtutes inter se distinctæ confunderentur, assignando pro illis unam et eamdem rationem formalem magis universalem, quam respiciant, et ratione cujus sint una, et eadem potentia aut virtus : nec poterit facile ratione oppositum ostendi.

Hinc ergo sequens ex D. Thom. deducitur ratio. Certum est reperiri in Deo proprie et formaliter misericordiam : ergo virtus hæc respicit tanquam proprium objectum formale, alienam miseriam ut pellendam, modo tamen infra art. sequenti dub. ultimo explicando : ergo distinguitur virtualiter a voluntate divina. Antecedens habetur passim in Scriptura : cujus verba non metaphorice, sed proprie, et formaliter intelligenda sunt, quoties ex eis, sic intellectis, nullum sequitur absurdum, ut in præsenti contingit. Unde communiter prædictum antecedens admittunt Theologi cum D. Thom. infra q. 21 jam citata. 32.

Prima vero consequentia aperte sequitur ex antecedenti. Nam quævis virtus respicit suum proprium, et formale objectum : ergo cum objectum formale misericordiæ sit miseria aliena ut pellenda, consequens est, ut divina misericordia hoc idem formale objectum (modo tamen loco citato explicando) respiciat. Ex quo etiam secunda consequentia constat. Nam voluntas Dei respicit distinctum objectum formale, scilicet bonitatem divinam in omni sua amplitudine, et prout est in se : at quæ habent objecta formaliter diversa, debent saltim virtualiter distingui : ergo, etc.

Secundo. Quia ad hoc ut voluntas sit infinita, et actus purus intra propriam lineam, seu ordinem, requiritur et sufficit, quod imbibat per modum transcendentis totam infinitatem, vel perfectionem divinæ essentiæ, et aliorum attributorum, saltim tanquam aliquid pertinens ad alias lineas; et insuper quod secundum propriam rationem pertingat usque ad actum ultimum, idest, se ipsa formalissime habeat rationem voluntatis et volitionis, tendentis in bonitatem divinam secundum rationem generalem suæ amplitudinis : sed ad hoc non est illi necessarium, quod sit idem cum suis virtutibus affectivis absque omni distinctione virtuali : ergo contra infinitatem, et puritatem ejus intra propriam lineam, non est, quod ab eis virtualiter distinguatur. 33. Alia ratio

Major quoad primam partem, scilicet quoad inclusionem illam per modum transcendentis satis constat. Quia puritas, et infinitas intra propriam lineam, tantum reperitur in voluntate, dum est intra Deum : at quidquid intra Deum est, oportet ut imbibat entitatem per essentiam, in qua omnis

nis excogitabilis perfectio continetur : sicut quod est extra Deum non potest non rationem entis per participationem, et consequenter *esse* limitatum, includere. Quoad secundam vero partem etiam constat. Nam cum limitatio, et potentialitas voluntatis creatæ intra suam lineam sufficienter colligatur ex distinctione ejus a sua volitione, fit inde, ut identitas omnimoda utriusque sufficiat ad infinitatem, et purissimam actualitatem intra eamdem lineam.

Minor autem etiam liquet. Nam in primis ad hoc ut voluntas imbibat quidquid perfectionis est in Deo, sufficit, ut modo dicebamus, quod sit intra illum : et deinde ad hoc ut sit voluntas per modum actus puri, ac proinde sit sua volitio tendens modo dicto in divinam bonitatem, satis erit ut non distinguatur etiam virtualiter a sua volitione, prout tendit in divinam bonitatem, quatenus est in se, et secundum rationem generalem suæ amplitudinis; quamvis distinguatur virtualiter a virtute misericordiæ, respiciente alienam miseriam ut pellendam (modo tamen loco citato latius explicando) aut ab aliis virtutibus.

Diximus requiri ad infinitatem voluntatis intra propriam lineam, quod includat per modum transcendentis perfectionem essentiæ et aliorum attributorum saltim tanquam quid pertinens ad alias lineas : quia nolumus prædicta hæc per modum transcendentis considerata, pertinere ad lineam voluntatis formalissime sumptam, sed quod saltim linea hæc non habeat sibi propria et formalissima, nisi simul includat per modum transcendentis perfectionem divinæ essentiæ, et attributorum per modum transcendentis consideratorum, licet hæc sic sumpta ad alias lineas spectent.

§ III.

Ultimum fundamentum communis sententiæ.

31. Ultimo. Ad hoc ut aliqua ratio, inventa formaliter in Deo, et creaturis, sit infinita intra propriam lineam, requiritur et sufficit, ut præter amplitudinem sibi in creaturis convenientem, habeat (loquendo de iis, quæ ei conveniunt ex vi suæ lineæ) infinitam amplitudinem, cum proportione tamen ad amplitudinem illius rationis formalis in creaturis inventam, et ad objectum formale illius : et insuper quod se ipsa formalissime pertingat per lineam rectam a potentialitate illius rationis formalis usque ad ultimum actum ejus, seu (quod in idem quoad præsens redit) quod habeat seclusis imperfectionibus, et se ipsa formalissime quidquid perfectionis in creaturis a prima et peculiari potentialitate illius rationis formalis usque ad ultimum ejus actum invenitur : ergo ad hoc ut voluntas divina sit infinita, ac proinde purissima intra propriam lineam, non requiritur ut sit idem, absque distinctione virtuali, cum virtutibus affectivis ipsius.

Probat o antecedentis quoad primam partem.

Antecedens quoad primam partem explicatur, et suadetur exemplo ejusdem misericordiæ divinæ, quæ habet totam amplitudinem quam creata, et insuper cum proportione ad illam infinite extenditur. Nam creata sublevat miseriam, sed non omnem : increata vero, quantum est ex se, omnem excogitabilem miseriam, et cum proportione ad objectum formale misericordiæ creatæ, pellit.

35. Duplex probatio ejusdem quoad secundam.

Quoad secundam vero partem dupliciter potest declarari, et suaderi idem antecedens. Primo quidem. Nam sicut linea prædicamentalis completa et integra, tantum includit per se et directe ea, quæ sunt in recta linea, et consequenter ea a quibus proceditur a primo genere usque ad speciem atomam, vel individuum, ita ad hoc ut linea alicujus rationis formalis sit omnino integra, idest, habens omnem perfectionem et infinitatem intra propriam seriem, satis est quod pertingat per lineam rectam a potentialitate illius peculiaris ordinis aut seriei usque ad ultimum actum illius. Et sicut tunc in linea prædicamentali proceditur per lineam rectam, quando præcise descendimus per illa prædicata ad eam directe pertinentia, quæ necessario et indispensabiliter debent mediare, ad hoc ut deveniatur ad quamlibet speciem atomam, ita in serie aut linea alicujus rationis formalis tunc proceditur recto tramite, quando proceditur per eas rationes formales illius lineæ in creaturis inventas, quæ necessario debent semper mediare ad hoc ut deveniatur in actum ultimum prædictæ lineæ.

Secundo idem antecedens quoad eamdem partem suadetur. Nam ex eo quod *esse* intellectivum radicale et formale, nec non ratio speciei intelligibilis ita inter se intra lineam rectam ordinantur, ut nequeat in creaturis deveniri ad intellectionem, nisi recto tramite, et modo dicto ab *esse* radicaliter intellectivo usque ad ipsum *intelligere* deveniatur, ideo ut ratio et linea naturæ

intellectualis, in Deo inventa, sit infinita intra propriam lineam, oportet ut omnia hæc sibi formalissime identificet : ergo, etc.

Suadetur consequentia. Ex quo etiam consequentia ejusdem primi et principalis enthymematis sic ostenditur. Nam virtus v. g. misericordiæ non pertinet ad seriem voluntatis per lineam rectam; sed habet se ad instar affectionis lineæ voluntatis : ac proinde non respicit idem objectum formale : quia si in creaturis a potentialitate ordinis volendi usque ad ultimum actum, v. g. ad actum amoris naturalis, quo voluntas diligit proprium *esse*, procedatur, non est necessarium ut fiat transitus per virtutem misericordiæ, liberalitatis, aut justitiæ, aut per aliquam aliam virtutem ex jam dictis : ergo ad hoc ut voluntas divina sit infinita intra propriam lineam, non requiritur, quod identificetur virtualiter cum virtute misericordiæ aut aliis virtutibus affectivis.

36. Objectio. Nec refert si objicias, quod saltim ad actum aut virtutem misericordiæ v. g. nequit deveniri nisi per voluntatem.

Enodatio. Non igitur hoc refert. Nam hoc non ideo contingit, quia misericordia et voluntas ad eamdem lineam pertineant, sed quia linea misericordiæ necessario præsupponit lineam voluntatis. Sicut quamvis etiam in Deo deveniri non possit ad voluntatem nisi per intellectum; non tamen ideo intellectus et voluntas eamdem lineam constituunt, sed diversam; taliter tamen subordinatam, ut linea voluntatis lineam intellectus indispensabiliter præsupponat, ut ex communi omnium Theologorum sententia supponimus.

37. Ratio enodationis. Et ratio est. Quia tam misericordia, quam voluntas diversam rationem formalem *sub qua*, etiam in Deo respiciunt : id autem satis congruenter colligi potest ex modo dictis. Nam loquendo de iis, quæ formaliter reperiuntur in Deo, et per modum quasi actus primi significantur, ea solum possunt eamdem rationem *sub qua* respicere, quæ in creaturis per modum actus primi debent ad quemlibet actum ultimum unius et ejusdem lineæ necessario, et subordinate præsupponi, ita ut ad nullum actum ejus deveniri possit, nisi per omnia illa gradatim et recto tramite fiat transitus, ut exemplum lineæ naturæ intellectualis et lineæ prædicamentalis ostendit. Quare cum misericordia, justitia, et aliæ virtutes affectivæ taliter cum voluntate in creaturis comparentur, ut licet ad quamlibet earum debeat voluntas præsupponi; non tamen omnes illæ, aut aliqua earum determinate, sit necessario, et cum subordinatione prædicta, per modum actus primi requisita ad quemcumque actum voluntatis exercendum, fit inde, ut quamvis linea cujusvis ex his attributis, necessario præsupponat lineam voluntatis, non tamen unam et eamdem, sed diversam lineam constituant.

§ IV.

Occurritur argumentis partis negativæ.

38. Ad primum Ad primum ergo pro parte negativa adductum respondetur, supponendo quod intra genus, seu (ut sic loquamur) latitudinem volendi sunt plures, et diversæ lineæ, quia sunt plura, et distincta objecta formalia per se inspecta : quodvis autem objectum formale quasi originat unam lineam. Unde dupliciter potest aliquid dici infinitum in genere volendi : vel quia ambit totum illud genus, et omnes lineas specie diversas ad illud pertinentes, vel quia tantum est infinitum intra unicam lineam secundum speciem ex illis pluribus, quæ intra totum illud genus continentur.

Hoc ergo supposito, ad argumentum negandum est antecedens. Et ad probationem iterum negari debet antecedens, si sensus illius sit, voluntatem secundum sibi propriam, et peculiarem rationem esse infinitam in genere volendi, idest, ambiendo totum illud genus, et omnes lineas illius; secus vero si tantum sensus sit, quod est infinita intra unicam tantum lineam secundum speciem ex illis pluribus, quæ intra totum genus volendi continentur, scilicet intra unicam lineam voluntatis, quæque sit talis conditionis ut sit prima linea intra hoc genus, a qua cæteræ aliæ lineæ intra idem genus oriuntur. Ex hoc autem non sequitur, ut ex se constat, voluntatem esse idem formalissime cum virtute misericordiæ : quia hæc (ut jam ostendimus) ad aliam lineam ejusdem generis seu quasi generis spectat.

39. Ad primam confirmationem. Ad primam confirmationem respondetur, quod sicut in nobis actus misericordiæ potest dupliciter considerari, vel ut est misericordiæ, vel ut est volitio, et secundum priorem rationem respicit suum speciale objectum, at secundum posteriorem respicit idem objectum formale, ac ipsa voluntas, non quidem per modum potentiæ, sed per modum actus, ita actus divinæ misericordiæ potest etiam duobus

bus modis sumi, nimirum vel ut est misericordiæ divinæ formalissime sumptæ, vel ut est volitio divina : et secundum primam considerationem respicit proprium objectum formale; at secundum posteriorem inspicit idemmet objectum, quod voluntas divina ut est actus purissimus : quia secundum istam considerationem includit eamdem voluntatem, ut habet rationem transcendentis. Unde actus misericordiæ secundum priorem rationem pertinet ad lineam misericordiæ, at secundum ultimam ad lineam voluntatis. Et ita nihil refert quod prædictus actus identificetur omnino cum linea voluntatis, quatenus est volitio, et distinguatur virtualiter ab ea, quatenus est actus misericordiæ, et ad lineam ejusdem misericordiæ spectat.

40. Ad secundam confirmationem. Ad secundam confirmationem respondetur, quod licet actus ille in quo consistit divina voluntas, extendatur quantum est de se ad omne volibile in particulari, seu habeat vim ad talem extensionem; at non extenditur ad illud secundum illam formalem rationem secundum quam extenditur divina misericordia ad suum objectum contentum, saltim tanquam objectum materiale, sub objecto voluntatis. Quia voluntas formalissime sumpta, tendit ad depellendam miseriam alienam materialiter, formaliter vero ad bonitatem divinam ut talem, præcise et formaliter, quia bonitas divina est, seu (ut sic loquamur) in bonitatem divinam ut sic, misericordia vero respicit formaliter eamdem miseriam ut pellendam, seu bonitatem divinam ut est ratio expellendi miseriam. Cæterum in quo sensu hæc sint intelligenda, melius infra art. 2, dub. ult. id explicabimus.

41. Ad secundum. Ad secundum negandum est antecedens. Nam licet voluntas divina formalissime sumpta aliquo modo sit determinata ad miserendum secundum rationem communem boni honesti, secus vero secundum particularem actus miserendi, aut justum faciendi. Nam sicut non respicit objectum miserendi ut tale, sed secundum generalem aliam rationem, in qua continetur : ita se ipsa formaliter et præcise sumpta, non est determinata ad actum ejus ut talem : et ideo optime poterit per specialem virtutem determinari formaliter ad bonitatem objecti misericordiæ ut talem.

Et ad probationem dicendum est, quod non posse divinam voluntatem secundum se sumptam elicere actum injustitiæ, aut crudelitatis, potest provenire ex determinatione ad illum secundum communem rationem boni honesti, modo tamen infra loco citato explicando. Sicut hoc quod est justum aliquem esse ita in bono firmatum, ut non possit delinquere in materia injustitiæ aut crudelitatis, potest oriri ex eo quod sit determinatus ad bonum honestum ut sic. Nam cum hac determinatione non potest cohærere ut delinquat in materia injustitiæ, et nihilominus relinquitur locus ut specialiter determinetur ad bonum justitiæ per virtutem in illud peculiariter inclinantem.

42. Ad formam argumenti. Unde ad formam prædictæ probationis distinguendum est antecedens : ita ut hoc proveniat ex eo quod voluntas divina præcise intra suam lineam considerata, sit ex natura sua formaliter, et præcise determinata ad speciem actus misericordiæ, quia misericordia est, negari debet : ita ut hoc proveniat ex eo quod sit determinata (modo tamen alibi explicando) ad volendum bonum honestum quatenus tale, concedi potest. Et eodem proportionali modo distinguendum est consequens : *Est determinata ad speciem actus misericordiæ* quatenus talem, neganda est consequentia : ad speciem actus misericordiæ secundum communem rationem boni honesti, modo infra explicando consideratam, concedenda est. Quia licet voluntas divina ex vi suæ lineæ præcise considerata, nequeat (ut sic dicamus) elicere actum crudelitatis, hoc provenit ex eo quod nequit facere actum inhonestum, seu vitiosum : et ideo ratio formalissima ob quam nequit illum habere, est, quia habet esse determinatam ad bonum honestum. Ex hoc autem (ut dicebamus) non sequitur, prædictam voluntatem non posse determinari per virtutem misericordiæ ut talem, idest, ita ut ratio formalissima ob quam nequeat elicere actum crudelitatis, sit, quia est determinata ad actum oppositum quatenus talem : siquidem ante virtutem misericordiæ non intelligitur hoc modo determinata. Nec illud, quod de beatis ibidem adducitur obest. Quia beati ratione charitatis et gratiæ sunt determinati ad speciem actus amoris Dei quatenus talem.

43. Ad primam confirmationem. Ad primam confirmationem concedendum est antecedens, et neganda consequentia. Et ratio disparitatis est, quod nos sumus determinati ad amandum proprium *esse* quatenus tale, et non solum secundum rationem communem boni, ex eo quod tale *esse* est fundamentum totius bonitatis res-

pectu nostri. Quare cum hæc ratio cesset in divina voluntate respectu objecti misericordiæ quoad omnia quæ includit, non erit inconveniens ut in ea prædicta virtus, modo jam explicato, superaddatur.

44. Objectio. Nec refert si dicas, non posse inter se cohærere, voluntatem creatam velle proprium *esse* ejus suppositi in quo est, ita ut terminetur ad prædictum *esse* quatenus tale, et nihilominus non velle illud per aliquem habitum virtutis superadditum, ad hoc specialiter destinatum : ergo etc. Probatur antecedens. Quoniam si voluntas creata per se ipsam, et absque aliquo habitu virtutis superaddito vult proprium *esse* ejus suppositi in quo est, tunc licet re vera extenderetur ad illud quoad ultimam suam rationem volendum; nihilominus ratio formalis volendi ipsum erit propria ratio specificativa voluntatis, scilicet bonum ut sic : quia quævis potentia non potest terminari ad aliquid, nisi sub ratione formali specificativa et adæquata ejusdem potentiæ.

Additamentum. Adde. Nam si voluntas creata, non obstante, quod non habeat aliquem habitum virtutis specialiter designatum ad volendum proprium *esse* ejus suppositi in quo est, potest extendi ad volendum ipsum quoad suam ultimam rationem consideratum, ita ut hæc sit ratio formalis volendi illud, non est cur divina voluntas non possit absque aliqua virtute affectiva, eidem virtualiter superaddita, extendi ad sublevandam alienam miseriam, ita ut talis miseria ut sublevanda, sit modo insinuato, ratio formalis sub qua divina voluntas ad illam terminatur : ac proinde non erit ratio, cur prædicta voluntas non habeat formalissime, et absque aliqua distinctione virtuali rationem virtutis misericordiæ : cujus proprium munus est terminari ad sublevandam alienam miseriam sub ratione formali jam explicata.

45. Enodatio objectionis. Respondetur ad hanc objectionem, negando antecedens. Et ad probationem distinguendum est antecedens : *Ratio formalis volendi ipsum, erit propria ratio specificativa voluntatis* tantummodo, negandum est : simul cum ratione objectiva objecti connaturalissimi ejusdem voluntatis, scilicet proprii *esse* ejus suppositi in quo est, quatenus talis, concedendum est. Nam quævis potentia tendens in aliquod objectum connaturalissimum, et quod est fundamentum volendi omnia alia, tendit in illud, tum sub ratione objectiva adæquata et specificativa illius, tum etiam sub ratione objectiva connaturalissima ejusdem jam insinuata : cumque objectum adæquatum et specificativum voluntatis creatæ, sit bonum ut sic, et objectum connaturalissimum ejusdem, quod quidem in ratione objecti et boni est fundamentum volendi cætera alia, sit proprium *esse* propriumque bonum ejus suppositi in quo est, fit inde, ut ille actus, quo per se ipsam, et absque aliquo habitu virtutis superaddito vult prædictum *esse*, terminetur ad illud sub his duabus rationibus formalibus jam assignatis, et inter se subordinatis : ita ut ille actus ut est volitio prædicti objecti tendat in ipsum quoad omnem suam tationem, licet sub generali ratione boni ut sic; ut vero est volitio connaturalissima et connaturalissimi objecti voluntatis jam explicati, terminetur ad illud etiam quoad omnem suam rationem, sed sub distincta ratione formali jam dicta : quamvis hæc eadem ratio formalis subordinetur priori illi adæquatæ et specificativæ.

Ad id quod additur. Per quod etiam ad id quod additur satis patet. Quoniam aliena miseria ut pellenda, non est objectum omnium connaturalissimum divinæ voluntatis, quod se habeat per modum fundamenti volendi cætera : et ita non est necesse ut voluntas Dei seipsa sit determinata quoad speciem actus ad tendendum in prædictum objectum secundum suam ultimam rationem, ita ut licet extendatur ad volendum illud quoad hanc rationem; attamen ratio formalis volendi ipsum, sit aliena miseria (modo tamen jam insinuato) ut sublevanda.

46. Ad secundam confirmationem. Ad secundam confirmationem respondetur, esse per accidens respectu alicujus virtutis, ut abstrahit a creata et increata, quod detur ad confortandam potentiam, vel tollendam difficultatem, ex parte subjecti provenientem; per se vero quod detur ad novum objectum formale. Unde quia virtus misericordiæ potest in Deo ad hoc poni, ut explicatum est, ideo est sufficiens ratio ad eam in illo collocandam.

47. Ad tertium. Ad tertium dicendum est, volitionem, quæ per modum actus purissimi continet perfectionem lineæ voluntatis, et non est solummodo actualis volitio, posse quasi elicere alium actum, v. g. misericordiæ, a se virtualiter distinctum : quia continet totam perfectionem potentiæ elicitivæ creatæ : quamvis non ob id actus ille sit ex parte rei conceptæ formaliter elicitus, aut ipsa voluntas ex parte etiam rei conceptæ sit formaliter elicitiva, ut jam explicuimus.

Nec

18. Objectio

Nec refert si objicias, non posse hæc cohærere cum iis, quæ n. 39 dicebamus. Nam juxta ibidem dicta, actus ille misericordiæ, quatenus volitio divina est, et tendit in objectum proprium voluntatis Dei, non distinguitur virtualiter a prædicta voluntate : ergo adhuc secundum quod est actus misericordiæ, non poterit virtualiter elici ab illa voluntate. Patet conseq. Quoniam ad hanc virtualem elicientiam requiritur virtualis distinctio inter divinam voluntatem, et actum misericordiæ, ut volitio divina est tendens in objectum proprium voluntatis Dei : et non sufficit quod ut est actus misericordiæ, distinguatur virtualiter ab illa. Nam sicut talis actus misericordiæ nequit virtualiter elici a divina voluntate, nisi quatenus est volitio divina, non vero quatenus est actus misericordiæ; ex eo quod tendere hoc modo in actum misericordiæ, solum est proprium virtutis misericordiæ, ita quod virtualiter distinguatur a voluntate Dei in ratione actus misericordiæ, non vero in ratione volitionis divinæ, non sufficit ad hoc ut talis actus misericordiæ sit virtualiter elicitus a divina voluntate.

Diluitur.

Respondetur enim, negando consequentiam. Et ad probationem negari etiam debet antecedens. Nam aliud est, an divina voluntas eliciat virtualiter actum misericordiæ quoad suam speciem, aut quasi speciem consideratum, aliud vero, an ratio formalis, sub qua illum virtualiter elicit, sit propria ejus specificatio, scilicet quia actus misericordiæ est. Nos autem primum illud asserimus, non vero hoc secundum. Cæterum ad primum illud non est necesse ut ratio formalissima eliciendi sit etiam virtualiter elicita, aut virtualiter distincta, sed satis erit eam esse intime imbibitam, aut intime communicatam actui elicito, quamvis quoad positivum quod affert, sive quoad id, quod in recto importat, non sit virtualiter distincta a principio virtualiter elicitivo. Sicut ad hoc quod Verbum in divinis sit genitum, et realiter distinguatur a suo principio, non est necesse ut ratio formalissima secundum quam terminat generationem, sit etiam genita, aut quod hæc saltim secundum id, quod in recto importat, distinguatur virtualiter a potentia generativa, eodem modo considerata. Diximus : *Quoad positivum, quod affert, sive quoad id quod in recto importat,* ut hæc cohæreant cum illis, quæ disp. 4 hujus tract. a n. 17 usque ad 21, et disp. 7, n. 72 et deinceps dicemus.

Ad quartum respondetur, concedendo sequelam. Quia voluntatem Dei præbere prædictum fundamentum, non est esse formaliter potentiam ex parte rei conceptæ, sed tantum esse potentiam virtualiter, et per modum actus purissimi, quod ei non repugnat : quandoquidem voluntas divina, ut est in ultima actualitate suæ lineæ, est virtuale principium prædicti actus misericordiæ, ut misericordiæ est : et actus ipse in ratione eliciti non est formaliter, sed solum virtualiter talis : ac tandem ita inter se comparantur, ut si realiter distinguerentur, tunc actus misericordiæ vere et formaliter eliceretur a divina voluntate, non tamen e contra.

49. Ad quartum.

Unde neganda est minor. Et ad probationem negari debet antecedens. Nam sicut distinctio virtualis duorum pertinentium ad distinctas lineas, non arguit imperfectionem, aut compositionem in formalitate illa eminenti utrumque continente, sed potius eminentem quamdam simplicitatem, ita præbere fundamentum prædictum, non arguit defectum actualitatis et puritatis; sed actualitatem, et puritatem eminentem, quæ sit æquivalens actualitati plurium rerum in nobis distinctarum; quibus tamen realitas illa divinæ voluntatis non æquivaleret, nisi fundamentum jam dictum præstaret.

50. Ad ultimum.

Ad ultimum concedendum est antecedens ob peculiarem rationem, quæ in providentia Dei militat. Nam ratio providendi in Deo inventa, fundatur in ratione fundamentali sui supremi dominii, scilicet potentia creativa, sive omnipotentias : quæ non dividitur in tres omnipotentia, ut ex communi consensu Theologorum constat : et ita nec ipsa providentia in tres providentias dividenda erit. Quare sicut omnipotentia respicit tres illos ordines, sic etiam providentia : ac proinde ejus finis, debet esse finis ille universalissimus ibidem dictus. Maxime quia (ut plures ex Thomistis volunt, de quo alibi) in anima Christi Domini ponitur unica providentia monarchica respectu totius universi : ex eo quod omnia sunt illi subjecta : et providet tam de rebus naturalibus, quam supernaturalibus, quatenus propter illum condita sunt. Et ita non mirum quod Deus per unicam formalissime providentiam de omnibus provideat, ita ut talis providentia non sit ulterius dividenda in tres virtualiter providentias.

Cæterum licet propter has rationes con-

cedamus antecedens, nihilominus neganda est consequentia. Nam quamvis sit proprium voluntatis, ut talis, respicere finem, aut rationem finalem universalissimam (modo tamen alibi explicando) non tamen est necesse ut id conveniat cuivis virtuti illius : quia hoc ipso quod talis virtus est virtus ejus, debet habere objectum minus amplum, ut in voluntate et in habitibus virtutum in nobis residentibus constat. Nec refert quod illa virtus per modum actus secundi sit virtus universalissimi entis : quia ex hoc solum sequitur, respicere universalissimam rationem propriæ lineæ, si secundum se et formaliter spectetur.

Animadversio. Advertendum tamen, quod cum dicimus virtutem misericordiæ esse in Deo per modum actus secundi, non est sensus debere in actu secundo esse terminatam ad omnia vel aliqua objecta creata, ad quæ potest se extendere ; sed quod ex parte perfectionis et entitatis suæ est ita perfecta, ut non indigeat actu, aut perfectione superaddita, ad hoc ut terminetur, et habeat denominationem actualis volitionis miserendi respectu cujuscunque objecti. Sicut cum divinam voluntatem dicimus esse necessario in Deo per modum actus secundi et volitionis omnium volibilium, loquimur eodem modo quoad volitionem creaturarum, de volitione quoad actualitatem entitatis et perfectionis, non vero terminationis. Sed de his iterum disp. 7, in ultimis quatuor dubiis sermo late redibit. Ubi omnia hæc, et legitimus eorum sensus amplius explicabuntur, maxime vero in quonam prædicta terminatio consistat.

DUBIUM III.

Utrum voluntas seu velle *divinum sit ita idem cum essentia Dei, ut ad illius formalissimum conceptum spectet?*

51. Explanatur titulus. In titulo aliquid ut certum supponimus, et aliquid in dubium vocamus : supponimus enim *velle* et voluntatem divinam esse realiter formaliter idem cum natura Dei : id quod summa illius simplicitas et purissima actualitas ostendit. Si namque volitio divina distingueretur realiter, seu secluso intellectu ab essentia, non posset non aliquam cum illa compositionem facere ; et essentia rationem potentiæ respectu illius haberet : cum compositio nihil sit aliud quam distinctorum unio : et hæc necessario foret ex actu et potentia ; quandoquidem volitio illa deberet in natura divina recipi, illamque actuare. Unde quia in nobis voluntas et volitio distinguuntur realiter, et volitio est actus immanens in potentia, a qua elicitur, ideo faciunt inter se veram compositionem, non qualemcunque, sed per modum actus et potentiæ.

Vocamus autem in dubium, an voluntas seu volitio divina non solum habeat prædictam identitatem cum divina natura, sed etiam sit adeo intima illi, ut ad formalissimam illius rationem, etiam per ordinem ad nostros conceptus pertineat. Esse autem hos duos identitatis, et (ut sic dicamus) intrinsecitatis modos longe diversos, satis constat. Nam ut aliquid sit priori modo idem cum divina essentia, non est necesse ut ad lineam illius, formalissime sumptæ spectet ; sed satis erit quod licet ad aliam lineam pertineat, nihilominus divina natura seu essentia, ratione suæ infinitatis realiter identificet illud sibi. Cæterum ad hoc ut aliqua ratio identificetur, et sit intima naturæ divinæ posteriori modo, desideratur ut ad lineam naturæ quatenus distinctæ ab aliis lineis, et ut est radix illarum, spectet. Unde quamvis relationes divinæ sint priori modo idem cum Deo ; non tamen hoc ultimo : et ideo ad intrinsecam illius constitutionem per ordinem ad nostros conceptus nequeunt pertinere : alioqui divina natura nulli communicari posset ad intra per modum naturæ integræ integritate essentiali, seu quoad omnia prædicata quidditativa, nisi quævis relatio eidem communicaretur : quod, ut constat, est hæreticum.

§ I^er^.

Placitum Suarez et aliorum.

52. Suare Prima sententia est affirmativa. Ita Franciscus Suarez 2 tomo suæ Metaphys. disp. 30, sect. 6, n. 4, et sect. 16, n. 13, quamvis in hoc ultimo loco nonnihil in contrariam sententiam inclinaverit, parumque sibi constans esse aliquibus videatur. Quem sequuntur plures juniores ex Societate Jesu, referuntque pro se Zumel. 1 p. q. 28, art. 2, disp. 8, dub. 2 quatenus asserit, attributa omnia esse de quidditativo Dei conceptu. Zume

Argumentu primu D.Tho Probatur primo ex D. Thom. in hac q. art. 8, et infra q. 61, art. 2, ad 1 et in 2, dist. 15, q. 3, art. 1, ad 3, ac tandem de Potentia q. 3, art. 5, ad 2 ubi docet quod Deus causat

causat omnia per suum *esse*, quia causat illa per voluntatem, quæ est suum *esse* : si autem *esse* et *velle* divinum, non essent formalissime idem, vel saltim *velle* ad formalissimum Dei conceptum non pertineret, nullius esset momenti illatio a D. Thom. adducta. Nam eodem modo posset inferri, quod Deus causat omnia per relationes, aut per æternitatem, vel invisibilitatem, cum hæc etiam identificentur realiter formaliter cum illo. Quare cum id peculiariter de voluntate inferat, ex eo quod voluntas Dei est *esse* Dei, signum est voluntatem apud D. Thom. habere aliam identitatem cum divina natura, quam non habent alia attributa, scilicet pertinere ad conceptum et lineam illius.

Confirmatur. Unumquodque agit per id, per quod constituitur in actu : ergo si Deus omnia per voluntatem causat, fit inde ut in actu essentiali per eamdem constituatur : maxime quia cum essentia divina sit infinita, oportet ut per se ipsam constituatur in ratione operativæ tam radicaliter, quam proxime, et quod per id, per quod operativa est, constituatur in suo *esse* essentiali.

Secundo. Nomine Dei nihil aliud intelligimus, quam ens summe perfectum, et quo nihil melius excogitari potest : sed quidditativus conceptus entis summe perfecti claudit omnem perfectionem simpliciter simplicem : ergo cum voluntas divina, imo et quodlibet aliud attributum, sit perfectio simpliciter, necesse erit ut tam ipsa, quam quodvis attributum ad intrinsecam Dei constitutionem spectet.

Nec satis erit si dixeris, ad conceptum quidditativum Dei sufficere quod concipiatur, ut habens omnem perfectionem saltim radicaliter, aut eminenter. Unde licet voluntas divina aut alia attributa non pertineant ad intrinsecum, et quidditativum conceptum divinæ naturæ; nihilominus præhabentur in ipsa eminenter tanquam in radice illorum.

Nam contra hoc satis pugnat ratio proposita, in hunc tamen modum explicata. Quoniam ad conceptum quidditativum Dei non solum spectat, ut sit in eo omnis excogitabilis perfectio utcunque, sed quod optimo modo excogitabili illam habeat; alioqui non esset optimum ens : at optimus includendi modus est, ut omnem perfectionem excogitabilem, formaliter et essentialiter, non vero tantummodo radicaliter includat, maxime quia modus includendi radicaliter, prout præcisus ab inclusione formali involvit aliquid potentialitatis in ordine ad eamdem perfectionem formaliter habendam : ergo, etc.

Confirmatur. Perfectiones illæ, quas Deus eminenter tantummodo præhabet, quales sunt perfectiones creaturarum, pertinent prout in ipso sunt ad quidditativum suæ essentiæ conceptum : ergo etiam perfectiones in eo formaliter repertæ. Antecedens patet. Quia in Deo præhabentur cuncta creata quatenus est primum ens de se necessarium. Quare cum hic conceptus ad ejus essentiam formalissime spectet, fit inde ut prædictæ perfectiones prout in illo præhabentur pertineant ad ejus essentialem conceptum. Consequentia vero etiam constat. Quoniam cæteræ aliæ perfectiones formaliter in Deo repertæ, non minorem cum ipso identitatem, et conjunctionem habent, quam illæ quæ tantum virtualiter, seu eminenter in ipso continentur, sed potius majorem, quia sunt perfectiones simpliciter, nullam involventes imperfectionem : ergo si illæ priores pertinent ad conceptum quidditativum Dei prout sunt in illo, multo magis ad eumdem conceptum istæ spectabunt. Confirmatur.

55. Tertium.

Tertio. Ex quibusvis rebus per se unitis, et quæ possint communicari alicui supposito, resultat aliqua essentia, ut patet in materia et forma, necnon in potentia, et actu metaphysico : at intellectio et volitio, et cætera alia attributa possunt communicari divinis suppositis; et insuper intimius, ac magis per se uniuntur, quam materia et forma, cum sint una et eadem realiter formalitas : ergo ex illis resultabit una essentia de cujus quidditativo conceptu, tam intellectio, quam volitio, et cætera alia attributa sint : ergo cum hæc essentia non possit esse alia, nisi divina, fit inde ut ad ipsius conceptum etiam volitio pertineat. Minor cum utraque consequentia satis constant. Major vero, præterquam quod exemplis in ea adductis satis videtur probari, adhuc amplius sic confirmatur. Nam sicut unio ad unum, ita unio per se, ad unum per se tendit : at unum per se dicit unicam essentiam per se : ergo, etc.

Confirmatur. In Deo nullum accidens, aut affectio accidentalis, etiam secundum rationem nostram cum fundamento in re, admitti potest : ergo quidquid in ipso est, quod non sit ex natura sua incommunicabile toti Trinitati, pertinebit ad intrinsecum illius conceptum. Consequentia patet. Et antecedens probatur. Quia alioqui esset Confirmatur.

Deus (saltim secundum nostrum modum concipiendi, fundatum tamen in re ipsa) ens per accidens : quandoquidem ex subjecto, et accidenti nequit unum per se, et multo minus unum perfectissime tale resultare : at hoc divinæ perfectioni repugnat : siquidem Deus est perfectissimo modo unum per se, et ita nequit præbere fundamentum ad hoc ut illum per modum entis per accidens, aut non ita perfecte unum per se concipiamus. Sicut quia est ens omnibus modis spirituale, nequit ex parte rei conceptæ concipi ullo modo ut quid corporeum.

56. Ultimum

Ultimo. In nobis ratio volitivi radicaliter, spectat ad intrinsecam constitutionem nostræ naturæ : ergo in Deo actualis ejus volitio, ad ipsius quidditativum conceptum pertinebit. Antecedens patet. Quia natura humana se ipsa formaliter est radix volendi et aliarum proprietatum ab ea dimanantium. Consequentia vero etiam constat. Nam quidquid perfectionis essentialis convenit naturæ creatæ intellectuali, necesse est ut altiori, et actualissimo modo competat naturæ increatæ et intellectuali, scilicet Deo : ergo si natura intellectualis creata essentialiter habet esse radicaliter volitivam, fiet inde, ut essentia divina habeat etiam essentialiter esse ipsam volitionem.

Confirmatur.

Confirmatur, et explicatur primo. Ubicunque reperitur aliqua ratio pertinens ad aliquam lineam, debet absque distinctione virtuali ab illa, reperiri ultima actualitas illius lineæ, si ibidem talis linea habeat omnem perfectionem sibi debitam, ut constat ex iis, quæ in hac dis. n. 34 asseruimus : sed in natura divina ut tali reperitur aliqua ratio pertinens ad lineam voluntatis : ergo ibi absque distinctione virtuali ab eadem natura, debet constitui ultimus actus talis lineæ, nempe actualis volitio : ac proinde talis volitio, et voluntas ad conceptum divinæ naturæ pertinebunt. Hæc secunda consequentia ex priori aperte constat : quia quæ non distinguuntur adhuc virtualiter a divina natura pertinent ad ejus conceptum quidditativum, ut inductive cernere licet. Prima vero consequentia ex utraque præmissa syllogismi propositi satis patet.

Minor autem etiam patet. Quia in natura divina ut tali datur ratio volitivi radicaliter : hoc autem pertinet ad lineam volendi ; siquidem quævis linea pertingit a prima potentialitate illius (seu ab eo quod correspondet in creaturis per modum primæ potentialitatis lineæ prædictæ) usque ad ultimum actum. Constat autem primam potentialitatem lineæ volendi, seu primam potentialitatem, quæ in creaturis reperitur intra latitudinem sive lineam volendi, esse rationem volitivi radicaliter : quia ex hac præcisa ratione intelliguntur creaturæ esse primo in potentia ad volendum.

Confirmatur et explicatur secundo. Quia quod in creaturis volitivum radicale et volitio distinguantur realiter, volitioque, ac proinde voluntas, non pertineant ad conceptum naturæ, provenit ex imperfectione earum : ex eo quod propter hanc imperfectionem creaturarum est in illis linea volendi truncata : ergo cum natura divina sit perfectissima, et linea volendi habeat in Deo suam summam perfectionem, debebunt ibidem identificari volitio et voluntas cum divina natura, et ad ejus intrinsecum, et quidditativum conceptum pertinere.

Confirmatur

§ II.

Sententia Doctoris Angelici magis arridet.

57. Conclusio

Dicendum tamen est, divinam voluntatem non esse de formalissimo conceptu essentiæ, seu naturæ Dei, sed quid præsupponens ipsam integre constitutam intra propriam lineam. Hæc est absque dubio mens D. Thom. infra q. 78, art. 1, ubi inquit : *Appetitivum autem non constituit aliquem gradum viventium*, et in hac q. art. seq. ad 1, ubi ait, quod licet *velle* divinum sit ejus *esse* secundum rem, differt tamen secundum rationem. Si autem *velle* pertineret ad conceptum divinæ naturæ intra propriam lineam, non differret secundum rationem, seu virtualiter ab illo, ut ex dictis constat. Et tandem id aperte colligitur ex iis, quæ docet infra q. 27, art. 4. Et ideo hanc sententiam sequuntur Cajet. ubi supra q. 78, Capreolus in 1, dist. 8, q. 4, ad 16 Aureoli contra secundam conclusionem, et communiter Thomistæ, et alii quamplurimi.

D.Tho

Caje

Cap

58. Rati aliqu rum asse tion

Assertionem hanc aliqui probant sequenti ratione, nempe, quod intellectus, vel *intelligere* non est de conceptu divinæ essentiæ aut naturæ : ergo neque voluntas. Conseq. videtur perspicua. Quoniam intellectus est intimior naturæ, quam voluntas, et propterea prius ille, quam ista convenit naturis intellectualibus : ergo si intellectus aut intellectio non sunt ita intima Deo, ut spectent ad conceptum essentiæ

tiæ vel naturæ divinæ, multo minus voluntas ad prædictum conceptum pertinebit. Antecedens autem probatur duplici testi-
om. monio D. Thom. Primum habetur infra q. 26, art. 2, ubi D. Thom. sic inquit : *In Deo autem non est aliud esse et intelligere secundum rem, sed secundum intelligentiæ rationem.* Quare sicut colligimus, quod *velle* Dei non pertinet ad conceptum divinæ essentiæ, vel naturæ, ex eo quod D. Thom. dixit, differre ab *esse* Dei secundum rationem, fiet inde, ut idem de *intelligere* divino sit dicendum. Secundum vero depromitur ex eodem art. in solutione ad 1, ubi sic habetur : *Dicendum, quod Deus sit beatus secundum suam essentiam, non autem quod beatitudo ei conveniat secundum rationem essentiæ, sed magis secundum rationem intellectus* : ergo sentit, quod intellectus, aut *intelligere* non pertinent ad conceptum essentiæ vel naturæ divinæ : alioqui non dixisset, beatitudinem non convenire Deo secundum rationem essentiæ, sed magis secundum rationem intellectus.

59. icitur ecur- itur rimo limo- nio. Cæterum ratio hæc nullius est roboris : siquidem, ut in tract. præcedenti disp. 4, late ex D. Thom. et ratione probavimus, *intelligere* Dei est ipsamet essentia et natura divina absque aliqua distinctione virtuali. Nec testimonia Angel. Doctoris in hac ratione adducta oppositum convincunt. Non quidem primum. Quia sanct. Doctor locutus est in sensu formalissimo adhuc ex parte nostri modi concipiendi : et ita solum vult, quod *esse* Dei, ut dicit essentiam divinam, et distinguitur non quidem virtualiter, sed solum ex parte nostri modi concipiendi a natura divina, differt secundum intelligentiæ rationem *ab intelligere*, quia hoc sub isto expresso conceptu constituit naturam divinam, quæ ex parte nostri modi concipiendi distinguitur a se ipsa, ut habet rationem essentiæ, quamvis ex parte rei conceptæ sint omnino idem absque virtuali distinctione. At voluntas divina non utcunque differt secundum rationem ab *esse* Dei, sed secundum rationem cum fundamento in re, et supponentem virtualem distinctionem inter utrunque, ut ex dicendis in hoc dub. satis constabit. Et propterea sanct. Doctor, ut ex contex. et ex aliis locis nuper relatis liquet, de hac distinctione secundum rationem, diversam ab ea, qua *intelligere* distinguitur ab *esse* Dei, debet intelligi, dum inquit quod *velle* Dei distinguitur secundum rationem ab *esse* Dei.

Explicatur magis hoc. Etenim, ut tract. et disp. citatis diximus, licet in nobis detur ratio essentiæ et naturæ, et istæ duæ rationes distinguantur virtualiter; attamen in Deo non distinguuntur virtualiter, licet sit in ipso vera ratio essentiæ et naturæ divinæ, sed essentia divina solum ex parte nostri modi concipiendi distinguitur a se ipsa, ut habet rationem naturæ. Quia idemmet *intelligere* et habet formaliter eminenter, quod sit ipsum *esse* per essentiam, seu esse ens summe immateriale a se, et simul absque distinctione virtuali quod sit ipsa primordialis et summe perfecta perceptio Dei : et ut concipitur sub expresso conceptu ipsius *esse* per essentiam, seu ut dicit summam immaterialitatem a se non concipiendo expresse ipsum, ut est vitalis et primordialis perceptio Dei, habet rationem essentiæ : et ut dicit se ipsum, ut formaliter eminenter est actus intelligendi summe perfectus, et primus in Deo repertus, ac proinde identificans sibi absque distinctione virtuali ipsam vim radicalem et proximam ad intelligendum, explicat rationem naturæ. Et ita si præcise concipiamus ipsum, ut est ens per essentiam, nihil concipiendo de eodem, ut pertinet ad ordinem operativum, sive operandi, ac proinde non concipiendo ipsum, ut formaliter eminenter habet rationem operationis jam dictæ, aut juxta alium dicendi modum, quem loco cit. innuimus, ut ex parte nostri modi concipiendi habet rationem operationis primæ et perfectissimæ, et indistinctæ virtualiter ab eo, quod ex parte nostri modi concipiendi habet rationem principii radicalis et proximi respectu illius, tunc non concipitur sub expresso conceptu naturæ, sed sub conceptu essentiæ, sicut e converso dum concipitur sub conceptu prædictæ operationis, quæ significatur per ipsummet *intelligere*, ut hoc nomine exprimitur, tunc non concipitur ex parte nostri modi concipiendi sub conceptu essentiæ divinæ, quæ explicatur per ly *esse Dei*, sed concipitur sub conceptu naturæ divinæ, quamvis ex parte rei conceptæ idem prorsus conceptus objectivus absque distinctione virtuali sit conceptus ejus, ut habet rationem essentiæ, et ut habet rationem naturæ : et propterea dixit D. Thom. quod *intelligere* differt secundum rationem ab *esse*, idest, ex parte nostri modi concipiendi, quia *intelligere* significat naturam divinam sub conceptu expresso naturæ, et *esse* eamdemmet sub conceptu essentiæ.

60. Explicatio.

61. Ad secundum testimonium.

Per quod etiam ad secundum testimonium patet. Nam ibi D. Thom. tantum vult, quod licet Deus sit beatus secundum suam essentiam, id est, in sua essentia ; non tamen ex parte nostri modi concipiendi intelligitur convenire ei beatitudinem ratione suæ essentiæ, id est, ratione sui primordialis *intelligere*, ut concipitur sub conceptu essentiæ distinctæ solum ex parte nostri modi concipiendi a se ipso, ut exprimit *intelligere* : quia sic non concipitur sub expresso conceptu actus vitalis, videntis ipsum Deum, ut est in se. Et ideo S. Doct. optime addidit, quod Deo magis conveniat esse beatum secundum rationem intellectus, idest, ut exprimit se ipsum, ut est perfectissimus intellectus per modum actus secundi identificantis sibi quidquid ad hanc lineam spectat. Quia cum beatitudo intellectualis naturæ debeat consistere in perfectissima ejus operatione, sive actu secundo, oportet ut beatitudo Dei consistat in prædicto *intelligere* sub hoc expresso conceptu. Et consulto apposuit S. Doct. illam particulam *magis* : quia revera ex parte rei conceptæ etiam consistit in ipso *intelligere*, ut habet rationem essentiæ : siquidem hæc duo in Deo non distinguuntur virtualiter, sed essentia ejus est formaliter eminenter ipsa essentia et natura Dei, et e converso : quamvis si loquamur de iis ex parte nostri modi concipiendi, seu (quod in idem quoad præsens redit) si loquamur de illa formalitate omnino indistincta virtualiter, quatenus concipitur a nobis, ut præcise æquivalet nostræ essentiæ, ut distinctæ virtualiter a nostra natura, non concipiatur sub hoc præciso munere, ut expresse beata, bene tamen ut concipitur æquivalere nostræ naturæ, et ejus potissimæ operationi, scilicet, intellectioni, qua Deum videmus.

62. D. Thom.

Hoc elucidatur testimonio D. Thom. 1 p. q. 42, art. 3, ad 4. Nam cum inquisisset, an in divinis personis sit ordo naturæ? Respondet in hæc verba : *Dicendum, quod natura quodammodo importat rationem principii, non autem essentia, et ideo ordo originis melius nominatur ordo naturæ, quam ordo essentiæ.* In quibus verbis duo expendenda sunt. Primum est, quomodo sanct. Doctor sit perpetuus in hoc quod ratio essentiæ et naturæ aliquomodo distinguantur, non quidem ex parte rei conceptæ, et virtualiter, ut ex iis, quæ ex eodem in trac. 3, disp. 4, diximus, constat; sed ex parte nostri modi concipiendi, et quomodo propter hanc rationem ea quæ exprimunt rationem principii, ac proinde rationem principii per modum actus purissimi, qualis est in divinis ordo originis et beatitudo, non conveniant ex parte nostri modi concipiendi Deo ratione suæ essentiæ, ut distinctæ etiam ex parte nostri modi concipiendi a sua natura. Secundum est, quomodo idem S. Doctor in hoc testimonio apposuit adverbium *melius*, et in testimonio a nobis nuper explicato addidit illud adverbium *magis*. Nam etsi posset loqui de divina essentia ex parte rei conceptæ, ut est idem sine distinctione virtuali cum natura Dei, et sic loquendo posset ordo originis nominari ordo essentiæ, et similiter tunc optime diceretur, Deum esse beatum, ratione suæ essentiæ ; nihilominus quia ad explicandum propriissima divinæ essentiæ, ut explicatur sub munere et nomine essentiæ, melius loquimur de illa, ut ex parte nostri modi concipiendi distinguitur a natura, et explicat munus æquivalendi nostræ essentiæ, non vero nostræ naturæ, idcirco in priori testimonio ex q. 26, apposuit illud ad verbium *magis*, et in hoc ex q. 42 addidit adverbium *melius*. Et ideo optime dixit, Deum non esse beatum ratione essentiæ, sed magis secundum intellectum, et quod ordo originis melius nominatur ordo naturæ, quam essentiæ.

Quare hac rejecta ratione, assertio nostra duplici alia ex D. Thom. desumpta suadenda erit. Quarum prima ex dictis in hoc ar. deducitur. Nam volitio ex natura sua præsupponit intellectionem et formam apprehensam, juxta illud : *Nihil volitum, quin præcognitum* : ergo volitio divina præsupponet intellectionem divinam, ac proinde naturam Dei jam constitutam. Antecedens et prima consequentia ex se patent. Secunda vero etiam constat. Quia præcise per hoc quod Deus intelligatur habere naturam intellectualem ita perfectam, ut sit ipsa sua intellectio per essentiam, concipitur ut constitutus in sua natura, quippe qui intelligitur ut distinctus per modum actus purissimi a quibusvis aliis, et consequenter in se constitutus, cum idem sit constitutivum et distinctivum, ut late tract. 3, disput. 4, diximus.

61. Posterior ratio.

Secunda ratio desumitur ex eodem D. Thom. infra q. 27 jam citata. Nam ideo processio Spiritus Sancti non est generatio, bene tamen processio Verbi divini; quia Spiritui Sancto non communicatur ex vi processionis et tanquam terminus formalis natura divina, sed tantum voluntas, seu ratio

tio

tio impulsus et amoris divini : at Verbo co mmunicatur ex vi processionis, et tanquam terminus formalis natura divina, non tamen voluntas : ergo si de natura Dei formalissime et in ordine ad nostros conceptus loquamur, voluntas non pertinebit ad ejus lineam, tanquam intrinsecum ipsius constitutivum. Antecedens quoad omnes partes, præter ultimam, recipitur communiter ab omnibus Theologis, ut in eadem q. 27 ostendemus. Quoad ultimam vero constat. Nam cum generatio Verbi et processio Spiritus Sancti distinguantur quasi specifice, consequens est ut termini per se primi earum, qui ex vi processionis communicantur, non sint unus et idem : ac proinde si Spiritui Sancto communicatur ex vi processionis, tanquam terminus formalis per se primus voluntas Dei, non communicabitur ex vi processionis hæc eadem tanquam terminus formalis per se primus Verbo divino.

Ex quo etiam consequentia patet. Nam si voluntas esset ipsa Dei natura, formalissime loquendo, non posset non communicata voluntate ex vi processionis, communicari etiam ex vi ejusdem natura divina : et similiter si voluntas ad lineam naturæ divinæ pertineret, deberet etiam Spiritui Sancto natura Dei ex vi processionis communicari : quia cui per se directe communicantur ea, quæ constituunt in sua quasi specie aliquam naturam, communicatur etiam ipsa natura.

§ III.

Solutio utriusque rationis et impugnatio illius.

65. vasio ad mam. Occurrit junior quidam ex Patribus Societatis utrique rationi. Primæ quidem, quod *intelligere* constituit divinam naturam inadæquate, non vero adæquate : quia non distinguit Deum ab omnibus aliis omni modo, quo distinguibilis est : et ideo ad hoc præstandum debent accedere cæteræ aliæ perfectiones simpliciter in ipso repertæ.

vasio ad ecun- dam. Secundæ vero rationi respondet, quod etsi Verbum in divinis non procedat per voluntatem sed per intellectum, adhuc tamen ex vi processionis communicatur illi voluntas una cum cæteris aliis perfectionibus, ac proinde divina natura ex omnibus illis coalescens; secus vero Spiritui Sancto, quamvis voluntas ei ex vi processionis communicata pertineat ad formalissimum conceptum divinæ essentiæ, sive naturæ. Et rationem disparitatis assignat. Quia intellectio divina est quasi prima omnium formalitatum divinarum, et secum illas ex vi sua affert : et ita Pater æternus communicans intellectionem per processionem Verbi; communicat formaliter mediate saltim, voluntatem, et alias perfectiones. Cæterum cum voluntas non sit prima formalitas, sed intellectionem ratione nostra præsupponat, certe ex vi communicationis ipsius non sequitur communicari formaliter etiam mediate ipsam intellectionem et alias perfectiones. Quia in universum communicato eo, quod est posterius, non sequitur formaliter ex vi communicationis illius communicari id, quod est prius; bene tamen e contra, quando posterius necessario ad id, quod est prius et ex vi illius prioris consequitur. Et ideo generans, producens essentiam, producit formaliter ex vi productionis mediate passiones; non tamen semel producta essentia, si aliquis alius attingeret productionem passionum, produceret etiam essentiam.

66. Impug- natur prior evasio. Sed contra solutionem primæ rationis obstat, quod intellectio divina ultimate constituit naturam Dei intra propriam lineam : ergo etiam distinguit eam eodem modo ab aliis. Conseq. est evidens : et antecedens probatur. Quoniam gradus intellectualis ex vi sua et ex propria linea est ultimate constitutivus naturæ : unde juxta communem tam Philosophorum quam Theologorum consensum gradus de se idonei ad constituendas ultimate naturas, ad hos quatuor reducuntur, scilicet *esse*, *vivere*, *sentire*, et *intelligere* : et juxta majorem, vel minorem cujusque perfectionem intra propriam latitudinem, seu lineam, eo perfectiorem, aut non ita perfectam constituunt naturam : ergo si gradus intellectualis intra propriam lineam ita crescat, ut sit purissimus actus intra eamdem, ac proinde sit ipsa intellectio per essentiam, necesse erit ut constituat ultimate perfectissimam naturam, et consequenter divinam.

67. Confir- matio prior. Confirmatur primo. Nam ex eo quod intellectio ex vi suæ lineæ est productiva simili, ideo si attingat supremum gradum ejusdem lineæ, tunc eadem intellectio, sive dictio producit perfectissime simile, atque adeo idem in natura : ergo quia gradus intellectualis ex vi sua formaliter est constitutivus ultimate naturæ, ideo si pertingat ad propriæ lineæ summam perfectionem, habebit eodem modo constituere perfectis-

simam naturam. Patet consequentia. Nam quod ex vi suæ lineæ ei convenit, non potest non juxta incrementum talis lineæ eidem convenire.

Alia confirmatio. Confirmatur secundo. Nam hoc ipso quod aliqua res concipiatur, ut habens operationem, sive actum perfectissimum, et modo perfectissimo omnium sibi possibilium, jam eo ipso censetur adæquate constituta, ut inductive in omnibus naturis constat : at hoc ipso quod concipiamus Deum intelligentem per essentiam, non solum concipimus in eo primam formalitatem utcunque, sed primam, quæ sit perfectissima operatio, sive actus, et modo perfectissimo omnium sibi possibilium : ergo, etc.

68. Corroboratur ultimo. Confirmatur tertio (et simul tacita quædam evasio excluditur) ratione desumpta ex D. Thom. quæst. 27 citata art. 4. Quoniam vis appetendi proxima, nempe voluntas, necnon appetitio ipsa vitalis, scilicet volitio, ex propria ratione habent supponere constitutam naturam appetentis : ergo cum hæc debeat esse intellectualis, oportet ut per gradum intellectualem distinctum a voluntate et volitione, tanquam per constitutivum adæquatum constituatur. Consequentia non indiget probatione. Antecedens autem probatur. Quoniam voluntas et volitio ex genere suo habent esse inclinationem in bonum, quod est conveniens propriæ naturæ et formæ appetentis : ita ut ex eo quod appetens est talis naturæ, et bonum concupitum, sit consonum prædictæ naturæ, propterea voluntas fertur in illud : ergo prædicta voluntas et volitio ex genere suo habent supponere naturam appetentis jam constitutam, ut ipsa possit esse quasi regula (ut sic dicamus) et mensura quasi radicalis boni concupiscendi aut volendi. Nec necesse erit solutionem priorem amplius impugnare : tum quia ex dictis satis corruit : tum etiam : quia utraque solutio excendis num. sequenti satis falsitatis convincetur.

69 Evertitur primo utraque solutio. Deinde ergo contra utramque solutionem obstat. Nam si *intelligere* divinum est prima formalitas et radix omnium, quæ in Deo reperiuntur, ut in secunda solutione dicitur : et insuper soli Deo intrinsece competit, ut ex se constat, non apparet quid illi desit, ad hoc, ut simpliciter et ultimate divinam naturam sive essentiam constituat : ergo processio Verbi ea præcise ratione erit generatio, quia est communicativa divini *esse* prout constituti per suam intellectionem in ratione naturæ. Consequentia est aperta. Antecedens vero etiam patet. Quia nomine naturæ sive essentiæ nihil aliud intelligimus, quam id quod intrinsece et essentialiter soli rei convenit, et est prima radix omnium, quæ in ea inveniuntur. Quia hoc ipso quod sit intra propriam lineam perfecta, necesse erit ut cætera alia comparentur cum ipsa per modum quarumdam affectionum, licet substantialium : et per consequens ipsa habebit se per modum radicis et naturæ respectu earumdem.

70. Evertitur amplius. Tandem. Quia in prædictis solutionibus aperta quædam involvitur repugnantia. Si namque semel datur, quod divinum *intelligere* non constituit adæquate naturam Dei, sed insuper voluntas seu volitio desideratur, fit inde ut processio Verbi, quæ de se est processio in similitudinem naturæ, non tendat consequenter et mediate ad communicandam volitionem, sed per se primo et potissime. Probatur sequela. Quoniam volitio divina magis ultimate constitueret divinam naturam, quam *intelligere*, siquidem post ipsum advenit : ergo principalius pertineret ad talem constitutionem : nam differentiæ constitutivæ quo magis ultimæ, eo sunt magis intimæ et præcipuæ, quippe tribuentes rationem illam, quæ intra eamdem naturæ lineam, habet rationem actualitatis respectu cæterarum : ergo cum processio quæ est generatio, per se primo et potissime tendat ad communicandam naturam secundum suam ultimam rationem, fiet inde, ut per se primo potius tenderet ad communicandam voluntatem, quam intellectionem.

Confirmatio. Confirmatur. Quia hinc manifeste fieret processionem Spiritus Sancti esse potiori ratione generationem. Tum, quia foret actio assimilativa in eo quod potissime et magis ultimate habet in Deo rationem naturæ, quod est proprium generationis. Tum etiam : quia illa productio, quæ de se est communicativa rationis magis ultimæ et atomæ, habet etiam ex vi sua esse communicativam totius *esse*, ut inductive in actionibus creatis manifeste patet : ac proinde non possunt inter se cohærere, quod processio per voluntatem sit communicativa rationis magis ultimæ et atomæ pertinentis ad quidditatem Dei, et quod non sit communicativa naturæ, sive essentiæ divinæ.

§ IV.

§ IV.

Solvuntur argumenta primæ sententiæ.

71. Ad primum. Ad primum ergo pro sententia opposita, et in primis ad testimonium D. Th. dicendum est, sufficere identitatem realem formalem inter divinam naturam, et voluntatem una cum propria ejusdem voluntatis ratione, ad hoc, ut illa consequentia ibidem relata sit legitima in voluntate, non vero in attributis, ibi enumeratis, aut in relationibus divinis. Nam proprium est voluntatis movere quoad exercitium productionis effectuum, qui fiunt a natura intellectuali : et quo voluntas est perfectior intra suam lineam, eo movet quoad exercitium productionis plurium effectuum; et natura intellectualis, in qua est, eo est principium et causa plurium : ac proinde hoc ipso quod talis voluntas attingat summam perfectionem suæ lineæ, habebit vim ad movendum quoad exercitium ad productionem omnium effectuum excogitabilium ; et natura intellectualis, in qua est, erit per suum *esse*, seu per se ipsam (modo tamen sibi debito) principium et causa omnium illorum. Cumque voluntas habeat hanc summam perfectionem, dum est divina et identificatur cum divino *esse*, inde est, ut ex hac identificatione optime colligatur, voluntatem Dei movere quoad exercitium quoad productionem omnium effectuum, et divinam naturam (modo tamen sibi debito) causare omnes illos per suum *esse*. Quæ ratio cum in aliis attributis ut in æternitate v. g. non procedat inde est, ut illa consequentia sit legitima, et peculiaris (modo explicato) in voluntate, non vero in aliis attributis jam dictis.

Ad confirmationem. Per quod etiam ad confirmationem patet. Quia non est necesse ut id, per quod aliquid operatur quoad exercitium, sit constitutivum illius in *esse* naturæ : nec ad infinitatem divinæ naturæ requiritur, ut non distinguatur virtualiter a sua omnipotentia, aut quod hæc ad ejus quidditativum conceptum spectet, etiam in ordine ad nostros conceptus, quamvis ad prædictam infinitatem requiratur, quod realiter formaliter inter se identificentur, ut ex dictis in tract. de Scientia Dei disp. 5, dub. 3, constat.

72. Ad secundum. Ad secundum respondetur, quod licet nomine Dei, prout a parte rei est una simplicissima formalitas, nullam, secluso intellectu, admittens distinctionem actualem, per quam distinguatur ab iis, quæ in ipso sunt, intelligamus ens summe perfectum intra totam latitudinem entis, ita ut habeat formaliter omnem perfectionem simpliciter simplicem, et ad quamcumque lineam pertinentem, necnon et relationes ipsas; attamen nomine Dei secundum sua essentialia et constitutiva suæ naturæ in ordine ad nostros conceptus, et intra lineam naturæ præcise, non intelligimus nisi ens summe perfectum omnium excogitabilium quoad illam formalitatem, quæ ex vi suæ latitudinis seu lineæ, est idonea ad constituendam intrinsecam naturam. Sicut ob hanc rationem nomine ejusdem Dei sic concepti, non intelligimus nec intelligere possumus relationes divinas quia ex vi sua non sunt capaces constituendi naturam, sed solum personam. At cunctæ formalitates subsequentes gradum intellectualem, et ex ipso ortum ducentes, inter quos connumeratur voluntas, non sunt de se et ex vi propriæ lineæ, idoneæ ad constituendam naturam secundum suam formalissimam rationem consideratam, ut explicatum est.

Unde optima est solutio ibidem adducta. Quia gradus intellectualis, ut in sua purissima actualitate in Deo reperitur, continet eminenter per modum radicis omnes alias perfectiones excogitabiles, et hic continendi modus pertinet ad lineam naturæ in *esse* naturæ consideratæ. Ex quo etiam satis constat, tum ad impugnationem ibidem factam, tum etiam ad confirmationem illius. Nam licet concedatur antecedens prædictæ confirmationis, non bene infertur consequentia. Quia sicut continere eminenter et per modum radicis perfectiones simpliciter simplices, pertinet ad conceptum naturæ, non vero habere illas formaliter, ita continentia eminentialis, radicalis tamen creaturarum, est ex vi sua ex illis prædicatis, quæ pertinent ad lineam ejusdem naturæ : quandoquidem id quod producitur per potentiam executricem alicujus naturæ, necesse est ut suo modo præhabeatur radicaliter et eminenter in eadem natura.

73. Ad tertium. Ad tertium patet etiam ex dictis. Nam major est vera, quando illæ formalitates vel res, quæ ita uniuntur, sunt ex vi sua et ex propria linea capaces constituendi naturam, quales sunt materia et forma, necnon potentia et actus metaphysicus. Unde ob defectum hujus, licet satis intime veritas et entitas uniantur in nobis, quia sunt eademmet formalitas penes explicitum

et implicitum solummodo distincta; non tamen veritas constituit in nobis naturam, sed est affectio trancendentalis subsequens. At volitio, ut diximus, non habet ex vi sua et ex propria linea esse constitutivam naturæ.

Ad confirmationem. Ad confirmationem respondetur, satis esse quod perfectiones attributales sint eadem formalitas absque aliqua distinctione actuali, et quod ad idem genus, aut quasi genus substantiæ pertineant, ac tandem per unam et eamdem existentiam formalissime talem, et indivisibilem in duas virtualiter distinctas existant ad hoc, ut etiam secundum rationem non censeantur unum per accidens constituere. Unde licet relationes divinæ non sint de conceptu essentiæ; non tamen ideo cum illa faciunt unum per accidens, etiam secundum rationem : quia in eis reperiuntur tres conditiones modo assignatæ.

74. Ad ultimum. Ad ultimum concesso antecedenti, neganda est consequentia. Et ad probationem concedendum etiam est antecedens, et neganda consequentia. Et ratio desumitur ex dictis in tract. de Scientia Dei disput. 4. Nam *esse* radicaliter volitivum sive per modum potentiæ radicalis, sive per modum actus purrissimi, habet ex vi propriæ lineæ constituere naturam : quia *esse* radicaliter volitivum per modum potentiæ radicalis, est formaliter idem ac *esse* radicaliter intellectivum, ita ut nec etiam virtualiter ab eo distinguatur : et *esse* radicaliter volitivum per modum actus purissimi, est prorsus idem ac ipsamet intellectio Dei : utrumque autem horum est ex vi suæ lineæ constitutivum naturæ, sive creatæ, sivæ increatæ.

Cæterum esse volitivum proxime, vel esse ipsam actualem volitionem, non est ex vi propriæ lineæ constitutivum naturæ, sed supponit illam jam constitutam, ut ostensum est. Et ideo ex hoc quod *esse* radicaliter volitivum per modum potentiæ radicalis, constituat naturam creatam, ac proinde hoc ipsum in sua puritate constituat naturam divinam, non sequitur, volitionem per modum actus purissimi esse de conceptu Dei, sed solum esse de conceptu illius radicem volendi, non qualemcumque, sed per modum actus purissimi : quæ nihil est aliud quam ipsa intellectio. Nam ex constitutione potentiali creaturæ intellectualis in *esse* naturæ, solum colligitur ponendam esse in Deo ut constitutivam suæ naturæ, aliam formalitatem per modum actus purissimi ei correspondentem, quæ habeat ex vi suæ lineæ constituere naturam, et sit radix volitionis : quæ quidem, ut ex se constat, nulla est alia nisi intellectio per modum actus purissimi considerata.

75. Ad primam confirmationem. Ad primam confirmationem respondetur, quod in natura divina ut tali, non reperitur aliqua ratio radicaliter volendi pertinens formaliter ad lineam voluntatis, sed tantum pertinens ad eam præsuppositive et per modum primi fontis, tam lineæ voluntatis, quam aliarum linearum : quia *esse* radicaliter volitivum est extra lineam voluntatis formaliter et cum præcisione sumptam : ex eo quod radix volendi in Deo est formalissime idem, ut nuper dicebamus, cum actuali intellectione. Constat autem volitionem et intellectionem non esse unius et ejusdem lineæ formaliter : alioqui nec virtualiter distinguerentur, nec, ut jam tetigimus, processio Spiritus Sancti posset non esse generatio.

Unde linea volendi formaliter et cum præcisione sumpta, incipit ab ipsa voluntate, virtualiter distincta a divina essentia : quæ formaliter eminenter est simul absque distinctione virtuali, ipsa vis proxima ad volendum, et volitio ipsa. Non secus, proportione tamen servata, ac lineæ relationum non incipiunt in divinis ab *esse* radicaliter relativo, alias non distinguerentur virtualiter ab essentia, quæ est earum radix; sed quævis prædictarum linearum incipit a suis propriis rationibus proximis secundum quas unaquæque habet vim, verbi gratia, ad referendum, et esse ipsum exercitium referendi.

76. Nec id, quod de creaturis ibidem adducitur, obest. Quoniam linea volendi adhuc in creaturis incipit a voluntate, non vero ab *esse* radicaliter volitivo : et licet per hoc quod aliquid sit radicaliter volitivum, intelligatur esse primo in potentia ad volendum; non tamen propterea prædictum *esse* est prima potentialitas lineæ volendi, ex eo quod per illud non constituitur aliquid primo in potentia ad volendum per modum respicientis formaliter objectum lineæ voluntatis, scilicet bonum, sicut ipsa voluntas et volitio illud respiciunt; sed ut quid respiciens verum ut tale, quod formalissime sumptum est extra prædictam lineam, ut jam tetigimus. Et ita per *esse* radicaliter volitivum habent creaturæ primam potentialitatem ad volendum, tanquam per id, quod est ex parte rei conceptæ prima et

fontalis

fontalis linea omnium aliarum linearum, et prima potentialitas ad actus omnium illarum; non tamen tanquam prima potentialitas lineæ voluntatis : siquidem, ut supra tetigimus, ad hoc requirebatur, ut respiceret objectum lineæ voluntatis formaliter sumptum.

Ad ultimam confirmationem.

Ad secundam confirmationem respondetur, quod licet in creaturis proveniat ex earum imperfectione, quod volitio et voluntas distinguantur realiter, necnon et utraque ab *esse* radicaliter volitivo; non tamen quod non pertineant ad conceptum naturæ creatæ : quia voluntas et volitio ex genere suo habent quod non sint constitutivæ naturæ, ut explicatum est : et ita nullibi possunt absque distinctione virtuali identificari cum natura.

ARTICULUS II.

Utrum Deus velit alia a se?

, dist. , art. 2, 1 cont. 74, 75 84, et er. q. 3, art. 4. Lib. 3 Anim. x. 51, m. 2.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod Deus non velit alia a se. Velle enim divinum est ejus esse : sed Deus non est aliud a se : ergo non vult aliud a se.

2. Præterea, volitum movet volentem, sicut appetibile appetitum, ut dicitur in 3. de Anima * : si igitur Deus velit aliquid aliud a se, movebitur ejus voluntas ab aliquo alio : quod est impossibile.

3. Præterea, cuicumque voluntati sufficit aliquod volitum, nihil quærit extra illud : sed Deo sufficit sua bonitas et voluntas ejus ex ea satiatur : ergo Deus non vult aliquid aliud a se.

4. Præterea, actus voluntatis multiplicantur secundum volita. Si igitur Deus velit se et alia a se, sequitur quod actus voluntatis ejus sit multiplex, et per consequens ejus esse : quod est ejus velle : hoc autem est impossibile : non ergo vult alia a se.

Sed contra est, quod Apostolus dicit 1 Thessal., 4 : Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.

Respondeo dicendum, quod Deus non solum se vult, sed etiam alia a se. Quod apparet a simili prius introducto. Res enim naturalis non solum habet naturalem inclinationem respectu proprii boni, ut acquirat ipsum cum non habet, vel ut quiescat in illo cum habet, sed etiam ut proprium bonum in alia diffundat, secundum quod possibile est. Unde videmus, quod omne agens in quantum est actu et perfectum, facit sibi simile. Unde et hoc pertinet ad rationem voluntatis : ut bonum quod quis habet, aliis communicet secundum quod possibile est. Et hoc præcipue pertinet ad voluntatem divinam : a qua per quamdam similitudinem derivatur omnis perfectio. Unde si res naturales in quantum perfectæ sunt, suum bonum aliis communicant, multo magis pertinet ad voluntatem divinam, ut bonum suum aliis per similitudinem communicet, secundum quod possibile est. Sic igitur vult et se esse, et alia. Sed se ut finem : alia vero ut ad finem : in quantum condecet divinam bonitatem, etiam alia ipsam participare.

Ad primum ergo dicendum, quod licet divinum velle sit ejus esse secundum rem, tamen differt ratione secundum diversum modum intelligendi et significandi, ut ex superioribus * patet. In hoc enim quod dico, Deum esse, non importatur habitudo ad aliquid, sicut in hoc quod dico, Deum velle. Et ideo licet non sit aliquid aliud a se, vult tamen aliquid aliud a se.

. 13. t. 4.

Ad secundum dicendum, quod in iis, quæ volumus propter finem, tota ratio movendi est finis : et hoc est quod movet voluntatem. Et hoc maxime apparet in iis, quæ volumus tantum propter finem. Qui enim vult sumere potionem amaram, nihil in ea vult nisi sanitatem : et hoc solum est quod movet ejus voluntatem. Secus autem est in eo, qui sumit potionem dulcem, quam non solum propter sanitatem, sed etiam propter se aliquis velle potest. Unde cum Deus alia a se non velit, nisi propter finem, qui est sua bonitas, ut dictum est †, non sequitur, quod aliquid aliud moveat voluntatem ejus nisi bonitas sua. Et sic sicut alia a se intelligit intelligendo essentiam suam, ita alia a se vult volendo bonitatem suam. † Art præced.

Ad tertium dicendum, quod ex hoc quod voluntati divinæ sufficit sua bonitas, non sequitur quod nihil aliud velit, sed quod nihil aliud vult, nisi ratione suæ bonitatis. Sicut etiam intellectus divinus, licet sit perfectus ex hoc ipso quod essentiam divinam cognoscit, tamen in ea cognoscit alia.

Ad quartum dicendum, quod sicut intelligere divinum est unum, quia multa non videt nisi in uno, ita velle divinum est unum et simplex : quia multa non vult nisi per unum, quod est bonitas sua.

Prima conclusio : Deus non solum se, sed etiam alia a se vult.

Secunda conclusio : Deus vult bonitatem suam ut finem : alia vero a se ut media.

DISPUTATIO III.

De volitione divina respectu creaturarum quoad an est? *illius, et de objecto formali ejusdem.*

Post disputationem de voluntate Dei quoad *an est?* et *quid est* illius, merito ad volitionem divinam erga creaturas quoad easdem duas quæstiones explicandas devenitur. Et ita in præsenti disputatione de *an est?* prædictæ volitionis, et de ejus objecto formali, ex quo *quid est* illius desumitur, agemus. 1.

DUBIUM I.

An in Deo sit volitio creaturarum?

Quamvis sit omnino certum, Deum velle creaturas; quia tamen id pluribus est implicatum difficultatibus, estque radix omnium fere aliorum, quæ circa hunc articulum, et sequentem dicenda sunt, ideo primo loco dubium præsens excitamus.

§ I.

Variæ rationes dubitandi.

Prima dubitandi ratio est, quod si Deus vellet creaturas, maxima inde perfectio ei accresceret : sed hoc est falsum : ergo etc. Sequela patet. Quoniam voluntati et cuivis aliæ potentiæ advenit maximum perfectionis accrementum, ex eo quod circa objecta etiam particularia versentur. Unde quo in plura feruntur, eo perfectiores evadunt, ut constat in scientia, quæ eo est nobilior, quo ad plura objecta se extendit. Minor vero etiam constat. Quoniam ex creaturis 2. Prima dubitandi ratio.

nequit aliqua perfectio Deo provenire : at perfectio, quæ ei proveniret ex volitione creaturarum, oriretur ex creaturis tanquam ex objecto : ergo etc.

Enodatio Nec refert si dixeris, divinam bonitatem, quippe in genere entis infinitam, præhabere eminentissime quamvis aliam bonitatem : et ita ex eo quod voluntas Dei ad bonitates creatas se extendat, non ideo ulterius perfici. Nam ex eo quod prius natura terminatur ad divinam bonitatem, habet omnem excogitabilem perfectionem.

Impugnatio. Nam contra hoc est, quod licet objectum voluntatis creatæ sit bonum in communi, ambiens omnem excogitabilem bonitatem, sive creatam, sive increatam ; nihilominus prædicta voluntas non sumit totam suam perfectionem ex eo quod prius velit bonum ut sic, sed etiam ex eo quod ad peculiaria bona se extendat : ergo similiter divina voluntas non sumet omnem excogitabilem perfectionem ex eo quod prius terminetur ad bonitatem Dei, eminentissime continentem omnem aliam bonitatem, sed etiam ex eo quod ad bonitatem creaturarum terminetur.

3. Corroboratio. Confirmatur. Nam in illo posteriori in quo voluntas Dei post volitionem bonitatis divinæ intelligitur velle creaturas, non potest non cum aliqua nova habitudine ad illas ex vi talis volitionis concipi : sed hæc habitudo est realis, ac proinde novam affert perfectionem : ergo aliquid perfectionis ex vi illius, divinæ voluntati accrescet. Consequentia est evidens. Major vero patet. Quia volitio creaturarum neque esse, neque intelligi potest sine creaturis volitis : et ita intrinsece dicet habitudinem ad illas. Minor autem ex majori aperte sequitur. Quoniam habitudo illa, sine qua res non potest esse, debet necessario esse realis : quia quælibet res potest esse sine relationibus rationis, quæ ad nutum intellectus possunt ab ea separari : atque adeo talis habitudo affert aliquam bonitatem et perfectionem.

Additamentum. Adde, quod licet prædicta habitudo esset habitudo rationis, non posset non habere fundamentum reale in Deo, ut ex se constat, et consequenter saltim ex parte fundamenti afferet aliquid perfectionis : ergo cum hoc fundamentum præcise inveniatur in illo signo posteriori, in quo voluntas Dei post volitionem divinæ bonitatis terminatur ad creaturas, fit inde, ut ex volitione creaturarum aliquid habeat perfectionis, præter id, quod habet ex volitione divinæ bonitatis.

Secunda dubitandi ratio. Nam si in Deo admittitur talis volitio : vel erit ipsi intrinseca et cum eodem identificata? vel non? Primum dici nequit : quia talis volitio potuit non esse in Deo, si ipse de productione creaturarum nihil decrevisset : id autem quod identificatur cum Deo, et consequenter est Deus, non potest non esse. Secundum autem etiam repugnat : quia si semel admittitur Deum velle creaturas, non potest non illa volitio esse intrinsece, et (ut sic dicamus) quasi inhærenter in illo : ex eo quod quævis volitio est de genere actuum immanentium. Et similiter non posset non esse identificata cum Deo : quia Deus propter suam summam simplicitatem identificat sibi absque distinctione reali actuali (quæcumque illa sit) omne id, quod in ipso reperitur. 4. Secunda

Tertio. Nam si in Deo esset volitio creaturarum vel diligeret illas tribuendo eisdem bonitatem? vel non? at nec primo, nec secundo modo : ergo nullo. Major cum consequentia ex se constat. Minor vero quoad primam partem etiam patet. Quia alioqui Deus vellet et non vellet creaturas. Vellet quidem, quia ejus voluntas ad ipsas terminatur, ut supponitur; non vellet vero, quia in illo priori in quo volitio divina præcedit bonitatem creaturarum, tanquam causa earumdem, nihil in illis bonitatis est : atque adeo non poterit velle illas : quandoquidem nihil potest amari nisi sit bonum. Quoad secundam vero partem etiam liquet. Tum ex D. Thom. 1, 2, quæstione 110, art. 1. Tum etiam : quia aliàs bonitas illa, esset bonitas per essentiam, quippe quæ non participaretur a Deo media sua voluntate. 5. Tertia.

Nec satis erit si dixeris, vel quod sufficit habere in eodem priori bonitatem in potentia, vel quod bonitas creaturæ in genere causæ formalis objectivæ et terminantis, prior est divina dilectione, licet divina dilectio sit prior bonitate illarum in genere causæ efficientis. 6. Solutio.

Nam contra primum obstat, quod, ut infra art. 3, latius dicemus bonitas in potentia non est satis ad hoc, ut aliquid diligatur actu : sicut esse aliquid coloratum, et lucidum in potentia, non sufficit ad hoc, ut actu videatur. Et contra secundum obstat, potentiam activam et practicam non præsupponere suum objectum, sed illud efficere : sicut nec scientia practica Dei suppo- Impugnatur.

nit

nit *esse* creaturarum in ratione objecti : nec dilectio, seu amor amicitiæ, qua Deus ut author supernaturalis diligit creaturas rationales, præsupponit gratiam sanctificantem in anima, sed illam causat : alioqui non distingueretur a potentia (ut sic dicamus) speculativa, quæ suum objectum præcise in ratione objecti præsupponit : ergo etc.

7. Ultima. Ultimo. Objectum adæquatum voluntatis divinæ est sola Dei bonitas : ergo non potest velle creaturas. Consequentia videtur certa. Quoniam nulla virtus potest ferri extra suum objectum adæquatum : et ideo gustus nequit percipere odorem, quia est extra objectum adæquatum illius. Antecedens vero probatur. Quia voluntas Dei suam quasi speciem capit ex habitudine ad objectum adæquatum : ergo cum solum possit specificari a divina bonitate, non vero a creaturis alioqui ab illis penderet, fit inde ut sola divina bonitas sit objectum adæquatum illius.

§ II.

Statuitur vera sententia.

8. Conclusio. Psalm. 134. an. 3. Ratio Thom. Nihilominus dicendum est, in Deo esse volitionem creaturarum. Hæc est de fide, Psalm. 134 : *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit.* Et Joann. 3 : *Sic Deus dilexit mundum,* etc. Et probatur ratione D. Thom. in hoc art. ad hanc formam redacta. De appetitu naturæ intellectualis, qui est voluntas, eodem proportionali modo atque de appetitu naturali sentiendum est : sed res naturales non solum inclinantur actu per appetitum naturalem in propriam perfectionem, sed etiam ut eam aliis, quantum possibile est de facto communicent : et ideo omne agens naturale in quantum est in actu perfectum, producit sui simile : ergo etiam natura intellectualis hanc eamdem inclinationem ratione suæ voluntatis habebit : ergo cum Deus habeat supremam naturam intellectualem, inclinabitur actu per suam voluntatem ad communicandum de facto suam perfectionem creaturis secundum quod possibile est, scilicet secundum similitudinem tantum analogicam, et libere : atque adeo datur in Deo volitio creaturarum : quia inclinatio actualis voluntatis nihil est aliud, quam volitio ipsius.

Confirmatio. D. Thom. Confirmatur ratione D. Thom. 1 contra Gent. c. 75. Nam quicumque amat aliquod bonum secundum se et propter ipsum, amat etiam ex consequenti omnia, in quibus tale bonum etiam participative reperitur : sicut qui diligit dulcedinem propter se ipsam, fertur etiam in omnia dulcia : sed Deus suum *esse* suamque bonitatem propter semetipsam amore prosequitur; et creaturæ habent participative talem bonitatem : ergo Deus etiam diligit easdem creaturas.

9. Objectio. Sed objicies ex vi hujus rationis non convinci, Deum de facto velle creaturas ; sed solum posse easdem velle : ergo neque ex vi illius convincitur assertio. Consequentia est evidens. Antecedens vero probatur. Nam etsi res naturales hoc ipso quod sint perfectæ, habeant appetitum naturalem ad se communicandum, ac proinde nec ipsæ, nec suus appetitus possint se ab operatione et diffusione sui cohibere, quia per modum naturæ agunt ; attamen natura intellectualis et voluntas quantumvis perfectæ sint, operantur libere circa ea, quæ non important omnimodam rationem boni : atque adeo possunt se ab operatione et volitione coercere. Unde ex hoc quod natura intellectualis sit perfecta, habeatque voluntatem, nequit colligi volitio se communicandi creaturis.

Ex quo etiam fit confirmationem ex D. Thoma desumptam non convincere intentum. Quoniam licet agentia naturalia appetentia aliquid propter se ipsum appetant actu id, in quo bonum illud reperitur; non tamen agentia libera, quæ propter suam libertatem possunt se ab actu appetendi cohibere.

Solutio. Respondetur, rationem hanc non adduci a D. Thom. ut præcise ex meritis propriis concludentem intentum, sed supposita productione creaturarum a Deo, quam evidenter experimur. Nam hac supposita certum est, quod sicut communicatio aliarum rerum naturalium fit quasi mediante appetitu naturali, quem habent ad se communicandum, ita etiam communicatio qua natura intellectualis perfectissima, scilicet divina se aliis diffundit, debet esse per appetitum intellectualem, modo tamen infra dicendo. Quia cum modus agendi per voluntatem sit perfectissimus, oportet ut secundum hunc modum Deus se aliis communicet : et ita cuncta quæ facit, velit : et quæ efficaciter voluerit, ea faciat.

§ III.

Diluuntur rationes dubitandi initio adductæ.

10. Ad primam. Ad primam bene respondetur ibidem et ad impugnationem, esse disparem rationem. Quoniam ex uno capite quodlibet partiale et peculiare objectum voluntatis creatæ habet aliquid novæ perfectionis pertinens ad rationem formalem objecti, et ex alio voluntas non attingit perfecte perfectionem istam in aliqua una superiori et eminentiori ratione, sed solum confuse et imperfecte. Nam cum ratio illa boni in communi, quæ est objectum voluntatis creatæ, non habeat actu, distincte et perfecto modo totalem et adæquatam rationem objecti (quoniam in confuso tantum et per modum rationis analogiæ continet omnem bonitatem) fit inde ut voluntas creata tam ex defectu objecti, quam ex sua limitatione non habeat efficacitatem, ut ita perfecte attingat omnes et singulas rationes bonitatis, ac si unica sola ibidem reperiretur. Et ideo novam acquirit ratione sui actus perfectionem : ex eo quod denuo, expresse, ac distincte ad partiale objectum terminetur.

Cæterum in voluntate divina e contra res se habet. Nam divina bonitas actualissimo et eminentissimo modo continet omnem rationem bonitatis, et voluntas Dei omnino adæquate, et modo infra dicendo terminatur ad talem bonitatem, et consequenter capit inde omnem excogitabilem perfectionem intra lineam voluntatis : et ideo manet incapax ulterioris perfectionis intra prædictam lineam.

11. Additamentum. Adde voluntatem creatam habere pro objecto formali, licet partiali quamvis bonitatem sive creatam, sive increatam sigillatim sumptam : cæterum objectum formale adæquatum divinæ voluntatis est sola sua bonitas. Unde cum voluntas solum perficiatur ab objecto formali, non mirum quod ex prædicta extensione accipiat voluntas creata, ratione sui actus novum perfectionis incrementum : secus vero voluntas increata.

Ad confirmationem. Ad confirmationem neganda est major. Ad probationem vero respondetur, non sequi ex hoc quod volitio libera neque esse neque intelligi possit sine creaturis volitis, fore necessario in ea habitudinem realem aut rationis in ordine ad illas. Sicut licet demus, omnipotentiam Dei nec esse nec intelligi posse absque rebus possibilibus ; ad huc tamen non sequitur esse in ea intrinsecam et realem habitudinem ad illas : imo nec relationem rationis ad ipsam intrinsece pertinentem. Utrum autem ex alio capite danda sit hæc habitudo, et quid sit necessarium superaddi, ad hoc ut Deus post volitionem sui censeatur velle creaturas, et fundare prædictam habitudinem rationis? dicemus infra disp. 7, in quatuor dubiis ultimis illius, per quæ ad id quod in hac confirmatione additur satis patebit.

12. Ad secundam. Ad secundam dubitandi rationem respondetur, volitionem creaturarum sumptam quoad entitatem esse intrinsecam, et realiter loquendo essentialem Deo : at quoad terminationem posse ab eo separari. Unde Deus nequit esse sine illa quoad entitatem ipsius ; bene tamen quoad terminationem. Nec rationi purissimi actus derogat, quod entitas actualissimæ volitionis divinæ sit sine omni prorsus terminatione ad creaturas, ut multi probabiliter volunt (de quo infra disp. 5, num. 57) aut saltim sine aliquibus ex illis, eo modo quo loco citato explicabimus. Quid autem sit prædicta terminatio, et consequenter, quid addat supra entitatem realem actus et an illud sit ex omni capite intrinsecum et identificatum cum Deo, nec ne? longiorem petebat sermonem. Cæterum hoc melius infra art. 3, dubiis nuper citatis declarabitur.

13. Ad tertiam. Ad tertiam respondetur primo, concedendo majorem, et negando minorem quoad primam partem. Et ad ejus probationem neganda est sequela. Nec id, quod ad posteriorem ejus partem probandam ibidem adducitur, est alicujus roboris. Quoniam cum illa prioritas qua divina voluntas actu terminata ad creaturas, ac proinde actu eas volens, et tribuens illis bonitatem, non sit prioritas *in quo* adhuc secundum rationem, sed solum *a quo*, inde est, ut adhuc in illo priori habeant creaturæ bonitatem causatam a divina voluntate : et per consequens in eodem priori poterit eadem voluntas actu et in exercitio velle illas.

Unde solutio ibidem tradita, et juxta hæc intellecta, potest quoad secundam ejus partem satis probabiliter admitti. Et ad illius impugnationem dicendum est, non solum objectum potentiæ (ut sic dicamus) speculativæ, sed etiam potentiæ practicæ præsupponi in genere objecti ad illam ut tendentem in ipsum. Et sane in creatis id certum est : cum objectum specificet per modum formæ extrinsecæ, et in ratione objecti actionem per quam fit, ut multi probabiliter

probabiliter volunt; ac proinde sit in hoc genere prius, quam illa. Et similiter in divinis etiam videtur hoc ipsum, respectu effectuum creatorum, perspicuum : quatenus effectus creati habent se per modum objecti saltim materialis divinorum actuum, subordinati tamen rationi formalissimæ *sub qua* eorumdem, scilicet bonitati divinæ. Nam objectum hoc nonnihil quasi antecedentiæ debet habere. Unde distinctio, quæ intercedit inter prædicta objecta tantum erit, quod objectum potentiæ quasi speculativæ, ita præsupponitur, ut non sit in sequenti signo posterius quam illa; secus vero objectum potentiæ practicæ, quatenus habet esse effectum in genere causæ efficientis respectu ejusdem : sive hanc posterioritatem habeat, quia tam ratio materialis, quam formalis terminativa producatur; sive quia solum ratio materialis, subordinata tamen rationi formalissimæ, efficiatur.

14. Alia solutio. Complut.

Secundo respondetur, sive magis explicatur præcedens solutio, quod sicut in intellectione nostra possumus (juxta ea quæ N. Complutens. in lib. de Anima disput. 21, num. 63, docent) distinguere intellectionem in se ipsam prout est dictio, et prout est contemplatio, ita ut hæ duæ rationes, aut munera ejusdem rationis formalis habeant inter se ordinem prioris et posterioris : quia prout dictio præsupponitur ad se ipsam prout contemplatio : nam ut dictio habet esse productionem verbi, in quo objectum (modo ab eisdem Complut. ibidem et num. 42 ac sequentibus dicto) intelligitur et contemplatur : et quatenus intellectio contemplativa, importat habitudinem ad res intellectas et contemplatas in verbo, quatenus intellectæ et contemplatæ sunt : ita etiam in volitione possumus distinguere et dividere illam in se ipsam prout in suo ordine est productio movendo quoad exercitium illius, et prout est præcise volitio : ita ut quatenus productio præcedat sola prioritate *a quo*, non vero prioritate *in quo* adhuc secundum rationem, se ipsam ut volitio est : ac proinde quatenus productio tendat ad bonitatem creaturis communicandam : et consequenter in illo priori in quo præcedit, intelligatur ipsa ut prior prioritate *a quo* præcise, non vero prioritate *in quo*, quam quod creaturæ intelligantur actu bonæ : at ut volitio terminetur in sequenti signo ad bonitatem actualem jam communicatam creaturis saltim respectu æternitatis. Utrum autem bonitas illa in priori signo creaturis communicata habeat se ut objectum formale volitionis divinæ nec ne? et quomodo, in sequenti dub. patebit. Et similiter utrum hæc prioritas, qua divina volitio erga creaturas, quatenus est modo dicto productio earum præcedit se ipsam ut volitio, sit prioritas virtualis? an vero solum ex parte nostri modi concipiendi ex defectu distinctionis virtualis inter prædictas voluntatis, seu volitionis divinæ acceptiones? constat ex iis, quæ in disp. præcedenti diximus.

Ad ultimam. Ad ultimam rationem dubitandi ex dicendis dub. sequenti patebit.

DUBIUM II.

Utrum Deus velit alia a se tanquam objecta formalia saltim partialia suæ volitionis? an vero objectum formale adæquatum sit sola divina bonitas?

Ea quæ D. Thom. in secunda conclusione articuli docet, valde ex discussione hujus dubii pendent : et ideo post dubium præcedens, in quo primam conclusionem articuli hujus examinavimus, merito hoc statim movemus.

§ I.

Placitum Aureoli et aliorum.

15. Prima sententia asserit, bonum in communi, non vero divinam bonitatem esse objectum formale adæquatum voluntatis Dei : ac proinde bonitatem creatam esse etiam objectum formale, licet inadæquatum ipsius. Ita Aureolus et Durand. in 1, dist. 45; Suarez in relectione de libertate divinæ voluntatis, sect. 2; Pesantius 1 part. q. 19, art. 5, disp. unica; Herice tract. 2, disput. 18, cap. 2; Torres opusc. 5, disp. 3, dub. 2. Aureol. Durand. Suarez. Pesant. Herice. Torres.

Primum argumentum. Probatur primo. In voluntate divina non solum est amor charitatis, qua Deus amat se propter se, sed etiam aliæ virtutes, v. g. justitia, misericordia, aut fidelitas : sed hæ virtutes non possent esse in Deo, nisi earum objectum formale esset distinctum ab objecto formali charitatis, scilicet bonitate divina : igitur respectu ejusdem voluntatis increatæ aliquid aliud præter divinam bonitatem est objectum formale illius : ergo cum nihil aliud restet præter bonitatem creatam, fiet inde, ut hæc etiam sit objec-

tum saltim inadæquatum et formale respectu ejusdem voluntatis.

16. Confirmatio. Confirmatur et explicatur. Si voluntas creata omnia amaret propter bonitatem divinam, neque ulla alia bonitas creata esset illius objectum formale, certe in ea non daretur alia virtus præter charitatem : et ideo ut habeat alias virtutes, oportuit quod bona creata possent esse objectum formale ipsius : ergo ut dentur in Deo aliæ virtutes, ratione distinctæ a charitate, opus est ut aliqua bonitas distincta a bonitate divina sit objectum illius formale.

17. Secundum. Secundo. Finis est objectum formale voluntatis, ut docent communiter Theologi : sed Deus præter suam essentiam et bonitatem habet alium immediatum finem suæ voluntatis seu volitionis : ergo etc. Minor suadetur. Quia amat nos amore charitatis et amicitiæ : ergo vult nobis bonum propter nos, et non immediate propter se : quandoquidem amor amicitiæ in hoc distinguitur ab amore concupiscentiæ, quod per hunc volumus alteri bonum non propter se, sed propter aliud : at per amorem amicitiæ volumus alicui bonum propter se ipsum : ergo etc.

Evasio. Nec sat erit si dixeris, quod ideo amor Dei ad homines est amicitiæ, quia licet velit illis bonum propter semetipsum, ipse tamen est ultimus finis eorumdem. Unde per hoc vult illis summum bonum : quandoquidem ordinat illos in suum ultimum finem : et per consequens amat eos perfectissimo amore : qui, ut constat, est amor amicitiæ.

Impugnatio. Nam contra hoc est. Tum quod si quis alteri velit summum bonum, ut ex hoc ipse obtineat honorem, non amaret illum amore amicitiæ, sed concupiscentiæ : quia ordinat bonum alterius ad se : ergo etiam si Deus velit nobis summum bonum, si tamen præcise ordinat illud ad suam gloriam, non diliget nos amore amicitiæ. Tum etiam : quia alioqui periret in Deo liberalitas et magnificentia : ideo enim est maxime liberalis, quia dona sua quantumvis nobis maxima, ob propriam sui utilitatem non confert, ut docet D. Thom. infra q. 44 art. 4 ad 1, et 1 contra Gen. c. 93. Si autem vellet creaturas præcise ut media, et propter se ut finem, quæreret utilitatem : nam medium ut medium habet formalissime rationem utilis in ordine ad finem.

18 Tertium. Tertio. Ratio prior et universalior, sub qua potentia fertur in suum objectum, est ratio formalis objectiva adæquata, quia sola ipsa est, quæ adæquatur cum potentia, ac ita late patet sicut ipsa, et e contra : at voluntas divina amat Deum non solum in quantum habet bonitatem divinam, sed etiam in quantum bonus : quæ ratio universalior, et per consequens prior est quam bonitas divina ut divina : ergo objectum adæquatum ejus est bonum absolute sumptum ; non vero bonum divinum ut tale. Minor quoad primam partem satis patet. Quoad secundam vero etiam constat. Quia Deus ut bonus est formalissime, non potest non esse amabilis : ergo potissime a divina voluntate.

§ II.

Refertur duplex opinio recens.

19. Secunda sententia. Secunda sententia duplex distinguit objectum, aliud motivum, aliud vero terminativum. Unde asserit, quod licet divina bonitas sit objectum adæquatum motivum suæ voluntatis, non tamen terminativum : quia hoc convenit bonitati in communi, ut abstrahit a creata et increata. Ita aliqui ex junioribus. Et quoad primam partem suadetur ex D. Thom. in præced. art. in solutione ad 3, his verbis : *Unde cum voluntas Dei sit ejus essentia, non movetur ab alio, sed a se tantum.* Et deinde ratione. Quia id quod movet, dicit aliquid excellentiæ et superioritatis supra rem motam : si ergo Dei voluntas movetur ab alio præterquam a divina bonitate, scilicet a bonitate creata, necesse erit ut aliquid inferioritatis et subordinationis importet respectu illius : quod tamen, ut constat, satis magnam in Deo diceret imperfectionem.

Probatur ex D.Thom.

Suadetur ratione.

Quoad secundam vero partem sic eadem sententia suadetur. Quia illud est objectum terminativum adæquatum, ultra quod potentia non terminatur, nam hoc ipso quod potentia ultra tendat, jam non adæquabit totam latitudinem ipsius : at divina voluntas terminatur ultra divinam bonitatem ad bonitatem creaturarum, ut ex præcedenti dub. constat : ergo, etc.

20. Tertia sententia. Tertia sententia distinguit volitionem, qua Deus vult alia a se, in id quod perfectionis et entitatis dicit, et in terminationem ad creaturas. Unde asserit quod objectum formale illius quoad terminationem est bonitas creaturarum : at objectum formale et adæquatum ejusdem quoad entitatem et perfectionem suam, est sola divina bonitas.

Ita

rubal. Ita Arrubal in præsenti disp. 54, c. 4, et disp. 57, c. 3.

Pro-batur primo. Sententia hæc quoad primam ejus partem sic primo probatur et explicatur. Nam volitio creata in hoc distinguitur ab increata et per essentiam, quod in illa perfectio intrinseca ipsius et terminatio ad rem volitam, non distinguuntur re ipsa, neque possunt separari : quia intrinseca perfectio saltim individualis volitionis creatæ posita est in transcendentali quadam habitudine et terminatione ad certum aliquod et determinatum objectum ; secus autem in volitione increata : et ideo salva et immobili permanente in Deo tota perfectione actus suæ volitionis, potest terminari, et non terminari ad creaturas, ut infra art. 3 latius dicemus : ergo non est inconveniens quod objectum formale volitionis increatæ et liberæ, præcise quoad terminationem consideratæ, sit bonitas creata.

Patet consequentia. Tum, quia hoc ipso quod talis terminatio possit re ipsa separari a perfectione entitativa actus, non potest importare perfectionem omnimodam, et per essentiam, ut ex se patet, et infra loco citato asseremus : et per consequens nihil refert quod ab aliquo extrinseco suam speciem desumat : non enim ob aliud perfectio entitativa alicujus actus divini nequit ab aliquo extrinseco specificari, nisi quia est ens per essentiam et omnibus modis necessarium : et hoc non potest esse ab alio, sed præcise a se. Tum etiam : quia terminatio libera ut libera, si semel distinguitur a perfectione entitativa actus, necesse est ut per se solum respiciat bonitatem creaturarum : quia respectu divinæ bonitatis non potest volitio Dei libere terminari ; quoniam summa illa bonitas necessario post se rapit voluntatem.

21. cundo. Secundo. Operatio Dei externa vere est propter finem creatum, tum quia creatura, tum quia Deus ad extra non agit temere, nec per accidens attingit effectum, quem per actionem illam intendit : ergo volitio divina ut terminata ad talem productionem et effectum, debet etiam esse propter eumdem finem. Patet consequentia. Quia nequit aliqua actio esse propter finem, nisi volitio, a qua imperatur, sit saltim terminative propter eumdem finem : ac proinde ipsum respiciat tanquam objectum formale et propter se ipsum.

22. ertio. Tertio eadem sententia quoad secundam partem, quæ asserit, objectum formale et adæquatum prædictæ volitionis, quoad suam entitatem et perfectionem, esse solam divinam bonitatem, sic primo probatur. Quia sola essentia divina habet rationem objecti formalis adæquati respectu intellectionis Dei quoad suam entitatem et speciem consideratæ : ergo sola bonitas divina erit etiam objectum formale et adæquatum volitionis ipsius, eodem modo sumptæ. Patet consequentia : tum ex paritate rationis : tum etiam, quia nihil volitum quin præcognitum, nec est aliquid cognitum, quod non cadat sub voluntatis objecto : ergo necesse est ut volitionis et intellectionis objectum æque late pateat et extendatur, et non amplius : et per consequens si semel datur, divinam essentiam ut veram, esse objectum adæquatum formale increatæ intellectionis, debet etiam admitti, quod eadem essentia ut bona bonitate divina habeat esse objectum adæquatum suæ volitionis. Unde ex eo voluntas nostra habet pro objecto adæquato ens ut bonum in tota sua latitudine, quia objectum intellectus est idem ens ut verum et in omni sua generalitate acceptum. Antecedens autem ex iis, quæ in tractat. de Scientia Dei disp. 3 diximus, satis constat.

23. Quarto. Quarto. Quia si creaturæ possent esse objectum formale alicujus perfectionis intrinsecæ Dei, tunc eadem ratione existentia actualis illarum esset objectum formale intellectionis intuitivæ Dei ad easdem terminatæ : at hoc est aperte falsum : ergo, etc. Sequela patet. Quia de ratione notitiæ intuitivæ alicujus objecti est, quod terminetur tanquam ad objectum formale, ad illud ut existens : ergo si Deo non repugnat terminari formaliter ad aliquid creatum, non est ratio, ob quam cognitio intuitiva ipsius respectu creaturarum non terminetur formaliter ad existentiam earum. Falsitas vero consequentis etiam constat. Quia objectum contingens, quale est existentia creata, non potest esse objectum formale actus necessarii quoad entitatem et perfectionem, ut ex se constat : at notitia intuitiva, qua Deus intuetur creaturas, est necessaria quoad entitatem et perfectionem : quia est ipsamet entitas et perfectio Dei, ergo, etc.

24. Ultimo. Tandem. Quicumque actus comparatur ad suum objectum formale, sicut ad rem omnino necessariam, ad suam essentiam et intrinsecam perfectionem : sed intrinseca perfectio intellectionis, aut volitionis divinæ nequit comparari ad aliquam rem creatam sicut ad objectum sibi necessarium :

ergo nulla essentia, aut existentia creata est formale objectum intellectionis, aut volitionis divinæ. Major ex se constat. Quoniam objectum formale tribuit actui suam speciem et perfectionem ; ac proinde est illi necessarium ad hoc, ut habeat illam.

Minor vero probatur dupliciter. Tum primo. Quia res creata, quamvis accipiatur secundum suam essentiam, est ens participatum et limitatum; ac proinde erit ab alio, nempe ab ente increato : quare essentialiter præsupponet essentiam intellectionis et volitionis increatæ, a qua procedere possit et debeat ; non tamen e contra. Tum secundo. Quia alias Deus non esset substantia ita nobilis, ut ea nihil melius excogitari possit : quandoquidem melior cogitaretur, si esset ita sufficiens ut ad nullam sui perfectionem esset illi necessaria aliqua res creata.

25. Confirmatio. Confirmatur. Quia omnipotentia Dei non potest comparari cum aliquo ente factibili tanquam cum re sibi omnino necessaria ad sui perfectionem, a qua prædictam perfectionem desumat : ergo nec divina volitio, aut intellectio poterit sic conferri cum aliquo objecto intelligibili, aut volibili creato : ac proinde neque hoc poterit esse aliquo modo objectum formale illius. Hæc secunda consequentia patet ex dictis. Prima vero constat ex paritate rationis. Et antecedens probatur. Quia omnipotentia ex se est sufficiens ad efficienda illa, quæ non involvunt contradictionem : et ad illa, quæ eam involvunt extenderetur quantum est de se, sine ulla sui additione, si semel non repugnarent : ergo signum est, perfectionem illius esse talem, ut non indigeat, quod hæc aut illa res creata sit possibilis, ita ut inde suam perfectionem desumat; sed potius talem habere infinitatis modum, ut ex se possit terminari ad res creatas, si sint possibiles.

§ III.

Aperitur mens Angelici Doctoris et aliorum Patrum, et primum eorum fundamentum.

26. Conclusio. Nihilominus dicendum est, objectum adæquatum motivum et terminativum, non qualecumque, sed formale voluntatis Dei, tam quoad entitatem, quam quoad terminationem consideratæ, esse divinam bonitatem. Hanc existimamus esse ipsam mentem D. Thom. in hoc art. ubi inquit : *Sic igitur et vult se esse et alia : sed se ut finem, alia vero ut ad finem ;* at media ut talia non movent aut terminant formaliter nisi ratione finis. Et in solutione ad secundum : *In iis quæ volumus propter finem tota ratio movendi est finis : et hoc maxime apparet in iis, quæ volumus tantum propter finem.* Paucisque interpositis addit : *Unde cum Deus alia a se non velit nisi propter finem, qui est sua bonitas, non sequitur quod aliquid aliud moveat voluntatem ejus, nisi bonitas sua.*

D.Thom.

Ubi manifeste apparet, sanctum Doctorem sentire, quod sola divina bonitas sit objectum motivum, ac proinde terminativum saltim formale suæ voluntatis : et non utcumque, sed etiam ut dicit terminationem ad creaturas : quia loquitur de volitione formaliter sumpta, qua vult alia a se : quæ quidem indispensabiliter includit terminationem ad creaturas, ut idem sanctus Doctor in solutione ad primum docet, dum inquit : *In hoc enim quod dico, Deum esse, non importatur habitudo ad aliquid, sicut in hoc quod dico, Deum velle :* at habitudo hæc fundamentalis intrinsece includit terminationem, ut ex se patet. Imo et hinc etiam magis constat solam divinam bonitatem esse juxta sanctum Thomam, objectum formale terminativum. Quia media non terminant formaliter nisi ratione finis, ea maxime quæ præcise ratione finis amantur, qualiter alia a divina bonitate amari ab ipso Deo D. Thomas docuit.

27. D.Thom. Idem etiam docuit sanctus Doctor in 1, dist. 41, artic. 3, his verbis : *Deus vult, et vult quod effectus sit, quia causa est : non autem ita quod causalitas referatur ad voluntatem, sed ad volitum et ista causa voliti, non volendi, dicitur ratio quædam voluntatis ex parte effectus.* Et 1 contra Gen. c. 87, ubi ait : *Aliorum a Deo volitorum, nullum est Deo causa volendi, sed unum eorum est alteri causa ut ordinem habeat ad divinam voluntatem, et sic intelligitur Deus propter unum eorum, aliud velle.* Si autem creaturæ essent a Deo volitæ per modum objecti formalis, tunc creaturæ volitæ, essent Deo rationes, sive causa volendi, et non tantum unum volitorum esset alteri causa ut ordinem haberet ad divinam voluntatem. Et q. 23 de Verit. artic. 1 ad 7 : *Nec tamen quia vult creaturas sequitur* (inquit) *quod a creaturis movetur : quia creaturas non vult nisi ratione suæ bonitatis.*

Bernard. Idem etiam docuit Bernardus lib. de amore

amore Dei c. 4, et in Soliloquiis c. 7. Quam doctrinam desumpserunt ambo ex Dionys. c. 4, de divinis nominibus asserente : *Audebit etiam hoc vera ratio dicere, ipsum quoque rerum auctorem pro singulari bonitate sua amare omnia, omnia facere, omnia perficere, omnia conservare, omnia convertere.* Ubi loco illius particulæ : *pro singulari bonitate sua,* Græce habetur aliud verbum, quod significat idem ac, *propter bonitatis excessum.* Ut ita indicet hanc solam esse rationem formalem objectivam, qua Deus diligit creaturas et illis benefacit.

Scot. Unde sententiam hanc sequuntur Scotus in Report. in 1, dist. 35, q. 2, et dist. 36, q. 4, nec non dist. 41, q. 1, § *Dico ergo.* Item in Exonien. etiam dist. 41, q. unic. prope finem, et in 3, dist. 32, q. unic. § Alens. *Tertium patet* ; Alen. 1 p. q. 28, membro 3, art. 3, et q. 35, membro etiam 3 ; Albert. Albertus 1 p. tract. 15, q. 60, membro 1 : Bonav. Bonaven. in 1, dist. 45, in expositione tex. Ricar. dub. 3, et in 3, dist. 32, q. 1 ; Ricard. 1, dist. 45, art. 1, q. 4, et in 3, dist. 32, q. Henr. etiam 4 ; Henr. quotlib. 4, q. 19, et quotlib. 8, q. 5, et in summa art. 45, q. 3 ; Ægid. Ægidius in 1, dist. 45, q. 2, et in 2, dist. Dur. distinct. 1, p. 2, q. 1, art. 2 ; Durandus ubi infra et disertissime in 2, dist. 1, q. 2, n. Rub. 8. Rubion. in dist. 45, q. 1 ; Marsil. in 1, Mars. q. 44, art. 1, noster sapientissimus Baccon. Baccon. 1, dist. 17, q. unic. § 2, et quotlib. 1, q. Aliac. 8, art. 2 ; Aliacen. in 1, q. 12, art. 2 ; Basol. Basol. 1, dist. 45, q. 1, artic. 2 ; Bononia Bonon. sup. dist. 36, q. unic. ad 3 ; Gabr. 1, dist. Gabr. 14, q. 1, art. 2, post 3 conclusionem ; Lychet. Lychetus q. 3 prologi, et in 1, dist. 3, q. 4 ; Dried. Driedo de concord. lib. arbit. et prædest. Cajet. 1 p. c. 4 ad 4 ; Cajet. in præsenti art. 5, annez. Bannez artic. 2, et Molina ibidem dis. 3, Mol. Vazquez dis. 83, c. 2. asquez.

Sed licet assertio proposita non indigeat ut denuo rationibus quoad omnes sui partes confirmetur ; quandoquidem quoad id quod asserit de volitione circa creaturas, quoad suam intrinsecam entitatem et perfectionem considerata, satis ex omnibus vel fere omnibus probationibus pro secunda parte tertiæ sententiæ adductis, manet probata ; nihilominus duplici ratione cunctas illius partes complectente, sic suadetur.

29 Prior autem et fundamentalis ex illis, desimad. sumitur ex D. Thom., Bernar. et Bonavent. rior Ut autem illam tradamus, notandum est pro primo, in volitione, sive amore Dei duas rori rationes inadæquatas ex parte saltim nostri tione sert. modi concipiendi esse distinguendas. Alteram quidem affectionis ; alteram vero effectionis. Ex quibus illa prior dicitur talis collative ad id a quo afficitur, et movetur ad volendum, seu amandum. Posterior vero comparative ad bonum productum, et participatum a Deo, nec non et ad rem illam, cui tale bonum communicatur absque eo quod prædicta res sit ratio motiva affectus et volitionis tribuendi illud bonum. Esse autem has duas rationes aliquo modo (ut diximus) diversas, est communis sententia Theologorum. Et ratio est aperta. Nam prior illa ratio convenit divinæ volitioni ut comparatur cum objecto materiali, et cum effectu ab ea producto ; posterior vero ut confertur cum suo objecto formali et formalissima ratione volendi. D. Thom Bernard. Bonav.

Secundo notandum est, quod licet in Deo circa se ipsum et suam bonitatem sit ponendus amor affectionis ; attamen circa creaturas, tantum est admittendus amor effectionis : non quidem ita ut ibidem non sit amor affectionis, sed quod ex affectione ad divinam bonitatem reperiatur in illa volitione amor effectionis circa creaturas, et non aliter. 30. Alia animadversio.

Quod quidem pulchre docuit Bernar. lib. de amore Dei, cap. 4, nuper citato : ubi loquens cum Deo de divino amore sic inquit : *Hoc est amare tuum, quod tu amas te amantes a dulcedine bonitatis tuæ, quam habes ad creaturam tuam, amator Creator bone, inspirare eis hoc desiderium amandi te, et amorem, quo amant et desiderare te et amare te. Non enim afficeris ad nos, vel a nobis cum nos amas, sed est quod est qui semper id ipsum est, nos autem a te, ad te, et in te afficimur cum te amamus.* Ubi, ut constat, aperte distinguit amorem charitatis quo Deus nos amat, ab eo quo hos illum amamus, in hoc quod amor Dei erga nos est affectionis erga se ipsum, et propterea inquit amare nos a dulcedine bonitatis suæ ; et simul effectionis erga nos, quatenus vult et communicat nobis ipsum amorem, et alia bona quibus eum amamus. Cæterum amor charitatis, quo nos Deum amamus, ita procedit effective ab ipso, ut sit ad Deum, et in Deo, et ex affectu ipsius. Bern.

Unde idem Bernar. in Soliloquiis, num. 12, loquens cum Deo inquit : *Nunquam accidente, vel incidente amoris affectu amas quos amas, et aliquo afficeris qui omnes et omnia facis. Absit, absurdum est, procul est a fide, alienum ab omnium creatore. Quomodo ergo nos amas si nos amore non amas ?*

sed amor tuus bonitas tua est etc. amas itaque nos in quantum nos efficis tui amatores. Et tandem concludens ex dictis discrimen inter amorem Dei ad nos, et nostri ad Deum, ait : *Nos affectu, tu effectu unum nos in te efficiens.*

31. D. Thom. Quod etiam docuerunt, tum D. Thom. q. 23 de Veritat. art. 4 ad 13 : *Cum dicitur Deum velle aliquid, non significatur, illud aliquid inesse Deo, sed tantummodo importatur ordo ipsius Dei ad illius effectionem in propria natura.* Et 1 contra Gent. cap. 78 : *Voluntas Dei* (inquit) *ad alia comparatur in quantum bonitatem participant ex ordine ad bonitatem divinam, quæ est ratio volendi Deo.* Et in hoc art. : *Pertinet ad voluntatem divinam, ut bonum suum aliis per similitudinem communicet secundum quod possibile est. Sic igitur vult, et se esse et alia : sed se ut finem ; alia vero ut ad finem in quantum condecet divinam bonitatem, etiam alia ipsam participare.*

Durand. Capr. Carthus. Tum etiam Durand. in 1, dist. 45, q. 1 ad 2, Capreolus q. 1, art. 2 ad 2, contra 4 conclusionem, Carthusianus in 3, dist. 32, q. unic. sub finem : ubi cum D. Thom. sententiam retulisset, sic inquit : *His concordant Petrus et Ricardus et alii communiter, Durandus quoque et Scotus. Qui omnes, sicut et Alexander ac Antisiodoren. testantur, quod amor Dei ad creaturas non est proprie affectualis, seu affectivus, sed magis effectualis seu effectivus.* Quod etiam dis-

Bonav. ertis verbis asseruit Bonav. inquiens : *Deus non dicitur creaturas diligere ratione affectionis, sed ratione communicationis alicujus boni : ita quod dilectio Dei potius dicitur esse dilectio effectus quam affectus.* Et alii plures.

32. Ratio autem hujus notabilis traditur, tum a Bonav. loco cit. ex 3 sent. his verbis : *Nam amor divinus non est amor affectionis inclinans ad alterum, sed potius alia inclinans et trahens ad se ipsum,* nempe ad Deum. Tum etiam Alensis loco citato dicens : *Amor enim, qui est affectio transformat quodammodo amantem in amatum.* Quare cum de ratione summi et supremi boni ac ultimi finis omnium sit, quod neque ipse, neque aliquis ejus actus inclinetur et ordinetur ad id, cujus ipse est finis ultimus, sed potius omnia inclinet, trahat, et ordinet ad se ipsum, ac proinde quod non transformetur in ea, quorum est finis ultimus, sed illa in se ipsum quodammodo transformet, inde est, amorem Dei erga creaturas non esse affectionis proprie et rigore loquendo, sed effectionis, in quantum communicat eis sua bona per quæ trahit, et inclinat illas ad se.

Deducitur ex dictis prior ratio assertionis. Hinc ergo sequens deducitur ratio pro assertione. Nam amor et volitio Dei erga creaturas, non est amor affectualis erga illas, sed effectualis erga ipsas et affectualis erga Deum : igitur objectum formale motivum et terminativum prædicti amoris, tantum erit divina bonitas. Patet conseq. Quia ad hoc, ut creaturæ possint habere rationem objecti formalis motivi, aut terminativi respectu amoris, sive volitionis divinæ, requiritur ut dilectio et volitio Dei erga illas esset affectualis, ita ut divina voluntas ex affectu ad illas in eas tenderet, et ab earum bonitate ad ipsas moveretur, et volendo illas in eas inclinaretur et ordinaretur, ac tandem in easdem quodammodo transformaretur.

§ IV.

Fundamentum secundum pro sententia D. Thomæ et aliorum Patrum.

33. Secunda ratio assertionis. Secundo et principaliter probatur assertio. Quoniam bonitas divina est objectum simpliciter, imo et omnibus modis primarium voluntatis, seu volitionis divinæ : ergo erit objectum formale adæquatum, sive motivum, sive terminativum ejusdem quoad entitatem et perfectionem suam : ergo etiam quoad terminationem ad creaturas.

Multiplex probatio antecedentis. Antecedens, in quo præcipue est difficultas, suadetur. Tum, quia non habere re ipsa vim sufficientem ad hoc, ut sit objectum per se primo terminans et quasi dans *esse* divinæ voluntati, esset imperfectio in bonitate divina in ratione objecti, ac proinde non esset in ratione volibilis infinita. Tum etiam (id quod ex præcedenti sequitur) quia alioqui jam non esset divina bonitas primum volibile, nec prima bonitas, nec tandem primum ens. Patet consequentia. Quia solum objectum omnibus modis per se primum voluntatis est volitum ratione sui, et ratio volendi cætera alia, ac proinde est primum volibile : si ergo aliquid aliud a divina bonitate esset objectum omnibus modis per se primum voluntatis ejus, non posset ipsa esse primum volibile, et consequenter nec prima bonitas, aut primum ens : quandoquidem primum volibile coïncidit cum prima bonitate, et prima bonitas cum primo ente.

34. Tum denique. Quia ut jam innuimus sola divina veritas sive entitas, et bonitas habent summam commensurationem in ratione

tione objecti tam cum intellectione, quam cum volitione increata. Nam sicuti hi duo actus sunt purissimi et ab omni potentialitate liberi ac proinde omni modo excogitabili perfectissimi, ita divina essentia ut vera et ut bona veritate ac bonitate divina habet hoc ipsum : secus vero entitas aut bonitas in communi; quippe quæ solum in potentia et in confuso continet omnem rationem entitatis et bonitatis. Constat autem quōd solummodo inter objectum omnibus modis per se primum et potentiam, est summa commensuratio.

uade- prior onse- ientia. Ex quo prima consequentia ejusdem primi et præcipui enthymematis facile ostenditur. Quia objectum omnino per se primum alicujus actus debet esse objectum formale et adæquatum tam motivum quam terminativum illius quoad ejus entitatem et perfectionem, quia hoc solummodo sic movet, et terminat ratione sui, cætera vero ratione ipsius : alioqui adæquatum non esset.

obatio cundæ onse- uentiæ. Ex quo etiam ultima consequentia satis liquet. Supponendo tamen priūs quod divina volitio non terminatur ad creaturas, nisi ut ad objecta materialia, aut simpliciter secundaria. Quoniam ut tractatu 3, disp. 3, late diximus, non aliter divina scientia circa illas versatur, et quoad hoc par est ratio de volitione et intellectione increata; et ideo D. Thom. in hoc art. dixit, quod sicut Deus alia a se intelligit intelligendo essentiam suam, ita alia a se vult volendo bonitatem suam.

35. Hinc ergo prædicta consequentiā satis constat. Quoniam terminatio alicujus actus ad objectum materiale ut ad objectum secundarium est sub eadem ratione formali, sub qua terminatur ad primarium, ut patet quoad objectum materiale in terminatione omnium scientiarum quoad sua objecta materialia, et quoad objectum secundarium cernitur in habitu charitatis : qui sub eadem ratione divinæ bonitatis terminatur ad Deum ut ad objectum primarium, et ad proximum ut ad secundarium : alioqui ut terminata ad proximum non esset virtus Theologica; quippe quæ non respiceret immediate Deum : ergo sicut divina volitio prout terminatur ad objectum primarium et formale, scilicet divinam bonitatem, non solum movetur et allicitur ab illa, sed etiam loquendo de terminatione ipsa, per se primo tendit ad eam, ut ex se patet, ita eadem volitio respectu creaturarum hoc ipsum habet : ac proinde bonitas Dei erit adæquata ratio formalis tam motiva quam terminativa volitionis Dei ad creaturas, sive secundum suum *esse* sive secundum terminationem consideratæ.

§ V.

Respondetur ad argumenta aliarum sententiarum.

Ad primum ergo primæ sententiæ occurritur, distinguendo pro nunc primum consequens : *Præter divinam bonitatem*, ut peculiariter specificat actum charitatis sui, concedendum est : *Præter divinam bonitatem*, quovis modo sumptam, negandum est. Et ideo simpliciter neganda est secunda consequentia. Explicatur hoc. Bonitas Dei aliter specificat charitatem erga se, et aliter virtutem justitiæ. Etenim charitas tendit formaliter ad divinam bonitatem prout est in se ipsa, volendo Deo totam illam propter se ipsum et omnino ultimate, ac modo insinuato ex vi propriæ lineæ in ipso secundum hanc rationem sistendo : id quod non obscure ex iis, quæ in charitate participata cernimus colligere licet. Cæterum virtus justitiæ tendit saltem ex vi propriæ lineæ in eamdem divinam bonitatem quasi magis contractim, prout nimirum est prima regula et mensura bonitatis proportionalis repertæ in justitia nostra, et in objecto justo illam specificante. Quoniam in hoc distinguitur volitio, seu virtus aliqua moralis creata ab increata, quod illa, quippe imperfecta, comparatur cum bonitate objectiva creata tanquam mensurabile cum mensura : et ideo ab ea capit speciem, ad illamque relatione non mutua mensurabilis ad mensuram refertur. At virtus et volitio bonitasque per essentiam conferentur cum volitione et virtutibus moralibus, nec non cum bonitate objectiva participatis et creatis tanquam mensura cum mensurabili : quia eatenus tam actus bonus moraliter, quam bonitas objectiva moralis habent propriam bonitatem, quatenus concordant cum volitione Dei, cum ejus virtutibus, ac tandem cum divina bonitate, tanquam cum mensura propria earum. Et ideo objectum formale specificans, semper est divina bonitas diversimode accepta, idest, prout est mensura illius peculiaris bonitatis creatæ, quam talis virtus per modum objecti formalis in creaturis respicit.

36. Ad primum primæ sententiæ.

Adde, et explicabitur magis hoc ipsum, 37.

Additamentum. quod cum divina bonitas sit in se eminentissima, et eminentissimo modo æquivalens omni bonitati creatæ, potest ipsa esse ratio miserendi, et puniendi, fidelitatem servandi, et se ipsam amandi, necnon et creaturas. Unde quatenus est ratio miserendi specificat virtutem misericordiæ, et quatenus est ratio fidelitatem servandi, aut puniendi, tribuit speciem fidelitatis et justitiæ punitivæ. Et ratio est aperta ex dictis. Nam cum in Deo non sit amor aut volitio affectionis erga creaturas, sed effectionis erga illas, et adhuc in ista ratione includatur, ut sit affectionis erga Deum, oportet ut eatenus dicatur esse in ea actus v. g. justitiæ, quatenus efficit ad extra justum ex affectu ad Deum et divinam bonitatem, non utcumque sumptam, sed ut est forma eminentissima æquivalens bonitati creatæ specificanti actum justitiæ creatæ : ac proinde, ut est Deo ratio justum ad extra faciendi : et sic de aliis virtutibus. Per quæ patet ad confirmationem.

38. Ad secundum. D.Thom. Ad secundum neganda est minor. Et ad probationem concedendum est antecedens, juxta ea, quæ D. Thom. docet 2, 2, q. 23, art. 1, et neganda consequentia. Et ad probationem distinguendum est antecedens quoad ultimam illius partem : *Propter se ipsum*, et juxta ipsius naturam ac commensurate ad regulas, quas ratio intrinseca honestatis postulat, concedendum est : *Propter se ipsum*, et non juxta ipsius naturam, nec commensurate ad regulas intrinsece petitas ad honestatem talis amicitiæ, negandum est. Et ideo simpliciter neganda est consequentia.

Explicatur. Explicatur hoc. Ratio amicitiæ, si vera amicitia est, intrinsece petit esse honestam, et esse ad alterum. Unde sicut prout honesta est, debet esse juxta regulas honestatis, ita qua ratione ad alterum, respicit illum accommodate ad illius naturam, et secundum quod ipse ex natura sua debet respici. Quia ergo licet non sit contra naturam creaturæ intellectualis, aut honestatis regulas : quod alia bona creata ordinentur a divina voluntate ad eamdem creaturam intellectualem, ut ad finem proximum; bene tamen, vel quod ordinentur ad eamdem, ut ad finem ultimum, quia jam a creatore ratio ultimi finis auferretur; vel quod sit finis proximus divinæ volitionis et voluntatis propter rationes supra factas : ideo ratio amicitiæ, qua Deus hominem prosequitur, quaque vult illi bonum propter ipsum, non petit; ut bona illa sint volita eidem propter ipsum tanquam propter ultimum finem (alioqui non esset amicitia honesta, ac proinde nec Deo digna) aut propter ipsum tanquam propter finem proximum volitionis : quia jam non respiceretur amicus accommodate ad suam naturam, sed solum propter ipsum, quatenus bona volita ordinantur a divina bonitate ad illum tanquam ad finem proximum eorumdem. Sicut e contrario : quia Deus est volibilis omnino propter se ipsum et ut ultimus finis, hocque tam ex natura sua, quam secundum regulas honestatis petit, ideo ut redametur amore amicitiæ, necesse est ut omnino propter se ipsum diligatur. Unde merito Arist. 9 Ethic. c. 10 innuit, quod amicitia, quæ est ex parte Dei ad creaturas, non potuit esse cum æqualitate propter divinam eminentiam : quia ratione illius petit, ut non sit ordinabilis ad alterum, ut ad finem : ac proinde quod implicet esse aliquid extra ipsum, quod possit esse illius finis, et volitionem ejus specificans. Arist.

39. Elucidatur amplius. Et explicari potest tota hæc solutio. Tum in amore charitatis supernaturalis, qua diligimus proximos, quæque veræ amicitiæ rationem induit; et tamen respectu hujus amoris, nec proximus habet rationem finis ultimi, imo nec finis proximi et immediati per se primo inspecti : quia contra rationem actus virtutis theologalis est, ut terminetur immediate et formaliter ad alium præterquam ad Deum.

Tum etiam ex dictis in hoc dub. a num. 29 usque ad 33. Nam licet demus, quod amor amicitiæ, quæ est simul effectionis et affectionis erga unam et eamdem personam, possit esse propter illam et ejus bonitatem tanquam propter rationem formalem volendi; non tamen id est necessarium, sed potius repugnat in amore amicitiæ, qui præcise est effectionis erga unam personam, et affectionis erga aliam, ex eo quod diligens ob sui eminentiam non potest nisi a sua bonitate moveri, aut in suis actibus ab alio extrinseco specificari etc. Tunc enim satis quoad hoc erit, quod bona alia volita (de quibus statim) ordinet in utilitatem amici dum ea illi communicat.

40. Objectio Nec refert si objicias, quod Deus vult creaturis irrationalibus plura bona ordinando illa in easdem creaturas, et nihilominus non ob id vult eas amore amicitiæ : ergo ad rationem amoris amicitiæ non sufficit velle hoc modo alicui bonum propter se ipsum.

Solutio. Non itaque hoc refert. Quoniam nec vult

vult illis potiora bona, quæ ipse habet, nec creaturæ irrationales sunt capaces redamandi Deum. Quæ duo sunt necessario requisita ad amorem amicitiæ. Unde ad summum possunt a Deo amari aliquali amore benevolentiæ, quatenus potest aliqua bona ad easdem ordinare.

Ad quæ in secundo argumento ducentur.

Ex quo etiam ad omnia adducta in hoc secundo argumento, quatenus sunt contra nos, satis patet. Quamvis ad illud de magnificentia et liberalitate divina addi possit, quod Deum agere propter se, ut finem stat dupliciter. Uno modo propter se perficiendum, aut nobilitandum : alio vero, quia sic decet suam bonitatem. Licet ergo daremus, eum qui agit propter se primo modo, non esse liberalem; non tamen idem esset dicendum de illo qui propter se secundo modo operatur, quamvis inde ei honor accresceret. Deus autem non agit propter se primo modo, sed ultimo, scilicet quia sic decet suam bonitatem. Ut docet D. Thom. in præsenti in fine corporis: et colligitur ex eodem 2, 2, q. de virtute liberalitatis. Unde semper salvatur id, quod S. Doctor infra q. 21, art. 3, docet, scilicet Deum esse liberalem, quia non tribuit rebus suas perfectiones propter utilitatem divinam, sed solum propter suam bonitatem.

11. Ad tium.

Ad tertium respondetur, Deum non esse objectum suæ dilectionis, præcise quia est bonus ut sic, ita ut hæc sit ratio formalis *sub qua* talis amoris ; sed quia bonus bonitate divina, et modo jam insinuato. Unde ratio communior non est ratio specificans, nisi quando ut talis formalissime respicitur. Sicut licet per habitum Theologiæ cognoscamus tam Deum, quam creaturas, et rationem ab utroque abstrahentem; nihilominus solus Deus est objectum adæquatum formale respectu Theologiæ.

Ad ndamntum undæ ntentiæ tenus ontra nos.

Ad fundamentum secundæ sententiæ quoad secundam partem (quoad primam enim potius pro nobis, quam contra nos est) patet ex dictis. Nam ad hoc ut bonitas divina sit ratio formalis terminativa adæquata, sat est quod licet voluntas Dei terminetur ultra ad creaturas : attamen ratio formalis terminandi sit divina bonitas, ut re vera est : quandoquidem ut jam ostendimus, bonitas divina est objectum formale omnibus modis per se primum suæ voluntatis, et ita hæc nequit terminari ad aliquid, nisi sub hac formali ratione : alioqui talis bonitas non esset objectum omnibus modis per se primum respectu illius.

42. Ad primum tertiæ sententiæ quoad primam partem.

Ex quo etiam ad fundamenta tertiæ sententiæ quoad primam ejus partem (quoad secundam enim non est contra nos) satis constat. Nam ad primum dicimus, quod transeat pro nunc antecedens, sed neganda est conseq. Et ad primam probationem respondetur, hoc quod est terminationem volitionis divinæ ad creaturas non posse esse in ordine ad illas tanquam ad objectum formale, et per se primum, non oriri necessario ex infinita perfectione ejusdem terminationis quoad omnia quæ includit et connotat; sed posse oriri ex eo quod talis terminatio essentialiter, et indispensabiliter est in ordine ad objectum secundarium, aut materiale divinæ voluntatis : ac proinde eadem voluntas debet tendere in easdem creaturas sub eadem ratione formali, sub qua ad objectum primarium tendit, ut in virtutibus, et habitibus creatis, respicientibus tam objecta materialia et secundaria, quam etiam objectum formale, cernere licet. Diximus : *Quod transeat pro nunc antecedens* propter illa, quæ sequenti art. dicemus.

Et deinde ad secundam probationem negandum est antecedens. Nam licet volitio libera Dei non possit terminari ad divinam bonitatem seorsum sumptam ; non tamen inde fit terminari ut ad objectum formale ad bonitatem creaturarum : quia talis volitio terminatur ad bonitatem divinam, ut est ratio volendi creaturas, et ad creaturas ut volitas ratione ejusdem bonitatis, ita ut nequeat ad unum sine alio terminari.

43. Ad secundum.

Ad secundum quod est ultimum pro ea lem priori parte hujus sententiæ, dicendum est, Deum non operari ad extra per actionem formaliter transeuntem. Gratis tamen hoc concesso, respondetur concedendo antecedens, et negando consequentiam. Ad probationem, quod ut actio exterior sit propter finem, sufficit quod a voluntate dirigatur in ipsum, idest, quod voluntas divina velit, ut finis ille sit finis actionis externæ ; non tamen est necesse, quod talis finis sit finis volitionis : quia voluntas potest ob alium finem omnino immediatum velle totum illud. Sicut cum quis alit equum propter proprium sui commodum, vult cibum illum ordinare ad alimentum equi ; non tamen alimentum illud est finis suæ volitionis : quia totum hoc ordinat immediate ad proprium commodum. Ita ergo de voluntate divina (debita tamen proportione servata) philosophandum est.

ARTICULUS III.

Utrum quidquid Deus vult, ex necessitate velit?

1, disp. 43, q. 2. per totam, et dist. 47, a. 1, et 1 con. c. 80, 81, 82, 83 et 89, fin. et lib. 2, c. 27, fin. et lib. 3. c. 97, co. 3, et verit. q. 23, a. 4, et pot. q. 3, art. 1.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod quidquid Deus vult, ex necessitate velit. Omne enim æternum est necessarium : sed quidquid Deus vult, ab æterno vult, alias voluntas ejus esset mutabilis : ergo quidquid vult, ex necessitate vult.

2 Præterea, Deus vult alia a se in quantum vult bonitatem suam : sed Deus bonitatem suam ex necessitate vult : ergo alia a se ex necessitate vult.

3 Præterea, quidquid est Deo naturale, est necessarium : quia Deus est per se necesse esse, et principium omnis necessitatis, ut supra ostensum est : sed naturale est ei velle quidquid vult, quia in Deo nihil potest esse præter naturam, ut dicitur in quinto Metaphys. : ergo quidquid vult, ex necessitate vult.

4 Præterea, non necesse esse, et possibile non esse æquipollent. Si igitur non necesse est, Deum velle aliquid eorum, quæ vult, possibile est etiam eum non velle illud, et possibile est eum velle illud, quod non vult : ergo voluntas divina est contingens ad utrumlibet, et sic imperfecta, quia omne contingens est imperfectum, et mutabile.

÷ 2. Physic. text. 48.

5 Præterea, ab eo, quod est ad utrumlibet, non sequitur aliqua actio, nisi ab aliquo alio inclinetur ad unum, ut dicit Comment. in 2 Physic. ÷ si ergo voluntas Dei in aliquibus se habet ad utrumlibet, sequitur quod ab aliquo alio determinetur ad effectum : et sic habet aliquam causam priorem.

6 Præterea, quidquid Deus scit, ex necessitate scit : sed sicut scientia divina est ejus essentia, ita voluntas divina ; ergo quidquid Deus vult, ex necessitate vult.

Sed contra est quod dicit Apostol. Ephes. 1 : Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ. Quod autem operamur ex consilio voluntatis, non ex necessitate volumus, non ergo quidquid Deus vult, ex necessitate vult.

Respondeo dicendum, quod necessarium dicitur aliquid dupliciter, scilicet absolute, et ex suppositione. Necessarium absolute judicatur aliquid ex habitudine terminorum, utpote quia prædicatum est in diffinitione subjecti, sicut necessarium est hominem esse animal, vel quia subjectum est de ratione prædicati, sicut hoc est necessarium, numerum esse parem vel imparem, sic autem non est necessarium Socratem sedere. Unde non est necessarium absolute, sed potest dici necessarium ex suppositione. Supposito enim quod sedeat, necesse est eum sedere dum sedet.

Circa divina igitur volita hoc considerandum est, quod aliquid Deum velle est necessarium absolute, non tamen hoc est verum de omnibus quæ vult. Voluntas enim divina necessariam habitudinem habet ad bonitatem suam, quæ est proprium ejus objectum. Unde bonitatem suam esse, Deus ex necessitate vult, sicut et voluntas nostra ex necessitate vult beatitudinem. Sicut et quælibet alia potentia necessariam habitudinem habet ad proprium, et principale objectum, ut visus ad colorem, quia de sui ratione est, ut in illud tendat. Alia autem a se Deus vult in quantum ordinantur ad suam bonitatem, ut in finem. Ea autem, quæ sunt ad finem, non ex necessitate volumus volentes finem, nisi sint talia, sine quibus finis esse non potest : sicut volumus cibum volentes conservationem vitæ, et navem volentes transfretare. Non sic autem ex necessitate volumus ea, sine quibus finis esse potest, sicut equum ad ambulandum, quia sine hoc possumus ire : et eadem ratio est in aliis. Unde cum bonitas Dei sit perfecta, et esse possit sine aliis, cum nihil ei perfectionis ex aliis accrescat, sequitur quod alia a se eum velle non sit necessarium absolute, et tamen necessarium est ex suppositione. Supposito enim quod velit, non potest non velle : quia non potest voluntas ejus mutari.

Ad primum ergo dicendum, quod ex hoc quod Deus vult ab æterno quidquid vult, non sequitur quod necesse est eum illud velle, nisi ex suppositione.

Ad secundum dicendum, quod licet Deus ex necessitate velit bonitatem suam, non tamen ex necessitate vult ea, quæ vult propter bonitatem suam : quia bonitas ejus potest esse sine aliis.

Ad tertium dicendum, quod non est naturale Deo velle aliquid aliorum, quæ non ex necessitate vult : neque tamen innaturale, aut contra naturam, sed est voluntarium.

Ad quartum dicendum, quod aliquando aliqua causa necessaria habet non necessariam habitudinem ad aliquem effectum : quod est propter defectum effectus, et non propter defectum causæ. Sicut virtus solis habet non necessariam habitudinem ad aliquid eorum, quæ contingenter hîc eveniunt, non propter defectum virtutis solaris, sed propter defectum effectus non necessario ex causa provenientis. Et similiter quod Deus non ex necessitate velit aliquid eorum, quæ vult, non accidit ex defectu voluntatis divinæ, sed ex defectu, qui competit volito secundum suam rationem : quia scilicet est tale, ut sine eo esse possit perfecta bonitas Dei. Qui quidem defectus consequitur omne bonum creatum.

Ad quintum ergo dicendum, quod causa, quæ est ex se contingens, oportet quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum : sed voluntas divina, quæ ex se necessitatem habet, determinat se ipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam.

Ad sextum dicendum, quod sicut divinum esse in se est necessarium, ita et divinum velle, et divinum scire. Sed divinum scire habet necessariam habitudinem ad scita, non autem divinum velle ad volita : quod ideo est, quia scientia habetur de rebus secundum quod sunt in sciente, voluntas autem comparatur ad res secundum quod sunt in se ipsis. Quia igitur omnia alia habent necessarium esse secundum quod sunt in Deo, non autem secundum quod sunt in se ipsis, habent necessitatem absolutam, ita quod sint per se ipsa necessaria, propter hoc Deus quæcumque scit, ex necessitate scit : non autem quæcumque vult, ex necessitate vult.

Prima conclusio : Deus vult necessario suam infinitam bonitatem.

Secunda conclusio : Deus libere simpliciter vult quamvis creaturam.

Tertia conclusio : Deus vult necessario necessitate suppositionis aliquas creaturas, illas nimirum, quas ab æterno voluit.

DISPUTATIO IV.

De necessitate, et quidditate volitionis Dei erga se ipsum.

Postquam cum D. Thoma explicuimus dari in Deo voluntatem, et volitionem sui, et creaturarum, oportet declarare, an talis volitio necessario terminetur ad ipsum Deum? ut ita ex hoc modo tendendi divinæ volitionis in illum, melius ejus natura pateat. Et deinde proximius ad illius quidditatem accedendo explicare conabimur, an talis volitio necessaria sit in Deo per modum amoris proprie dicti? an vero præcise per modum gaudii de propriis bonis? 1.

DUBIUM I.

Utrum Deus necessario velit bonitatem suam?

Pro tituli intelligentia notandum est, duplicem necessitatem posse esse in voluntate in ordine ad suum objectum. Scilicet vel quoad specificationem, et exercitium simul, vel quoad specificationem præcise. Explicatio tituli.

Prima

Prima est necessitas simpliciter, et omnibus modis : quia voluntas ex vi illius non solum dicit necessariam habitudinem ad proprium objectum, verum etiam non potest nón esse in actuali exercitio respectu
.Thom ejusdem. Quo pacto, juxta D. Thomam in fra quæst. 60, art. 3, Angelus necessario diligit propriam substantiam : quia ejus voluntas dicit necessariam habitudinem ad illam, nec potest a dilectione ipsius cessare.

2. Secunda vero necessitas non est ita stricta. Quia licet ex vi illius habeat voluntas necessariam connexionem cum suo objecto, quatenus si semel elicit actum, debet necessario esse circa illud (quia nequit extendi extra suum formale, et adæquatum objectum) vel debet esse actus hujus speciei et non alterius; nihilominus exercitium actus non est necessarium, sed potest ab illo abstinere, ut in voluntate nostra respectu boni, seu beatitudinis in communi cernere licet. Quia non semper sumus in actuali volitione illius, et tamen si elicituri sumus actum, debet esse circa illam saltim tanquam circa objectum formale : imo si circa illam secundum se sumptum versaturi sumus, debet esse per actum volitionis seu amoris; non vero nolitionis aut odii.

3. Quare cum necessitas opponatur libertati, ideo duplex libertatis genus debet assignari, quod debito modo duplici illi necessitatis generi opponatur. Primum libertas quoad specificationem, et quoad exercitium simul. Secundum vero libertas quoad exercitium præcise. Primum membrum importat libertatem, tam quoad speciem actus, quam quoad exercitium illius, ita ut voluntas possit abstinere ab actu seu exercitio ejus : et licet illum eliciat, nihilominus potest elicere actum ejus speciei, quam maluerit. Quo pacto voluntas nostra circa bona particularia, in quibus aliqua malitiæ ratio relucet, se habet : quia circa illa non necessario versatur : et licet aliquando versetur, nihilominus potest vel velle, vel odio prosequi ipsa. At secundum membrum, scilicet libertas præcise quoad exercitium importat libertatem solummodo quoad exercitium actus, quatenus etsi voluntas possit abstinere ab illo, attamen si semel actum elicitura est, debet esse actus v. g. amoris et non odii. Titulus ergo dubii de necessitate perfectissima, nimirum tam quoad speciem, quam quoad exercitium, ac proinde quodvis libertatis genus excludente, debet intelligi.

§ 1.

Rationes dubitandi pro parte negativa.

Partem vero negantem suadere videntur hæc argumenta. Primum est, quod si Deus vult necessario se ipsum, debet etiam necessario velle quamvis perfectionem suam : sed hoc repugnat : ergo, etc. Major patet. Quoniam quælibet illius perfectio pertinet ita intrinsece ad Deum, ut sine illa consistere nequeat : at hoc ipso quod quis necessitate absoluta velit aliquid, debet etiam necessario velle ea, sine quibus talis res esse nequit. Minor vero probatur. Quia quodlibet ex attributis, etiam si consideretur ut quasi integrat perfectionem (ut sic dicamus) totalem Dei, non importat omnimodam rationem boni, sed ad summum bonitatem infinitam in suo genere : quod potissime de divinis relationibus dicendum videtur, ex eo quod quævis illarum solum in genere relationis est infinita : at sola ratio summi, et omnimodi boni potest voluntatem Dei necessitare, tum quia ipsamet carentia bonitatis, et perfectionis in cæteris generibus, habet rationem mali, sicut et bonitas opposita est omnimode bona : tum etiam, quia ob hanc rationem licet meritum Christi Domini sit infinitum in genere meriti, non tamen necessario a Deo diligitur, alioqui non potuisset non esse. 4. Prior dubitandi ratio.

Nec satis erit si dixeris, quodlibet attributum esse non solum in proprio genere, sed etiam in genere entis infinitum : ex eo quod includit divinam essentiam per modum transcendentis, quæ omnimode infinita est. 5. Solutio.

Nam contra hoc urget, quod hinc solum fit attributa divina esse quasi materialiter et identice, non vero formaliter infinita in tota latitudine entis : ergo si secundum se, et formaliter considerentur, non debebunt necessario amari. Antecedens patet. Nam id præstat illis formaliter divina essentia per modum transcendentis, quod ex vi propriæ lineæ petunt : cætera enim hoc ipso quod sint extra propriam lineam debent esse identica et materialia : at voluntas v. g. ex vi propriæ lineæ tantum petit infinitatem in genere volendi, alioqui ex vi processionis per voluntatem communicaretur Spiritui Sancto tota perfectio Dei : ergo, etc. Impugnatio.

Secundo. Operari absque dominio actus dicit intrinsece imperfectionem : sed operari omnino necessario, est operari absque 6. Secunda

dominio actus, ut ex se patere videtur : ergo est operari imperfecte : ergo hic modus operationis vitalis non potest tribui divinæ voluntati. Major patet. Quia operari cum dominio dicit maximam perfectionem : et ideo hunc operandi modum tribuimus creaturis intellectualibus ratione suæ perfectionis : ergo e contra operari sine dominio intrinsece involvit imperfectionem. Unde hoc operandi genus rebus inanimatis, aut cognitione intellectuali carentibus, ratione suæ imperfectionis damus, ita ut implicet eas cum dominio actus operari.

7. Tertia. Tertiò. Ideo voluntas creata habet necessitatem quoad specificationem, et libertatem quoad exercitium respectu sui objecti specificantis, scilicet boni in communi, quia simul retinet rationem naturæ, et rationem voluntatis, seu libertatis : sed hæc ratio procedit etiam in divina voluntate : ergo etiam respectu sui objecti quasi specificantis, scilicet bonitatis divinæ habebit necessitatem quoad specificationem, una cum libertate quoad exercitium. Major videtur certa. Nam ex quo capite voluntas est natura, non potest non aliquam necessitatem respectu sui objecti habere : quia natura est determinata ad unum, et ita ad minus primum necessitatis genus, scilicet præcise quoad specificationem, eidem conveniet : et ex qua parte est voluntas seu est libera, debet aliqua libertas respectu ejusdem objecti illi competere, et consequenter libertas quoad exercitium : quia semel posita necessitate quoad specificationem non superest aliud libertatis genus. Et tandem ex quo capite est essentialiter respectiva in ordine ad suum objectum, non potest non hæc omnia ab illo desumere.

Minor vero etiam constat. Quia ratio naturæ, et libertatis saltim quasi in actu primo dicunt perfectionem simpliciter : ergo non potest non utraque ratio in Deo reperiri, ut communiter docent Theologi, ac proinde par erit ratio quoad hoc in voluntate creata, et divina.

Corroboratur. Confirmatur. Nam licet gratis daremus, quod in voluntate creata ratio voluntatis seu libertatis ut talis est, non exercetur respectu sui objecti specificantis, nihilominus deberet oppositum in divina voluntate dici : quia cum ipsa ut libertatem habet, dicat infinitam perfectionem, maxime si consideretur libertas quasi per modum actus primi, non potest aliunde, quam ex bonitate divina hanc perfectionem desumere, ac proinde exercebit actus seu terminationes liberas, libertate saltim quoad exercitium respectu illius.

8. Quarta. Quarto. Deus non odit necessario peccatum, ita ut necessario velit, ipsum non esse : ergo nec necessario vult suam bonitatem esse. Antecedens patet. Quia alioqui implicaret esse peccatum : nam voluntati ejus quis resistet? Conseq. vero probatur. Nam peccatum opponitur divinæ bonitati, et quantum est de se destruit eam : ergo si Deus non vult necessario non esse peccatum, nec vult necessario bonitatem suam : quandoquidem eadem necessitate qua quis amat aliquid odit malum eidem oppositum. Et ideo, quia nos necessario necessitate quoad specificationem amamus bonum in communi, eo lem necessitatis genere odio prosequimur malum generatim sumptum ; et quia beati necessario amant visionem beatificam, ideo etiam necessariò odio habent carentiam illius.

9. Ultima. Tandem. Si ob aliquam rationem Deus ita necessario se ipsum diligeret, ut non posset a sui dilectione cessare, maxime quia alioqui posset intrinsece mutari : at hæc ratio est nulla : ergo, etc. Major ex se patet, et insuper amplius sic declaratur. Quia impossibile est, ut idem Deus eodem modo se habens, nunc diligat se ipsum, non vero postea : nam si semper eodem modo comparatur ad se ipsum, vel semper et necessario, vel nunquam se diliget : ergo ut posset nunc se diligere, non vero postea, et e contra, oportet ut aliter se habeat modo, quam antea, ac proinde mutetur. Minor autem etiam constat. Nam Deus eodem modo immutatus omnino manens, nunc vult creaturas, et tamen potuit absque sui mutatione non diligere illas : ergo etiam eodem modo se habens, posset modo velle se ipsum, et potuisset a sui volitione cessare : ergo, etc.

10. Evasio. Nec refert si dixeris esse disparem rationem. Nam quamvis ad diversam novamque denominationem volendi desideretur aliqua mutatio, non tamen necesse est illam inveniri in utroque extremo, sed sufficit quod in uno reperiatur : cumque in volitione divina terminata ad creaturas possit inveniri mutatio ex parte ipsarum, ideo Deus absque sui mutatione potest denuo libere velle illas : at cum in volitione sui ipsemet sit utrunque extremum volens et volitum, et in nullo ex his extremis queat esse mutatio, fit inde, ut non possit in eo esse nova denominatio libere volentis se ipsum, vel si hæc est, non poterit non

De..s

Deus vel ut est volens, vel ut est volitum mutari.

ersio. Non itaque hoc refert. Nam cum dicitur, quod ad denominationem volentis libere desideratur, et sufficit aliqua mutatio ex parte alicujus extremi, vel fit sermo de mutatione latius sumpta proveniente a forma, seu denominatione extrinseca, vel de mutatione stricte, quæ oritur ex adventu novæ formæ intrinsecæ. Si primum, ergo cum Deo non repugnet talis mutatio, quia revera non est mutatio, sed extrinseca sola denominatio, ut ex se constat, fiet inde, quod potuerit cessare a dilectione sui per hoc præcise quod novam denominationem extrinsecam a voluntate sua prodeuntem denuo habuisset. Secundum vero dici nequit. Nam Deus absque tali mutatione sui, vel creaturarum potuit positive nolle existentiam illarum creaturarum, quas de facto producere decrevit : quandoquidem ex vi hujus nolitionis tantum haberent supra suum *esse* possibile denominationem extrinsecam non futurarum, et Deus ipse nihil amplius reale haberet, quam modo habet : ergo, etc.

§ II.

Vera et catholica sententia.

11. ɔæclu- sio. Dicendum tamen est, Deum necessario necessitate quoad specificationem, et exercitium simul diligere bonitatem suam. Hæc est de fide : quia ex ea constat Spiritum Sanctum omnino necessario procedere a Patre et Filio : at procedit per volitionem, qua Pater et Filius se mutuo diligunt. Accedit, quia Deus est beatus per essentiam juxta illud 1 ad Timoth. 6 : *Solus Deus est beatus*, idest per essentiam, ac proinde necessario omnibus modis : at ad beatitudinem desideratur necessario amor et fruitio : ergo, etc.

Thi- oth.

atio nclu- onis. Thom. Deinde probatur ratione D. Thom. in hoc art. ad hanc formam redacta. Voluntas divina, et in universum quælibet alia potentia necessariam habet habitudinem ad suum proprium, et adæquatum objectum : ergo voluntas divina ex necessitate vult bonitatem Dei. Consequentia patet ex dictis dubii præcedentis. Quia proprium, et adæquatum objectum divinæ voluntatis, non est aliud præter immensum illud suæ boni- tatis pelagus. Antecedens autem probatur, tum exemplo, tum etiam ratione. Exemplo quidem. Nam ideo voluntas nostra vult necessario beatitudinem, quia est ejus proprium objectum : et similiter auditus ob hanc rationem necessario fertur in audibile. Ratione vero. Quoniam de ratione cujuslibet potentiæ est tendere in suum proprium objectum, ac proinde habitudinem necessariam ad illud dicit.

Confirmatur. Nam ut docet idem Doct. Ang. de Verit. q. 23, a. 4, voluntas natura quædam est, ac proinde naturalem, seu necessarium quemdam ordinem ad aliquid habet : quia quod tendit per modum naturæ in aliud, tendit naturaliter seu necessario in illud : at id, in quod per modum naturæ tendit, est suum proprium, et adæquatum objectum, quia ab illo habet suam specificationem : ergo necessario in illud tendet. 12. D.Thom.

Cæterum Cajetanus, Bannez, et Zumel in hoc art. et Ferrara 1 contra Gent. cap. 80 et 81, putant D. Thomam non intendere in hoc art. quod voluntas Dei tendat necessario, tam quoad specificationem, quam quoad exercitium simul, sed solum quoad specificationem in suam bonitatem : et ita ex vi sua rationem illius solum convincere necessitatem quoad specificationem, non vero quoad exercitium. Quibus etiam ex parte subscribit Vazquez quatenus ait, sanctum Doctorem intendisse probare utramque necessitatem, non tamen eam sufficienter probasse. Occurrunt Cajetan, Bannez, Zumel, Ferrara, Vazquez.

Potest autem solutio hæc quoad utramque partem suaderi. Quoad primam quidem, nempe D. Thom. solum intendere Deum necessario necessitate præcise quoad specificationem velle suam bonitatem, probatur ex titulo articuli. Non enim (ut subtiliter hic advertit Cajet.) quæsitum est, an Deus necessario velit quamcunque rem? sed an quidquid Deus vult, ex necessitate velit? Ubi manifeste actus volitionis supponitur, et de eo inquiritur, an sit necessarius? non quidem necessitate exercitii, alioqui idem fuisset ac si quæreretur, an semel dato quod habeat Deus exercitium volendi, necessario habeat illud? quod satis superque notum erat, cum omne quod est, ex suppositione quod est, necesse sit esse; sed an sit necessarium necessitate, quoad specificationem? idest, an si semel datur quod Deus habeat exercitium suæ voluntatis, debeat necessario ille actus esse actus amoris respectu cunctorum, quæ vult? an vero possit etiam esse actus alterius speciei v. g. odii? Quare ut conclusio, et conclusionis ratio respondeat titulo, debet de Suadetur præcedens solutio quoad 1 p.

eodem necessitatis genere intelligi.

13. Confirmatur. Et confirmari potest. Nam ex dictis a D. Thom. supra q. 3 satis constabat, Deum necessario quoad exercitium diligere se ipsum : ergo solum restabat ut necessitas quoad specificationem in hoc artic. ostenderetur. Conseq. patet, et antecedens probatur, et declaratur. Nam ex ibidem dictis constabat, Deum esse actum purum in omni genere, ac proinde necessario omnino esse in actuali volitione respectu alicujus objecti : at non respectu creaturarum, ut ex se patet, et ex dicendis in hoc art. magis patebit : ergo respectu divinæ bonitatis, maxime quia hæc est objectum formale adæquatum volitionis increatæ.

Eadem solutio quoad 2 p. suadetur Deinde quoad secundam partem, scilicet ex vi rationis S. Doct. non convinci nisi solum necessitatem quoad specificationem, sic suadetur. Nam ex eo, quod beatitudo ut sic, seu bonum in communi sit objectum adæquatum voluntatis creatæ, non recte infertur, eam necessitate quoad exercitium diligere illud, sed solum necessitate quoad specificationem, ut experientia constat. Et similiter ex eo quod auditus habeat pro objecto adæquato audibile, non bene colligitur esse semper in actuali auditione illius, ac proinde necessitari quoad exercitium in ordine ad ipsum.

14. Evertitur quoad priorem partem. Sed contra. Nam in primis D. Thom. revera locutus est de necessitate quoad specificationem, et exercitium simul, ut junioribus Thomistis placet. Tum quia id concedit voluntati divinæ quoad necessitatem quantum ad exercitium respectu suæ bonitatis, quod eidem respectu creaturarum denegat, ut ex corpore articuli patet : at respectu creaturarum denegat ei necessitatem simpliciter, quoad exercitium, quia solam necessitatem ex suppositione, modo tamen infra explicando, ipsi concedit : ergo hanc eamdem necessitatem tribuit prædictæ voluntati in ordine ad divinam bonitatem. Tum etiam : quia affirmat Deum diligere se ipsum absoluta necessitate; nomine autem absolutæ necessitatis non intelligitur sola necessitas quoad specificationem : hæc enim non excludit absolute libertatem, cum relinquat voluntatem liberam quoad exercitium.

Solvitur id quoad ex Cajet. adducebatur. Nec contra hoc obest id, quod Cajet. adducit. Nam licet semel supponatur in Deo actus, adhuc poterat inquiri (ut revera inquisitum est) an ille actus sit necessarius solum necessitate suppositionis? an vero necessitate simpliciter? Sicuti semel supposito in appetitu sensitivo motibus illius, dicimus illos non solum esse necessarios necessitate ex suppositione præsentialitatis, sed insuper necessitate simpliciter : et licet ex generali doctrina, quam S. Doct. sup. q. 3 de puritate et actualitate Dei tradiderat, sequatur ipsum semper debere esse in actuali dilectione sui; nihilominus congruum erat ut id in præsenti, ubi propriam sedem habet, ex propriis principiis ostenderet.

15. Rejicitur quoad posteriorem partem Deinde falsum est, ratione D. Thom. non convinci utramque necessitatem specificationis et exercitii. Etenim illud principium, quod in antecedenti assumitur, scilicet voluntatem, et quamlibet aliam potentiam, necessariam habere habitudinem ad suum proprium et principale, seu adæquatum objectum, est omnino verum de necessitate etiam quoad exercitium, quando potentia, et suum objectum formale sunt inter se in ratione objecti, et potentiæ intime unita et præsentia, nihilque vel extrinsecum adest, vel intrinsecum apparet in objecto, quod possit potentiam retardare. Unde principium illud in hoc sensu debet intelligi : et ideo si potentiæ auditivæ intime conjungatur suum objectum, nihilque adsit, quod illam impediat, ne prorumpat in actum auditionis, non poterit se ab exercitio illius cohibere : quia ab intrinseco est determinata ad hoc.

Et similiter si voluntati creatæ sit intime præsens sua beatitudo, nec quidquam appareat in illa, quod potentiam possit ratione difficultatum, quibus involvitur, retardare (qualiter in altera vita summum bonum, seu beatitudo objectiva nostra, scilicet Deus ipse mentibus beatis unitur, et sub omnimoda ratione boni, et absque omni ratione mali, quæ possit voluntatem ab exercitio coercere, proponitur) tunc necessarium omnibus modis erit voluntatem in suam beatitudinem, scilicet Deum ipsum clare visum ferri, ut late ostenditur 1, 2, q. 5, art. 4.

Quare cum voluntas divina per se ipsam immediate respiciat suum objectum, et hoc sit illi intime unitum, ac præsentissimum, quia est eadem formalitas realis cum illa, et adsint conditiones enumeratæ, ut ex se patet, necesse erit, ut eadem increata voluntas per innatam suam virtutem ita quasi rapide in bonitatem divinam feratur, ut non possit se ab exercitio cohibere.

Ex

16. Ad ea quæ pro secundæ solutionis parte adducuntur.

Ex quo satis patet adj objectionem desumptam ex exemplo auditus, imo etiam ad id, quod de voluntate nostra adducebatur. Nam ut recte fiat comparatio, non debet voluntas nostra conferri cum beatitudine viæ, seu cum bono in communi, sed cum beatitudine patriæ, scilicet Deo clare viso : quia beatitudo in hac vita non est objectum secundum se intime præsens, et unitum illi, et quatenus hic proponitur ut diligenda, semper habet, admixtam aliquam rationem mali, et difficultatis : quia ad minus ipsummet continuum exercitium diligendi est satis molestum, ne dicamus impossibile. Unde D. Thom. consulto dixit, quod voluntas nostra ex necessitate vult beatitudinem : quia nomen beatitudinis absolute sumptum, potius stat pro beatitudine patriæ, quam viæ.

Deducitur major confirmatio assertionis.

Imo et hinc major pro ratione S Doctoris sumitur confirmatio. Si namque beati, quia sunt in statu felicitatis participatæ, et secundum istam considerationem respiciunt summum illud bonum tanquam objectum adæquatum, formale tamen, eisdemque, licet finito modo, unitum, non possunt ab exercitio amandi illud se cohibere, quia ab intrinseco sunt ad hoc determinati, quo pacto Deus ipse, quippe per essentiam beatus, cuique sua summa bonitas est intime, et per essentiam per modum objecti formalis adæquati unita, poterit ab actuali sui amore desistere? aut quomodo ad exercitium hujus amoris non erit intrinsece determinatus?

§ III.

Solvuntur rationes initio adductæ.

17. Ad primum.

Ad primum in oppositum adductum neganda est minor. Et ad probationem bene respondetur ibidem. Ad impugnationem vero concedendum est antecedens, si sensus illius solum sit, quod habere totam perfectionem in genere entis, non conveniat cuilibet attributo v. g. voluntati ex vi propriæ lineæ, et præcise intra eam. Nam etsi voluntas divina ob generalem rationem entis divini petat imbibere totam perfectionem essentiæ Dei, et attributorum per modum transcendentis consideratorum, non tamen petit ea ut aliquid suæ, sed alienæ lineæ : sicut licet natura divina sub conceptu naturæ petat ut superaddatur illi voluntas, non tamen, ut aliquid suæ sed alterius lineæ. Unde hoc satis est, ut prædicta voluntas debeat amari necessario a Deo : quia amor ejus tendit ad sua attributa prout in se sunt, tam quoad ea, quæ ex vi suæ lineæ, quam quoad ea, quæ per modum transcendentis includunt.

Quare juxta hunc dicendi modum voluntas Dei secundum omnia, quæ affert ut distincta a natura divina sub conceptu naturæ, et ab attributis sub conceptu attributorum includit totam perfectionem in genere entis quam afferunt cuncta attributa quamvis tota hæc perfectio sit in ea sub conceptu voluntatis, et impulsus perfectissimi, non vero sub conceptu v. g. intellectus, aut alicujus alterius attributi. Neque enim ex eo quod non sit in ea sub conceptu intellectus, deest illi aliqua perfectio : quia non habere perfectionem, quæ est in divino intellectu sub conceptu intellectus, non est quod revera desit illi perfectio, quæ alioqui est sub illo conceptu, sed quod non conveniat eidem per modum rationis ultimæ, sed per modum rationis transcendentis.

18. Elucidatio præcedentium.

Et si radicem hujus (quia ad plures, et graves difficultates theologicas dissolvendas valde conducit, et ad id quod infra de formalissima ratione actus liberi Dei dicemus, maxime erit utile) videre desideras, ecce illam. Etenim sicuti in rationalitate v. g. possumus mentis præcisione penes explicitum, et implicitum distinguere modum illum seu rationem differentialem in qua imbibitur ratio entis, et ipsam rationem entis ibidem imbibitam, ita etiam in voluntate divina proportione servata, cum aliquali tamen discrimine infra explicando, possumus pariter distinguere, tum modum illum, aut quasi modum, seu rationem propriam voluntatis, quæ per conceptum expressum ejusdem voluntatis exprimitur, in qua includitur ipsa essentia divina per modum transcendentis considerata : tum etiam ipsam divinam essentiam, ut habet rationem transcendentis, et consequenter omnem excogitabilem perfectionem aliorum attributorum, ibidem transcendentaliter inclusam.

Cæterum licet in hoc, cum discrimine tamen jam explicando, conveniant, adhuc tamen maxima superest disparitas. Quia portio entis, quæ descendit ad rationalitatem non est eadem omnimode absque virtuali distinctione cum ea, quæ descendit ad cæteras alias rationes, et proprietates inventas in homine, sed diversa : quia nihil singulare creatum potest re ipsa esse commune, et omnimode unum in pluribus

etiam virtualiter distinctis. At eademmet formalissima ratio essentiæ divinæ, ut habet rationem transcendentis, ac proinde omnis excogitabilis perfectio, quæ descendit ad voluntatem divinam, debet etiam ad divinum intellectum descendere. Quia ratio hæc divinæ essentiæ in ratione transcendentis consideratæ, et afferentis omnem perfectionem in genere entis habet ob suam summam excellentiam, quod, cum sit singularissima, ac proinde constituens lineam distinctam ab his in quibus transcenditur, possit esse communis communitate rei, idest, esse in omnibus, quæ sunt intra Deum secundum eamdem omnimodam rationem : sicuti secundum eamdemmet tribus personis divinis, ut habet rationem essentiæ, et naturæ communicatur.

19. Unde quemadmodum si eademmet formalissima ratio entis et perfectionis, quæ imbibitur in rationalitate, imbiberetur in omnibus aliis rationibus, et proprietatibus hominis, tunc omnes illæ ejusdem pariter perfectionis essent : et tota perfectio, quæ in cunctis reperiretur, esset in qualibet, et tunc distinguerentur per hoc quod una non includit perfectionem alterius sub conceptu proprii modi, et rationis differentialis ejusdem, imo si eadem rationalitas imbiberetur in risibilitate, et e contra, et sic de aliis, tunc id ipsum perfectionis quod per modum rationis ultimæ, modo tamen disp. 7, n. 72 et deinceps dicendo, consideratæ, trahit secum rationalitas, traheret etiam risibilitas per modum transcendentis. Ita quia in Deo eademmet perfectio divinæ essentiæ in omnibus formalitatibus divinis, et singulæ in singulis per modum transcendentis imbibuntur, ideo totam perfectionem omnium affert quælibet sub suo conceptu proprio, et solum deest illi quod non habeat illam per modum conceptus ultimi, et ulterius non determinati, seu sub conceptu formalissimo alterius. Sed circa hæc videantur ea, quæ disp. et num. citatis dicemus, ubi aliquot objectiones dissolventur.

20 Occurritur cuidam interrogationi. Si rursus inquisieris, quomodo cum hoc stet, et unde oriatur inæqualitas perfectionis divinorum attributorum v. g. intellectus et voluntatis. Respondetur, quod cum hoc modo dicendi summa æqualitas, et debita inæqualitas possunt in unum cohærere. Etenim intellectus, v. g. ex genere suo secundum id, quod exprimit ex vi proprii modi, et rationis quasi differentialis omnino ultimæ, affert perfectiorem rationem, quam voluntas : et deinde secundum quod idem intellectus est ens, sive attributum divinum, includit eamdem essentiam divinam, ac proinde omnem perfectionem cæterarum aliarum rationum ex genere suo non ita perfectarum. E contra vero voluntas quatenus consideratur, ut distincta ab intellectu, et aliis attributis, non dicit rationem ita perfectam sicut intellectus : quia solum exprimit infinitatem intra lineam volendi, quæ ex genere suo non est ita perfecta, ac infinitas in ratione intelligendi : at illud ipsum perfectionis, quod quasi deerat illi ex hac ratione, habet includere ob rationem generalem entis divini : quia secundum istam rationem imbibit quidquid perfectionis est in ipso Deo. Ecce ergo quomodo attendendo ad propriissima cujuslibet, apparet inæqualitas : et inspiciendo communia, æqualitas omnimoda cernitur.

21. Utrum autem excessus jam dictus unius attributi supra aliud proveniat solum ex diverso modo, quo eadem essentia, ut habet rationem transcendentis imbibitur in illis, ut secundum suam specialissimam rationem præcise considerantur; an vero ex alio capite? alia quæstio est alibi discutienda. Sicut etiam alibi (Deo dante) explicabimus an præter essentiam divinam, ut habet rationem transcendentis, detur in Deo alia ratio transcendens imbibita in ejus essentia et attributis? nempe ratio entis divini, quæ tantum sit eis communis communitate rationis, non vero communitate rei, et eo modo quo divina essentia sub conceptu transcendentis consideratur? Et an ratione hujus transcendentiæ sit æqualitas, vel inæqualitas in divinis perfectionibus? Ac tandem in quo eadem essentia ut habet rationem transcendentis distinguatur a se ipsa sub conceptu divinæ naturæ.

Addimenti Adde pro majori solutione hujus primi argumenti, quod licet daremus, attributum misericordiæ non includere per modum transcendentis totam perfectionem Dei, nihilominus satis esset ad hoc ut amaretur necessario a Deo, quod ejus essentia esset essentialiter connexa cum tali attributo, tanquam cum ratione formali intrinseca illius, et illam perficiente, sine qua esse nequit. Nam hoc ipso quod divina essentia sit necessario volita tam quoad specificationem, quam quoad exercitium, oportet ut eodem modo sint volita illa, quæ eamdem intrinsece perficiunt, et sine quibus ipsa consistere nequit.

22 Ad secundum Ad secundum respondetur, quod etsi operari

operari necessario necessitate (ut sic dicamus) irrationali, violentave, aut pure innata absque consortio cognitionis intellectualis, dicat imperfectionem, et sit propria rerum inanimatarum; attamen operari ex necessitate intrinseca vitali, et summe voluntaria, necnon et cum perfectissima ratione circa summum bonum clare visum, maximam affert perfectionem, propriam naturarum intellectualium : neque enim operari libere pertinet semper ad perfectionem, sed solum quando objectum non est dignum amore necessario. Unde esset contra rectitudinem voluntatis summe rectæ, ac proinde contra perfectionem ipsius, cessare a dilectione objecti summe diligibilis et clare visi, in quo nulla mali ratio apparere potest.

23. Ad tertium. Ad tertium respondetur, ideo voluntatem creatam necessitari quoad specificationem actus respectu sui objecti, scilicet boni in communi, et simul esse liberam quoad exercitium respectu ejusdem, quia in ordine ad illud secundum se, et in se consideratum, habet rationem naturæ (ut constat) et voluntatis seu libertatis, ut ex dictis est manifestum. Cæterum divina voluntas licet sortiatur rationem naturæ respectu bonitatis Dei, ut est objectum volitum, et consideratur secundum se, ac præcisa a quovis objecto etiam materiali, non tamen habet rationem libertatis in ordine ad eam sic sumptam : quia nequit ipsam ut est in se, et modo dicto acceptam, libere amare : alioqui periret rectitudo per essentiam divinæ voluntatis. Nam rectitudo hæc intrinsece petit, ut unumquodque objectum pro meritis diligat : ac proinde exigit ut summum bonum secundum se, et in se spectatum, in quo nihil mali, sed omnis ratio diligibilitatis apparet, quodque est ex se dignum dilectione omnino naturali, diligat naturaliter et necessario : et ita solum habet rationem libertatis respectu creaturarum, et divinæ bonitatis, ut est ratio volendi illas.

24. Quare ad argumentum distinguenda est major : *Quia simul retinet rationem naturæ, et libertatis* utcunque, neganda est : respectu sui objecti specificantis in se, et secundum se præcise spectati, concedenda est. Et deinde juxta hæc neganda est minor, et utraque consequentia. Ad probationem vero minoris concedendum est antecedens, et prima consequentia; et neganda secunda propter rationem dictam.

Ad confirmationem. Ad confirmationem respondetur, quod ut voluntas divina quatenus habet rationem libertatis (ut sic dicamus) quasi in actu primo desumat omnem suam perfectionem a bonitate Dei non est necesse ut versetur libere circa ipsam secundum se, et in se inspectam, et ut præscindit a creaturis tanquam ab objecto materiali simul volito; sed satis est quod dum libere terminatur ad creaturas, tunc ratio formalis volendi sit eadem divina bonitas, ut est ratio diligendi ipsas. Utrum autem hæ duæ rationes divinæ bonitatis sint virtualiter duæ, et duplicem virtualiter formalitatem refundant in divinam voluntatem, nec ne? infra latius dicemus.

25. Objectio. Sed dices, quomodo fieri potest ut ratio formalissima volendi creaturas sit omnino necessaria, scilicet divina bonitas : et nihilominus voluntas tendat ad illas libere? et rationem dubitandi adduxit D. Thom. quæst. 23 de Verit. art. 4, argumento 11, in hæc fere verba. Ratio volendi seu finis, juxta philosophum in 2 Physicor. text. 89, et in 7 Ethic. cap. 8, ita se habet in appetitivis et operativis, sicut principium in demonstrativis : sed in demonstrativis si principia sint necessaria, sequitur conclusio necessaria : ergo et in appetitivis, si finis seu ratio volendi est omnino necessaria, fiet inde ut de necessitate velit ea, quæ sunt ad finem : ergo si *velle* divinum est necessarium respectu creaturarum quantum ad rationem volendi, scilicet bonitatem divinam, erit necessarium per comparationem ad ipsa volita, scilicet creaturas. D. Thom.

Additamentum. Adde, quod divina bonitas, ut est ratio volendi creaturas, non potest libere amari : ergo neque ipsæ creaturæ ratione illius. Antecedens patet. Quia ut est ratio volendi creaturas, est infinita : et ita in ea nulla apparet ratio mali, ac proinde debet diligi amore necessario. Consequentia vero etiam liquet, exemplo nostræ charitatis supernaturalis, per quam nequit libere amari proximus propter Deum, ita ut Deus ipse sit ratio amandi proximum, quin ibidem libere ametur Deus.

26. Ad objectionem nuper adductam D.Thom. Respondetur ex eodem D. Thom. loco citato ad 11, in hæc verba : *Quod in syllogismis, si principium sit necessarium, non sequitur conclusio necessaria, nisi sit necessaria habitudo principii ad conclusionem, et ita quantumcumque finis sit necessarius, nisi id, quod est ad finem habeat necessariam habitudinem ad ipsum, ut sine quo finis esse non possit, nulla erit necessitas ex fine in eo quod est ad finem : sicut etsi principia possint esse vera, conclusione existente falsa*

propter defectum necessariæ habitudinis, non sequitur ex necessitate principiorum, conclusionis necessitas : hucusque sanctus Doctor.

Unde divina bonitas erit ratio volendi ea cum quibus habet necessariam connexionem et ea cum quibus talem connexionem non habet : sicuti et idem principium est ratio sciendi unam conclusionem, ad quam necessariam dicit habitudinem, et aliam cum qua tali connexione caret. Et ita poterit optime eadem bonitas, et terminare actum liberum, ut est ratio volendi ea, cum quibus ipsa ex parte sui non est necessario connexa, et terminare actum necessarium, ut est ratio volendi ea, cum quibus ipsa habet necessariam connexionem.

27. Additamentum. Ex quo ad id, quod additur, negandum est antecedens, et ad probationem concesso antecedenti, neganda est consequentia. Quia licet divina bonitas ex parte sua sit infinita ; attamen objectum materiale, quod connotat, quodque hoc ipso quod ametur, ut objectum materiale, et secundarium, debet per modum unius simul cum ipsa, et per eumdem indivisibilem actum amari, est involutum imperfectionibus, et non necessario connexum ex parte divinæ bonitatis cum ipsa : et ideo est incapax ut ametur amore necessario : et consequenter divina bonitas, ut per modum unius indivisibilis objecti una cum ipsa amatur, non potest necessario amari.

28. Ad quartam. Ad quartum respondetur pro nunc peccatum, v. g. odii Dei efficaciter immediate, et formaliter opponi rectitudini amoris, et ideo physice expellere illum : at cum divina bonitate solum objective habet oppositionem, et hanc præcise in affectu, et non in effectu, modo tamen alibi explicando. Unde etsi ex suppositione quod Deus velit, amorem sui esse in aliquo subjecto, debeat efficaciter nolle peccatum : et similiter quia libere simpliciter vult actum amoris, ideo etiam libere odit efficaciter peccatum, nolendo existentiam ejusdem ; attamen ex hoc quod absoluta necessitate velit bonitatem suam, non ideo debet velle eadem necessitate, peccatum non esse. Quia ex amore efficaci quo quis vult *esse* alicujus rei, solum sequitur odium efficax illorum, quæ efficaciter et in effectu, non vero eorum quæ solum in affectu non vero in effectu ipsum destruunt : maxime quando existentia illius rei, quæ in affectu est destructiva boni voliti, potest alias maxime conducere ad ostensionem perfectionum in eo inventarum, qualiter peccatum ad divinæ justitiæ manifestationem, etc. conducit.

Unde ad summum sequitur, quod sicuti peccatum tollit in affectu non vero in effectu Deum, ita in Deo sit necessario simplex quædam displicentia, et abominatio ejusdem, licet non efficax et destructiva illius : alioqui implicaret contradictionem peccatum ipsum, quippe quod non posset ullo modo in rerum natura esse. Utrum autem hæc simplex displicentia sit actus formalis divinæ voluntatis? an vero solum virtualis et in alio eminenter contentus? infra (Deo dante) dicemus.

29. Ad ultimam. Ad ultimum neganda est minor. Ad probationem concesso antecedenti, neganda est consequentia. Et ratio disparitatis est. Nam si semel datur, Deum posse non diligere se ipsum, tunc formalitas realis, quam actus ille importat, posset non esse in Deo, et de facto non esset, si de facto se non dilexisset : quia non potest dari actus volitionis, quin terminetur indispensabiliter ad objectum omnino primum, a quo capit speciem : at actus divinæ volitionis a Deo ipso actu volito specificatur. Unde si postea Deus intelligeretur volens respectu sui, necesse esset addi in illo novam illam formalitatem et realitatem. Cæterum ex eo quod potuerit nolle creaturas, non sequitur non esse in illo totam entitatem et realitatem actus, quo poterat amare illas ; sed solum illam entitatem divinæ dilectionis, quæ de facto est terminata ad divinam bonitatem ut ad objectum primarium, non fuisse actu terminatam ad creaturas diligendo illas ut objectum secundarium ; cum tamen potuerit ad eas sic terminari, ut infra in hoc eodem art. dicemus : et consequenter nulla inde intrinseca mutatio provenit in Deo ; imo nec in creaturis, quando habet actum nolitionis respectu earum, idest, quando vult, illas non esse futuras. Quia actus divinus, ejusque terminatio solum inferunt mutationem juxta naturam effectus voliti. aut noliti : at in præsenti effectus hic, nimirum non futuritio, tantum addit supra essentiam possibilem extrinsecam illam denominationem.

DUBIUM

DUBIUM II.

An Deus velit se ipsum amore proprie et stricte dicto? an vero volitio, qua se vult, tantum sit actus gaudii de propriis bonis?

30. Explicatur titulus. In titulo aliquid ut certum supponimus, et aliquid in controversiam vocamus. Supponimus enim ex jam dictis, Deum velle et amare se ipsum : imo et gaudere de propriis et intrinsecis bonis. Vocamus autem in controversiam, an volitio et amor hic sit actus amoris proprie et stricte dicti? an vero solum actus gaudii? Quod, ut melius intelligatur, et hujus dubii titulus maneat omnino explicatus, notandum est, quod amor solet sumi vel generaliter pro quovis affectu voluntatis ad bonum terminato; sive per ipsum delectemur in bono habito ; sive bonum ipsum desideremus aut speremus : vel magis in particulari pro quodam speciali voluntatis affectu tendente in bonum diversa ratione, ac spes, desiderium, aut gaudium. Diversus autem hic tendendi D. Thom. modus consistit in hoc, ut D. Thom. q. sequenti docet, quod gaudium et delectatio est de bono præsenti et habito : desiderium autem et spes de bono nondum adepto sed absenti, amor vero respicit bonum quasi in communi, seu (ut clarius dicamus) absolute sumptum, sive sit habitum et obtentum, sive non.

31. Major tituli elucidatio. Inquirimus ergo peculiariter, an hic affectus voluntatis, nempe amor stricte dictus, sit in Deo? quia sicuti ut certum supponimus in eo esse gaudium de propriis et intrinsecis bonis, ita ut non minus certum debet etiam supponi, non esse in illo cæteros alios voluntatis affectus respectu sui ipsius præter amorem proprie dictum. Nam ultra amorem et gaudium, solum restant alii novem, scilicet odium, fuga, tristitia, timor, audacia, ira et duo jam enumerati, scilicet desiderium et spes, ac tandem desperatio : et ex his sex priores ad malum fugiendum terminantur, et tres ultimi respiciunt vel bonum absens, ut desiderium : vel bonum absens et arduum, ut spes et desperatio. Constat autem quod in Deo secundum se, et sibi intrinseca nequit inveniri aliquod malum, aut ei deesse aliquod bonum intrinsecum : et ita non posse respectu sui habere aliquem ex prædictis affectibus. Unde si semel explicuerimus, an in ipso sit amor proprie dictus (quod specialem ingerit difficultatem) consequens erit, ut maneat exacte explicatum id, quod post dubium præcedens desiderabatur, scilicet quot affectuum generibus Deus circa se ipsum versetur, ut ita exacta notitia eorum, quæ sunt in voluntate divina circa Deum ipsum, omnino ad intra consideratum, habeatur.

§ I.

Varii dicendi modi.

32. Prima sententia Herice. Arrub. Gabr. Prima sententia asserit, in Deo non esse amorem stricte et specialiter dictum respectu sui ipsius. Ita Herice tract. 2, disp. 13, c. 6; favet Arrub. 1 p. q. 20, in annotat. 1, n. 3, dum dixit, difficile esse ponere in Deo prædictum amorem. Pro eadem sententia refertur Gabriel in 3, dist. 26, et alii ab ipso citati, quatenus inquit, in parte concupiscibili tantum esse quatuor affectus, scilicet desiderium et timorem circa absens, tristitiam et gaudium circa præsens : cumque tres priores, ut jam diximus, Deo repugnent, necesse est ut solum gaudium in eo sit.

Primum argumentum. Probari potest primo. Quia, ut dicebamus, amor ut distinctus a gaudio et desiderio non terminatur ad rem ut consecutam, et quasi inexistentem in subjecto, cui amatur, nam hoc est proprium gaudii : ergo non minus repugnat Deo hic affectus, quam actus desiderii circa perfectiones proprias. Patet consequentia. Nam ideo non potest esse in illo affectus desiderii respectu perfectionum sibi intrinsecarum, quia repugnat ipsi, et perfectionibus suis futuritio, et alias desiderium fertur ad rem futuram : at non minus repugnat Deo bonitas ex se indifferens, aut præscindens a consecutione, et possessione ejus a se ipso : ergo nec minus repugnabit affectus amoris proprie dicti qui tendit simpliciter ad bonitatem, præscindendo ab hoc quod sit consecuta, vel non consecuta.

33. Confirmatur primo. Confirmatur primo. Implicat intellectum Dei contemplari suam bonitatem, ut præcisam ab existentia (ut sic dicamus) in illo : ergo etiam repugnabit esse in illo aliquem affectum respectu suæ bonitatis, qui non terminetur ad ipsam ut obtentam : ac proinde implicabit quod in eo reperiatur actus amoris proprie, et peculiariter dicti. Antecedens patet. Quia divina bonitas, et *esse*, hoc ipso quod tale, non potest non esse possessum, et (ut sic loquamur) consecutum a Deo : ac proinde talis præcisio esset præscindere in cognitione divini

esse ab eo, quod est illi essentiale, quod implicat, imo et aliunde hoc ipsum cum perfectione intellectus divini pugnat : quandoquidem hic ob suam perfectionem nequit pluribus, et distinctis conceptibus bonitatem Dei concipere, sed unico et simplicissimo conceptu debet tendere in ipsam prout est in se, ac proinde ut est existens, et consecuta ab ipso Deo. Prima vero consequentia etiam constat. Quia sicuti ad volitionem requiritur cognitio, ita ad certam, et determinatam volitionem certa, et proportionata cognitio desideratur : ergo cum repugnet proponi divinæ voluntati bonitatem Dei alio modo, quam ut quasi jam obtentam, implicabit alio modo ad ipsam ferri.

Confirmatur secundo. Confirmatur secundo et explicatur. Sicut in intellectu sunt plura genera cognitionum sumpta ex variis, et diversis statibus objecti, scilicet ex statu possibilitatis, et præsentialitatis, ita in voluntate sunt plura genera affectuum accepta ex multiplici statu, et conditione rei volitæ : ergo sicut quia in Deo non est possibilis nisi unicus status, scilicet præsentiæ et actualitatis, tantum ponitur in ipso erga se cognitio intuitiva, nulla vero abstractiva contemplans ipsum secundum suam essentiam, et abstrahens a præsentia et actualitate, ita ob eamdem rationem poni non debet in Deo erga se nisi affectus gaudii, qui est de re possessa, et omnino præsenti.

34. Secundum. Secundo, et principaliter. Nam respectu solius bonitatis divinæ actu existentis, et indefectibiliter a Deo possessæ, tantum potest esse duplex affectus, primus quo velit illam non ut jam habitam, sed secundum se, quatenus infinite bonam, qui potest explicari hac hypothesi, si per impossibile bonitas divina non existeret in Deo, aut ab ipso non possideretur, adhuc esset illi gratissima, quia omnem rationem bonitatis continet; secundus vero quo velit sibi prædictam bonitatem quatenus jam habitam : sed primus affectus, ut distinctus a gaudio, Deo repugnat, et secundus est formalissime gaudium, ut ex se patet : ergo solum gaudium poterit in Deo reperiri. Major patet ex dictis in explicatione tituli. Minor vero quoad secundam partem ex se constat. Quoad primam vero etiam liquet. Quia talis affectus complacentiæ est in se imperfectus, et inefficax, quippe non tendens ex vi sua usque ad consecutionem talis bonitatis; et ideo primus actus, qui in nobis ante efficacem amorem reperitur non est alius, quam ille primus motus, quo bonum apprehensum secundum se spectatum primo nobis arridet : at in Deo non est ponendus affectus imperfectus, et de se inefficax : ergo, etc.

35. Tertium. Tertio. Per nullum affectum nisi per gaudium animus quiescit in bono : ergo hic solus est ponendus in Deo respectu suæ bonitatis. Antecedens patet. Quoniam alii affectus prosecutionis potius sunt tendentiæ in bonum, quam quies in illo : per gaudium vero in eo, ad quod aliis affectibus tendebamus, quietem habemus. Unde ob hanc rationem diffinitur vulgatissime gaudium seu delectatio per hoc quod sit animi quies : et D. Augustin. 2 de Trinitate capite 10 dixit : *Fruimur cognitis in quibus voluntas ipsis propter se ipsa delectata conquiescit.* D. Aug Consequentia vero etiam constat. Quia affectus ex se viales imperfectionem in ratione affectuum dicunt : et ita a Deo relegandi sunt. Imo ex alio capite prædicti affectus repugnant, scilicet quia superflue in ipso essent : nam inutilis prorsus est via existenti jam, et conquiescenti per affectum gaudii in bono possesso.

36. Secunda sententia. Secunda vero sententia docet, in Deo esse verum affectum amoris proprie, et stricte dicti respectu propriæ bonitatis, et hunc esse distinctum virtualiter a gaudio. Suarez. Hanc innuit Suarez lib. 3 de attributis positivis cap. 6, num. 7, et videtur esse divi D.Thom Thomæ quæst. sequent. art. 1, ubi ait amorem esse primum actum voluntatis, et principium aliorum actuum : ac proinde saltim virtualiter debet esse distinctus a gaudio, et a cæteris aliis actibus.

Fundamentum. Deinde ratione probatur. Nam Deus habet actum gaudii respectu sui, et omnium perfectionum sibi intrinsecarum : ergo etiam amorem specialiter dictum : ergo talis amor erit virtualiter distinctus a gaudio. Antecedens ex se patet. Secunda vero consequentia etiam constat. Nam amor, ut ex dictis constat, habet distinctum objectum formale a gaudio : ac proinde distinguetur virtualiter ab illo. Prima autem consequentia probatur. Nam primus actus voluntatis et quasi radix reliquorum est amor. Et ratio est, quod cum actus hujus potentiæ sint in duplici differentia, alii consistentes in prosecutione boni, alii in fuga mali, necesse est, ut utrosque præcedat amor. Primos quidem : quia amor versatur circa bonum absolute; illi vero circa bonum determinatum, ut spes circa bonum arduum, gaudium vero circa præsens : at sicut bonum absolute

absolute sumptum, prius est se ipso ut jam determinato, ita affectus circa illud sic acceptum, debet esse prior affectibus circa ipsum, ut est jam determinatum. Ultimos etiam actus præcedit amor : quia versatur circa bonum quod per se et ratione sui inspicitur a voluntate ; illi vero ultimi affectus circa malum, quod solum secundario cadit sub eadem voluntate, quatenus opponitur bono dilecto.

37. Confirmatur primo. — Confirmatur primo. Nam ideo ponitur in Deo, virtus justitiæ, et ejus actus distinctus virtualiter ab actu misericordiæ, aut voluntatis divinæ, non vero eademmet formalitas absque distinctione virtuali est simul formaliter eminenter voluntas, justitia, et misericordia, quia objectum, v. g. misericordiæ, est formaliter distinctum ab objecto justitiæ aut voluntatis divinæ : ergo cum proprium objectum amoris sit bonum, quia bonum : et gaudii sit idem bonum, quia possessum, non poterunt non isti actus virtualiter distingui : ac proinde actus ille divini amoris non erit formaliter eminenter et absque distinctione virtuali actus gaudii.

Confirmatur secundo. — Confirmatur secundo ex iis, quæ in nobis experimur. Nam delectatio nostra oritur ab amore : ergo etiam delectatio seu gaudium, quo Deus de propriis bonis gaudet : et consequenter tale gaudium erit virtualiter diversum ab amore. Hæc ultima consequentia satis patet : nam quod ab alio oritur, saltim tanquam a ratione a priori, debet saltim virtualiter ab eo distingui. Prima vero consequentia ex paritate rationis constat. Antecedens autem est D. Thom. D. Thomæ 1, 2, quæst. 65, art. 1 ad 2, et ratio illud suadet. Si namque rem aliquam non amaremus, nequaquam delectaremur ejus præsentia : unde ideo de illa delectationem capimus, quia ipsam diligimus : sicut non tristamur nisi de eo quod nolumus, et affective fugimus : nec ob aliud fugimus aliquid, nisi quia bonum oppositum amamus.

§ II.

Proponitur prior assertio.

38 Nihilominus dicendum est primo, amorem stricte et peculiariter dictum circa propria bona reperiri formaliter in Deo. D. Thom. Ita D. Thom. infra q. 20, art. 1, ubi sic inquit : *Respondeo dicendum, quod necesse est ponere amorem in Deo. Primus enim motus voluntatis et cujuslibet appetitivæ virtutis est amor*, etc. *Unde in quocunque est voluntas vel appetitus, oportet esse amorem. Remoto enim primo removentur alia. Ostensum est autem in Deo esse voluntatem. Unde necesse est in eo ponere amorem.* Ubi, ut vides, aperte loquitur de amore stricte et specialiter dicto : siquidem solus iste est primus voluntatis motus, a quo cæteri alii ortum ducunt, ut in corpore ejusdem articuli sanctus Doctor probat.

Idem. Idem etiam docuit et probavit 1 contra Gent. c. 91, ratione 6, his verbis : *Omnis affectionis principium est amor. Gaudium enim, et desiderium non est nisi amati boni : timor etiam, et tristitia non est nisi de malo, quod contrariatur bono amato ; ex his autem omnes aliæ affectiones oriuntur : sed in Deo est gaudium et delectatio : ergo in Deo est amor.* Unde infra in eodem c. sic concludit : *Patet igitur ex prædictis, quod in nostris affectionibus nulla est, quæ in Deo possit proprie esse, nisi gaudium et amor, quamvis etiam hæc in eo, non secundum passionem, sicut in nobis sint.*

Ubi satis aperte loquitur sanctus Doctor de amore stricte et specialiter dicto. Tum quia amor generaliter dictus prout includitur in quovis actu voluntatis, non ponit in numero cum nostris affectionibus, nec est specie distinctus a cæteris : hic autem loquitur D. Thom. de affectionibus, quæ ponunt in numero inter affectiones nostras, ut ex modo loquendi ejus constat : ac proinde de affectu voluntatis specie ab aliis distincto : et propterea inter illas numerat amorem et gaudium. Tum etiam : quia alioqui superflue præter gaudium numerasset inter illas amorem : siquidem amor generaliter dictus, intime imbibitur in gaudio : et ita hoc explicato ibidem includitur et ille. Et propterea cum inter passiones animæ connumeratur amor tanquam passio, sive affectio illius, semper intelligitur de amore stricte et specialiter dicto.

Ipse met. Et tandem hoc ipsum tuetur angelicus Doctor in 3, dist. 32, quæst. 1, artic. 1 in corpore et ad 1, ubi sic habet : *Quædam vero passiones sunt, quæ de ratione sui non important aliquid materiale, vel aliquem defectum, sicut delectatio : unde etiam in operatione intellectuali delectatio est, non solum in corporali operatione, ut Philosophus probat in 7 Ethic. et propter hoc delectatio in Deo potest poni, non quidem ut passio, sed operationem suam simplicem, et sine motu consequens per modum intelligendi, ut Phi-*

losophus dicit in 7 Ethicorum, quod Deus simplici gaudet delectatione : et similiter etiam de amore dicendum est. In quibus verbis eodem modo ponit in Deo delectationem, et amorem, quæ alias in nobis sunt passiones : cumque amor, qui alias in nobis connumeratur inter passiones, sit amor specialiter dictus, ut nuper dicebamus, consequens est, ut iste secundum mentem D. Thom. sit in eo ponendus.

Cajetan. Ferrara. Gonzal. Suarez.

Unde hanc sententiam tuentur Cajetan. art. 1, quæst. 20, nuper citata, Ferrara loco citato ex 1 contra Gentes, Gonzalez eodem art. 1, quæst. 20, in explicatione articuli, et disp. 62, Suarez lib. 3 de attributis positivis, cap. 6, num 7, et alii plures ex recentioribus tam intra quam extra scholam D. Thom.

39. Prior assertionis ratio. D. Thom.

Ratio autem prior, et fundamentalis hujus assertionis desumitur ex D. Thom. loco citato ex hac prima parte potestque sub hac forma proponi. Quoniam de ratione amoris stricte, et specialiter sumpti non est quod non tendat in bonum possessum ; sed quod non tendat in illud formaliter ut possessum, sed ut bonum est : at voluntas Dei tendit ad bonum et *esse* divinum, quod semper, et indefectibiliter a Deo possidetur, ut est summum quoddam, et infinitum bonum : ergo tendit in illud amando, et volendo ipsum per amorem stricte, et specialiter dictum : ac proinde amor iste in Deo reperietur. Utraque consequentia est satis perspicua.

Multiplex probatio minoris.

Minor autem etiam patet. Tum quia cum bonum illud divinum, et sit a Deo possessum, et sit in se summe, et infinitum bonum, non est cur divina voluntas non possit tendere in illud qua ratione est summum, et infinitum bonum, sicut tendit per actum gaudii in ipsum quatenus est bonum actu habitum, et possessum a Deo. Tum etiam : nam etsi voluntati divinæ proponatur Deus ut habens *esse* a se, ac proinde cum omni sua perfectione quasi jam obtenta ; attamen ita fertur in illum, et in bonum infinitum ipsius, ut licet non in effectu, nihilominus in affectu non supponat, sed potius ponat omne illud bonum in Deo, quod potest explicari per hanc hypothesin, scilicet quod si per impossibile Deus non haberet *esse* a se, nihilominus affectus ille, quo vult Deum habere *esse* a semetipso, est talis naturæ, ut communicaret, saltim in affectu, eidem, quod esset ens a se : ergo licet prædictus affectus quasi materialiter, aut specificative terminetur ad *esse*, et bonum divinum obtentum, non tamen ut obtentum, seu possessum.

Suadetur major quoad priorem partem

Major vero quoad priorem partem etiam constat. Tum quoniam actus amoris stricte, et specialiter dicti, est primus actus voluntatis, a quo cæteri alii actus ortum ducunt : et ita nullus desiderat aliquid nisi bonum amatum : neque aliquis gaudet nisi de bono amato, nec quis odit nisi id, quod contrariatur rei, quam amat, et sic de aliis voluntatis motibus. Si autem esset de ratione amoris stricte dicti, quod non tenderet in bonum, quod est possessum, non posset prædictus amor esse principium actus gaudii essentialiter petentis, quod sit de bono possesso ut tali : et ita nos non delectaremur de bono obtento, quia illud amamus ; sed quia ipsum amavimus, cujus oppositum manifeste experimur. Et ideo hoc ipso, quod displiceat nobis bonum de quo gaudebamus, statim cessat gaudium, quia cessat amor, quippe incomposibilis cum illa displicentia.

Tum etiam : quia alioqui dum quis efficaciter in eodem instanti vult finem, et ad illum consequendum media adhibet, ut frequenter contingit in iis intentionibus, et electionibus, quæ interius in voluntate nostra consummantur, tunc non esset ibidem verus amor talis finis, sed solum gaudium : at hoc est aperte falsum, quandoquidem gaudium non ponit, sed supponit bonum, de quo quis gaudet ; cum tamen talis volitio efficax ponat bonum illud quod semel intendit.

40. Duplex probatio ejus quoad posteriorem.

Quoad secundam vero partem, scilicet satis esse ad rationem prælicti amoris, quod tendat in bonum possessum qua ratione bonum est, sic eadem major suadetur. Tum quidem ex dictis pro priori illius parte, et ex iis, quæ nuper dicebamus. Quia cum actus amoris stricte, et specialiter dicti, sit primus motus voluntatis, tendit in bonum secundum quod bonum est ; non vero ut induit peculiarem aliquam, et magis contractam rationem boni. Nam sicut ratio boni generaliter sumpti, seu qua ratione bonum est, habet esse prior ratione boni absentis, verbi gratia, vel præsentis, ex eo quod absentia, vel præsentia boni sunt determinationes boni, et id quod est determinabile per aliud, est prius illo, ita prædicta ratio boni in communi, et præscindentis per abstractionem pure præcisivam a peculiaribus rationibus boni, est objectum proprium, et accommodatum respectu primi actus voluntatis, scilicet amoris

ris stricte, et specialiter dicti.

Tum etiam : quia bonum possessum qua ratione bonum est, et non solum qua ratione est possessum, habet rationem objecti amabilis, ut ex se constat : at non per actum gaudii, quia hoc fertur in bonum ut præsens et possessum, nec per actum desiderii, aut alios actus prosecutionis, ut intuenti constabit, quia omnes illi respiciunt particulares rationes boni : ergo per actum amoris stricte et specialiter dicti : ac proinde satis erit ad rationem hujus actus, quod licet feratur in prædictum bonum possessum, tendat tamen in illud ut bonum est.

41. Thom. Quam rationem adduxit et elucidavit idem sanctus Doctor 1, contra Gent. c. 91, ratione 4, his verbis : *Amor ex parte objecti non importat aliquid repugnans Deo cum sit boni, nec ex modo se habendi ad objectum. Nam amor est alicujus rei non minus cum habetur, sed magis, quia bonum aliquod fit nobis affinius, cum habetur. Unde et motus ad finem in rebus naturalibus ex propinquitate finis intenditur : quandoque autem contrarium per accidens accidit, utpote, quando in amato experimur aliquid quod repugnat amori : tunc enim minus amatur quando habetur. Non ergo amor repugnat divinæ perfectioni secundum rationem suæ speciei : est igitur in Deo amor.*

Confirmatio. Confirmatur et explicatur. Quoniam amor stricte et specialiter dictus duo habet. Primum est, quod fundatur in unione amantis et amati, et quo major est hæc unio, eo amor est intensior. Secundum est, quod ipse amor est unio quædam stricta et specialis ejusdem amantis cum re amata : ergo quod amans et res amata sint inter se conjunctissima, nihil oberit, sed potius valde proderit ad prædictum amorem : ergo quod divina bonitas, quæ est ratio objectiva, quare voluntas Dei velit ipsum *esse* divinum, necnon et creaturas, sit summe conjuncta cum ipso Deo, ita ut sit ipsemet, non tollet, quinimo proderit ad hoc ut per amorem stricte et specialiter dictum, et summe se ipsum diligat, necnon et creaturas prout divinam bonitatem decuerit.

42. Probatio antecedentis quoad primam partem. Antecedens quoad primam partem patet. Tum, quia propterea magis amamus eos quos nobis unit generis origo, aut conversationis usus, quam eos quos nobis solum unit humanæ naturæ societas. Tum etiam : quia cum unumquodque naturaliter appetat suo modo, id est, per appetitum sibi proportionatum, proprium bonum, et hoc sit quasi fundamentum amandi alia, inde est ut amor fundetur in unione amantis et rei amatæ, et quo major fuerit hæc unio, eo unio amoris, seu amor ipse sit major.

Quoad secundam idem antecedens suadetur. D. Dionys. Quoad secundam vero partem etiam constat. Nam ideo Dionys. de divin. nomin. c. 4, hæc verba refert ex sanctissimo Hierotheo magistro suo in lib. de laudibus amoris : *Amorem sive divinum sive angelicum, sive spiritualem vim quamdam conjungentem miscentemque intelligamus, quæ superiora quidem impellit, ut inferioribus prospiciant et consulant : paria autem ut inter se societate jungantur : ac denique inferiora ut se convertant ad superiora.* Ipse autem sanctus Dionys. prædixerat in eodem c. : *Amoris verbum vim habet faciendi unum, et colligandi præstantique modo res inter se miscendi* Unde August. tom. 3, lib. 8 de Trin. cap. 10 : *Quid est* (inquit) *amor nisi quædam vita duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet, et quod amatur.* D. Aug.

Ostenditur vis primæ consequentiæ. Prima vero consequentia, ex qua posterior aperte colligitur, satis ex antecedenti patet. Unde sicut summa similitudo pertingens usque ad identitatem in *esse* entitativo inter verbum et rem intellectam, non obest, sed potius prodest ad summam et perfectissimam intellectionem, quia intellectio prout est dictio, est productiva similis : atque adeo summa intellectio erit productio verbi summe similis, et perconsequens verbi, quod sit ejusdem naturæ in *esse* entitativo cum intelligente : ita quia amor stricte et specialiter dictus fundatur in unione amantis et amati, ac proinde et ipsa etiam affectiva aut effectiva unio ejusdem amantis cum re amata in prædicta illa unione fundatur, oportet ut unio illa prior, ex qua hæc posterior sequitur, non obsit, sed prosit ad prædictum amorem : et quo hæc fuerit major et intimior, ita ut res amata et amans sint idem, eo amor sit perfectior.

43. D. Thom. Quam confirmationem adduxit etiam D. Thom. 1 contra Gent. cap. 91 sæpius citato, ratione 3, his verbis : *Cum unumquodque naturaliter velit, et appetat suo modo proprium bonum, si hoc habet amoris ratio, quod amans velit aut appetat bonum amati, consequens est, quod amans et amatum se habeant sicut ad id, quod est cum eo aliquo modo unum, ex quo videtur propria ratio amoris consistere in hoc, quod affectus unius tendat in alterum, sicut in unum cum ipso, aliquo modo. Propter quod a Dionysio dicitur, quod amor est unitiva virtus. Quanto*

ergo id, unde amans est unum cum amato, est majus, tanto est amor intensior, magis enim amamus quos nobis unit generationis origo, aut conversationis usus, aut aliquid hujusmodi, quam eos quos nobis solum unit humanæ naturæ societas. Et rursus, quanto id, ex quo est unio, est magis intimum, vel unitum amanti, tanto amor fit firmior. Unde interdum amor qui est ex aliqua passione, fit intensior amore qui est ex naturali origine, vel ex aliquo habitu, sed facilius transit. Id autem, unde omnia (idest tam creaturæ quam creator ipse) *Deo uniuntur, scilicet, ejus bonitas, quam omnia imitantur, est maximum et intimum Deo, cum ipse sit sua bonitas. Est igitur in Deo amor, non solum verus, sed etiam perfectissimus, et firmissimus :* tam respectu sui quam creaturarum.

§ III.

Assertio posterior.

41. Dicendum est secundo, amorem stricte, et peculiariter dictum, et formaliter repertum in Deo respectu propriorum bonorum, esse in eo non utcunque formaliter, sed formaliter eminenter, ita ut non distinguatur virtualiter a gaudio. Hæc est D. Thom. infra q. 20 citata art. 1 in solutione ad primum, ubi ait, Deum unica, et eadem simplici operatione gaudere, et amare per amorem stricte, et specialiter sumptum, de quo ibi loquebatur, ut ex dictis constat. Nomine autem simplicis operationis intelligit operationem ita simplicem, ut excludat non solum realem distinctionem, sed etiam virtualem inter utramque operationem, ut patet ex iis, quæ ex eodem disp. 2, dub. 1 hujus tract. asseruimus, et ex ratione quam ex ipso angelico Doctore loco ibidem relato desumptam, statim adducemus : ac proinde sanctus Doctor admittit in Deo respectu propriorum bonorum amorem stricte et peculiariter dictum : qui sit in eo non utcunque formaliter, sed formaliter eminenter, ita ut non distinguatur virtualiter a gaudio. Unde sanctum Doctorem sequuntur ejus discipuli, et alii plures.

Thom.

45. Explicatio assertionis. Cæterum quia assertio indiget explicatione, ideo sic declarari potest. Etenim sicut practicum, et speculativum possunt accipi dupliciter, uno modo limitate, prout sunt differentiæ constituentes scientias inferiores; et sic una ratio istarum dicit incomposibilitatem cum alia; alio modo illimitate, prout conveniunt in unica ratione superioris ordinis (nam quæ reperiuntur dispersa in inferioribus, sunt unita in superioribus) et secundum istam considerationem practicum et speculativum possunt simul formaliter eminenter reperiri in aliqua una scientia, quia talis scientia ex eo quod superior et illimitata sit, potest adunate conditiones inferiorum secundum proprias, et formales earum perfectiones, sine limitatione tamen ad aliquam illarum continere : et ideo scientia Dei una formaliter existens absque distinctione virtuali simul est practica et speculativa : ac proinde utrumque ei formaliter eminenter competit : formaliter quidem, ex eo quod formaliter habet rationem practicæ, et speculativæ : eminenter vero quia ratione suæ eminentiæ, et perfectionis habet ut per hoc quod sit formaliter practica, non desinat esse simul speculativa. Ita similiter amor proprie, et peculiariter dictus, et gaudium possunt considerari dupliciter. Primo limitate prout in creaturis reperiuntur, secundum quam considerationem amor respicit bonum, ut bonum cum exclusione respiciendi illud per illum actum quatenus obtentum; gaudium vero respicit bonum quatenus obtentum, et possessum cum exclusione respiciendi illud eodem actu, præcise quia bonum : ac proinde duo isti modi respiciendi, sunt incomposibiles in uno, et eodem actu. Secundo vero possunt sumi illimitate, et secundum hanc considerationem non repugnat, ut amor et gaudium inveniantur in unico, et eodem actu superioris ordinis, formaliter eminenter, et absque ulla distinctione virtuali utrumque continente : quia actus ille ratione suæ eminentiæ amplectitur formaliter utramque rationem, secundum proprias conditiones cujuslibet.

46. Ratio assertionis. His ergo suppositis probatur assertio fundamentali ratione ex divo Thoma deprompta, et tam hanc quam præcedentem assertionem suadente. Nam in nobis voluntas se ipsa formalissime est potentia volitiva per amorem proprie, et peculiariter dictum respectu *esse*, et bonitatis illius suppositi in quo est, et simul se ipsa habet vim ad gaudendum de eodem *esse* ac bonitate in illo imbibita, absque eo quod indigeat, aut possit habere, vel aliquam virtutem affectivam, realiter superadditam, per quam determinetur ad hunc amorem et gaudium, vel aliquam aliam formalitatem virtualiter a se ipsa distinctam, quæ ad utrumque aut ad aliquod eorum inclinet, ut ex dictis articulo

ticulo primo disputatione secunda num. 43 satis constat : ergo etiam in Deo ejus voluntas se ipsa formalissime absque aliquo alio, sive realiter, sive virtualiter superaddito, habebit vim ad diligendum per amorem proprie dictum *esse* et bonitatem divinam, et ad gaudendum de illis : ergo se ipsa formalissime erit amor proprie dictus et gaudium de suo *esse* ac bonitate infinita.

Prima consequentia ex paritate rationis satis constat. Secunda vero ex iis, quæ disputatione secunda dubio primo diximus etiam patet. Nam id ipsum perfectionis, quod habet voluntas creata per modum potentiæ, reperitur in voluntate divina per modum actus purissimi : ergo si voluntas creata se ipsa formalissime absque aliqua distinctione virtuali est potentia proprie dilectiva et (ut sic dicamus) gavisiva respectu *esse*, et bonitatis ejus suppositi in quo est, fiet inde, ut voluntas divina per modum actus purissimi sit amor proprie dictus, et simul gaudium de proprio *esse* et bonitate Dei.

onfir-matur rimo.

Confirmatur primo. Nam ex eo quod in creaturis ponitur potentia ipsa volitiva, necnon et virtus misericordiæ tanquam aliqua duo spectantia per se ad distinctas lineas, ideo in Deo voluntas per modum actus purissimi, et misericordia per modum purissimæ actualitatis, virtualiter distinguuntur, et ad distinctas lineas pertinent : ergo quia in creaturis voluntas, ut est potentia dilectiva per amorem proprie dictum, et ut potest elicere actum gaudii respectu *esse*, et bonitatis ejus suppositi in quo est, non distinguuntur, nec spectant ad distinctas lineas ; ideo in Deo amor proprie dictus, et per modum actus purissimi, necnon et gaudium actuale respectu bonitatis et *esse* divini, non distinguentur adhuc virtualiter, nec ad distinctas lineas pertinebunt.

Confirmatur secundo. Ideo scientia Dei absque distinctione virtuali est simul practica et speculativa : quia ejus objectum, scilicet Deitas, habet in ratione objecti formalis ipsius tantam eminentiam, ut se ipsa formalissime utramque rationem objectivam speculativi, et practici tanquam rationes inadæquatas ex parte solius modi concipiendi distinctas, contineat : ac proinde se ipsa quatenus Deitas habet ut sit prima regula operandi, et simul prima veritas speculabilis : ergo etiam voluntas seu volitio divina erit simul absque distinctione virtuali actus amoris, et gaudii de divina bonitate.

Confir-matur ecundo.

Antecedens constat ex iis, quæ communiter docent Thomistæ cum divo Thoma supra quæst. 1. Consequentia vero probatur. Nam etiam objectum divinæ voluntatis seu volitionis est bonitas divina, de cujus ratione est, quod sit infinite bona, et simul sit quasi obtenta, et possessa ab ipso Deo, ita ut hæ sint duæ rationes inadæquatæ ex parte solius modi concipiendi distinctæ : ergo idemmet actus seu volitio divina habebit se ipsa formalissime alias duas rationes inadæquatas ex parte solius modi concipiendi distinctas : quarum una correspondeat eidem bonitati ut infinite bonæ, et quatenus ex parte ejusdem modi concipiendi non dicit esse quasi possessam ab ipso Deo, ac proinde sit amor : et alia correspondeat eidem bonitati ut quasi possessæ ab ipso Deo, seu prout est in ipso, et consequenter sit gaudium : quamvis utraque ex parte rei conceptæ respiciat unum, et idem formale objectum, quia ex parte ejusdem rei conceptæ nullo modo distinguuntur. D. Thom.

Nec refert si objicias primo. Bonitas divina prout est in se, et prout est ratio miserendi, aut justum faciendi est eademmet bonitas, et solum penes distincta munera ex parte nostri modi concipiendi distincta : et nihilominus voluntas, misericordia, et justitia, quæ has tres rationes respiciunt, distinguuntur virtualiter : ergo ex eo quod bonitas divina non distinguatur virtualiter, ut est infinite bona, et ut est quasi possessa a Deo, et existens in ipso, male colligitur, quod, actus amoris, et gaudii versantes circa hæc non distinguantur virtualiter. 48. Objectio prior.

Et confirmabis. Nam in nobis bonitas proprii *esse* habet tum rationem bonitatis, tum esse possessam a nobismetipsis, quia nequit intelligi bonitas proprii *esse*, sine eo quod sit in nobis : et nihilominus nostri actus gaudii, et amoris circa illam, realiter distinguuntur : ergo, etc. Confirmatio.

Respondetur, majorem ad summum esse veram de bonitate divina in *esse* rei, non tamen in *esse* objecti considerata : quia licet sit una, et eadem bonitas, est tamen ex parte rei conceptæ diversimode attingibilis a voluntate, justitia, et misericordia divina. Unde voluntas ex modo attingendi, ita attingit formaliter eamdem bonitatem, ac si non esset ratio miserendi : et misericordia, ita formaliter terminatur ad prædictam bonitatem, ac si non esset ratio justum faciendi ; quanvis omnes illæ respiciant materialiter bonitatem divinam, ut in *esse* rei continet omnem bonitatis rationem. Unde 49. Enodatio objectionis.

neganda est consequentia. Quia bonitas Dei, ut est infinite bona includens esse actu quasi obtentam a Deo, est tam in *esse* rei, quam *esse* objecti eademmet bonitas respectu amoris et gaudii divini, ut in hac nostra ratione fundamentali explicatum, et probatum est.

Solutio confirmationis. Ad confirmationem, quod adhuc admisso antecedenti, nihil inde contra nos. Quia sicut esse practicum, et speculativum in scientiis inferioribus sunt incomposibilia, secus vero in scientia superiori, ita actus amoris, et gaudii in rebus inferioribus non possunt compati in uno et eodem actu; bene tamen in Deo. Adde non esse de ratione bonitatis, v. g. Petri, esse quid possessum ab illo : et ideo maneret eadem tota essentia, et bonitas essentialis Petri, licet non subsisteret in Petro, sed in alieno supposito, scilicet divino, ut in humanitate Christi Domini contingit.

50. Alia objectio. Nec etiam refert si objicias secundo, quod si ratio pro assertione cum suis confirmationibus facta aliquid probaret, etiam convinceret, omnes actus virtutum affectivarum, ut justitiæ, et misericordiæ non distingui in Deo adhuc virtualiter a divina voluntate, et actu amoris stricte, et peculiariter dicti, quo se ipsum diligit : quoniam in voluntate nostra, et similiter in voluntate divina vis ad amandum per amorem stricte dictum, et ad gaudendum de propriis bonis, non magis sunt idem absque distinctione virtuali, quamvis ad eumdem amorem, et ad miserendum, vel justum faciendum : et ita voluntas nostra se ipsa habet vim ad amandum et miserendum : ergo si propter hanc rationem, et quia ea quæ sunt in creaturis per modum potentiæ debent in divinis esse per modum actus purissimi, colligimus prædictum amorem et gaudium non distingui virtualiter in Deo, non poterit non inde colligi eumdem amorem, et actus virtutum misericordiæ et justitiæ non distingui in divinis adhuc virtualiter.

Diluitur. Non itaque hoc refert. Quoniam ex dictis in hoc tractat. disputatione 2, dub. 2, satis solutum manet. Unde negandum est antecedens. Et ad probationem negetur etiam antecedens, si intelligatur (ut debet intelligi) de vi ad miserendum, verbi gratia, respiciente objectum misericordiæ ut objectum formalissimum illius. Nam hæc in creaturis distinguitur realiter, et in Deo virtualiter a vi amandi per amorem peculiariter dictum propria bona respiciendo objectum voluntatis tanquam objectum formalissimum ejusdem vis, ut ex dictis in hoc tract. disputat. 2, num. 31, et sequentibus constat : cum tamen vis ad prædictum amorem et gaudium, respiciens formalissimum objectum voluntatis, de qua in præsenti loquimur, sint unum et idem absque distinctione virtuali. Unde ex hac objectione ad summum sequitur, quod actus ex parte nostri modi concipiendi, elicitus a virtute misericordiæ, et respiciens objectum formalissimum illius, sit simul absque distinctione virtuali actus amoris et gaudii, respectu objecti misericordiæ, quod idem in virtute justitiæ cum proportione dicimus, quamvis prædictus actus amoris et gaudii proprius virtutis misericordiæ virtualiter distinguatur ab actu amoris et gaudii correspondente, modo insinuato, virtuti justitiæ, aut voluntati.

Animadversio Diximus : *Si intelligatur de vi ad miserendum verbi gratia, respiciente objectum misericordiæ, ut objectum formalissimum illius* : quia si loquamur de vi ad miserendum respiciente objectum formalissimum voluntatis ut tale, tunc hæc non est distincta ab ipsa voluntate, neque a vi ad amandum propria bona sub prædicta ratione formali, ac proinde actus ei nostro modo concipiendi correspondens, erit ipsemet actus purissimus, in quo consistit ipsamet essentia voluntatis divinæ.

§ IV.

Respondetur ad argumenta aliarum sententiarum.

51. Ad primum primæ sententiæ. Ad primum ergo pro prima sententia distinguendum est antecedens : *Non terminatur ad rem ut consecutam*, reduplicative et tanquam ad rationem *sub qua* saltim ex parte nostri modi concipiendi, concedendum est : *Non terminatur ad rem ut consecutam*, specificative et tanquam ad rationem formalem *quæ* et in *esse* rei, negandum est. Quia licet amor possit non tendere hoc modo ad bonitatem ut consecutam, non tamen id ei repugnat. Unde neganda est consequentia. Et ad probationem in contrarium concedenda est major et distinguenda minor : *Præscindens a consecutione et possessione ejus a se ipso*, præcisione negativa excludente prædictam consecutionem, seu possessionem, concedenda est : præcisione pure præcisiva et ex parte nostri modi intelligendi se tenente, neganda est. Quia licet

cet ex parte rei conceptæ includatur in bonitate, quæ est divina, tam quod sit infinita, quam quod sit ab ipso Deo possessa; nihilominus intellectus ex parte sua potest concipere unum, non concepto saltim expresse alio. Et ideo eodem modo distinguendum est consequens.

Explicatur solutio. Itaque in hoc differt actus desiderii ab amore, quod desiderium præscindit præcisione negativa a possessione boni desiderati, quippe excludens possessionem ejus : at vero amor non petit necessario aliam præcisionem nisi pure præcisivam, et ex parte nostri intellectus se tenentem, quatenus licet terminetur ad bonum etiam ut obtentum specificative; non tamen, saltim ex parte nostri modi concipiendi, terminatur ad illud ut obtentum reduplicative, ita ut hæc sit modo dicto ratio *sub qua*, sed quatenus bonum est.

Unde ut jam diximus, actus amoris, superioris ordinis dicit utramque rationem formaliter eminenter : et ille actus ut amor importat munus quoddam, quo præcise præcisione se tenente ex parte intellectus, tendit in bonitatem infinitam et a Deo possessam quatenus bonitas infinita est : nam bonitatem Dei esse ipsi præsentissimam et ab eo possessam est quid infinite bonum Deo. Et deinde ut est gaudium, dicit aliud munus ex parte solius modi concipiendi distinctum, quo tendit eodem proportionali modo, seu quiescit in illa bonitate, ut Dei est et ut ab ipso possidetur. Quare cum dicitur, proprium esse amoris, tendere in bonum absolute, tantum denotatur ratio *sub qua* amor tendit in bonum; sive illa sit distincta a ratione *sub qua* gaudii ex parte rei conceptæ, ut in amore creato accidit; sive solum ex parte modi concipiendi, ut in amore Dei respectu sui contingit.

52. Ad primam confirmationem. Ad primam confirmationem concedendum est antecedens, et distinguendum consequens : *Qui non terminetur ad ipsam ut obtentam*, quasi materialiter, concedenda est consequentia : quia re vera hoc quod est esse obtentam, non est ratio formalissima *sub qua* ex parte nostri modi concipiendi, terminandi actum amoris, quoad illud munus inadæquatum amandi per amorem peculiariter dictum : *Qui non terminetur ad ipsam ut obtentam*, formalissime et ex parte nostri modi concipiendi, neganda est conseq. Et ad probationem concedi debet antecedens, et fere eodem modo distinguendum etiam est consequens : et si sensus sit quod repugnet divinam bonitatem proponi alio modo, quam ut jam obtentam formaliter, neganda est consequentia : secus vero si velit quod repugnet proponi nisi ut jam obtentam, sive proponatur, ut jam obtenta formaliter, sive simul ut jam obtenta quasi materialiter : quia cum divina cognitio etsi sit simplicissima, nihilominus repræsentet divinam bonitatem omnibus modis, quibus repræsentabilis est, non minus quam si pluribus cognitionibus illam repræsentaret; et ipsa sit repræsentabilis ut obtenta, seu ut possessa formalissime a Deo, et ut infinite conveniens et bona absolute ipsi, ponibilisque secundum affectum ab amore divino (quia revera utrumque habet) fit inde quod totum hoc reluceat in divina cognitione : ac proinde non mirum quod affectus divinus, quippe altioris ordinis, habeat adunate utramque rationem amoris et gaudii respectu bonitatis Dei sic propositæ; ita ut licet ex parte rei conceptæ non distinguantur, bene tamen ex parte nostri modi concipiendi ob rationem dictam.

Ad secundam. Ad secundam confirmationem dicendum est, probare non esse ponendos in Deo diversos affectus etiam ex parte nostri modi concipiendi, qui petant diversos status in illo futuritionis et præsentiæ; non tamen eos qui, modo sæpius dicto, terminantur ad rem præsentissimam specificative vel reduplicative, et solum ex parte ejusdem modi concipiendi, sunt distincti. Nec obest contra hoc, exemplum adductum ibidem de scientia simplicis intelligentiæ et abstractiva : quia hæc non solum præscindit eo modo quo amor a possessione et existentia rei, verum etiam illam, modo alibi dicto, excludit. Unde ad formam argumenti concedendum est antecedens, juxta dicta, et neganda consequentia.

53. Ad secundum argumentum. Ad secundum transeat major, et neganda est minor quoad primam partem. Et ad probationem negandum est antecedens. Tum quia quoties talis actus ob peculiarem rationem suam fertur essentialiter in bonum, quod ab intrinseco et indispensabiliter habet in *esse* rei esse possessum ab amante, tunc ut intra suam lineam sit completus, non est necessarium ut in executione extendatur ad efficaciter ponendum tale bonum, ut in Deo contingit. Tum etiam : quia actus ille amoris, quo Deus vult se esse infinite bonum, et bonitatem illam præsentissimam sibi ipsi vult, est talis naturæ, ut, saltim in affectu, totam illam bonitatem ponat. Quod potest explicari

hac hypothesi, scilicet si per impossibile bonitas divina non existeret in Deo, tunc actus ille amoris, quo illam sibi vult, poneret in eo talem bonitatem.

54. Ad tertium. Ad ultimum negandum est antecedens. Et ad probationem respondetur, quod tam per gaudium, quam per amorem quiescimus in bono; aliter tamen, et aliter. Nam per gaudium quiescimus quatenus bono fruimur, nec restat ultra alius affectus exercendus : per amorem vero quatenus amor ex se est unitivus amantis cum re amata; ac proinde actus amoris perfectissimus et (specificative loquendo) de re præsenti, uniet perfectissime amantem cum amato : imo intra propriam lineam non sistet ibi, sed formaliter et eminenter utramque rationem amoris et gaudii, et utrumque modum quietis importabit, ut probatum et explicatum est.

Nec contra hoc obstat id, quod primo loco in probatione consequentiæ ibidem adducitur. Tum quia, ut modo dicebamus, actus amoris divini utramque rationem, seu modum quietis includit. Tum etiam : quia ratio illa amoris inadæquata inadæquatione se tenens ex parte nostri modi concipiendi, habet quidquid intra suam inadæquationem (ut sic dicamus) requiritur : et solum dicitur vialis quatenus nostro modo concipiendi, et per ordinem ad id, quod invenitur in creaturis concipitur (ut sic loquamur) tanquam ratio a priori æquivalenter talis respectu alterius rationis eodem modo inadæquatæ, quæ est gaudium : at hoc non est esse proprie quid viale etiam ex parte intellectus, quia in creaturis esse rationem, aut radicem alterius non importat necessario quid viale. Per quod etiam patet ad secundum, quod in eadem probatione additur.

55. Ad testimonium D. Thom. pro secunda sententia. Solum ergo superest ad fundamenta secundæ sententiæ, quatenus aliquo modo contra nos pugnant respondere. Et in primis ad testimonium D. Thom. dicendum est quod licet sanctus Doctor expresse ibidem admittat esse in Deo respectu sui amorem proprie et peculiariter dictum; non tamen distinctum virtualiter a gaudio. Et ita, ut ex contextu constat, solum in creaturis concedit distinctionem inter gaudium et amorem; et hanc non qualemcumque, sed realem : quia uterque affectus est in eis limitato modo, et sic unus est realiter radix alterius, ut hinc colligat, quod in Deo ubi sunt illimitate, et respiciunt unam et eamdem rationem adæquatam, sunt formaliter eminenter : et unus non est ratio alterius nisi ex parte nostri modi concipiendi.

Additamentum. Quamvis etiam addi possit, et debeat, amorem Dei respectu sui, esse (ut sic dicamus) virtualem sive æquivalenter rationem a priori respectu gaudii, tum ad eum modum quo supra disput. 2, num. 24 dicebamus, voluntatem divinam esse virtuale principium suæ volitionis, directe ei intra propriam lineam correspondentis : non quidem ut per hoc significetur amorem et gaudium distingui inter se virtualiter; sed ita se habere ut si per impossibile distinguerentur realiter, tunc amor, per se haberet esse rationem a priori gaudii, non tamen e contra. Tum etiam (id quod ex præcedenti sequitur) quia eminentia illa, qua idemmet actus divinæ voluntatis est simul et absque distinctione virtuali amor et gaudium, tribuit illi ut æquivaleat pluribus; non quidem pertinentibus ad diversas lineas, alioqui inveniretur in eo multiplicitas virtualis : sed spectantibus ad unam et eamdem lineam, nempe amori et gaudio. Et ita si præcise consideretur quatenus æquivalet amori creato, habet æquivalenter esse rationem a priori respectu sui ut æquivalet gaudio creato : licet propter defectum distinctionis virtualis unum eorum non habeat formaliter in Deo esse rationem a priori respectu alterius.

56. Ad fundamentum ex ratione petitum. Ad fundamentum vero ex ratione petitum, concesso antecedenti et prima consequentia, quia utrumque asseritur a D. Thom. loco citato, neganda est secunda. Et ad probationem negandum est antecedens quoad amorem repertum in Deo respectu suæ bonitatis. Quia sicut amor iste non dicit unam rationem adæquatam alicujus actus existentis in Deo, sed solum inadæquatam, seu munus quoddam unius indivisibilis actus, ita non respicit distinctum objectum formale ex parte rei conceptæ, aut cum fundamento in re, ut argumentum intendit, sed ex parte modi concipiendi : et ideo prædictum objectum non refundit in actum distinctionem virtualem duarum formalitatum, sed duo munera ex parte modi concipiendi unius et ejusdem rationis formalis.

57. Ad primam confirmationem. Ad primam confirmationem patet ex dictis. Quoniam quod in creaturis actus misericordiæ, et justitiæ, et objecta formalia eis correspondentia, distinguantur formaliter, non provenit ex imperfectione et limitatione harum linearum, sed ex natura

earum

earum secundum se sumptarum : et propterea semper et ubique debent hoc habere, ac proinde etiam in Deo, ut ex dictis in hoc tractatu, disputatione 2, num. 31 et deinceps constat. At quod actus amoris et gaudii respicientes v. g. objectum formalissimum voluntatis, et objecta eorum : et similiter actus justitiæ, qui sit amoris et gaudii, et illorum objecta distinguantur saltim formaliter, non provenit ex vi harum linearum secundum se sumptarum, sed ex imperfectionibus et limitationibus, cum quibus in creaturis sunt involutæ. Quia, ut sæpe diximus, sicut vis ad amandum et gaudendum, ut respiciunt v. g. objectum formalissimum voluntatis, sunt una et eadem vis absque distinctione virtuali, et ei unum et idem objectum formalissimum ex parte rei conceptæ correspondet, ita si hæc sit depurata ab omnibus imperfectionibus suæ lineæ, debet esse ipsemet actualissimus amor et gaudium respiciens idemmet objectum formalissimum voluntatis, quod formaliter eminenter et sub una et eadem formalissima ratione objectiva utramque rationem contineat.

Ad secundam confirmationem patet ex dictis.

Ad secundam.

DISPUTATIO V.

De modo quo divina voluntas circa creaturas se habet, an nimirum libere? an vero necessario circa illas versetur?

1. Explicuimus quomodo voluntas Dei circa suum primarium objectum, scilicet divinam bonitatem secundum se consideratam se gerat; explicemus oportet quomodo circa secundarium, nimirum creaturas in modo volendi se habeat : an libere, an vero necessario easdem velit?

DUBIUM I.

An Deus necessitate quoad specificationem et exercitium simul amet creaturas possibiles?

Quia creaturæ ipsæ sub duplici statu possunt considerari, vel præcise ut possibiles, vel ut futuræ, ac proinde, ut in aliqua temporis differentia existentes, et ille status ad hunc posteriorem præsupponitur, ideo prius inquirimus, an divina voluntas ad creaturas possibiles necessario terminetur? inquisituri deinde modum, quo circa easdem ut futuras versetur.

§ I.

Explicatio tituli.

Cæterum ut titulus dubii intelligatur, et cuncta quæ in illo dicenda sunt, clariora maneant, notandum est primo, quod creaturæ possibiles dupliciter possunt considerari. Vel secundum *esse* quod in Deo habent, vel secundum *esse* possibile proprium et distinctum ab omnipotentia Dei, quatenus licet actu nihil sint, nec ordinem ad existentiam futuram importent; nihilominus afferunt tantam, vel tantam perfectionem possibilem, seu in potentia. Titulus ergo dubii non intelligitur de creaturis possibilibus, ut sunt in Deo, sed de eisdem, ut modo dicto consideratis : quia secundum *esse* quod habent in Deo sunt (ut loquitur Aug.) ipsa creatrix essentia : et ita idem, quoad eas, judicium, ac de Deo, illiusque perfectionibus ferendum est.

Animadversio prior.

August.

Secundo notandum est, quod in ordine ad creaturas possibiles sic sumptas, tripliciter potest intelligi versari divinam voluntatem, scilicet vel efficaciter volendo creare illas, vel voluntate (ut aliqui aiunt) conditionata, quæ intelligitur esse quoddam quasi desiderium existentiæ rei, inefficax tamen, vel denique per quamdam simplicem complacentiam circa essentias earum, quatenus cognoscuntur habere tantam, vel tantam bonitatem possibilem, seu habere capacitatem ad illam. Cæterum quia amor aut volitio primo, vel secundo modo sumpta, plane versatur circa creaturas in ordine ad existentiam, ideo titulus dubii non intelligitur de illis, sed tantum de volitione et complacentia circa res possibiles, secundum suam essentiam possibilem, et modo dicto consideratas. Et licet in titulo videatur supponi, Deum amare creaturas possibiles, ac proinde solum inquiri, an talis amor sit omnimode necessarius? re tamen vera utrumque in dubium vocatur. Nam hæc duo sunt ita inter se connexa, ut nequeat unum sine alio commode explicari.

2. Alia animadversio.

§ II.

Refertur prior sententia.

Prima sententia asserit, Deum amare, seu habere actum complacentiæ circa crea- 3.

turas possibiles, quatenus tales sunt, et hanc complacentiam esse omnino necessariam etiam quoad exercitium. Pro hac sententia refert Villegas controversia 9, disput. posteriore, cap. 2 : Basol. in 1, dist. 45, quæst. 2, art. 1; Radam 1, Controver. controver. 11, art. 2; Herreram, 1, disp. 10, quæst. 14; Vasquez (qui etiam refert pro hac sententia Cajetanum et plures alios) 1 p. disp. 79, cap. 2; Arrubal disp. 53, cap. 3; Herice tract. 2, disp. 18, cap. 1; Becanum 1 p. tract. 1, c. 11, quæst. 3, conclusione 2; Theodorum tract. 3, d. 3, q. 3, num. 45; Granado tract. 3 citato, d. 3; Torres opusc. 5, d. 1, dub. 4, et ex antiquis plures alios adducit idem Villegas ibidem. Sententia hæc sigillatim quoad singulas sui partes, et in primis quoad primam, scilicet Deum habere prædictum actum complacentiæ circa creaturas possibiles, sic suadetur.

Basol. Rad. Herr. Vazq. Arrub. Herice. Becan. Theodor. Granado. Torres.

Primum argumentum.

Res quatenus possibilis, est vere bona : ergo poterit Deus in ea complacere. Consequentia videtur certa : nihil enim aliud ex parte creaturæ potest desiderari, ad hoc, ut sit capax quasi excitandi complacentiam Dei erga se, quam quod habeat aliquam bonitatem. Antecedens vero probatur. Tum quia est vere ens : quandoquidem res in *esse* possibili dicit essentiam metaphysicam, necessariam, invariabilem, et realiter veram : et ideo de illa est vere et proprie scientia, possuntque de eadem propositiones æternæ veritatis verificari : ergo etiam erit vere bona. Patet consequentia. Quia bonitas est una ex passionibus entis, ac proinde convertibilis ad invicem cum ipso. Tum etiam : quia bonitas rei idem est quod integritas illius : sed omnis res antequam existat, intelligitur essentialiter integra; aut se ipsa, si simplex sit; aut partibus suis, si sit composita : ergo per se ipsam, seu per essentialia prædicata, antequam existat, est bona. Tum deinde : quia essentiæ sunt sicut numeri, ut communiter docent Philosophi, idest, in perfectione inæquales : ergo etiam in bonitate, ac proinde quælibet suam affert bonitatem et perfectionem. Tum denique : quia ultimæ differentiæ, per quas essentiæ rerum constituuntur, vere sunt actus essentiales illarum : at omnis actus est perfectio rei : ergo, etc.

4. Corroboratur primo.

Confirmatur primo ex eo, quod essentia creata est quædam divinæ perfectionis participatio, in eaque divina natura et attributa elucent, ut in essentia gratiæ sanctificantis, et virtutibus ab ea dimanantibus cernere licet : at omnis participatio divinæ bonitatis et perfectionis, non potest non esse bonitas et perfectio : ergo, etc.

Corroboratur secundo.

Confirmatur secundo. Quia finis in nobis movet voluntatem ad intentionem efficacem, per quam fit futurus : ergo in illo priori habet bonitatem, per quam moveat, et bonitas illa solum competit ei, ut habet rationem possibilis. Patet consequentia quoad secundam ejus partem (prima enim ex antecedenti constat) quia prædicta bonitas convenit illi ante intentionem, per quam redditur futurus, ac proinde ut habet rationem possibilis.

5. Secundum argumentum. Vazq.

Secundo eadem sententia quoad ultimam partem suadetur a Vazquez. Si Deus libere diligeret creaturas possibiles, posset ab æterno eas diligere et non diligere, ut ex se constat : at hoc implicat : ergo et illud. Minor probatur. Quia ad id requirebatur, ut posset esse aliqua variatio, aut in essentia Dei, aut in rebus ipsis possibilibus : duo enim extrema eodem modo se habentia non possunt esse fundamentum contrariarum denominationum, quales sunt diligere, et non diligere : at nulla variatio excogitari potest neque in Deo (ut manifestum est) neque in ipsis rebus possibilibus, quoniam eodem modo semper et necessario possibiles sunt : ergo non potest eas libere diligere, ita ut licet illas nunc diligat, possit tamen easdem non diligere.

Confirmatio.

Confirmatur et explicatur, prænotando quod per actum liberum voluntas refertur ad objectum per relationem volentis ad rem volitam, ita ut talis relatio non habeat *esse* necessarium, sed liberum, ut ex se constat : tunc ergo sic. Extrema absoluta in quibus non potest esse aliqua contingens variatio, semper in se sunt eodem modo, idque necessario : ergo inter talia extrema non potest esse relatio, aut extrinseca denominatio non necessaria, per quam inter se comparentur per relationem liberam volentis et voliti. Patet consequentia. Quia relatio non necessaria oriri debet ex aliquo extremo non necessario, aut ex conditione contingenti non necessaria : ergo cum in voluntate divina, vel possibilitate creaturarum nulla possit esse, ut dicebamus, contingens variatio, fit inde, ut nec possint referri per relationem liberam volentis et voliti.

6. Alia confirmatio.

Confirmatur secundo. Ideo divina voluntas potest ferri absque sui mutatione in rem futuram volendo illius futuritionem, quia ibi involvitur futura mutatio : ergo cum

cum essentia possibilis dum consideratur præcise ut possibilis, sit omnino incapax mutationis, sicut etiam est incapax inceptionis, aut desitionis, fiet inde, ut libera Dei volitio nequeat ad ipsam terminari.

Confirmatur ultimo. Confirmatur tandem. Quia si absque aliqua omnino variatione extremorum posset esse complacentia et non complacentia, ita ut sicut res placet, potuerit etiam displicere, fieret inde, quod etiam si ab æterno Deus non dilexerit, aut non complacuerit in re aliqua, possit tamen nunc complacere, et diligere illam, aut etiam si complacuerit, non complacere deinde : quandoquidem sola immutabilitatis divinæ ratio obviat quominus Deus denuo nequeat alios habere actus præter eos, quos ab æterno habuit : et ideo relatio Domini, aut Creatoris potest ei denuo advenire, quia absque mutatione convenire potest : ergo si semel datur ad hanc denominationem libere volentis non requiri aliquam variationem ex parte extremorum, nihil oberit quominus Deus possit de novo, et in tempore incipere complacere.

7. Tertium. Tertio et principaliter hæc eadem pars probatur. Si creaturæ possibiles implicarent contradictionem, Deus non esset omnipotens, et per consequens, nec prima causa, nec Deus : ergo necessario amat illas ut possibiles. Antecedens ex se videtur patere. Nam sicut Deus non potest producere chimeram, quia illa implicat, ita si cuncta præter Deum implicarent, nihil posset facere, ac proinde non esset prima causa, aut omnipotens, imo nec potens, et consequenter nec esset Deus, ut modo est. Consequentia vero probatur. Quia amans necessario suum *esse*, fertur in omne id sine quo evidenter scit, tale *esse* dari non posse ; sive illud per modum partis essentialis, sive per modum conditionis *sine qua non* desideretur : quoniam hoc ipso quod talis conditio sit indispensabilis, nequibit proprium *esse* amatum consistere sine illa : ergo cum Deus necessario amet se et omnipotentiam suam, amabit etiam necessario possibilitatem creaturarum sine quibus divina omnipotentia consistere nequit.

8. Corroboratio. Confirmatur. Eo ipso quod Deus omnino necessario amet omnipotentiam suam, amat illam ut valentem producere res possibiles : ergo volitio ipsa extenditur usque ad ipsas creaturas possibiles. Antecedens est omnino notum. Consequentia vero probatur. Ideo divina scientia pertingit usque ad creaturas possibiles, prout sunt in se ipsis, cognoscendas, quia versatur circa divinam omnipotentiam, ut circa objectum primarium, et hæc est virtus factiva earum : ergo cum etiam divinus amor versetur circa eamdem omnipotentiam, ut factivam creaturarum possibilium, tanquam circa objectum primo dilectum, non poterit non usque ad creaturas possibiles, in se ipsis amandas, pertingere : non enim est minus (ut sic dicamus) comprehensivus amor Dei respectu illius, quam scientia, qua se ipsum comprehendit. Unde sicut scientia Dei, quia comprehensiva, pertingit usque ad cognitionem effectuum possibilium, ita ob eamdem rationem amor extendetur ad easdem creaturas possibiles.

§ III.

Proponitur secunda sententia.

9. Secunda sententia Scot. Secunda sententia asserit, res possibiles amari posse a divina voluntate, non tamen necessario, sed libere. Pro qua refertur Scotus in 3, dist. 32, quæst. unic. art. 3, et alii ex junioribus. Et quidem quoad primam partem patet ex probationibus præcedentis sententiæ pro prima illius parte adductis. Quoad secundam vero sic suadetur. Creaturæ possibiles non habent bonitatem infinitam, sed simpliciter finitam in genere entis : at necessitare voluntatem, vel nullius boni est proprium, vel id solummodo competit bono infinito, ut supra in hoc art. disp. 4, dub. 1 diximus : ergo etc.

Primum fundamentum secundæ sententiæ.

Confirmatio. Confirmatur. Tum quia creaturæ existentes plus habent de bonitate quam possibiles, sicut etiam plus in eis reperitur de entitate et actualitate ; et nihilominus non amantur à Deo necessario : ergo multo minus possibilia. Tum etiam : quia voluntas creata non rapitur necessario à bonitate creaturæ possibilis, ut experientia constat : ergo nec divina, quæ quo excellentior, eo minus addicta est bono creato et finito.

10. Solutio. Nec refert si dixeris, satis esse ad hunc amorem necessarium, quod divina potentia tantam habeat cum creaturis possibilibus connexionem, ut si per impossibile implicarent, Deus non esset omnipotens : quia hoc ipso quod ametur necessario omnipotentia, debent etiam ipsæ necessario amari.

Impugnatio. Nam contra hoc est, quod consistentia (ut sic dicamus) divinæ potentiæ non pendet a creaturarum possibilitate, ac proinde ex nullo capite poterit assignari hujus necessitatis radix. Antecedens patet. Tum

quia *esse* divinæ potentiæ est omnibus modis à se : ergo nequit pendere ab alio. Tum etiam : quia plus necessitatis et consistentiæ habet divinum *esse*, quam possibilitas creaturarum : nam cum necessitas subsequatur ad entitatem, fit inde, ut sicut divinum *esse* superat in entitate cunctas entitates possibiles, ita etiam in necessitate essendi : at si penderet a creaturarum possibilitate, non esset major consistentia in omnipotentia, nec amplior necessitas essendi, quam in ipsa possibilitate creaturarum : quandoquidem hac destructa, periret divina potentia, divinumque *esse*.

11. Secundum. Secundo. Deus nequit æqualiter in cunctis creaturis possibilibus complacere : ergo nec necessario. Antecedens patet. Tum quia hoc esset contra rectitudinem divinæ voluntatis, quæ essentialiter petit, ut quæ plus diligibilia, et (ut sic dicamus) plus complacibilia sunt, diligantur magis, magisque in ipsis divina voluntas complaceat : at creaturæ possibiles sunt inæqualis perfectionis essentialis, ac proinde inæqualis complacibilitatis : ergo etc. Tum etiam : quia quo peccatum aliquod est gravius, eo magis displicet Deo : ergo quo bonitas creaturæ major fuerit, eo magis debet illi complacere. Consequentia vero etiam constat. Quia per amorem necessarium fertur voluntas in suum objectum secundum ultimum suæ potentiæ, quia fertur per modum naturæ, cujus proprius operandi modus est operari secundum ultimum potentiæ : ergo amor necessarius, hoc ipso quod talis, est æqualis respectu omnium, ad quæ se extendit : ubi enim ad ultimum (ut sic dicamus) in intensione amoris acceditur, quonam ulterius progredi potest?

Corroboratio. Confirmatur. Quia alias Deus non magis complaceret in sua bonitate, quam in creaturis possibilibus : at hoc prorsus repugnat : ergo etc. Sequela patet ex dictis. Minor vero ex se, et ex iis, quæ jam diximus, constare videtur.

12. Ultimum. Ultimo. In id, quod necessario amatur, naturaliter et necessario inclinatur amans, ad illudque necessariam habitudinem dicit : at implicat ponere in Deo naturalem inclinationem, aut realem habitudinem ad aliquid creatum ; alioqui secundum aliquid sui et sibi intrinsecum specificaretur a creaturis, et consequenter ab eis suam perfectionem haberet : ergo etc.

Confirmatur. Confirmatur. Nam vel habitudo, quam diceret divina voluntas ad hujusmodi objectum, esset tam necessaria sicut illa, quam dicit ad suam bonitatem? vel non? Si primum, ergo ita est necessaria sicut *esse* divinum : ac proinde est realis et infinita sicut ipse Deus, nec minus pendebit divina voluntas a creaturis, quam a bonitate Dei. Si secundum, ergo est habitudo libera. Patet consequentia. Quia quidquid est in Deo, et non est tam necessarium sicut Deus, est quid liberum.

§ IV.

Vera mens D. Thomæ et primum ejus fundamentum.

13. Conclusio. Sed nihilominus dicendum est, Deum non diligere, seu non complacere omnino necessario in creaturis possibilibus, quatenus sunt præcise possibiles ; imo nec diligere eas, aut in eisdem complacere. Ita D. Thom. locis disputatione 3, num. 31 relatis. Nam quæst. 23 de Veritat. art. 4 ad 13 explicans quid sit Deum velle creaturas, sic ait : *Cum dicitur Deum velle aliquid, non significatur illud aliquid inesse Deo ; sed tantummodo importatur ordo ad illius effectionem in propria natura.* Quare cum respectu possibilium ut talium, et ut in ratione possibilium manent, non importetur ex parte Dei et voluntatis ipsius ordo aliquis ad illorum effectionem, neque etiam importabitur *velle* et amor ex parte ipsius in ordine ad eadem possibilia ut talia. Et in 1, distinctione 45, quæstione 1, art. 2 ad 2 : *Illud quod est volitum sicut finis, est movens voluntatem et perficiens eam : et sic nihil movet voluntatem divinam nisi Deus : sed illud quod est ordinatum ad finem, est volitum ab eo, ut effectum a voluntate, et motum ab eo.* Idem etiam docet infra quæst. sequenti artic. 2 et supra quæst. 6, art. 3 inquit, ea solum, quæ in aliqua differentia temporis existunt, esse bona, ac proinde ea sola, non vero pure possibilia, esse amabilia. Quod etiam docuit D. Thom. in hac eadem 1 p. q. 5, art. 1 et 3. D.Thom.

Unde sanctum Doctorem sequuntur Cajetan. in hac 1 part. quæst. 20 art. 2 et quæst. 5 art. 3, Ferrara 4 contra Gent. cap. 13, Bannez infra quæst. 34 art. 3, Zumel ibidem disputat. 1 ad 3, Navarrete controversia 3, Gonzalez disputat. 52 sect. 2, Suarez lib. 3 de attributis positivis cap. 6 num. 10 et lib. 11 de Trinitat. cap. 2 num. 9, Villegas controversia 9 disput. posteriore cap. 3, qui refert Altisiodorensem, Henric. Durandum, Holcoth, Aliacum Cajet. Ferrara Bannez. Zumel. Navarr. Gonzalez Suarez. Villegas. Altisiod. Henric. Durand. Holcoth. Aliac.

Bonav. Capr. cum, Bonaventuram, Capreol. Gabriel. et alios.

14. Ratio prior assertionis. Ratio autem prior et fundamentalis hujus assertionis desumitur ex locis D. Thom. nuper citatis, et ex iis, quæ disputat. 3 a num. 29 usque ad 33 diximus. Quoniam in Deo respectu creaturarum nequit dari amor affectionis, sed effectionis, ut ibidem explicuimus et probavimus : ex eo quod Deus ratione suæ eminentiæ nequit transformari in rem amatam, cum tamen proprium sit amoris affectionis transformare amantem in amatum : ergo nequibit amare creaturas possibiles, ut sub statu possibilitatis manent. Patet consequentia. Quoniam circa illas sub hac consideratione sumptas nihil efficit : ac proinde neque eas amabit amore effectionis, quo voluntas divina ad creaturas modo, loco citato, jam explicato, terminatur.

15. Objectio. Nec refert si objicias, multoties a sanctis Patribus dici, quod Deus amans creaturas extasim patitur, seu (quod in idem redit) extra se quodammodo est, et in rem amatam transformatur : ergo non est cur ex hoc capite negetur illi amor affectionis erga creaturas, ac proinde quod habeat prædictum amorem circa illas, etiamsi nihil efficiat erga eas, sed ipsæ sub statu puræ possibilitatis maneant.

Solvitur. Respondetur enim, quod modus ille, quo juxta sanctos Patres Deus amans creaturas transformatur in illas, potius est modus trahendi illas ad se : quia eatenus dicitur quodammodo transformari in eas, quatenus trahit illas ad se communicando eis aliquid de sua infinita bonitate, et ab eadem bonitate motus. Quæ solutio desumitur ex D. Thom. in 3, dist. 32, quæst. 1, art. 1 in solutione ad 3. Nam cum sibi sic objecisset : *Amor transfert amantem in amatum, ut vivat jam vita amati, ut dicit Dionys. in lib. de divin. nomin. Sed Deus non transfertur in aliquid aliud, cum sit immobilis, sed omnia ad se trahit, ut dicitur Joann.* 12 ; *ergo ipse non amat creaturam.* Respondet in hæc verba : *Ad tertium dicendum, quod amor omnis transfert quodammodo amantem in amatum, sed diversimode. Uno modo secundum quod amans transfertur in participandum ea, quæ sunt amati. Alio modo ut communicet amato ea, quæ sunt sua. Primo ergo modo Deus non transfertur in amatum, quod est creatura ; sed secundo modo in quantum bonitatem suam ei communicat : et sic dicit Dionys. 4 cap. de divin. nomin. quod ipse Deus est per amorem extasim passus.* D. Thom.

Quod etiam repetit et explicat ibidem in solutione ad 4. Nam cum in contrarium objecisset : *Quod amans quomadmodo subjicitur amato in quantum affectus amantis amato informatur : sed Deus nullo modo creaturæ subjicitur : ergo nullo modo amat creaturam.* Occurrit sic : *Ad quartum dicendum, quod potentia passiva informatur ex objecto suo, sed potentia activa ponit formam suam circa objectum : sicut patet de intellectu agenti et possibili. Unde sicut intellectus divinus non informatur rebus, quas cognoscit per essentiam suam, ita nec voluntas ejus informatur rebus quas amat : quia eas per bonitatem suam amat et amando communicat eis bonitatem suam.* Ex quibus testimoniis etiam constat, quomodo D. Thom. erga creaturas non cognoscat alium amorem, præter amorem effectionis, ac proinde solum erga creaturas futuras talis amor a S. Doctore admittatur. Idem S. Doct.

§ V.

Fundamentum secundum pro vera D. Thom. sententia.

16. Alia ratio pro assertione. Secundo probatur assertio ratione deprompta ex D. Thom. locis citatis et statim referendis, quæ potest sub hac forma proponi. Nam licet creatura possibilis habeat capacitatem, seu non repugnantiam ad hoc, ut illi communicetur bonitas aliqua ; nihilominus ut habeat illam, necesse est, quod sit existens, aut saltim in aliqua temporis differentia sit habitura existentiam : at creaturæ ut possibiles nullam habent existentiam ; imo nec illam sunt habituræ, ut sub hac præcisa ratione possibilium considerantur : ergo non sunt simplici aliqua complacentia diligibiles : ergo multo minus complacentia omnino necessaria. Utraque consequentia videtur evidens. Non enim actus complacentiæ nisi ad id, quod aliquam habet bonitatem terminatur : quandoquidem nihil potest complacere nisi bonum, et maxime cui omnia pro meritis complacent Minor etiam ex se patet. Nam hoc ipso quod creatura consideretur ut habens, aut habitura existentiam, jam non concipitur sub præciso possibilitatis gradu, sed ut est in statu existentiæ, aut futuritionis.

Probatio majoris ex triplici testimonio. Major, in qua est difficultas, est D. Thom. loco citato ex hac 1 p. q. 6, art. 3, ubi sic ait : *Respondeo dicendum, quod solus Deus est bonus per suam essentiam. Unumquodque enim dicitur bonum, secun-* D. Thom.

dum quod est perfectum. Perfectio autem alicujus rei triplex est. Prima quidem, secundum quod in suo esse constituitur. Secunda vero, prout ei aliqua accidentia superadduntur ad suam perfectam operationem necessaria. Tertia vero perfectio alicujus est per hoc, quod aliquid aliud attingit sicut finem : utpote prima perfectio ignis consistit in esse, quod habet per suam formam substantialem. Secunda vero ejus perfectio consistit in caliditate, levitate, et siccitate, et hujusmodi. Tertia vero perfectio ejus est, secundum quod in loco suo quiescit. Hæc autem triplex perfectio nulli creato competit secundum suam essentiam, sed soli Deo, cujus solius essentia est suum esse etc. Ubi, ut vides, D. Thomas nulli creaturæ, sed soli Deo tribuit bonitatem quoad essentialia præcise sumpta : quia solus ipse est essentialiter existens : ac proinde sentit, quod ad rationem boni necessario requiritur, quod res existat in aliqua differentia temporis.

17. Idem etiam docuit sanctus Doctor in eodem art. in solutione ad 1. Ubi cum sibi sic objecisset : *Sicut unum convertitur cum ente, ita et bonum : sed omne ens est unum per suam essentiam, ut patet per Philosophum in 4 Metaphys. ergo omne ens est bonum per suam essentiam.* Respondet in hæc verba : *Dicendum, quod unum non importat rationem perfectionis, sed indivisionis tantum, quæ unicuique rei competit secundum suam essentiam. Simplicium autem essentiæ sunt indivisæ et actu et potentia : compositorum vero essentiæ sunt indivisæ secundum actum tantum : et ideo oportet, quod quælibet res sit una per suam essentiam ; non autem bona, ut ostensum est.*

Et tandem quæstione 5, art. 1, sic inquit : *Ratio enim boni in hoc consistit, quod aliquid sit appetibile. Unde Philosoph. in 1 Ethic. dicit, quod bonum est, quod omnia appetunt. Manifestum est autem, quod unumquodque est appetibile secundum quod est perfectum : nam omnia appetunt suam perfectionem. In tantum est autem perfectum unumquodque, in quantum est actu : unde manifestum est, quod in tantum est aliquid bonum, in quantum est ens :* (intellige non solum nominaliter, sed etiam participialiter) et ita rationem hujus reddens ait : *esse enim est actualitas omnis rei, ut ex superioribus patet.* Ubi ut vides D. Thom. sine existentia, per quam res sit actu, non tribuit rebus quod habeant bonitatem

18. Deinde eadem major ratione, quæ in prædictis testimoniis innuitur, suaderi potest. Quia bonum in idem cum perfecto et integro coincidit : unde ad ejus rationem non potest non desiderari ultimus actus integrans et perficiens ipsum : at existentia est ultimus actus : ergo non potest bonitatis ratio in rebus reperiri, nisi dum sunt sub actuali existentia, aut per ordinem saltim ad illam, ut aliquo modo futuram : et ideo Philosophus 3 Metaphys. dixit, quod in mathematicis non est bonum : ex eo quod a materia et existentia abstrahunt.

Eadem major ratione suadetur.

Arist.

Explicatur hoc. Nam existentia aliter integrat rem aliquam, quam plura alia, quæ ad ejusdem rei integritatem spectant. Nam proprietates v. g. ita integrant essentiam, ut sine illis maneat essentia integra integritate essentiali. Cæterum existentia ita integrat, ut ejus actuatio fit indispensabiliter requisita ad quamvis integritatem, quæ re vera in se sit aliquid ; sive illa integritas sit essentialis ; sive (ut sic dicamus) attributalis. Unde si semel secludas existentiam, saltim ut futuram in re vel in apprehensione, ita ut nec per modum conditionis, aut connotati vel ultimæ actualitatis ibidem sit, non solum non erit omnimoda rei integritas, verumetiam nec integritas in ordine essentiæ, quæ in se sit aliquid, aut in se et extra suam causam cogitetur ut aliquid. Quare non mirum quod sine eadem existentia, sicut non est integritas, ita nec bonitas.

Explicatio præcedentis probationis.

19. Confirmatur primo ex D. Thom. in hoc art. ad 6. Quoniam bonum est objectum voluntatis : at proprium est voluntatis ferri in res prout sunt in se, ut communiter docent Theologi et Philosophi : ergo signum est, bonum non convenire rebus nisi prout habent *esse* in se, ac proinde prout in aliqua temporis differentia existunt : alias non esset cur voluntas tendens in bonum, tenderet in res prout sunt in se.

Confirmatur secundo. Res possibiles, ut sic consideratæ, tantum sunt possibiliter bonæ : ergo non sunt objectum congruum divinæ complacentiæ, aut alicujus alterius complacentiæ creatæ. Antecedens patet. Quia res possibilis ut sic, nihil est actu saltim in se ; ac proinde nihil bonitatis actu habet. Nam cum ita res sit bona sicut est ens in se, modo tamen jam dicto, fit inde, ut quod nullo modo habet in se actu aliquid entitatis, nihil etiam bonitatis habeat. Consequentia vero probatur. Quia affectus complacentiæ præsupponit suum objectum a parte rei positum, vel cogitatum

Confirmatio prior.

Alia confirmatio.

tum ut existens in aliqua differentia temporis, habensque actu rationem boni : quia non terminatur ad dandam tam in affectu quam in effectu bonitatem, sed ad complacendum in ea, quam objectum jam habet.

20. onfirmatur ltimo. Confirmatur tertio. Quia si bono possibili ut sic, conveniret ratio objecti complacentiæ necessariæ, fieret inde, ut malum possibile ut sic, esset sufficiens objectum displicentiæ et odii : ac proinde subjectum cui intelligeretur adjuncta talis potentialitas, seu tale bonum, aut malum possibile, conciperetur etiam capax, aut dignum complacentiæ, si possibilitas sit alicujus boni; aut displicentiæ, si possibilitas sit mali : at hoc est omnino falsum : ergo etc. Ex se constat utraque sequela. Minor vero etiam patet. Non enim homo ratione peccati possibilis potest esse objectum simplicis displicentiæ et odii Dei : alioqui Deus omnes justos, qui in gratia sunt, et usque ad finem vitæ in eadem perseverabunt; imo etiam omnes beatos, et quod magis est beatissimam Virginem, necnon Christi Domini humanitatem prosequetur odio; quippe cum omnes hi sint possibiliter peccatores : cum non repugnet ab humanitate Christi Domini auferre hypostaticam unionem, tribuique illi propriam subsistentiam, et ab omnibus justis et beatis gratiam sanctificantem, et ita in peccatum labi : ergo etc.

21. jectio. Nec refert si contra dicta objicias, inde sequi, quod non solum res ut possibilis, verum nec etiam eademmet ut futura possit esse objectum amoris et complacentiæ sive increatæ, sive creatæ. Nam per hoc quod res si futura, non est aliquid, sed erit : nec imbibit existentiam, sed solum dicit ordinem ad illam : at hunc ordinem etiam importat res possibilis, ut ex se patet, et ideo chimera non est possibilis, quia non est possibiliter existens : ergo etc.

onfir- natio. Confirmatur. Res possibilis ut dicit conjunctum quoddam resultans ex essentia et existentia possibilibus, intrinsece includit eamdemmet essentiam et existentiam, quæ actu inveniretur in illa, si produceretur : ergo si ordo iste rei possibilis ad existentiam, non reddit ipsam objectum complacentiæ et amoris, quia totum hoc nihil actu est, sed potest esse, ita ordo rei futuræ ad futuram existentiam, non reddet illam bonam, nec objectum dignum complacentiæ : quia totum hoc nondum est aliquid, licet futurum sit.

Non itaque hoc refert. Quia in futuro duo tempora virtute includuntur, scilicet tempus præsens, in quo est futurum, quia quod cras habebit existentiam, modo est futurum : et insuper tempus futurum, scilicet dies crastinus, in quo erit præsens : aliter tamen et aliter. Nam in tempore præsenti in quo res futura habet esse futuram, dicit negationem existentiæ, cum determinatione tamen ad illam : at pro tempore futuro non habebit talem negationem, sed verum *esse* in actu : et ita si semel tale tempus adveniat, statim de re illa enuntiabitur, quod est; licet modo ante adventum illius differentiæ temporis, solum possit verificari de eadem, quod erit. 22. Occurritur objectioni.

Ex quo fit, quod licet res die crastina futura, non possit nunc pro nunc diligi, et esse objectum complacentiæ nisi secundum quid, quatenus futuritio, seu determinatio ejus ad essendum, quæ nunc est, quæque in rebus possibilibus præcise ut possibilibus non reperitur, habet rationem quasi viæ ad existentiam pro tempore futuro; bene tamen nunc pro crastina die, quando de ea verificabitur, quod est. Unde Deus eos, quos scit a peccato, in quo sunt, resurrecturos, odit nunc pro nunc; amat tamen nunc pro tunc, idest, pro tempore futuro, in quo gratiam habebunt : quia nunc pro nunc sunt (ut sic dicamus) quasi tantum possibiliter sancti et justi. Cæterum res possibilis præcise sumpta in quantum possibilis, pro nullo tempore est futura, nec cogitatur ut futura, vel ut præsens : ac proinde nullo modo habet determinationem ad existendum : et ita in nulla temporis differentia de illa verificabitur, quod sit : et consequenter secundum istam rationem nunquam est objectum congruum ad amorem, seu complacentiam.

Diximus : *Nec cogitatur ut futura vel ut præsens*, quia ut res possibilis possit terminare actum amoris vel complacentiæ saltim in nobis, sufficit ut apprehendatur ut futura, vel ut præsens : et per consequens quod ratione hujus apprehensionis reluceat ibidem futuritio et existentia rei in aliqua temporis differentia, quamvis revera non sit futura. Nam cum modus movendi causæ finalis sit metaphoricus et intentionalis, satis est prædictus modus futuritionis aut existentiæ ad affectus voluntatis nostræ excitandos. Per quæ ad confirmationem satis patet. Animadversio.

§ VI.

Fundamentum ult. in favorem sententiæ D. Thom.

23. Tertia ratio assertionis. D. Thom.

Tertia ratio principalis pro assertione desumitur ex eodem sancto Doctore quæst. sequenti art. 2. Quia amare est velle alicui bonum aliquod, ut est commune totius scholæ axioma : at creaturæ possibili præcise ut possibili non vult Deus aliquod bonum : ergo nec amat illam. Minor probatur. Tum quia Deus non vult creaturam possibilem habere existentiam, si illa sub puro possibilitatis statu semper manet; imo vult ut non sit : at sine existentia (ut probavimus) nullum est bonum : ergo etc. Tum etiam : quia rei possibili sub statu possibilitatis semper manenti Deus vult quasi omne malum, quandoquidem vult illi carentiam omnis entitatis. Tum denique : quia dum res anihilatur, dicitur Deus illam omnimode odisse (eo saltim modo, quo odium in divina voluntate esse potest) quia tollit ab ea quoad omnes suas partes et rationes formales existentiam, ac proinde essentiam actualem : ergo si decernit, quod res possibilis nunquam sit, fit inde, ut quasi odio habeat omnimode illam, et ita nullum ei bonum velit, nullove modo illam amet.

Confirmatur.

Confirmatur ex iis, quæ contingunt in nobis. Quia nos non amamus rem aliquam, nec complacemus in illa, nisi sit aut cogitetur existens pro aliqua temporis differentia : nec aliquid intendimus nisi saltim ut futurum, modo tamen alibi dicendo : nec desideramus aut speramus illud, nisi ut aliquo modo adipiscendum, ac proinde cum existentia pro tempore futuro saltim in apprehensione nostra : nec gaudemus de eodem, nisi prius sit jam habitum et præsens cum sua existentia, vel cogitetur ut præsens : ergo signum est, quod existentia, saltim modo dicto, involvitur semper in ratione objecti diligibilis : et consequentur quod non possit quis velle alicui rei bonum, nec amare eam, aut in eadem complacere, dum manet in statu possibilitatis, et non vult illi existentiam in aliqua temporis differentia, aut in re illa ut existenti complacet. Patet consequentia. Quia omnes affectus partis affectivæ et amantis, in iis, quos jam recensuimus, includuntur.

§ VII.

Diluuntur argumenta primæ sententiæ.

24. Ad primum primæ sententiæ.

Ad primum pro prima illius parte negandum est antecedens. Et ad primam probationem concedendum est antecedens, et neganda consequentia. Nec contra hoc obest id, quod primo loco ibidem adducitur, scilicet rem possibilem esse vere ens. Quia bonum non est passio entis præcise nominaliter sumpti, sed ut etiam dicit existentiam in aliqua differentia temporis : et ita omnes passiones entis, quæ sub illa dictione *Revbau* continentur, convertuntur cum ente sic sumpto ; non vero cum illo solum nominaliter accepto, ut ex D. Thom. n. 16 et 17 dicebamus. Nam si hoc modo sumatur, aliqua ex illis cum eo non convertuntur, aliqua vero convertuntur.

Discrimen inter verum et bonum.

Nec etiam obest id, quod ibidem additur, nempe rem possibilem dicere essentiam metaphysicam, invariabilem, et realiter veram. Quoniam ratio entis nominaliter seu essentialiter accepti præscindit ab existentia in se ipso : et ita formaliter sumpta, tantum dicit prædicata essentialia, connotando tamen pro fundamento, quod alias sint existentia, sive in se, sive in causa, aut in ideis, et exemplaribus divinis, quæ veræ sint causæ illius. Et similiter veritas transcendentalis formaliter considerata præscindit ab existentia rei in se, vel in sua vera causa ; et tantum importat de formali convenientiam et commensurationem prædicati cum subjecto : quamvis pro fundamento indispensabiliter requirat rem illam esse possibilem : ac proinde habere saltim existentiam in sua causa. At vero bonum est quid materialius, seu magis concretum et necessario concernens *esse* actuale rei in se in aliqua temporis differentia : et ita debet necessario addere aliquid in sensu explicato, supra essentiam præcise ut possibilem, et dicentem prædictam convenientiam et commensurationem.

25. Explicatio præcedentium ex D. Thom.

Cujus rationem tradidit D. Thom. ex propria natura intellectus et voluntatis, et diverso modo tendendi utriusque. Nam licet intellectus cognoscat res secundum proprium *esse* earum, attamen ex vi propriæ lineæ, habet non aliter percipere illas, nisi trahendo easdem ad se secundum *esse* repræsentativum : et ideo proprius modus tendendi illius est attingere res prout sunt in se ipso. Unde id quod satis fuerit ad hoc ut res absque aliqua fictione sit repræsentative

tative in intellectu, sufficiet ad hoc ut ratione talis *esse* repræsentativi possit ab eodem intellectu attingi, habeatque veritatem transcendentalem. Quare cum ad hoc sufficiat, quod res illa pro fundamento importet realem possibilitatem, et de formali dicat prædictam commensurationem et convenientiam absque omni fictione intellectus, consequens est, quod ut aliquid veram habeat intelligibilitatem, veritatemque transcendentalem, non requiratur, quod existat in se, aut dicat ordinem, seu determinationem ad existentiam futuram.

Cæterum voluntas ex vi propriæ lineæ terminatur ad suum objectum, non quidem trahendo illud ad se, sed potius movendo et impellendo se ad illud prout est in se ipso. Nam appetitus trahitur et allicitur a bono. Unde si res in se nihil in aliqua temporis differentia et modo dicto fuerit, nec in se pro eadem temporis differentia aliquid habuerit bonitatis, non poterit voluntas in illam ferri : sicut neque intellectus attingere id, quod secundum *esse* repræsentativum actuale, seu in actu primo non fuit prius attractum ad eumdem intellectum, in eoque intentionaliter non existit.

26. Explicatio amplior. Potestque hoc explicari ex iis, quæ tradit Navarrete controversia citata prope finem. Nam licet essentia metaphysica rei possibilis, quantum est ex propriis meritis, et non repugnantia terminorum præcise sumptis, non sit formaliter vera veritate transcendentali, seu objectiva, sed tantum in potentia; nihilominus quia modus quo res possibilis est attingibilis ab intellectu, est per hoc quod ratione alicujus alterius entis in actu trahatur ad intellectum, ideo id quod deest de actualitate in se rei possibili, ad hoc ut sit vera veritate transcendentali, seu objectiva, suppletur per hoc quod habeat *esse* in sua causa, ratione cujus possit radicaliter et per modum objecti movere intellectum, et trahi mediante specie ad illum : ac proinde ratione cujus possit habere id, quod præsuppositive requiritur ad hoc ut ei ratio veri transcendentalis sive objectivi formaliter sumpta conveniat. Quia ut dicebamus ratio formalis veri transcendentalis seu objectivi conveniens effectui, ut aliquo modo distincto a sua causa, abstrahit ab hoc quod habeat veram *esse* in se et ex propriis meritis, vel in causa et ex meritis ejus : at hoc non reperitur in bono. Cujus signum est, quod voluntas, cujus proprium objectum est bonum, tendit ad res prout sunt in se; ac proinde bonitas convenit rebus prout in aliqua temporis differentia sunt aliquid in se : et ita rei possibili ut tali, quæ in se nihil est, sed solum in sua causa, non potest bonitas, quæ sit formaliter talis, et distincta aliquo modo a sua causa, convenire.

27. Ad alia quæ in eodem argumento adducuntur. Per quod etiam patet ad id, quod ibidem dicitur, scilicet de re possibili posse esse propositiones æternæ veritatis : Quamvis etiam addi possit, ex hoc nihil concludi. Nam hæc propositio : *Chimera est monstrum impossibile*, est æternæ veritatis, et tamen ipsa chimera non est formaliter ens. Unde propositiones quidditativæ et essentiales, sunt æternæ veritatis : quia non significant rem habere determinate *esse* in se, aut in causa, aut in intellectu creato, sed abstrahunt ab omni *esse* (ut sic dicamus) determinato : et tantum denotant rem habere illud *esse*, quod de illa enuntiatur, sive habeat illud in se, sive in causa, sive in intellectu creato, sive in divino.

Ex quo etiam ad reliquas probationes ejusdem antecedentis patet. Ad secundam quidem, quod natura ante existentiam, aut ordinem dictum ad illam, tantum est integra in potentia. Ad tertiam probationem, sensum illius axiomatis : *Essentiæ sunt sicut numeri*, esse, quod si diversæ essentiæ ponantur existentes, tunc sicut ratione existentiæ, saltim ut connotati et conditionis, erunt actu bonæ, sic una excedet aliam. Ad ultimam denique probationem satis patet ex dictis.

28. Ad primam confirmationem. Ad primam confirmationem respondetur, nihil participare divinam naturam prout bonam et perfectam, nisi connotando quod sit existens, aut dicens ordinem jam dictum ad existentiam. Ad secundam confirmationem respondetur, finem tunc movere et esse bonum : quia cogitatur non solum secundum *esse* possibile, sed cum existentia et exercitio illius, quod postea in executione habiturus est : et hoc sufficit in fine, et respectu voluntatis creatæ propter rationem supra tactam.

29. Ad secundum. Ad secundum cum suis confirmationibus dicendum est, nihil convincere contra nos. Nam hoc ipso quod creaturæ ut possibiles nullam habeant bonitatem, nec illis dum sub statu possibilitatis manent, communicetur aliqua bonitas, consequens est, ut secundum hanc rationem non sint amabiles, ac proinde nec libere nec necessario possint diligi.

Quamvis satis probabiliter addi possit,

Additamentum. quód si per impossibile creaturæ possibiles, quatenus sistunt in statu possibilitatis, haberent bonitatem formaliter talem aliquo modo distinctam a bonitate suæ causæ, sive rationis a priori scilicet divinæ omnipotentiæ, tunc necessario amarentur a Deo · non quidem quia ex se dicerent infinitam bonitatem, sed propter connexionem indispensabilem, quæ est inter illas et divinam omnipotentiam, necessario a Deo amatam. Nam amans necessario aliquid necessario connexum cum alio, ita ut eo ablato auferatur res amata, debet etiam necessario amare id, cum quo est talis connexio, si habeat rationem boni aliquo modo distinctam a bonitate rei primo amatæ, et amans adæquate seu quoad omnes rationes amati, amet illud, ut in præsenti contingit. Unde D.Thom. D. Thom. tam in hoc art. quam 1 contra Gen. c. 81. inde colligit, Deum non amare necessario creaturas existentes, quia etsi in se habeant aliquam bonitatem, non tamen divina perfectio habet necessariam connexionem cum illis. Quare si creaturæ possibiles ut tales, haberent aliquam bonitatem ; cum alias divina omnipotentia habeat necessariam connexionem cum illis, non possent non amari necessario a Deo hoc ipso quod ejus omnipotentia necessario ab illo ametur. Sed hæc amplius in solutionibus argumentorum pro secunda sententia explicabuntur : ubi etiam patebit quomodo hæc cum illis, quæ in prima ratione assertionis diximus, cohæreant.

30. Ad ultimum. Ad ultimum transeat antecedens; sed negamus consequentiam. Et ad probationem, verum esse antecedens, quando res illa, cum qua res amata connexa est, habet aliquam bonitatem, vel eam illi volumus ; secus vero quando utrunque deest, ut in præsenti contingit. Quia creaturæ possibiles nec habent ut sic bonitatem, nec ipsis manentibus intra statum possibilium vult eis Deus aliquod bonum, ut ostensum est. Sicut licet mors martyris passive sumpta necessariam connexionem habeat, ut hic et nunc causatur, cum eadem morte active illata a tyranno; nihilominus non ob id martyr amans et acceptans pro Christo mortem passive sumptam, amat eamdem ut active infligitur ab illo, seu quod tyrannus illam ipsi infligat : alioqui martyr ille mortaliter peccaret : quandoquidem mors illa ut ex parte tyranni se tenet, est actio intrinsece et ex se mala. Et similiter quamvis quis velit contritionem, quæ indispensabilem habet connexionem cum peccato, non ob id amat ipsum peccatum. Et ratio in omnibus his est eadem. Quia nec in creaturis possibilibus, modo dicto consideratis, est aliqua bonitas, nec mors illa, aut peccatum habent aliquam bonitatem, quæ honeste possit amari.

Adde, quod etsi demus, quod id quod habet rationem medii necessario requisiti ad *esse* amati, debeat necessario amari, si necessario amatum ametur; non tamen oportet id universaliter contingere in eo, quod præcise desideratur per modum termini *a quo*, aut materiæ *circa quam* sive objecti materialis, ad quod res amata terminatur, ut in præsenti contingit. Quia res possibiles, tantum sunt materia *circa quam* sive objectum materiale divinæ potentiæ, ut n. sequenti explicatur. Et constat ex illis quæ disp. 3, dub. 2, diximus. Additamentum

31. Alia solutio ultimi. Secundo respondetur, sive magis explicatur præcedens solutio, supponendo quod licet creaturis omnibus implicantibus Deus non esset omnipotens ; nec creaturæ essent possibiles, si Deus non esset omnipotens : ac proinde sit connexio necessaria inter prædicta extrema ; nihilominus aliter et aliter hæc duo inter se comparantur. Nam ablatio creaturarum non est ratio a priori ablationis Dei, sed potius e contra. Quia sicut ex omnipotentia Dei earumdem possibilitas a priori infertur ; quandoquidem non sunt factibiles nisi ab ente per essentiam, et ut participationes illius, ac proinde ipsum ens per essentiam præsupponunt, ita ex eo quod tollatur divina omnipotentia, infertur à priori auferri creaturarum possibilitatem. At ex eo quod creaturæ possibiles auferantur, solum sequitur a posteriori ablatum jam esse Deum, vel, ut clarius dicamus, devenimus ratione connexionis jam insinuatæ in cognitionem hujus quod est Deum prius fuisse ablatum. Quemadmodum si a nostro Emispherio auferatur lux Solaris, tolletur etiam Sol : non quidem quia ex eo quod auferatur lux, tollitur Sol ; sed quia si lux abest, sequitur jam prius Solem defuisse.

Ad formam argumenti. Hoc ergo supposito, ad argumentum concedendum est antecedens in sensu explicato, et neganda consequentia. Et ad probationem distinguendum est antecedens : quando illud desideratur tanquam ratio a priori, aut tanquam pars intrinseca, vel conditio indispensabilis, quæ sit prior, quam res amata, transeat antecedens : quando solum est signum ablationis rei amatæ, aut effectus illius a quo nullam habet dependentiam

tiam, sed connexionem necessariæ consequentiæ : ac tandem quando id sine quo *esse* rei amatæ dari nequit, non habet bonitatem distinctam aliquo modo a re amata, negandum est. Quia necessitas illa (ut sic dicamus) consequentiæ, qua necessario infertur prius rem amatam fuisse ablatam, quam id cum quo habet prædictam connexionem, quodque non habet bonitatem sibi propriam, non inducit necessariam habitudinem amantis ad illud, cum quo res amata sic est connexa.

2. ectio. Nec refert si dixeris, creaturas possibiles esse objectum per se primo divinæ omnipotentiæ, quippe per se primo respicit factibile ut sic, quæ ratio in solis creaturis potest inveniri : at sicut positio objecti per se primo est ratio a priori positionis potentiæ tendentis ad illud, ita etiam ablatio ejus erit radix ablationis potentiæ.

itur. Non itaque hoc refert. Tum quia factibile ut sic, tantum est objectum materiale non qualecunque, sed respectu potentiæ absolutissimæ et omnino independentis habentisque conditiones supra disp. 3, dub. 2, dictas. Tum etiam : quia est objectum potentiæ practicæ perfectissimæ, a cujus dependentia, intrinsece in ipso imbibita, absolvi nequit : at objectum prædictas habens conditiones, nequit esse ratio a priori suæ potentiæ factivæ; sed potius e contra.

33. Ad onfir- atio - iem. Ad confirmationem patet ex dictis, concedendum esse antecedens, et negandam consequentiam. Et ad probationem esse disparem rationem. Quia creaturæ ut possibiles continentur intra objectum intellectus, ex eo quod sunt formaliter veræ veritate transcendentali modo explicato ; non tamen secundum quod possibiles, sunt intra objectum voluntatis; quippe quæ non sunt bonæ, nec illis voluntas ut sub hoc statu manentibus, aliquod bonum vult.

plica - tio. Potestque hoc ipsum explicari ratione, ex excessu intellectus supra voluntatem desumpta. Nam sicut intellectus est ex natura sua facultas elevatior et purior, ac omnino præcisiva, ita potest ferri in rationem magis abstractam et simpliciorem, plusque præcisam. Et ideo non mirum quod saltim in alio ente actualissimo et prius cognito possit attingere effectus possibiles abstrahentes ab existentia : imo et quod possit ad illos sic sumptos per se primo tendere quotiescunque est possibilis species per se primo repræsentativa eorumdem. Cæterum cum voluntas habeat ex vi propriæ lineæ, quod non sit potentia ita elevata, ac proinde ita immaterialis omnino, sicut intellectus, ideo petit objectum non ita abstractum, sed magis concretum, et consequenter ultra essentiam rei possibilis concernens illius existentiam exercitam in aliqua saltim temporis differentia, et modo dicto.

§ VIII.

Fit satis argumentis secundæ sententiæ.

31. Ad fundamenta secundæ sententiæ prior solutio. Ad fundamenta secundæ sententiæ unico verbo respondetur, negando creaturas possibiles, quatenus in statu possibilitatis sistunt, amari : ac proinde, nec necessario, nec libere diligentur, ex eo quod pro illo statu nullam habent bonitatem. Constat autem omnia argumenta pro hac sententia adducta inniti in hoc, quod creaturæ secundum hanc rationem amentur a Deo : unde hoc fundamento sublato et denegato, omnia illa corruunt.

Cæterum quia num. 29 hujus dubii diximus, quod si per impossibile creaturæ possibiles, quatenus præcise sistunt in ratione possibilium, haberent aliquam bonitatem, tunc necessario amarentur a Deo propter necessariam connexionem, quæ est inter divinam omnipotentiam, et illas, ex eo quod omnipotentia est (ut sic dicamus) ita fœcunda ut non possit non esse ratio a priori, et virtus causativa creaturarum possibilium, propterea oportet ad prædicta argumenta sigillatim respondere.

35. Alia solutio eorum et primo ad primum. Ad primum ergo cum sua confirmatione bene respondetur ibidem. Et ad probationem in contrarium dicendum est, quod licet divina omnipotentia non pendeat a creaturis possibilibus; habet tamen necessariam connexionem cum illis : ex eo quod est talis conditionis, ut non possit non possibilitas creaturarum, modo tamen in tract. de Scientia Dei disput. 7, num. 38 et 39 explicato, ab ea pendere. Unde licet, ut argumentum optime probat, sequeretur omnipotentiam et divinam essentiam non esse magis necessarias, quam creaturas possibiles, si ab illis penderent; secus tamen ex eo, quod habeant cum eisdem connexionem tanquam cum effectibus possibiliter, necessario tamen in ratione possibilium ab utraque illatis, juxta illud Aristot. : *Propter quod unumquodque tale et illud magis.*

36. Ad secundum. Ad secundum, quod dato illo impossibili, scilicet creaturas possibiles, quatenus sistunt in statu possibilitatis, habere aliquam bonitatem, tunc Deus ita se haberet

necessario circa amorem illarum, sicut modo se habet libere circa amorem creaturarum futurarum. Unde sicut teste D.Thom. D. Thom. infra q. sequenti art. 3, divina voluntas collata cum creaturis futuris, potest duplici ratione intelligi quod amet unam magis, quam aliam. *Uno modo* (verba sunt sancti Doctoris) *ex parte ipsius actus voluntatis, qui est magis, vel minus intensus : et sic Deus non magis quædam aliis amat : quia omnia amat uno et simplicissimo actu voluntatis, et semper eodem modo se habente. Alio modo ex parte ipsius boni, quod aliquis vult amato : et sic dicimur aliquem magis alio amare, cui volumus majus bonum ; quamvis non magis intensa voluntate. Et hoc modo necesse est dicere, quod Deus quædam aliis magis amat. Cum enim amor Dei sit causa bonitatis rerum, ut dictum est, non esset aliquid alio melius, si Deus non vellet uni majus bonum quam alteri.*

Ita in eventu jam dicto Deus æqualiter et necessario amaret ex parte actus creaturas possibiles; inæqualiter autem ex parte boni, quod illis vellet, et de quo complaceret juxta majorem vel minorem perfectionem creaturarum possibilium volitarum. Quare licet tunc divina voluntas ferretur secundum ultimum potentiæ, idest, tota intensione possibili in illas; hoc tamen esset juxta naturam objecti voliti, idest non volendo cuicunque creaturæ possibili aliam perfectionem et bonitatem essentialem, quam eam, cujus est capax : quia etiam ea, quæ operantur per modum naturæ, operantur juxta naturam et capacitatem objecti circa quod versantur.

Ad confirmationem. Ad confirmationem neganda est sequela, tum propter modo dicta, tum etiam : quia Deus complaceret in bonitate creaturarum possibilium ratione suæ infinitæ bonitatis tanquam propter rationem objectivam formalissimam complacendi in illis, et ita magis complaceret in sua bonitate.

37. Ad ultimum. Ad ultimum neganda est major quoad secundam partem, si intelligatur de habitudine reali, secus tamen de habitudine rationis, et necessaria connexione, reali tamen, unius cum alio. Nec inde fieret, ut argumentum intendit, divinam volitionem specificandam esse a creaturis : quia solum esset connexa cum illis tanquam cum objecto secundario : sicut in divina scientia respectu earum contingit.

Ad confirmationem. Ad confirmationem vero patet ex dictis, quomodo illa habitudo rationis et connexio realis, quam divina volitio haberet cum creaturis possibilibus, non esset ita necessaria, sicut habitudo (ut sic dicamus) et connexio quam habet cum bonitate Dei : quandoquidem ideo necteretur cum creaturis, quia nexa esset cum bonitate divina : juxta illud axioma Aristotelicùm, quod nuper retulimus : *Propter quod unumquodque tale, et illud magis.*

Utrum autem hæc connexio divinæ volitionis cum divina bonitate, seu amor necessarius illius, et connexio ejusdem voluntatis cum creaturis possibilibus, seu amor necessarius earum, qui in eo eventu esset, distinguantur virtualiter et ex parte rei conceptæ? an vero solum ex parte nostri modi concipiendi, ac proinde an prior illa connexio sit formaliter ratio a priori hujus posterioris connexionis? an vero solum virtualiter æquivalenter, seu (quod in idem quoad præsens redit, juxta ea, quæ in tractatu de Scientia Dei disp. 1, n. 38, et in hoc eodem tract. disp. 2, num. 24, et disp. 4, n. 55, diximus) ex parte nostri modi concipiendi? ex alibi dictis constat.

38. Objectio. Nec refert si contra ista omnia objicias, non cohærere cum iis, quæ in hoc dub. num. 14, dicebamus, nempe in Deo respectu creaturarum, tantum posse esse amorem effectionis. Quare cum erga creaturas possibiles nihil per suam voluntatem efficiat quandiu sub statu possibilium considerantur, nec possit actu et in exercitio aliquid circa illas efficere, ita ut ipsæ sub statu possibilitatis maneant, fiet inde, ut licet per impossibile haberent aliquam bonitatem; nihilominus non essent necessario amatæ a divina voluntate, imo nec ullo modo.

Solutio. Respondetur enim ex hoc argumento optime probari esse impossibile, quod creaturæ possibiles, quatenus tales habeant aliquam bonitatem. Unde non mirum ut dato hoc impossibili inde aliud sequeretur : et quod doctrina a nobis tradita cum his impossibilibus non cohæreat. Addimus tamen nihilominus, quod adhuc dato hoc impossibili, potest aliqualiter cohærere cum iis, quæ num. citato dicebamus, Deum amare, et non utcunque, sed necessario creaturas possibiles. Quia ille amor esset affectionis erga Deum, et effectionis, virtualis tamen (ut sic dicamus) erga creaturas : ad hunc dumtaxat sensum, quod ex amore affectionis erga divinam bonitatem, et propter illam tanquam propter formalissimam ra-

tionem

tionem volendi, ita versaretur Deus per illum actum circa creaturas, ut si non essent possibiles præcise ex meritis divinæ omnipotentiæ, et essent capaces, quod ex vi illius actus complacentiæ tribueretur illis sua possibilitas, tunc ex vi illius actus divinæ voluntatis, quo vellet earum possibilitatem, fierent possibiles.

39. Diximus *aliqualiter*, quia re vera multum ratio illa num. citato, a nobis facta urget ad probandum, creaturas possibiles, ut tales non posse amari, sive necessario, sive libere a Deo, ac proinde nec habere aliquam bonitatem : siquidem divina voluntas debet, vel necessario, vel libere se extendere ad omne amabile. Ex quo etiam fieret amorem illum in eo eventu solum posse esse formaliter affectionis. Quia amor qui tantum virtute est effectionis, est formaliter affectionis : siquidem formaliter debet esse unus ex his duobus amoribus, adæquate rationem amoris, modo supra insinuato, dividentibus. Et ex hoc etiam sequeretur, divinam bonitatem non esse adæquatum objectum formale voluntatis Dei, ut disputat. 3, num. 29 et deinceps prosequebamur : quod tamen esse impossibile ibidem ostendimus.

DUBIUM II.

Utrum creaturas existentes in aliqua temporis differentia amet Deus necessario, tam quoad specificationem, quam quoad exercitium?

40. Sicut futuritio rerum et præsentialitas earumdem in aliqua temporis differentia, est posterior possibilitate illarum, ita necessitas, quam divina voluntas circa res futuras habet (si quam tamen habet) explicari debuit postquam hoc ipsum de eadem voluntate in ordine ad creaturas possibiles explicatum est.

§ I.

Varii dicendi modi.

Prima sententia refellitur primo.

Prima ergo sententia asserit, nullam in Dei voluntate respectu creaturarum in aliqua temporis differentia existentium esse necessitatem, sive illa sit necessitas quoad specificationem, sive quoad exercitium. Ita aliqui ex recentioribus : et probari potest primo. Quia non minus est perfecta divina voluntas in ratione libertatis, quam in ratione naturæ : nam quævis ex his rationibus debet esse infinite perfecta, ac proinde in summum intra propriam lineam : sed hoc ipso quod voluntas in ratione naturæ sit perfectissima, debet terminari ad suum objectum omnino necessario tam necessitate quoad specificationem, quam quoad exercitium : ergo hoc ipso quod divina libertas attingat in suo ordine supremum perfectionis apicem, debet esse libera libertate tam quoad specificationem, quam libertate quoad exercitium : alioqui sicut quævis ex his libertatibus affert perfectionem, ita quavis ablata non erit perfecta omni modo excogitabili intra suum genus.

Confirmatur. Confirmatur. Deus habet summum dominium suorum actuum liberorum : nam sicut dominium respectu humanorum actuum pertinet ad perfectionem, ita etiam summum dominium ad majorem perfectionem spectabit : at summum dominium nequit stare sine summa libertate, nec summa libertas cum necessitate aliqua : ergo etc.

41. Secundo. Secundo. Ideo voluntas divina est necessitata quoad specificationem respectu bonitatis Dei, quia est objectum formale adæquatum illius, capitque ab ea suam specificationem : ergo cum creaturæ sint objectum materiale et secundarium illius, non habebit circa illas necessitatem quoad specificationem : ergo nec quoad exercitium. Patet hæc ultima consequentia. Quia necessitas quoad exercitium est major, et necessitatem quoad specificationem includit. Prima vero consequentia, ex antecedenti satis constat. Antecedens autem probatur. Quia quævis potentia sive facultas est necessitata necessitate quoad specificationem ad versandum circa suum objectum formale et adæquatum, quale est divina bonitas respectu voluntatis Dei : ergo ex hoc quod divina bonitas sit objectum adæquatum formale suæ voluntatis, oritur quod eadem voluntas sit necessitata quoad specificationem respectu illius.

Corroboratur. Confirmatur. Non ob aliud creata voluntas habet necessitatem quoad specificationem in ordine ad bonum in communi, nisi quia est beatitudo illius prout est via : nam sicut hæc beatitudo a ratione perfectæ beatitudinis deficit, ita licet necessitet; non tamen perfecte, sed vialiter, scilicet quoad specificationem : et similiter non ob aliud circa Deum clare visum est omnimode necessitata, nisi quia est illius perfecta beatitudo : nam innatum est cuivis

potentiæ ferri per modum naturæ in propriam beatitudinem sibi intime unitam; ac proinde in beatitudinem omnino perfectam fertur omnino perfecte per modum naturæ, et consequenter cum omnimoda necessitate : at creaturæ futuræ, nullo modo sunt, aut esse possunt beatitudo Dei, nec ad illam ulla ratione desiderari : quid ergo erit quod aliquo necessitatis genere divinam voluntatem in ordine ad illas necessitet?

42. Ultimo. Tandem. Si ob aliquam rationem Deus esset necessitatus quoad specificationem actus, maxime quia non potest velle id, quod malum est, sed si aliquem circa illud habet actum, debet esse abominationis : sicut nec valet displicere in bono honesto ut tali, sed si circa illud versaturus est, non potest non in ipso complacere : at hæc ratio quoad utramque p. est nulla : ergo nequit habere necessitatem quoad specificationem respectu boni creati, et consequenter multo minus necessitatem quoad exercitium. Utraque consequentia satis constat. Major vero videtur certa, et insuper ex iis, quæ pro nostra sententia dicentur, magis patebit.

Probatio minoris ex diversis capitibus Minor autem quoad priorem partem, sic suadetur. Quia quantumvis aliquod objectum nobis turpe videatur, si tamen divina voluntas illud velit, eo ipso erit honestum.

D. Ansel. Tum quia id fatetur Anselmus in Prosologio cap. 11, ubi cum Deo loquens, inquit : *Illud est justum quod vis, non justum quod non vis.* Tum etiam : quia voluntas Dei est regula tam rectitudinis suarum volitionum et operationum (nam ideo rectæ, quia volitæ ab illo) quam rectitudinis operationum creaturarum : et ita qui operatur aliquid, quia id est volitum a Deo operatur rectissime, et operatio ejus est recta ob conformitatem cum divina voluntate. Tum deinde : quia ideo semper Deus facit quod melius est, quia semper operatur id quod tunc mavult, et ejus volitio est forma omnis rectitudinis et perfectionis. Tum denique : quia nihil est peccatum, nisi quia prohibitum, eo autem ipso quod Deus velit, rem aliquam fieri ab homine, cessat ejus prohibitio : et ideo Abrahæ non solum fuit licitum, sed etiam valde commendabile, quod tentaverit occidere filium; cum tamen hoc alias gravissimum fuisset peccatum : ac proinde multo melius cessabit eadem prohibitio, si semel Deus velit illud facere. Maxime quia respectu Dei nulla est lex interdicens, quippe qui non habet superiorem supra se.

Ex quo etiam minor quoad secundam partem satis constat. Si namque solum *velle* Dei est sufficiens ratio, ad hoc ut possit amplecti, quod alioqui erat malum, cur non erit satis ut possit displicere in eo, quod alias bonum videbatur, et erat?

43. Secunda sententi Secunda sententia ex diametro opposita tenet, Deum omnino necessario diligere creaturas. Hanc tuentur aliqui, quos suppresso nomine refert D. Thom. 2 contra Gen. c. 23, et juxta mentem Ferrariæ ibidem, eam docuerunt Arist. Avicena et Commentator. Suadeturque primo sic. Deus non potest libere velle bonitatem suam : ergo nec creaturas. Consequentia patet. Quia hoc ipso quod velit libere creaturas, debet eadem libertate velle suam bonitatem. Nam cum per illam volitionem amet eas ut media, necesse est, ut amet se ipsum per eamdem ut finem : alioqui illa volitio esset peccaminosa, et carens debita rectitudine, quippe sistens in creaturis, et non tendens ultra in Deum ut in ultimum finem. Antecedens vero ex se videtur patere. Nam cum Deus diligat quodvis objectum pro suis meritis, et in hoc consistat divinæ voluntatis rectitudo, nequit ad objectum infinitum et summe bonum, quod proinde infinito et necessario amore dignum est, libere terminari.

Ferrar. Arist. Avic. Comm Suadeti primo.

Corrob ratio Explicatur et confirmatur hæc probatio. Nam vel Deus ut terminans volitionem illam liberam per modum finis, dicit omnimodam et infinitam perfectionem, vel non? Si primum, ergo debet amari necessario, ac proinde creaturæ tunc non poterunt amari libere. Si secundum, ergo Deus secundum illam rationem nequit habere rationem finis ultimi, et terminare volitionem illam. Patet consequentia. Quia ratio formalis, quæ per modum finis ultimi finalizaverit, debet esse increata : et consequenter omninodam perfectionem in ratione entis includere.

41. Secund Secundo. Si Deus libere diligeret creaturas, sequeretur, aliquid modo esse Deum, quod tamen potuerit non esse Deus : at hoc implicat, ut ex se patet et infra latius dicemus : ergo etc. Sequela probatur. Nam illa volitio libera necesse est quod sit in Deo : quandoquidem inter actiones immanentes sedem habet : ergo est Deus : quoniam quidquid est in illo est Deus, cumque ex qua parte est libera, potuerit non esse in Deo, fiet inde, ut aliquid, quod modo est Deus, potuerit non esse Deus. Nam quod potest esse extra Deum, nequit dum

est

est extra illum Dei rationem habere.

45. Tertio. Ex causa seu ratione a priori necessaria, non potest non oriri effectus necessarius : quia causa necessaria operatur per modum naturæ, et consequenter omnino necessario : sed volitio Dei necessaria, est ratio a priori volitionis creaturarum : quia, ut inquit D. Thom. in præced. art. et 1 contra Gen. c. 76, ex eo quod Deus vult suam perfectionem, vult alia a se : ergo talis volitio aliorum a se, erit omnino a necessaria.

Thom.

46 obatur ltimo. Tandem. Misericordia, liberalitas, et cæteræ aliæ virtutes, quas Deus habet in ordine ad creaturas, sunt infinitæ quasi intensive, quippe habentes totam perfectionem excogitabilem intra propriam lineam, ergo dicunt infinitam inclinationem in creaturas : ergo necessario propendent in illas, et consequenter Deus non manebit liber respectu volitionis earumdem. Prima consequentia patet. Quia cum virtus, v. g. misericordiæ, dicat inclinationem in objectum, et quo magis fuerit intensa, eo majorem importet inclinationem, consequens est, ut si fuerit infinite quasi intensa, quod infinite propendat. Ex quo etiam secunda et tertia consequentia manent probatæ. Quoniam infinita inclinatio non relinquit libertatem : nam cum libertas consistat in indifferentia, fit inde, ut quanto magis res inclinatur et determinatur ad aliquam partem, tanto minus maneat indifferens, minusque libera : ergo summa et infinita inclinatio, summe et infinite determinabit, nihilque relinquet indifferentiæ et libertatis.

§ II.

Ex mente D. Thom. dubium decidilur.

47. nimad- ersio. Pro resolutione hujus dubii notandum est, duplicem in Deo esse voluntatem, seu volitionem : aliam efficacem et operativam; aliam vero simplicis complacentiæ et displicentiæ. Inter has autem duas volitiones (si tamen duæ dici possunt, de quo infra) hoc est discrimen, quod voluntas operativa et efficax præsupponitur, modo tamen statim innuendo, ad complacentiam; imo etiam suo modo ad displicentiam, ut jam dicemus. Nam cum complacentia habeat aliquo modo quasi supponere bonitatem, de qua complacet, et radix totius bonitatis sit divina operatio, quia nihil bonum nisi existens in aliqua differentia temporis, et nihil in hac existens sit nisi mediante operatione voluntatis Dei, inde est ut voluntas complacens præsupponat voluntatem operativam. Sicut etiam suo modo voluntas displicens, illam præsupponit. Quia nihil potest esse objectum displicentiæ nisi aliquam mali rationem habuerit, et nihil hanc in actu habebit nisi Deo decernente ad *esse* materiale illius per modum causæ universalis concurrere.

48. Assertio prior. His ergo suppositis dicendum est primo. Si de divina voluntate efficaci et operativa fiat sermo, tunc in ea inveniri poterit necessitas quoad specificationem circa aliqua objecta secundaria et communia, imo etiam particularia, quatenus sub communibus illis rationibus in aliqua temporis differentia saltim in suis singularibus exercitis continentur. Hæc est D. Thomæ infra q. 21, art. 1 ad 2. Et communis inter Theologos : quæ potest sic quoad primam illius partem explicari, et suaderi ratione desumpta ex D. Thom. loco citato. Nam cum divina voluntas sit ipsa rectitudo per essentiam, fit inde necessario, quod vel non eliciat operationem, vel quod illa sit honestissima, et de honestissimo objecto. Unde dixit D. Thom. loco citato, impossibile est velle Deum nisi id, quod ratio suæ sapientiæ habet, quæ quidem est veluti lex justitiæ, secundum quam ejus voluntas, recta et justa est.

D. Thom. Ratio assertionis pro prima ejus parte.

49. Confirmatio. Confirmatur et explicatur primo. Nam vel Deus potest habere volitionem, quæ non sit recta per essentiam? vel non? Si primum, ergo non est Deus : quia de ratione Dei est, ut quævis illius volitio sit summe recta. Si secundum, ergo est necessitatus ad versandum præcise circa aliqua objecta, scilicet ea quæ sunt honesta, aut per ejus voluntatem fiunt honesta. Patet consequentia. Quia dantur aliqua objecta ita inhonesta et turpia, saltim fundamentaliter, ut repugnet quempiam circa illa versari volendo ipsa, et non operari turpiter, ut 1, 2, quæst. 71, art. 6, et 2, 2, q. 1, art. 3, ostenditur.

Alia confirmatio. Confirmatur secundo. Nam ex eo quod charitas est quædam divinitatis participatio quoad attributum voluntatis ipsius, ideo vel non prorumpit in actum, vel si prorumpit, non potest non rectum et honestissimum actum elicere, juxta illud primæ Joann. 3: *Qui natus est ex Deo peccatum non facit, quia semen ipsius manet in eo : sed nec peccare potest : quoniam est ex Deo natus,* idest, si secundum eam nativitatem ; seu secundum gratiam et charitatem operatur, ut op-

Joan. 3.

August. time Aug. explicuit : ergo potiori jure in Deo, quippe cui competit esse ipsam charitatem et bonitatem per essentiam, hæc naturalis rectitudo reperietur, ratione cujus habeat, quam explicuimus, necessitatem quoad specificationem in ordine ad honeste, et circa objecta honesta operandum.

50. Ratio assertionis quoad secundam parte m. Ex quo etiam secunda ejusdem assertionis pars patet. Etenim pecularia objecta sub illa ratione communi ambiuntur : et ita debet esse circa illa, ut sic contenta, idem necessitatis gradus : quia re vera talia sunt, ut nisi cum talibus, vel talibus (ut sic dicamus) fiant circunstantiis, nequeant honeste effici, nec intra latitudinem objecti honesti contineri. Quo pacto etsi Deus possit quando ei libuerit, vel loqui, vel a locutione cessare; attamen si semel loqui decernit, nequit non vera loqui : quia talis locutio esset simpliciter peccaminosa, si contra divinam mentem esset. Unde optime D. Paulus protulit non esse Deo magis possibile quod mentiatur, quam quod se ipsum neget. Nam hoc ipso quod mentiretur, jam negaret et everteret tam rectitudinem, quam fidelitatem suam.

D. Paulus

Eadem assertio quoad ultimam partem probatur. Tertia vero ejusdem assertionis pars, scilicet prædictam necessitatem esse etiam circa particularia, quatenus non continentur præcise sub rationibus communibus, sed sub illis in aliqua temporis differentia, saltim in suis singularibus, exercitis, probatur. Quia cum volitio Dei, de qua loquimur, sit efficax et operativa, debet versari circa rem existentem in aliqua temporis differentia, et ut continetur sub rationibus communibus, in ipsis tamen singularibus, exercitis.

51. Assertio secunda. Dicendum est secundo. Si loquamur de voluntate simplicis complacentiæ, aut displicentiæ, habet etiam Deus secundum illam, necessitatem quoad specificationem : ita ut si semel circa bonum eliciturus est actum, non potest non esse complacentiæ : sicuti nec poterit non esse displicentiæ, si circa malum culpæ, ut tale versaturus est : hæc tamen necessitas non est ita exacta sicut præcedens. Assertio hæc quoad primam partem communis est inter Theologos, ac proinde non erit necesse quempiam in particulari referre. Et suadetur plane ex dictis. Quia cum divina bonitate non potest cohærere, quod illi displiceat bonum honestum ut honestum, a quocunque illud fiat, et cum natura talis objecti qua ratione bonum est, non potest stare ut adsit circa illud in Deo affectus displicentiæ. Quia si formaliter secundum rationem boni inspiciatur, nequit quidpiam reperiri in illo quod displiceat. Quoniam si semel bonum honestum est, nequit in eo secundum hanc rationem aliqua ratio mali apparere, præsertim in ordine ad divinam voluntatem, quæ ex apparenti mali specie excitari ad odium nequit : et ob eamdem rationem id ipsum de malo culpæ respectu affectus displicentiæ dicendum est. Unde est illud Sapientiæ, 14 : *Odio sunt Deo impius et impietas ejus.* Et Ecclesiast. 12 : *Altissimus odio habet peccatores.*

Ratio secundæ assertionis quoad primam partem.

Sapien 14. Eccles 12.

52. Probati ejusdei assertic nis quoad secun dam parten Et deinde secunda pars ejusdem assertionis patet ex dictis in notabili hujus dub. Nam voluntas efficax non præsupponit necessario aliam voluntatem necessitantem ad illam. Unde si quæ in ea invenitur necessitas quoad specificationem, erit sane arctior necessitas : quippe non ducens necessario ortum ex aliqua priori voluntate libera. Cæterum complacentia supponit voluntatem efficacem virtualiter distinctam, aut aliquod aliud munus solum ex parte nostri modi concipiendi distinctum ejusdem voluntatis efficacis : quia supponit, aut quasi supponit, modo dicto, existentiam rei circa quam adest complacentia, provenientem ex efficacitate divinæ voluntatis. Quia ut ex dubio præcedenti constat, circa bonitatem possibilem nulla in Deo adest, aut adesse potest complacentia : sicuti nec circa hæc bona communia, quasi omnino abstractim sumpta, sed prout exercentur a parte rei, et includuntur in rationibus particularibus exercitis : ac proinde semper ibidem involvitur, quod præcesserit, modo nuper insinuato, voluntas divina efficax : et ita necessitas hæc, quippe trahens originem a voluntate libera, semper est minor.

Coroll rium Ex quo etiam fit, nullum esse inconveniens admittere, quod circa malum exercitum sit Deus necessitatus quoad specificationem, et exercitium ad abominandum illud : quia talis necessitas ortum etiam habuit suo modo ex voluntate permittendi peccatum. Quod autem sit in Deo talis necessitas, constat ex eo quod non potest non habere se ut offensum, et auferre gratiam suam a peccatore, ut 1, 2, q. 113, art. 2 D. Thom. et Thomistæ docent : ac proinde D. Tho opus est ut illi necessario peccatum displiceat. Utrum autem debeat etiam poni in Deo affectus necessarius complacentiæ quoad exercitium respectu boni honesti exerciti? constabit ex iis, quæ sequenti dub. latius dicemus.

Dicendum

53. Assertio tertia.

Dicendum est tertio. Licet Deus habeat prædictam necessitatem jam explicatam, adhuc tamen manet liberrimus libertate perfectissima, tam quoad specificationem, quam quoad exercitium respectu productionis, et volitionis creaturarum. Hæc est valde consona nostræ fidei. Nam ut Da- Daniel.3. nielis 3 dicitur : *Potens est Deus nos de manibus tuis, o Rex, liberare, quod si noluerit, etc.* ubi in illo verbo *noluerit*, ut ex statim dicendis magis patebit, aperte ostenditur omnimoda voluntatis divinæ liber- Ephes.1. tas. Et Paulus ad Ephes. 1 : *Sorte* (inquit) *vocati sumus prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*, hoc est, secundum liberam ejus determinationem, quam significavit verbis illis : *Sorte vocati sumus secundum propositum ejus*, id est, non aliqua necessitate, sed gratuita, et libera sorte ex divinæ voluntatis arbitrio procedente. Pri- Corint. 12. mæ etiam ad Corinth. 12, dicitur : *Hæc operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult*, idest, pro libero voluntatis arbitrio, non necessitate coactus, ut Ambros. late explicuit Ambros. lib. 2 de fide capit. Nyssæn. 2 et 3. Unde Nyssænus lib. de fato cap. ultim. protulit : *Dici non potest voluntatem Dei necessitati servire.* Quare assertionem hanc tuetur D. Thom. tum in hoc art. tum loco statim referendo, et communiter Theologi.

54. Ratio assertionis. D.Thom.

Deinde probatur, et explicatur ratione ex eodem D. Thom. deprompta sic. Licet enim quoties in volitione, et nolitione alicujus objecti non potest servari ratio honestatis, sit Deus necessitatus necessitate quoad specificationem ad nolendum v. g. illud, si sola nolitio possit esse honesta, non vero volitio; attamen quando in utraque (ut sic loquamur) specie actus, nolitione nimirum, et volitione potest honestatis ratio servari, nihilque indecorum, aut inhonestum ibidem relucet, tunc integrum erit Deo velle aut nolle, vel producere, aut non producere tale objectum : at libertas perfectissima solum consistit in hoc, quod sit liberrima circa hæc objecta, non vero circa illa priora : ergo, etc. Major patet. Quia si uti posse velle aut nolle in eo eventu pertinet ad perfectionem nostræ voluntatis, nec quidpiam imperfectionis exprimit, ita etiam hoc ipsum ad summam divinæ libertatis perfectionem spectabit. Et ideo sicuti de facto voluit Incarnationem, et salutem hominum, ut sua summa justitia, et misericordia reluceret, ita ob alias justissimas causas potuit nolle eamdem Incarnationem, et consequenter velle æternum hominis interitum. Minor etiam constat. Quia posse inhoneste velle, non est perfectio libertatis, sed potius defectus, et imperfectio : ergo libertas perfectissima, et consequenter libera ab imperfectionibus, non petit quod sit libera circa hæc objecta, quæ solum inhoneste possunt amari.

Confirmatur, et explicatur eleganti testi- monio D. Thom. 1 p. q. 62, art. 8 ad 3 D.Thom. dicentis : *Quod liberum arbitrium diversa eligere possit, servato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis ejus; sed quod eligat aliquid, divertendo ab ordine finis, quod est peccare, hoc pertinet ad defectum libertatis. Unde major libertas arbitrii est in Angelis, qui peccare non possunt, quam in nobis, qui peccare possumus.* Cum ergo Deo conveniat perfectissima libertas, necesse est : tum ut possit velle et nolle quidquid volibile et nolibile est, servato ordine finis, seu (quod idem est) servatis regulis honestatis, et rectæ rationis. Tum etiam, quod præcise per hoc quod Deus possit velle, et nolle intra totam latitudinem boni honesti, liberrimus sit perfectissima libertate tam quoad specificationem, quam quoad exercitium : quia tota latitudo libertatis, puræ et liberæ ab imperfectionibus, hic omnimode sistit.

55. Alia ratio tam pro tertia assertione, quam pro præcedentibus.

Tandem potest eadem assertio, imo etiam omnes hujus dubii assertiones ratione D. Thom. jam supra insinuata probari. Ea quæ sunt ad finem, non sunt, adhuc volito fine, volita necessario, nisi sint talis conditionis, ut sine illis finis consistere nequeat : sed Deus vult creaturarum existentiam secundum quod ordinantur ad divinam bonitatem ut ad finem, ut supra 2 art. dictum est; et creaturæ ipsæ futuræ, sunt talis naturæ, ut sine eis possit divina bonitas esse, et possideri a Deo : ergo etiam si Deus velit se ipsum, non vult ex necessitate creaturas futuras. Major probatur. Nam ideo volentes efficaciter conservationem vitæ, volumus cibum, et volentes transfretare, volumus navem, aut quid simile, quia nec conservatio vitæ sine cibo, nec transfretatio sine navi, aut aliquo alio quod ad instar navis se habeat, dari potest : e contra autem etsi velimus aliquod arripere iter, non ideo necessario vel necessitate quoad exercitium, vel quoad specificationem volumus equum ad iter illud peragendum : quia sine illo possumus locum, quem intendimus, adire. Minor autem ex se patet. Quia sicut

Deus ab æterno fuit sine creaturis, ita potest usque in æternum sine illis esse; quippe qui est ens omnibus modis a se.

Quæ ratio non solum probat esse Deum liberum in ordine ad volendum et nolendum ea, quæ honeste volibilia, et nolibilia sunt, verum etiam quod sit necessitatus quoad specificationem, et volitionem boni honesti, ut in prima conclusione dicebamus. Nam hoc ipso quod bonitas divina sit finis omnium volitorum a Deo, necesse est, ut ipsa sit ratio volendi illa; cumque divina bonitas nequeat esse ratio volendi ea, quæ inhonesta sunt, quæque honeste amplecti non possunt, necesse est, ut libertas Dei nequeat se ad illa extendere : ac proinde habeat prædictam necessitatem quoad specificationem. Sicut etiam opus erit, ut non possit displicere in re honesta qua ratione honesta, nec valeat complacere in re turpi, ut turpi ob eamdem proportionalem rationem. Ecce ergo quomodo summatim cuncta quæ diximus, ratione ista divi Thomæ fulcita manent.

§ III.

Occurritur fundamentis aliarum sententiarum.

56. Ad primum primæ sententiæ, et ejus confirmationem.

Ad primum ergo pro prima sententia, et primam illius confirmationem patet ex dictis. Nos enim solum damus Deo necessitatem quoad specificationem respectu boni honesti, etc. At ad perfectionem libertatis, et excellentissimi dominii, aut quasi dominii non desideratur, ut ejus usus ad turpia, et inhonesta extendi possit.

57. Ad secundam.

Ad secundum respondetur, quod etsi potentia quævis solum esset necessitata quoad specificationem respectu sui formalis adæquati objecti, ac proinde voluntas divina solum respectu bonitatis Dei habeat necessitatem quoad specificationem, id tamen intelligendum est de necessitate omnino primaria, et per se primo in illa inventa. Nam hoc ipso, quod per se primo habeat prædictam necessitatem respectu divinæ bonitatis tanquam objecti adæquati, oportet ut etiam sit in eâ necessitas jam assignata respectu volitionis boni honesti, et nolitionis rei turpis, ita ut non possit displicere in illo, et complacere in ista eo tamen modo, quem infra dub. sequenti assignabimus. Quia divina bonitas non potest esse ratio vel nolendi illa, quæ, modo infra assignando, aliquid (ut sic dicamus) illius sunt prout sic considerantur, vel volendi ea, quæ ipsi opponuntur : maxime quia finis honestus, qui necessario est talis, et honeste amplectendus, non potest esse ratio volendi rem alioqui malam, nisi ad summum dum adest ignorantia malitiæ rei quæ tunc ordinatur in illum finem, quod hic non contingit.

Ad confirmationem. Ad confirmationem respondetur, prædictam necessitatem non oriri præcise ex meritis objecti creati, vel ex eo quod Deus indigeat creaturis futuris ad suam beatitudinem ; sed ex meritis objecti formalis adæquati, et ex summa divinæ voluntatis rectitudine. Unde quamvis rationes assignatæ in majori propositione hujus confirmationis sint sufficientes ad inducendam necessitatem quoad specificationem, vel exercitium; non tamen omnino adæquate, ita ut non possit aliunde oriri prædicta necessitas, ut re vera hîc aliunde oritur.

58. Ad ultimum. Ad ultimum concedimus majorem, et negamus minorem. Ad probationem ex Anselmo patet ex dictis. Nam cum divina voluntas non possit velle nisi bonum, optime inquit illud esse bonum, quod ipsa vult, et malum quod ipsa non voluerit, seu noluerit.

Ad secundam probationem. Ad secundam probationem dicendum est, quod licet divina voluntas sit regula (ut sic dicamus) proxima suarum operationum, et ita ideo sint rectæ, quia volitæ ; attamen ut ipsa voluntas habeat aliquam operationem dignam se, et ut sit regula illius, requiritur objectum quod habeat rectitudinem objectivam, vel sit indifferens, seu capax ut a divina voluntate modo sibi proprio ametur. Quare quia sunt plura objecta intrinsece mala (modo tamen statim dicendo) qualia sunt v. g. mendacium et odium Dei, ideo nequit divina voluntas ad illa tendere : quia si per impossibile ea diligeret, peccaret, et justa non esset. Unde sicut repugnat ipsam non esse rectam per essentiam, ita etiam in prædicta objecta ferri : ac proinde (ut sic solvatur aliud, quod ibidem additur) nequibit esse norma volitionis creatæ respectu eorumdem objectorum, ita ut possint a creatura esse volita, quia Deus illa vult.

Ad tertiam et ultimam probationem. Ad tertiam probationem patet ex dictis. Ad ultimam vero dicendum est, esse aliqua objecta ita inhonesta et deformia, saltim fundamentaliter, ex eo quod repugnant divinis attributis, ut si circa illa Deus versetur, non possit non versari ea prohibendo, et de eisdem displicendo. Ad illud autem de Abrahamo respondetur, illam actionem non

non esse ex objectis intrinsece malis : quandoquidem Deus est dominus vitæ cujuslibet creaturæ : et ita sicut potuit illam se ipso immediate ab Isaac auferre, ita etiam mediante Abrahamo.

59. Ad id quod ibidem additur. Ex quo etiam ad id, quod ultimo loco additur, scilicet respectu Dei nullam esse legem, respondetur, satis esse quod objecta illa repugnent divinis attributis (qualiter mendacium repugnat cum divina veracitate) ad hoc ut Deus nequeat circa illa versari diligendo ipsa. Imo si semel ea diligeret, esset et non esset Deus : esset quidem ut supponitur, non esset vero, quia Deus nequit velle aliquid ita intrinsece fundamentaliter malum, ut non possit non, modo dicto, interdici. Unde licet ipse non teneatur vitare prædicta objecta ex eo quod obligetur ab aliquo superiore, bene tamen quatenus repugnant suæ sapientiæ, et bonitati. Quia ut ex D. Thom. dicebamus, cum bonum intellectum sit objectum voluntatis, impossibile est, Deum velle nisi quod ratio suæ sapientiæ habet, quæ quidem est sicut lex justitiæ, secundum quam ejus voluntas recta est et justa.

60. Ad primum pro secunda sententia, distinguendum est antecedens juxta superius insinuata : et si sensus sit, Deum in se, et secundum se præcise sumptum non posse libere amari, concedendum est antecedens : secus vero si velit, quod Deus ut exercet rationem finis actualis, et ultimi creaturarum, nequeat liberam sui volitionem terminare. Ad probationem respondetur quod etsi objectum infinite bonum petat ex propriis meritis, ut adsit in divina voluntate actus amoris necessarius respectu illius; non tamen quod simul non possit esse actus liber respectu ejusdem : non quidem quo ipsummet secundum se, et sigillatim a quovis alio sumptum, libere ametur (quia sicut tunc sola illa infinitas in ratione bonitatis terminat tam ut objectum volitum *ut quod*, quam ut ratio formalis terminandi, nec ibi creaturæ ut objectum materiale volitum amari intelliguntur, ita petit volitionem esse juxta objecti merita secundum se sumpta, et consequenter omnino necessariam) sed quo ipsummet ut conjunctum cum aliis, divinam voluntatem non necessitantibus, libere attingatur.

Ratio solutionis. Et ratio hujus est. Tum ea, quæ in probatione primæ consequentiæ hujus objectionis satis innuitur, scilicet bonitatem infinitam, et per essentiam non posse non esse finem ultimum creaturarum, et rationem finalem volitionis liberæ, qua diliguntur : at finis vel ratio finalis eademmet formalissima volitione diligitur, qua media ordinata ad illa quatenus ad eam ordinantur : alioqui illa volitio non esset volitio mediorum propter finem, aut rationem finalem. Tum etiam : quia hoc ipso quod divina bonitas diligatur, ut conjuncta cum creaturis tanquam ratio formalis volendi cum objecto materiali volito, sed non necessario connexa cum illo et tanquam finis cum mediis volitis propter ipsum, et similiter non necessario cum eisdem connexus, oportet ut exigat diligi volitione libera quatenus sic sumitur : quia objectum volitionis necessariæ petit, ut semper et necessario se habeat eodem modo. Quare cum bonitas divina non sit semper, et necessario conjuncta cum creaturis in particulari tanquam cum mediis ordinatis secundum suam existentiam ad ipsam ut ad finem actualem, fit inde ut quatenus conjuncta nequeat necessario diligi.

61. Ad confirmationem. Ad confirmationem distinguenda est prima pars dilemmatis : *Dicit omnimodam, et infinitam perfectionem*, involventem tamen seu connotantem quid finitum tanquam rationem materialem terminandi, concedenda est : non involventem, negari debet. Et ideo sequela ibidem illata est nulla : quia desiderabatur ut antecedens esset verum in posteriori sensu. Et deinde secunda pars dilemmatis neganda est.

Explicatur solutio. Explicatur hoc. Si fiat sermo de formalissima ratione terminandi præcisa ab omnibus connotatis et conditionibus, quæ requiruntur ad hoc ut, quantum est ex parte sua, actu et in exercitio terminet, tunc ratio terminandi est infinita Dei bonitas, quæ se ipsa habet ex parte sua esse non necessario connexam cum creaturis. Si vero loquamur de ea secundum omnia, quæ desiderantur ad hoc ut absolute et in exercitio terminet, importat se ipsam secundum prædictam rationem, et insuper connotat tam volitionem liberam Dei tendentem in ipsam, quam quod adsint media volita propter eamdem tanquam objecta materialia; cum quibus tamen ipsa divina bonitas non habeat necessariam connexionem.

62. Unde ex qua parte formalissima ratio finalizandi est omnino infinita per essentiam, potest esse finis ultimus, seu ratio finalis ultima volitionis : et ex quo capite ratione ejusdem infinitatis non est necessario connexa cum mediis, sed potest esse et non esse sine illis, habet esse rationem for-

malissimam objectivam, et rationem finalem ultimam volitionis liberæ. Nam quamvis hæc non necessaria connexio, ut se tenet ex parte creaturarum, sit quid finitum et ratio materialis objectiva ; attamen ut se tenet ex parte divinæ bonitatis, dicit infinitatem : quia ratione illius est omnino libera a dependentia, qua pendeat a creaturis, et a nexu quo cum illis ut futuris sit a parte rei necessario connexa.

Elucidatur exemplo. Potestque hoc explicari exemplo personalitatis Verbi. Nam ex quo capite est infinita, habet quidquid ex parte sua requiritur, non solum ad posse terminare, sed etiam ad actuale exercitium terminandi naturam creatam : et ex quo capite non est necessario connexa cum illa, et ad illud actuale exercitium desideratur aliquo l aliud connotatum ex parte naturæ creatæ se tenens, seu (ut melius dicamus) ipsam afficiens, scilicet unio ejusdem ad Verbum, habet suo modo libere terminare, idest, dependenter a libera Dei voluntate ; imo ita terminat libere, ut implicet quod necessario terminet. Sic ergo proportione servata quoad præsens philosophandum est.

63. Ad secundum. Ad secundum neganda est consequentia. Ad probationem concedimus, illam volitionem liberam secundum suam realitatem esse in Deo et esse Deum : at cum additur, quod ex qua parte est libera potuit non esse in Deo, ac proinde non esse Deus : vel fit sermo de volitione quoad ejus realitatem, vel quoad terminationem? si de primo, negandum est, potuisse non esse in Deo : si de secundo, concedimus, terminationem illam, modo alibi dicendo, potuisse abesse ab illo : ex hoc tamen non fit, id quod est Deus, potuisse non esse Deum, ut disput. 7 in quatuor ultimis dubiis latius dicemus.

64. Ad tertium. Ad tertium, patet ex dictis dub. 1 disputationis 4, non sufficere radicem esse necessariam ut fructus sit necessarius; sed requiri quod sit necessaria connexio radicis cum fructu : at licet daremus volitionem necessariam divinæ bonitatis esse (ut sic dicamus) radicem illius quasi fructus ejus, scilicet volitionis liberæ ad creaturas; non tamen est necessario nexa cum illa ut terminationem liberam includit.

65. Ad ultimum. Ad ultimum respondetur quod, licet infinita inclinatio, quæ non esset juxta naturam voluntatis, et subordinata illi, tolleret libertatem ; non tamen illa quæ est juxta voluntatis naturam, quæque est eidem omnimode quasi subordinata. At quamvis concedatur (ut re vera concedi debet) misericordiam Dei habere infinitam inclinationem respectu creaturarum ; nihilominus illa inclinatio esset juxta naturam libertatis, et illi quasi subordinata : quia esset juxta regulas divinæ sapientiæ et providentiæ. Unde etsi diceret infinitam inclinationem quasi in actu primo ; non tamen esset necessarium ut actu et in exercitio inclinaret infinite per modum actus secundi actu terminati ad creaturas, sed finite, quatenus non vellet creaturis infinitum bonum, et infinite ac omnibus modis possidendum, sed vel finitum, vel infinitum, finito tamen modo et non omnimode habendum, ut contingit cum illis vult beatitudinem. Potestque hoc explicari in habitibus infusis v. g. charitatis supernaturalis, quæ quantumvis cresceret, non ob id tolleret libertatem : quia semper determinat juxta naturam voluntatis et subordinate ad illam.

DUBIUM III.

Utrum Deus ita libere se habeat circa creaturas, ut non solum potuerit velle et nolle, sed etiam velle et non velle illas manente ejus voluntate suspensa et absque ullo actu circa ipsas?

66. Explanatio tituli. Postquam diximus divinam voluntatem esse liberam tam quoad exercitium, quam quoad specificationem respectu creaturarum, si in ordine ad existentiam considerentur, restabat statim inquirendum, an habeat prædictam libertatem, quia possit velle, et nolle, et simul etiam possit velle et non velle illas ? an vero solum, quia licet nequeat non habere aliquem actum positivum vel nolitionis vel volitionis vage sumptum ; attamen nec volitio nec nolitio in particulari et determinate a cepta conjungitur necessario cum illa ? sed sicut potuit habere determinate volitionem, potuit determinate carere illa, habendo tamen nolitionem.

Et licet alii aliis verbis dubium hoc excitent, an nimirum respectu creaturarum non futurarum possit Deus mere negative se habere, ita ut ipsæ sint non futuræ, præcise per hoc quod Deus mere negative circa illas se habuit? nihilominus uterque inquirendi modus in idem coincidit. Nam respectu creaturarum, quæ in aliqua temporis differentia sunt existentiam habituræ, non potest verti in dubium, quin habuerit se Deus positive : quandoquidem nihil potest habere

habere existentiam nisi Deo positive volente, sicut nihil potest eam acquirere, nisi mediante divino influxu libere a Deo præstito. Unde si semel Deus nequit se negative habere circa *non esse* rerum, fit inde, ut sicut omnes res non possunt non habere unum ex his duobus, scilicet *esse*, vel *non esse*, ita Deus non possit non vel positive velle ut sint, vel positive velle ut non sint, sive positive nolle ut sint.

§ I

Proponitur prior opinio.

67. His ergo suppositis prima asserit sententia, posse Deum mere negative se habere respectu creaturarum non futurarum. Scot. Refertur pro hac sententia Scotus in 1, Basol. distinctione 41 circa finem, Basolius dist. ureol. 40, q. 1, Aureolus dist. 41, art. 3, Curiel Curiel. 1 lib. suarum controversiarum controversia 7, art. 3, fol. 273, secutusque est eam urand. ex parte Durandus in 4, dist. 17, q. 7, Ferr. Ferrara 3 contra Gen. c. 161, Catherinus Cather. lib. 2 de prædestinatione in principio, et aliqui ex recentioribus Thomistis.

imum fundamentum. Probatur primo. Quia in illo signo, in quo Deus de prædestinatorum salute decrevit, tunc mere negative se habuit circa reprobos in ordine ad æternam eorum salutem, nunquam futuram : ergo divina voluntas potest mere negative se habere respectu effectuum non futurorum. Consequentia ex se patet. Antecedens vero licet ad materiam de prædestinatione ex professo pertineat, probatur tamen nunc sic. Quia cum in illo signo nondum reproborum opera prævisa sint, si Deus positivo actu decrevisset illos non eligere, videretur habere ex se ipso voluntatem positivam excludendi aliquem a regno : at voluntas hæc pietati divinæ et summæ illius bonitati derogare videtur; imo est incomposibilis cum voluntate illa, qua quantum est ex se vult omnes homines salvos fieri, ut dicitur capit 2 epistolæ ad Timoth. : ergo, etc.

2 ad Timoth. 68. Secundo. Quia ad hoc ut effectus non sit futurus, minime requiritur positiva Dei voluntas : ergo poterit divina libertas circa res non futuras, negative se habere. Consequentia patet. Antecedens vero probatur. Quia *non esse* rei sicut nihil est, et ob id a nullo producitur, ita a nullius pendet positiva voluntate. Unde etsi per impossibile Deus non esset, eodem modo non esset Angelus, qui nunquam futurus est : ergo quamvis ponamus Deum negative se gerentem, ac proinde nullam volitionem circa rem pure possibilem habentem, eodem modo res hæc non erit, ac si Deus habeat actum positivum, quo velit illam non esse.

Confirmatio prior. Confirmatur et explicatur. Ut res sit, desideratur actus positivus, quo Deus velit eam esse, ut ex se constat, et in explicatione tituli dicebamus : ergo eo ipso quod Deus careat tali actu, non erit talis res. Patet consequentia. Quoniam nihil sine eo, quod ad illius *esse* indispensabiliter requiritur, potest habere *esse*.

Alia confirmatio. Confirmatur secundo. Non magis pendet a Deo *non esse* effectus productibilis ab ipso, quam *non esse* effectus effectibilis a creatura, pendet ab illa : sed ad hoc ut sit *non esse* effectus effectibilis a creatura, non requiritur aliqua actio illius : ergo, etc. Major videtur certa. Minor vero constat. Quia ut non producatur calor a calore, vel homo ab homine, non est necessaria aliqua actio ; imo desideratur cessatio ab actione productiva, ut ex se patet : ergo, etc.

69. Tertium. Tertio. Quia si voluntas divina nequit se habere negative, sed circa quamvis contradictionis cujuslibet partem habet necessario actum ut sit vel non sit, sequeretur fore hoc illi essentiale, eo saltim modo quo attributa dicuntur Deo essentialia : ac proinde prius esset divina voluntas quasi reducta ad actum secundum volitionis vel nolitionis creaturarum, priusque ipsæ essent futuræ vel non futuræ, quam intelligerentur productæ divinæ personæ : sed hoc est impossibile : ergo, etc. Sequela quoad primam partem ex se constare videtur. Quoad secundam vero etiam constat. Nam ea, quæ sunt essentialia divinæ libertati, et quævis alia Deo intrinseca et absoluta, sunt priora notionalibus.

Falsitas vero consequentis etiam patet. Tum quia tres divinæ personæ sunt principium futuritionis vel non futuritionis creaturarum, et consequenter debent præsupponi secundum hanc rationem. Tum etiam : quia Spiritus Sanctus est terminus primarius divinæ voluntatis; et creaturæ secundarius : ergo prius est volitio qua Spiritus Sanctus procedit, nec non et ipse Spiritus Sanctus, quam volitio qua creaturæ sunt volitæ : cumque ex alio capite processio per intellectum præcedat omnino quamvis processionem per voluntatem, aut effectum quovis modo ab ea dependentem, fieri nequit ut talis volitio et quasi reductio divinæ

libertatis ad actum secundum, sit prior, quam Verbum divinum.

70. Quartum

Quarto. Non potest dari in divina voluntate necessitas omnimoda ad habendum actum volitionis determinatum, nisi objectum habeat infinitam bonitatem : ergo nec poterit dari in eadem voluntate necessitas omnimoda ad habendum actum volitionis vage et indeterminate sumptum, seu (ut clarius loquamur) ad habendum vel actum quo velit *esse* rei, vel actum quo velit *non esse* ejusdem ut conducens ad aliquod bonum, nisi objectum proportionatum tali necessitati, talibusque volitionibus divisim sumptis, afferat infinitam bonitatem : ergo cum certum sit, quod *esse*, vel *non esse* effectus creati divisim sumptum non afferat secum infinitam bonitatem, fiet inde, ut in divina voluntate non adsit necessitas ad positive et disjunctim illud volendum. Hæc ultima consequentia ex se videtur perspicua. Prima vero ex paritate rationis patet Antecedens autem ex dictis dub. 1 disputationis 4 satis constat.

Corroboratio.

Confirmatur. *Esse* vel *non esse* rerum, quæ non sunt necessariæ ad beatitudinem voluntatis creatæ, non est objectum necessitans illam ad habendum actum positivum volitionis, vel nolitionis circa illa : ergo cum *esse* vel *non esse* rerum extra Deum non sit ei necessarium ad suam beatitudinem, fit inde, ut divina voluntas non habeat necessario vel actum quo velit *esse*, vel actum quo velit *non esse* talium rerum. Patet consequentia. Nam quo voluntas Dei est nobilior, eo minus debet esse bono creato addicta.

71. Solutio.

Nec satis erit si dicas, necessitatem hanc non provenire ex parte objecti, sed ex parte subjecti, scilicet ex actualitate divinæ libertatis, et ex summa perfectione providentiæ illius.

Impugnatio quoad primum caput.

Non itaque hoc satis erit. Nam contra hoc est in primis, quod id non potest oriri ex primo capite in hac solutione assignato, scilicet ex actualitate divinæ libertatis : quia non minus est actualis divina misericordia, liberalitas, et omnipotentia, quam divina libertas : at ad actualitatem misericordiæ non desideratur ut prorumpat in aliquem actum secundum, quicunque ille sit (quod idem de aliis attributis nunc recensitis dicendum est) ergo : etiam si divina libertas in nullum actum secundum prorumpat, nihil oberit id suæ actualitati. Major cum consequentia ex se constant. Minor vero etiam patet. Quia si Deus nihil unquam produceret, manerent prædicta attributa cum summa actualitate : alioqui eorum actualitas a creaturis, vel a productione earum penderet, et tamen non prodirent in actum secundum, ut ex se constat : ergo, etc.

Confirmatio prior.

Confirmatur primo. Divina subsistentia est purissima et actualissima in ratione terminandi, et nihilominus ex eo quod actu non terminet plures naturas creatas, quas posset terminare, sed circa illas veluti negative se habeat, nihil illius actualitati derogatur : ergo, etc.

Alia confirmatio.

Confirmatur secundo a priori. Nam actus liber ut talis nihil affert perfectionis, alioqui sicut ipse potest abesse a Deo, ita aliqua perfectio posset illi deesse, quod infra ostendetur esse falsum : ergo divina libertas ita manet perfecta cum ipso, ac sine ipso : ac proinde sub eadem purissima actualitate, quæ est potissima illius perfectio.

72. Impugnatur eadem solutio quoad secundum ejus caput.

Deinde, quod prædicta necessitas non oriatur ex secundo capite, scilicet ex perfectione divinæ providentiæ, sic suadetur a magistro Curiel loco citato. Quia alioqui respectu quarumvis combinationum etiam conditionatarum deberet Deus se habere positive, volendo nimirum earumdem *esse*, vel *non esse* : at hoc repugnat providentiæ perfectissimæ : ergo, etc. Sequela patet. Minor vero probatur. Combinationes conditionales possunt multiplicari in infinitum sine ullo termino non solum ex parte conditionum, quas intellectus humanus potest ultra quemcunque terminum excogitare, sed etiam respectu effectuum, quos in ordine ad quamcunque conditionem potest unusquisque ad libitum multiplicare in infinitum, ut respectu hujus conditionis · *si tetigero tabulam digito*, potest inquiri, an Petrus sit locuturus, vel ambulaturus, vel acturus pœnitentiam, vel habiturus talem aut talem cogitationem, et ita in infinitum in eodem homine, vel in diversis : ergo cunctæ combinationes possibiles non sunt quid certum et determinatum, sed quid incertum et potentiale : ergo non possunt omnes subdi certæ et determinatæ providentiæ, ac proinde nec cadere sub divina providentia, quæ ratione suæ summæ perfectionis debet esse omnino certa et determinata.

Patent omnes consequentiæ. Nam ex qua parte combinationes illæ possunt successive multiplicari in infinitum, non possunt non esse quid incertum et potentiale,

ut

ut de speciebus numerorum, et de partibus in quas dividitur continuum, constat. Et ex quo capite sunt quid incertum et potentiale, non possunt simul cadere sub certa intentione aut providentia, ac proinde nec sub certa providentia Dei petente ut sit omnino certa et determinata. Et ideo D. Thom. Thom. 1 p. quæst. 7 inde probat non posse infinitam multitudinem creari, quia hoc ipso quod est infinita in ratione multitudinis, est quid incertum et potentiale : et ita nequit cadere sub certa intentione creantis.

§ II.

Difficultatis controversia dirimitur.

73. Assertio. Dicendum tamen est, divinam voluntatem non posse manere omnino suspensam circa creaturas, sed necessario circa quamlibet habere unum ex his actibus, scilicet vel actum, quo velit ut sint seu existant, vel actum, quo velit ut non sint, vel tandem quod nolit ut sint.

Differunt autem hi duo ultimi actus in hoc, quod actus quo vult non esse rem, habet se quasi per modum prosecutionis, quatenus tale *non esse* potest prodesse ad aliquod bonum. Cæterum nolitio existentiæ habet se per modum quasi odii, fugæ, et recessus ab illa, quatenus concipitur opponi alicui bono volito. Utrum autem prædicti actus, seu terminationes distinguantur ex parte rei conceptæ? necne? et quomodo? alia quæstio est, alibi discutienda.

. Aug. ngelic. Doct. Assertionem hanc tuentur Aug., Angelicus Doctor, et omnes Patres in tractatu de Scientia Dei disp. 9, num. 63 relati : qui asserunt, Deum cognoscere omnia futura contingentia conditionata, quæcumque illa sint, in decreto conditionato suæ voluntatis , et similiter omnia futura absoluta. Nam juxta hunc dicendi modum Deus de quavis re suum *fore* aut *non fore* decrevit. Navarr. Nazar. Eamdem tuentur Navarrete in hac 1 p. controversia 3, Nazarius quæst. 14, art. 13, controversia 1, notabili 1, § *Ego autem a risu abstinendum*, Gonzalez disp. 44 num. 5 et disp. 53 num. 15, Ripa q. 14 art. 13 dubit. 4 cap. ultim., Machin. disp. 40 sect. 4, Arrubal disp. 56 cap. 2 num. 5, Vazquez disp. 79 cap. 3 num. 17. Quam etiam non parum communiter tuentur alii recentiores Thomistæ.

onzalez Ripa. lachin. Arrub. asquez.

74. Ratio fundamentalis hujus assertionis innuitur a D. Thom. potestque sub hac forma proponi. Nam licet terminatio divinæ scientiæ ad res futuras nihil addat perfectionis supra illam, ut ad divinam essentiam terminatur; attamen si semel aliquod objectum supponitur futurum, et consequenter secundum istam rationem scibile, tunc si lumen prædictæ scientiæ non se extenderet ad illud, recte colligeremus non esse infinite perfectam in ratione luminis : ergo licet terminatio divinæ libertatis nihil ex se addat perfectionis supra realitatem necessariam voluntatis Dei ; nihilominus hoc ipso quod aliquod objectum sit libere volibile, modo dicto, ab ea, et ipsa non se extendat ad illud uno ex modis jam assignatis, optime colligemus entitatem et perfectionem illius non esse in ratione voluntatis infinite perfectam : ergo cum quodvis objectum creatum sit libere volibile vel nolibile in ordine ad existentiam a divina voluntate, recte inferemus eam non esse infinitam in ratione voluntatis, nisi libere (modo tamen assignato et jam explicato) ad illud se extendat.

Ratio fundamentalis pro assertione.

Antecedens videtur perspicuum. Quia infinitas in ratione luminis scientifici intime connexa est cum hoc quod est extendi ad omne id, quod ex se est scibile : non secus (proportione tamen servata) ac licet terminabilitas (ut sic dicamus) divinæ potentiæ ad creaturas possibiles nihil perfectionis addat supra entitatem absolutissimam ejusdem omnipotentiæ (ut multi probabiliter volunt) attamen si semel daremus deesse Deo talem terminabilitatem, tunc sicut optime colligeremus non posse ad creaturas terminari, ita etiam quod non haberet infinitatem in ratione potentiæ, imo quod nullo modo esset potens ad aliquid faciendum.

Probatio antecedentis.

75. Suadetur prima consequentia. Prima vero consequentia ejusdem primi et præcipui enthymematis etiam constat. Tum quia non minus desideratur ad infinitatem voluntatis Dei, quam ad infinitatem scientiæ ipsius, cum utraque intra suam lineam et juxta propriam naturam sit infinita : ergo si ex eo quod aliquod objectum præsupponatur scibile, et divina scientia non se extenderet ad illud, recte colligeremus eam non esse infinitam, ita ex eo quod aliquod objectum sit libere volibile vel nolibile, et libertas Dei non se extenderit libere ad illud, poterimus etiam inferre, voluntatem seu libertatem illius non habere omnem excogitabilem perfectionem in ratione voluntatis.

Tum etiam : quia non posset negari quin

ex limitatione divinæ voluntatis proveniret, quod aliquid fiat, aut fieri omittatur, quod sub eadem voluntate non cadat. Sicut ex summa perfectione ortum ducit, quod sit ita late patens, ut nihil fieri possit aut omitti, quin ipsa libere volente fiat aut fieri omittatur.

Probatio ultimæ consequentiæ. Ultima autem consequentia prædicti enthymematis etiam patet : quandoquidem nullum est objectum possibile, quod non comprehendatur a divina scientia, ac proinde quod non proponatur sufficienter voluntati Dei, ut ipsa possit, vel velle, vel nolle libere ejus futuritionem et existentiam.

76. Confirmatio. Confirmatur. Quia cum inter intellectum et voluntatem sit maxima quædam sympathia, consensio et correspondentia, fit inde, ut sicut ad naturalem correspondentiam harum potentiarum spectat, quod hoc ipso quod intellectus proponat aliquod objectum, ut libere volibile aut nolibile, tunc voluntas eliciat actum quo libere velit vel nolit ipsum, ita ad defectum ejusdem naturalis consensionis pertineat, ac proinde ex imperfectione voluntatis proveniat, quod dum intellectus proponit objectum, tunc ipsa non habeat etiam actum, quo quasi correspondeat eidem intellectui proponenti, quoque amplectatur vel non amplectatur sive respuat objectum propositum : ergo cum intellectus divinus cuncta volibilia vel nolibilia, modo dicto, proponat suæ voluntati, optime colligeremus, eam non esse undequaque perfectam, nec habere summam sympathiam, quæ illi ex vi suæ lineæ debetur respectu intellectus, nisi haberet actum, quo corresponderet eidem intellectui proponenti, et amplecteretur vel non amplecteretur sive respueret quod ei proponitur.

77. Evasio prior Quæ ratio una cum sua confirmatione est ita efficax, ut ex ejus sola aliquali expensione facile corruant aliquæ evasiones, quæ ei adhiberi poterant. Unde in primis nihil refert si dixeris, esse disparem rationem. Nam intellectus fertur necessario in res scibiles, et ideo non potest non, supposita earum scibilitate, ad illas terminari : at voluntas fertur libere, et ita potest terminari et non terminari.

Evertitur. Non itaque hoc refert. Nam ex ratione facta habetur tribuendam esse voluntati divinæ tantam extensionem respectu sui objecti etiam materialis intra suam lineam, quantam intellectui aut scientiæ Dei, dummodo salvetur libertas divinæ voluntatis : quoniam hoc suadet, tunc summa correspondentia et sympathia inter utrumque intercedens, tum etiam, ne divina voluntas non sit ita actualis et infinita intra suam lineam, proportione servata, sicut intellectus aut scientia Dei intra suam : sed licet divina libertas intra suam lineam habeat necessario unum ex prædictis actibus vage sumptum, ac proinde actu et in exercitio terminetur ad omne volibile vel nolibile in ordine ad suam existentiam, sicut intellectus aut scientia divina ad omne scibile, habeatque tantam extensionem respectu sui objecti materialis sicut illa; nihilominus salvatur perfecte illius libertas : quia respectu actus quem in particulari habet, manet (ut in explicatione tituli innuebamus) omnino libera : imo ut jam dicemus, aliter salvari exacte nequit, quod habeat maximam libertatem, quæ excogitari potest : ergo, etc.

78. Corroboratio. Confirmantur et explicantur magis cuncta quæ in hac assertione dicta sunt. Libertas divina non est ad *terminari* et *non terminari* pure negativum, sed ad hanc positivam terminationem et ad oppositam, ita ut præcise sit ad *non terminari*; quia potuit habere oppositam terminationem et incompossibilem cum ea, quam de facto habuit : ergo non potest manere suspensa circa aliquod objectum, sed necessario terminabitur vel ad *esse* vel ad *non esse* illius. Consequentia patet ex jam dictis. Quia sicut si libertas divina esset ad *terminari* et *non terminari* pure negativum, non posset non (si semel ejus infinitas salvanda est) vel terminari positive et libere omnino directe, vel non terminari negative, libere tamen, libertate indirecta, quatenus cum potuisset terminari, nihilominus sciens et prudens non habuit terminationem, ita si eadem libertas est ad habendam hanc vel illam terminationem positivam ad creaturas respectu omnium effectuum, qui ab eadem libertate prodire possunt, necesse erit ad salvandam eamdem infinitatem, ut habeat positivam terminationem respectu illarum, ita ut libere et positive velit, vel quod sint, vel quod non sint, aut nolit eas esse.

Antecedens vero, in quo tota difficultas consistit, sic ostenditur. Quoniam ut entitas et perfectio divinæ libertatis sit infinita, necesse est ut sit summe liberrima quasi in actu primo ; ac proinde quod ex ea quasi oriatur ut semper sit summe libera quasi in actu secundo, et modo dicto : quandoquidem hæc summa actualitas jam explicata

cata nullo modo lædit libertatem : at si divina voluntas esset ad *terminari* et *non terminari* pure negativum, non esset semper summe libera in actu secundo : quia liberum illud quod tantum attenditur penes hoc quod cum voluntas possit velle aut terminari, nihilominus negative se habeat, et non velit; vel non est vere liberum (et ideo magna Thomistarum pars sentit non sufficere etiam in voluntate creata, quæ minimi liberi capax est, ad terminationem libertatis in actu secundo) vel si est liberum, tantum erit interpretativum et indirectum, ac proinde minimum quod intra latitudinem liberi inveniri potest : ergo, etc.

79. Alia vasio. Ex quo etiam constat nihil referre, si aliter cum juniori quodam occurras, dicens ex vi rationis et confirmationis pro assertione factæ, ad summum sequi, quod Deus non se habeat pure negative, id est, absque omni actu respectu creaturarum ; non tamen convincitur id, quod convinci intenditur, scilicet debere habere actum, qui sit vel volitio *esse* creaturarum, vel nolitio illius, aut volitio *non esse* earumdum creaturarum. Quia ad salvandam summam actualitatem et infinitatem divinæ libertatis, satis erit quod habeat unum ex prædictis actibus, vel actum quo velit non habere actum volendi, aut nolendi *esse* creaturarum, aut volendi *non esse* earum.

ræcluditur. Ex dictis igitur evasio hæc corruet, si tamen supponatur, quod licet hoc ipso quod Deus habeat prædictum actum, quo positive velit nec decernere de *fore* aut *non fore* creaturarum, habeant eo ipso creaturæ *esse* positive, seu contrarie non futuræ, ex eo quod ratione immutabilitatis divinæ voluntatis nequit Deus postea positive velle earum futuritionem, et ita implicet in sensu composito et facta prædicta suppositione, eas aliquando existere, ac proinde ex vi prædicti actus cadant aliquo modo sub volitione aliqua, nempe sub ea, qua positive et formaliter Deus vult non decernere expresse directe et formaliter de *fore* aut *non fore* earum; attamen solum indirecte et virtualiter sunt nolitæ per prædictum actum, non tamen formaliter et expresse, ut ex se constat.

Hinc ergo sequens, ex ratione facta, in hunc tamen modum expensa, deducitur impugnatio. Quoniam quodvis possibile est per se et directe volibile a divina libertate in ordine ad suum *esse* vel *non esse* : ergo nisi voluntas divina habeat actum liberum quo positive per se et directe velit *esse*, vel *non esse* illius, non erit summe et infinite actualis : sicut si aliquod objectum esset per se et directe scibile a divina scientia, et ista non terminaretur per se et directe ad illud, sequeretur eam non esse summe et infinite actualem, ut ostensum est.

80. Objectio. Nec obest si dicas, quod etiam actus divinæ voluntatis, qui directe terminatur ad actum volendi existentiam creaturarum, est positive directe volibilis aut nolibilis a Deo : ergo ob eamdem rationem deberet saltim habere actum positivum, quo vellet aut non vellet ipsum, cum tamen hoc non videatur concedendum, ut docent Thomistæ : ergo, etc.

Solvitur. Respondetur enim, quod actus voluntatis divinæ non petit per se et indispensabiliter esse directe volitus per alium actum ; sed satis est quod se ipso formaliter sit volitus, quatenus hoc ipso quod per illum voluntas vult objectum, vult etiam se velle illud, ac proinde ibidem intervenit virtualis sive eminentialis quædam reflexio, quamvis per accidens, aut ex aliis capitibus possit oppositum contingere : et propterea actus charitatis, quo Deus diligit suam essentiam, non est volitus per alium actum charitatis, sed ipsemet est volitio sui. Cæterum objecta divinæ voluntatis etiam materialia sunt per se, seu directe, formaliter, et expresse libere volibilia ab illa in ordine ad suum *esse* vel *non esse*, ac proinde sunt volibilia volitione libera et perfectissima quoad modum libertatis, scilicet libertatis directæ. Et propterea nisi divina libertas vellet *esse* vel *non esse* prædicti objecti volitione libera directa, non colligetur eam esse summe actualem in ratione libertatis, nec etiam esse summe liberam.

Corollarium. Quare libertas voluntatis divinæ non est explicanda per hoc quod possit habere actum, seu terminationem, qua velit suspensionem actus seu terminationis, directe et formaliter tendentis ad *esse* aut *non esse* creaturarum, aut per hoc quod possit habere oppositum ejus, ne aliquando *non esse* creaturarum solum indirecte maneat volitum, ac proinde sola libertate indirecta et imperfecta in ratione libertatis sit volitum, sed per hoc quod possit directe velle, aut nolle *esse* creaturarum, aut habere actum seu terminationem qua velit *non esse* earum.

§ III.

Fit satis tribus prioribus argumentis initio adductis.

81. Ad primum. Ad primum ergo pro prima sententia negandum est antecedens. Et ad probationem concedimus majorem, si illa voluntas excludendi non sumatur (ut revera non sumitur) pro privatione (ut sic dicamus) activa illius, quod jam possidetur, sed pro positiva voluntate non conferendi efficaciter æternam salutem; sed negamus, hanc voluntatem derogare divinæ pietati, aut esse incomposibilem cum illa, qua vult omnes homines salvos fieri : quia etsi decernat Deus non dare efficaciter beatitudinem aliquibus; attamen habet simul voluntatem dandi, saltim quantum est ex se omnia auxilia sufficientia, quæ ad illius consecutionem desiderantur : at hæc voluntas satis superque est ad hoc ut verissime de Deo dicatur, quod vult omnes salvos fieri, quia semel datis auxiliis sufficientibus, per hominem stat, quod non consequatur suam salutem.

82. Ad secundum et ejus confirmationes. Ad secundum et ejus confirmationes, uno verbo dicitur hanc necessitatem habendi aliquem actum liberum non esse objectivam, sed subjectivam, idest, non oriri ex meritis objecti, sed subjecti. Quia nimirum illius libertas est infinite perfecta et summe liberrima : et ita nequit, ut ostensum est, manere suspensa.

Unde licet ad hoc ut res sit non futura negative, idest, ut nihil habeat ratione cujus sit futura, non desideretur actus positivus divinæ voluntatis; attamen ut sit non futura contrarie, hoc est, ut habeat aliquid ratione cujus ei repugnet futuritio, desideratur actus positivus voluntatis Dei, quo velit eam non esse, aut nolit ejus existentiam : at ad perfectionem divinæ libertatis spectat ut ad omnia creabilia terminetur vel tribuendo eis *esse* futurum, vel non futurum contrarie.

83. Solutio aliquorum ad tertium. Ad tertium respondent aliqui ex junioribus concedendo utramque sequelam. Neque hoc reputant majus inconveniens, quam cognitionem creaturarum possibilium esse prius, nostro modo intelligendi, processione Verbi : quia utrobique est eadem ratio. Nam sicut ex eo quod cognitio, per quam Verbum procedit, debet esse actualissima, et ex omni capite perfecta, ac proinde comprehensiva, et ad id desideratur esse cognitionem creaturarum, colligimus Verbum non posse procedere nisi ex prædicta cognitione, et consequenter hanc necessario præcessuram, ita cum volitio divina, per quam procedit Spiritus Sanctus, debeat esse prius in se perfectissima secundum omnem perfectionem essentialem, et ad hoc requiratur quod habeat aliquem actum liberum circa quamvis contradictionis partem, inde est, ut debeat Spiritus Sanctus procedere non solum ex volitione necessaria Deitatis, sed etiam libera creaturarum, et per consequens hanc præcessuram.

Et ad primam probationem minoris videtur posse juxta hunc opinandi modum dici, quod etsi Spiritus Sanctus procedat ex volitione libera futuritionis vel non futuritionis creaturarum, adhuc tamen potest esse principium illarum : ac proinde simpliciter prior eisdem. Quia principium adæquatum liberæ futuritionis ut talis, non est volitio libera Dei prout præcise est in Patre et Filio, sed prout in tribus personis. Unde licet eadem volitio prout in Patre et Filio præsupponatur ad processionem Spiritus Sancti, adhuc potest Spiritus Sanctus esse simpliciter prior, quam futuritio, aut non futuritio creaturarum, ac proinde esse principium illius.

Et ad secundam probationem dici posset, volitionem divinam distinguendam esse in notionalem et essentialem. Quare licet Spiritus Sanctus sit terminus primarius volitionis notionalis; nihilominus creaturæ possunt esse prius positive, vel non volitæ, vel volitæ, quia sunt objectum secundarium volitionis essentialis, quæ secundum omnia, ad quæ se extendit, simpliciter antecedit volitionem notionalem; quamvis etiam cum hoc stet, quod respectu volitionis essentialis sit primum volitum tam divina essentia quam divinæ personæ. Cæterum volitio hæc prout essentialis, et ut distinguitur a notionali, eamque excludit, non est productio Spiritus Sancti.

84. Displic præce dens solutio Hæc tamen solutio communi Thomistarum scholæ non placet, sed quia in tract. de Trinit. ex professo impugnanda est, ideo sat erit, modo aliter ad argumentum respondere; maxime quia in ea, quam trademus, solutione, brevis et sufficiens illius impugnatio continetur.

Alitei occurr tur eiden argumento Dicimus ergo, quod etsi verum sit, non posse divinam voluntatem manere suspensam, adhuc tamen non sequitur id, quod in prima sequela argumenti deducitur. Et ad probationem fatemur, prædicata illa, quæ

quæ in particulari et determinate sumpta conveniunt Deo, et cuilibet personæ divinæ, necessario debere antecedere alia prædicata notionalia, non tamen ea, quæ in particulari et determinate sumpta non habent necessariam connexionem cum Deo. Quare cum nullus actus liber sigillatim et in particulari acceptus conveniat ex necessitate voluntati divinæ; sed solum quod ratione suæ summæ perfectionis sit determinata ad habendum aliquem ex dictis actibus liberis, quicunque ille sit, inde est, ut non sit necessarium divinam libertatem esse reductam ad prædictum actum secundum, quatenus actus secundus includit terminationem ad creaturas, antequam intelligantur productæ divinæ personæ; sed solum quod debeat præcedere determinata ad habendum aliquem ex illis actibus vage sumptum.

Diximus : *Quatenus actus secundus includit terminationem ad creaturas* : quia si loquamur de illo secundum id, quod in recto importat, ac proinde secundum id, quod perfectionis habet : quia hoc semper et indispensabiliter convenit Deo etiam secundum *esse* positivum peculiare acceptum, ideo præintelligitur ante processionem utriusque personæ : quia Pater Æternus hanc communicat Filio perfectionem : et rursus uterque eam Spiritui Sancto tribuit.

85. Si autem radicem hujus diversi modi philosophandi in his et illis prædicatis inquiras, ecce illam. Nam ea (ut sic loquamur) quasi potentialitas, quam dicit divina libertas ad habendum vel terminationem v. g. ad *esse* hujus universi, vel terminationem ad *non esse* ejusdem, debet quasi reduci ad actum mediante aliquo (ut sic dicamus) quasi accidentali, idest, non necessario connexo cum illa. Quia non potest de facto et in exercitio habere utramque terminationem, nec hanc vel illam vage; sed habet de facto aliquam in particulari et determinate, cum qua necessariam connexionem non habet : sicuti illa potentialitas quam habet propositio ad hoc ut sit vera vel falsa, reducitur ad actum per veritatem, v. g. in particulari acceptam, quæ accidit propositioni. At ea quæ aliquid quasi accidentale in sensu explicato involvunt, non ita immediate divinæ voluntati et naturæ conveniunt, sicuti ea, quæ omnino necessarium nexum cum ipsa habent. Quia sicuti cum eadem sunt magis nexa, ita prius cum illa uniuntur. Quare cum divinæ personæ omnino necessario cum divina natura ratione infinitatis ejusdem nectantur, inde est, quod prius debeant hæ intelligi, quam illa quasi reductio divinæ libertatis ad actum secundum.

86. Objectio. Sed objicies, hinc sequi, tum quod Spiritui Sancto non communicetur ex vi processionis perfectissima libertas et reducta ad actum secundum. Tum etiam, quod aliquid commune toti Trinitati conveniat Spiritui Sancto, quod tamen non habeat a Patre et Filio : at utrumque est falsum : ergo etc. Sequela patet. Cum enim in illo priori non intelligatur divina libertas in Patre aut Filio quasi omnino reducta ad actum secundum, nequibit Spiritui Sancto sic communicari : et ita ipse non habebit ex vi suæ processionis hanc reductionem, et consequenter nec a Patre et Filio, sed a se.

Falsitas consequentis quoad primam partem probatur. Quoniam alioqui processio illa non esset perfectissima, quippe cum non communicaretur per illam perfectissimus terminus, seu libertas, et actualissimo modo se habens. Quoad secundam vero partem patet. Quia est contra communem Sanctorum et Theologorum consensum, juxta quem solius Patris est proprium, ut habeat a se quæ possidet : sicuti et Filii quod ea quæ habet communicentur eidem a solo Patre : et similiter Spiritus Sancti ut cuncta accipiat a Patre et Filio.

Imo et hoc videtur expressum in sacra Scriptura. Nam Christus Dominus Joann. 15 et 16, de se ipso loquens, inquit : *Omnia quæcumque audivi a Patre meo nota feci vobis;* et de Spiritu Sancto protinus additur : *Spiritus qui a Patre procedit, docebit vos omnia : non enim loquetur a semetipso; sed quæcumque audiet loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis : ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* Ubi, ut patet, fit sermo de scientia visionis rerum futurarum. Quare cum de hac dicatur, quod eam habet Filius a Patre, et Spiritus Sanctus a Filio, ac proinde et a Patre; et in hac scientia necessario involvatur libera determinatio divinæ voluntatis, necesse est, ut hanc habeat Filius a Patre, et Spiritus Sanctus a Patre et Filio. Joan. 15 et 16.

87. Animadversio ad enodationem hujus objectionis. Respondetur prænotando, quod sicut in creatis effectus producti habent a sua causa tam ea, quæ essentialiter, quam quæ sunt aliquo modo eis debita in instanti generationis, ita tamen, ut quæ essentialia sunt, prius eisdem communicentur, cætera vero posterius, et postquam jam producta est natura et totum suppositum substantiale ;

et consequenter non censetur finita generatio, quousque omnia hæc communicentur : ita etiam in divinis communicantur essentialia, et simul quæ suo modo sunt debita, scilicet actus liberi : at illa primario, hæc vero post communicationem naturæ et attributorum, necnon et productionem personæ procedentis, ac proinde non censetur finita processio usque dum intelligatur, quod persona procedens habeat omnia hæc ab illa, a qua procedit.

Cæterum licet in hoc conveniant creata et increata processio, differunt tamen, quod in creatis semper, aut fere semper accidentia, quæ sunt communicativa sui, præexistunt in agente non solum radicaliter, sed etiam formaliter una cum propria illius natura, antequam incipiat communicatio naturæ, secus vero in divinis.

Et ratio disparitatis est, quod in creatis non est eademmet numero natura in causa et in effectu pro lucro, sed diversa. Unde cum quævis natura magis appetat propriam perfectionem, quam aliorum, et majorem nexum cum iis, quæ sunt intrinsecum illius complementum, quam cum aliis habeat; ideo prius sunt in illa accidentia complentia ipsam, quam quod propriam naturam diffundat, eamque aliis communicet. At cum divina natura et omnia ejus attributa sint eademmet numero tam in persona, a qua procedit alia, quam in procedente, et habeat majorem et magis necessarium nexum cum tribus suis personalitatibus, quæ proinde pertinent ad intrinsecum illius complementum, quam cum actibus liberis, qui quasi accidentaliter ipsi conveniunt, sicuti et quævis natura creata magis connexa est cum unica sua personalitate, quam cum quibusvis aliis accidentibus, inde est, quod petat ut prius sit personata in omnibus illis, ac proinde quod adsit persona Patris communicans Filio suam naturam et attributa, et rursus uterque communicans hoc ipsum Spiritui Sancto, quam quod in eadem persona Patris aut Filii intelligantur actus liberi omnino formaliter et ut terminati ad creaturas, et consequenter quam quod Pater communicet eos Filio, et Pater ac Filius Spiritui Sancto.

Diluitur objectio.

Hoc ergo supposito ad formam argumenti facilis et brevis est solutio. Quia neganda est sequela quoad utramque illius partem. Et ad probationem dicendum est, quod etsi prius sit processio Spiritus Sancti quoad ea quæ omnino necessario eidem conveniunt, quam quod sit quasi reducta divina libertas in Patre et Filio ad actum secundum ; non tamen est prius quoad omnia quæ includit, ac proinde non est omnino finita; nec Spiritus Sanctus habet suam libertatem quasi reductam ad actum secundum, priusquam hæc eadem in Patre et Filio reducatur, et sic reducta eidem tandem communicetur, et ita processio quasi finiatur.

§ IV.

Solvitur ultimum argumentum cum sua confirmatione.

88. Ad primam impugnationem et primam confirmationem contra solutionem ultimi, n. 71 traditam

Ad ultimum et ejus confirmationem patet ex dictis in solutione ad 2. Unde optima est solutio inter arguendum assignata. Ad cujus impugnationem et primam confirmationem dicendum est, esse disparem rationem inter cætera alia attributa ex una parte, et divinam libertatem quasi in actu primo consideratam ex alia. Nam misericordia v. g. non est formaliter libera, seu indifferens ad utramque contradictionis partem, ita ut ipsum velle non misereri, sit actus misericordiæ. Et ideo misericordia non inclinat ad miserendum et ad ejus oppositum. Quare nequit esse capax habendi necessario terminationem positivam ad aliquam contradictionis partem respectu creaturarum vage sumptam : et si necessario ad illas terminaretur, jam illa terminatio esset omnino necessaria : sicut quia voluntas Dei ut natura terminatur absque indifferentia ad bonitatem Dei prout est in se, ideo prædicta terminatio est omnibus modis necessaria. Cæterum voluntas divina ex vi propriæ lineæ est libera et indifferens ad utrumlibet, et non qualitercunque, sed libertate perfectissima, quæ (ut dictum est) nequit cohærere cum divina libertate negative se habente circa creaturas; sed necessario aliquam terminationem modo jam explicato requirit.

80. Explicatur præcedens solutio

Declaratur magis hoc ipsum. Licet enim actualis terminatio misericordiæ, aut subsistentiæ ad creaturas non addat ex se aliquid novæ perfectionis supra formalitatem earumdem, sicuti nec actualis terminatio supra divinam libertatem quasi in actu primo consideratam; attamen tota formalis ratio entitativa, quam misericordia v. g. importat (quod idem cum proportione de aliis perfectionibus et rationibus divinis in hac eadem objectione recensitis dicimus) habet (ut sic dicamus) subordi-

nari

nari divinæ libertati, idest, non petit redigi quasi in actum secundum, habereque prædictam terminationem nisi juxta præscriptum divinæ libertatis : sicuti etiam in nobis virtutes existentes in nostra voluntate, nec non et plures aliæ facultates activæ subordinantur quoad exercitium motioni voluntatis. Quod tamen potiori ratione in Deo dicendum est, cum omnes operationes illius inferentes mutationem aliquam ad extra, necnon et terminatio cujusvis naturæ creatæ per divinam subsistentiam debeat esse saltim imperative libera. Unde ex hoc quod divinæ misericordiæ desit actualis terminatio ad creaturas, non potest colligi entitatem et perfectionem illius non esse undequaque perfectam : quandoquidem, ut dicebamus, ex vi suæ lineæ non petit habere illam terminationem, nisi juxta præscriptum libertatis Dei : et ideo hac oppositum decernente, quid mirum ut salva manente tota perfectione intrinseca misericordiæ non habeat prædictam terminationem ?

90. Cæterum latitudo divinæ voluntatis, ut libertas, non petit subordinari quoad exercitium alteri attributo aut perfectioni divinæ ex iis quæ quasi respiciunt effectum ad extra. Quia ipsa est prima radix cujusvis exercitii liberi aliorum attributorum, et ita non poterit non habere aliquam terminationem ad creaturas, tum propter rationem modo tactam, scilicet ob summam ejus perfectionem in ratione libertatis : tum etiam, quia intrinsece petit ratione suæ infinitatis tantam correspondentiam et adæquationem cum divino intellectu, ut ad omne id, quod ei proponitur ut libere volibile, extendatur, vel volendo ut sit, vel quod non sit, etc. ut jam explicatum est.

Ad secundam confirmationem patet ex dictis, num. 74.

Ad ultimam impugnationem, quod etiam si combinationes infinitæ in potentia non possint simul subdi certæ intentioni creantis, bene tamen certæ providentiæ Dei ut libere volentis. Et ratio disparitatis est. Quia intentio creantis dicit intentionem Dei ut actu producentis rem in propria ipsius rei mensura. Unde si multitudo infinita in potentia caderet simul sub intentione Dei ut creantis, deberet simul tota produci in propria duratione : et ita esset et non esset infinita in potentia. Esset quidem, ut supponitur ; non esset vero, quoniam de ratione hujus infiniti est, ut docet Arist. 3 Physic. quod secundum ea, quæ actu in sua propria mensura et duratione habet, sit semper finitum : et secundum ea, quæ potest habere sit infinitum, ac proinde ejus potentialitas ad essendum nunquam omnino sit expleta, sed solum in *expleri*, et consequenter nequit secundum se totum esse in propria mensura productum.

Ad ecundam onfirmationem. Ad ltimam mpugnaionem usdem. Arist.

Cæterum intentio Dei ut libere volentis, non vero ut in actu et in exercitio exequentis, minime dicit intentionem ipsius ut actu producentis. Et ideo licet ab æterno velit creaturas, non tamen ab æterno est producens aut creans illas, sed tantum exprimit æternam Dei volitionem, qua vult dare eisdem *esse* vel absolute, vel sub conditione, sed juxta propriam naturam. Unde quia est juxta naturam infiniti, in potentia, quod licet in propria duratione nunquam sit actu secundum se totum existens, bene tamen per totam æternitatis extensionem, fit inde, quod sicut tota hæc infinita multitudo potest simul quoad omnes suas partes repræsentari clare divino intellectui, et ab illo cognosci, ut ex dictis in tract. de Scientia Dei constat, ac proinde etiam voluntati proponi, ita potest eadem voluntas simul intendere omnia illa non ut simul, sed ut successive per totam æternitatem executioni mandanda. 91.

Potestque hoc explicari exemplo infinitarum cogitationum beatorum per totam æternitatem futurarum. Nam quamvis in propria mensura nunquam sit assignabile instans, in quo præterierint infinitæ, aut possint infinitæ actu executioni mandari ; attamen quæ erunt in tota æternitate, sunt infinitæ, et omnes illæ cadunt sub divina providentia, ut ex se constat : et ita Deus ab æterno habuit decreta quibus intendit dare illis existentiam, modo dicto. Explicatur exemplo.

DISPUTATIO VI.

Quomodo inter se comparentur divina voluntas ut natura, et ut libertas, seu ut voluntas est.

Semel explicata divinæ voluntatis essentia tam ut natura, quam ut libertas est, seu ut tendit necessario, et ut terminatur libere ad res volitas, ac proinde ut collata cum objectis, in quæ fertur, restat explicatio illius secundum has duas rationes ad invicem comparatas : an nimirum voluntas divina ut natura, seu ut fertur necessario 1.

et cum determinatione ad unum, distinguatur virtualiter ex parte rei conceptæ, a se ipsa ut libertas, seu ut fertur cum indifferentia? an vero solum ex parte nostri modi concipiendi, et consequenter an habeant inter se ordinem prioris et posterioris cum fundamento in re? an vero solum ex parte nostri intellectus tantummodo?

DUBIUM UNICUM.

Utrum divina voluntas ut natura et ut libertas est, distinguatur virtualiter, et quem ordinem inter se servent?

2. Explicatur titulus. Loquimur autem in hoc dubio de libertate Dei non ut est terminata actu et in exercitio ad suum objectum, sed prout est (ut sic dicamus) quasi in actu primi, et dicit indifferentiam ad *terminari* et *non terminari* : secundum conceptum exprimit prædicatum quoddam inseparabiliter divinæ voluntati conveniens, et non minus in se necessarium, quam quævis attributa divina. Præmittimus autem hoc dubium cæteris aliis, quæ de quidditate actuum liberorum Dei excitanda sunt, quia ex eo plura, quæ in illis dicenda supersunt, satis pendent.

§ I.

Refertur prior opinio.

3. Fundamentum primæ sententiæ quoad secundam partem. Prima sententia asserit, divinam voluntatem ut naturam, et ut libertatem distingui inter se virtualiter, ac proinde habere inter se ordinem virtualem prioris et posterioris, quatenus ut natura, præcedit se ipsam ut libertas. Ita plures ex recentioribus. Et quidem hæc secunda pars aperte videtur sequi ex prima. Nam sicuti voluntas Dei habet majorem connexionem cum bonitate increata quam cum bonitate creaturarum, ita prius debet ferri in illam, quam in hanc : et consequenter prius debet esse in ea vis ad hoc ut divinam bonitatem amet, quam ad hoc ut in creaturas feratur. Quare si eadem voluntas ut natura, distinguitur virtualiter a se ipsa ut libertas, necesse est, ut hic ordo non sit solummodo ex parte nostri modi concipiendi, sed cum fundamento in re et virtualis.

Primum argumentum pro prima parte. Prima vero pars ejusdem sententiæ sic a priori suadetur. Illæ facultates distinguuntur virtualiter et cum omnimodo fundamento in re, quæ respiciunt objecta formalia, virtualiter saltim distincta : et ideo divinus intellectus distinguitur sic a sua voluntate, quia ille ad essentiam divinam ut infinite veram, hæc vero ad eamdem essentiam ut infinite bonam tendit : sed divina voluntas ut libertas et ut natura respicit objecta formalia virtualiter distincta : ergo etc. Minor probatur. Quia objectum voluntatis ut naturæ non est utcumque divina bonitas, sed ut necessario diligibilis : et objectum illius ut libertas, est eadem bonitas ut libere diligibilis : at divina bonitas ut necessario diligibilis distinguitur virtualiter a se ipsa ut libere diligibili, quia secundum priorem rationem potest terminare actum necessarium et non liberum, et secundum posteriorem potest attingi per actum liberum, non vero per necessarium : ergo etc.

4. Confirmatio prior. Confirmatur primo. Divina voluntas ut libertas non fertur ad bonitatem Dei ut præcise est finis quasi in actu primo creaturarum, sed ut est actu finalizans : at ut actu finalizans distinguitur ad minus virtualiter a se ipsa secundum se spectata et ut finalizativa : ergo ut est objectum formale voluntatis ut naturæ, distinguitur a se ipsa ut est objectum libertatis Major patet. Nam sicut bonitas divina semper et necessario habet virtutem finalizativam et infinitam, ita secundum hanc rationem est objectum voluntatis ut naturæ, non minus quam reliqua attributa ; non vero voluntatis ut libertas.

Minor autem probatur. Tum quia hæc ratio actualis finalizationis libere illi convenit, et est separabilis ab ipsa secundum se sumpta : sicut etiam volitio, per quam creaturæ ordinantur in illam actu, libera est, et separari potest. Tum etiam : quia divina bonitas ut actu finalizans addit aliquid supra se ipsam ut finalizativam : quoniam in universum actus secundus et ultimus cujusvis latitudinis seu lineæ aliquid addit supra actum primum ejusdem.

5. Alia confirmatio. Confirmatur secundo. Vel voluntas divina ut libertas respicit divinam bonitatem secundum se præcise sumptam, vel non? sed ut actu connotat creaturas futuras vel non futuras? Primum dici non potest, quia alias posset libere ferri in eamdem bonitatem infinitam præcise acceptam : siquidem libertas non nisi libere fertur in suum objectum : at hoc est contra intrinsecam rectitudinem (ut sæpius diximus) divinæ voluntatis, quæ postulat, ut quodvis objectum pro meritis diligat : et per consequens infinitam bonitatem, secundum

dum se præcise spectatam, in qua omnimoda ratio boni absque conjunctione ad aliquam rationem mali aut imperfectionis reperitur, diligat necessario. Si vero secundum dicatur, ergo jam ratio objectiva formalis voluntatis ut libertas, distinguitur a ratione objectiva ejusdem ut naturæ. Patet consequentia. Quia ratio objectiva ipsius ut naturæ, est divina bonitas præcise sumpta absque prædicta connotatione; secus vero ut libertatis rationem sortitur.

oste-
rior
nfirma-
tio.

Confirmatur tandem. Nam licet rationes formales objectivæ non distinguantur penes connotata cum præcisione sumpta, bene tamen penes ordinem, et (ut sic dicamus) penes connotationem ipsorum connotatorum, quatenus ipsæ habent petere talia connotata : si ergo divina bonitas ut connotans creaturas propter se ipsam volitas, est ratio objectiva libertatis, et eadem ut non petens tale connotatum, sed potius excludens ipsum, est ratio formalis objectiva voluntatis ut naturæ, consequens inde est, quod inter has objectivas rationes intercedat distinctio virtualis, ac proinde etiam inter voluntatem ut natura, et ut libertas est.

6.
ecun-
dum
rinci-
pale.

Secundum principale fundamentum est. Ita se habet divina bonitas respectu voluntatis ut libertas et ut natura est, sicut se habet in scientiis idem principium respectu duarum conclusionum ex illo elicibilium, quarum una sit necessaria, et alia solum contingens, aut probabilis : sed tale principium, licet sit idem realiter respectu illarum, est tamen virtualiter diversum : ergo similiter divina bonitas ut collata cum voluntate secundum istam duplicem considerationem, erit etiam virtualiter diversa.

ro-
atio
joris.

Major videtur patere ex supra dictis disput. 4, num. 26. Quia principium illud ut habens ex se connexionem necessariam cum conclusione necessaria, est ratio eliciendi ipsam, et ut habens connexionem non necessariam sed contingentem cum conclusione inferibili contingenter et solum conjecturaliter, est ratio inferendi illam : sicut divina bonitas ut habens ex se necessarium nexum cum divina voluntate ut natura, est ratio terminativa illius et volitionis necessariæ ejusdem : et ut est quasi libere et non necessario connexa cum creaturis et eadem voluntate ut libere volente easdem propter ipsam, habet ut sit ratio libere volendi creaturas et semetipsam ut finem illarum.

Minor vero etiam suadetur. Quia principium illud, ut est ratio eliciendi conclusionem probabilem, indiget motione voluntatis ad assensum prædictæ conclusioni : at ut est ratio inferendi conclusionem necessariam, non indiget tali motione, ut ex iis, quæ 2, 2, quæst. 1, artic. 4, et 5, docet D. Thom. et cum eo communiter Theologi, colligi potest : ergo importat rationem saltim virtualiter diversam.

Suade-
tur
minor.

D.Thom.

Ultimo. Ea quæ habent diffinitiones distinctas et oppositas, non possunt non saltim virtualiter distingui, cum diffinitio explicet quidditatem rei : at voluntas ut natura et ut libertas habet suas quasi diffinitiones oppositas, quia voluntas ut natura diffinitur per hoc, quod non possit se cohibere a volitione, at ut libertas, per hoc, quod possit a sua se operatione coercere : ergo etc.

7.
Ultimum

Confirmatur. Ideo misericordia Dei distinguitur virtualiter a sua justitia, quia Deus prout punit non miseretur, et prout miseretur non punit : sicut ob oppositam rationem ideo in divinis potentia generativa, et potentia (ut sic dicamus) dictiva sunt idem formalissime, quia Deus ut dicit generat, et ut generat dicit, quandoquidem Verbum divinum ut tale est Filius, et ut Filius est Verbum Dei : at divina voluntas ut vult necessario, non vult libere; et e contra, ut ex se patet : ergo prout habet vim ad utrumque, ac proinde prout est natura et libertas, distinguitur virtualiter.

Confir-
matur.

§ II.

Stabilitur sententia Doctoris Angelici.

Nihilominus dicendum est, divinam voluntatem, ut natura et ut libertas est, non distingui virtualiter, seu cum fundamento in re, sed solum ex parte nostri modi concipiendi, ac proinde solum hoc modo servare inter se ordinem prioris et posterioris jam dictum. Hæc est communior inter Thomistas, et sequitur aperte ex doctrina D. Thom. supra artic. 2 tradita, scilicet objectum adæquatum formale voluntatis Dei esse divinam bonitatem. Nam ex hoc testimonio efficax ratio potest formari sic. Potentiæ non distinguuntur etiam virtualiter penes objecta materialia et secundaria, aut ex diverso modo se habendi circa illa; sed solum penes habitudinem ad objecta primaria et adæquata : sed voluntatis Dei objectum primarium et adæquatum, est divina bonitas, et creaturæ secundarium :

8.
Conclu-
sio.

D.Thom.

Ratio
conclu-
sionis.

ergo ut respicit prædictam bonitatem, et quatenus tendit in creaturas, non distinguitur virtualiter : ac proinde cum habeat rationem naturæ ut respicit divinam bonitatem, et libertatis prout modo jam dicto tendit ad creaturas, fiet inde, quod ut libertas et ut natura est, non distinguatur virtualiter : et per consequens non habebunt inter se ordinem prioris, et posterioris jam dictum, nisi tantum ex parte nostri modi concipiendi. Consequentiæ cum minori satis constant.

Major vero est concors Metaphysicorum sententia, et ratio ipsa eam suadet. Tum quia sicut potentiæ, seu quasi potentiæ ab objectis primariis et formalibus capiunt speciem, ita etiam distinctionem. Tum etiam : quia si in prædictis potentiis distinguitur specialis formalitas, per quam respiciunt objectum secundarium aut materiale, jam tale objectum non esset secundarium et materiale ; quippe per se primo et in solidum per talem formalitatem inspectum.

9. Evasio. Nec refert si occurras ex vi hujus rationis solum haberi, quod divina voluntas ut libertas, non distinguatur virtualiter a se ipsa ut natura per ordinem ad bonitatem creaturarum, secus tamen per ordinem ad bonitatem divinam, ut in ratione objecti est virtualiter multiplex, ita ut ipsa secundum se terminet divinam voluntatem ut natura est, et ipsamet ut est ratio diligendi creaturas terminet eamdem voluntatem ut libertas, sicut eademmet bonitas ut est ratio justum faciendi, terminat actum justitiæ Dei : et ut est ratio miserendi, habet terminare actum misericordiæ, ita ut secundum has duas rationes sit multiplex in ratione objecti.

Evertitur. Non igitur hoc refert. Quoniam bonitas divina secundum se et ut terminat divinam voluntatem ut natura est, non distinguitur in *esse* entis, aut in *esse* objecti a se ipsa ut terminat et est objectum ejusdem voluntatis ut libertas : ergo si nequit distingui virtualiter penes objecta materialia et secundaria, scilicet creaturas, ut in hac solutione admittitur, non habebit unde virtualiter sit distincta. Consequentia videtur perspicua. Quia non est aliud caput unde prædicta distinctio oriatur, ac proinde si ex prædictis capitibus non oritur, ex nullo alio desumi poterit.

10. Probatio antecedentis. Antecedens autem probatur. Quoniam bonum ut sic, quod est objectum formale voluntatis creatæ, et ut terminat illam ut natura est, non distinguitur in *esse* entis, aut in *esse* objecti a se ipso, ut terminat, et ut est objectum ejusdem voluntatis ut libertas. Quia cum voluntas nostra secundum suam formalissimam rationem respiciat bonum ut sic tanquam objectum formale ; et respectu hujus sit quid materiale quod sit necessario, seu per modum naturæ, vel libere diligibile (quandoquidem tam bonum necessario, quam libere diligibile conveniunt in ratione boni ut sic, quod est objectum formale et adæquatum voluntatis creatæ) fit inde ut bonum ut sic quatenus terminat voluntatem ut natura est, seu quatenus necessario diligibile, non distinguatur in *esse* entis, aut in *esse* objecti formalis a se ipso ut terminat et est objectum ejusdem voluntatis ut libertas : ergo pari ratione bonitas divina secundum se, et ut terminat voluntatem Dei ut natura, seu ut necessario tendit in illud, non distinguetur virtualiter vel in *esse* entis, vel in *esse* objecti formalis, a se ipso ut terminat, et ut est objectum ejusdem voluntatis ut libertas.

11. Confirmatur. Confirmatur. Quoniam si propter aliquam rationem objectum voluntatis divinæ ut est natura, et ut est libertas distingueretur virtualiter, maxime quia ut est objectum voluntatis divinæ ut natura, dicit se ipsum ut necessario diligibile, et ut est objectum ejusdem voluntatis ut libertas, importat se ipsum ut libere diligibile : at hæc ratio est nulla : ergo, etc. Consequentia ex utraque præmissa aperte constat. Minor autem etiam patet. Tum quia bonitas divina ut necessario diligibilis per charitatem beatorum, non distinguitur virtualiter a se ipsa ut libere diligibilis per charitatem viatorum : alioqui charitas viæ et patriæ distinguerentur essentialiter secundum suam formalissimam et specificam rationem, cujus oppositum docet D. Thom. 2, 2, q. 23, art. 4 in corpore et ad 1. D.Thom. Tum etiam : quia alioqui adhuc in charitate patriæ esset distinguenda duplex formalitas virtualiter distincta, quarum una respiceret divinam bonitatem necessario diligibilem, et alia eamdem ut libere amabilem, cujus etiam contrarium docuit Angelicus Doctor loco nuper citato. Et ratio ipsa suadet. Quoniam actus secundarius non habet vim majorem ad distinguendum et multiplicandum habitum, quam actus primarii, sed inadæquati, ab ipso eliciti : quoniam sicut minus principaliter ille, quam isti respiciuntur, ita minus est idoneus ad tribuendum potentiæ aut habitui multiplicitatem : ergo cum actus primarii inadæquati non refundant in

suos

suos habitus aut potentias virtualem distinctionem, multo minus id conveniet actui secundario, qualis est amor proximi respectu habitus charitatis.

§ III.

Solutio fundamentorum prioris sententiæ.

12. Ad primum. Ad primum ergo pro priori sententia quoad priorem ejus partem concedenda est major et neganda minor. Et ad probationem debet distingui major : si ly *ut necessario vel ut libere diligibilis* reduplicent objecta formalia et adæquata ex parte rei conceptæ, neganda est : si vero reduplicent conditiones materiales objectivas, seu rationes formales inadæquatas ex parte modi concipiendi, quæ non specificent, sed sint quid materiale respectu rationis adæquatæ et specificativæ, concedi poterit. Et deinde neganda est minor, necnon et consequentia. Nam divina bonitas ut necessario vel libere diligibilis a voluntate Dei, est idem prorsus in ratione objecti adæquati et formalis specificantis, licet in ratione objecti materialis, seu per modum rationum inadæquatarum, modo dicto distinguantur : et ita bonitas divina ut libere diligibilis, necessario connotat creaturas tanquam objecta materialia, quæ simul cum illa diliguntur.

Contra quod nihil obest probatio ibidem inclusa. Nam quod divina bonitas ut necessario diligibilis non possit libere amari, non provenit ex defectu rationis formalis, scilicet divinæ bonitatis, sed ex defectu connotati materialis, nimirum creaturarum : et ita argumentum nihil concludit.

13. Explicatur solutio. Explicatur hoc. Voluntas divina ut natura, et ut libertas, habet ex parte rei conceptæ idem formalissimum objectum, scilicet bonitatem Dei ut est infinita per essentiam ; ac proinde ut eminenti modo est simul necessario diligibilis, si secundum se sumatur, et deinde libere amabilis connotando creaturas. Cæterum quia hæ duæ rationes objectivæ sunt inadæquatæ ex parte dumtaxat nostri modi concipiendi, et voluntas ut natura dicit voluntatem ut ex parte ejus lem modi concipiendi terminatur præcise ad bonitatem Dei ut necessario diligibilem : et ut libertas eamdem voluntatem, ut eodem modo tendit ad prædictam bonitatem quatenus libere diligibilem, ideo ex parte rei conceptæ voluntas ut libera, est voluntas ut natura, et e contra. Sicut etiam bonitas divina secundum rationem formalem, quam terminat, habet ut est necessario diligibilis, esse simul ex parte rei conceptæ libere diligibilem : ex parte vero modi concipiendi, voluntas ut natura, non est voluntas ut libertas, nec divina bonitas ut necessario diligibilis, est eademmet ut libere amabilis.

14. Ratio præcedentium. Ratio autem hujus diversitatis ex parte solius nostri modi concipiendi est. Quoniam intellectus noster non potest simul concipere omnia, ad quæ simplicissima illa formalitas absque aliqua distinctione virtuali se extendit. Et ideo per unum conceptum concipit eam ut necessario terminatur ad divinam bonitatem, non curando an simul et secundum unicam prorsus habitudinem ex parte rei conceptæ terminetur libere ad eamdem bonitatem connotando creaturas : et illi sic intellectæ tribuit nomen naturæ. Et deinde alio conceptu concipit illam ut terminatur libere, et eidem sic conceptæ tribuit nomen libertatis (et hoc ipsum, cum proportione tamen, de divina bonitate ut habet rationem objecti dicendum est) unde licet ex parte rei conceptæ ut est natura, sit libertas, et ratio formalis objectiva ex parte ejus, quod formaliter importat, sit prorsus eadem; non tamen ut concipitur per modum naturæ, debet necessario concipi expresse ut libertas, nec divina bonitas ut concipitur terminans unam rationem inadæquatam, concipitur expresse a nobis ut terminans aliam : et consequenter licet hæ duæ rationes non sint duæ ex parte rei conceptæ; secus tamen ex parte modi concipiendi.

15. Elucidatur exemplo. Et explicari possunt hæc omnia : tum exemplo jam dicto potentiæ volitivæ creatæ ut est natura et libertas, in qua hoc eodem proportionali modo philosophandum esse ostendimus : tum exemplo intellectus practici et speculativi, qui non distinguuntur inter se virtualiter, sed habent idem formalissimum objectum, ut communiter docent omnes Theologi et Philosophi : ex eo quod licet intellectus ut practicus respiciat praxim, et ut speculativus veritates speculabiles; nihilominus hæc duo, tantum sunt formalia objecta inadæquata, quæ respectu objecti formalissimi et adæquati, scilicet veri ut sic, habent se ut aliquid materiale : et intellectus ut practicus non dicit adæquate intellectum ipsum; sed solum inadæquate ex parte nostri modi concipiendi, quatenus connotat hoc objectum particulare, nimirum veritates practicas, et non

aliud. Quod idem de intellectu ut speculativo, cum proportione dicendum est. Et ideo loquendo de intellectu ex parte rei conceptæ, ipse prout speculativus, est practicus ; et e contra : quia indifferenter connotat tam veritates practicas, quam speculabiles, et eas sub una ac eadem ratione et per eamdem omnino indivisibilem habitudinem respicit.

Quamvis cum hoc stet, ut ex parte nostri modi concipiendi distinguantur, quatenus intellectus simul et semel non concipitur secundum omnia, ad quæ se extendit : et ita unico conceptu concipitur ut præcise terminatur ad veritates speculabiles, non curando, an simul et secundum eamdem habitudinem terminetur ad practicas : et intellectui sic concepto tribuitur nomen speculativi. Et similiter alio conceptu intelligitur eodem proportionali modo ut extenditur ad praxim : et illi sic apprehenso tribuitur nomen practici. Quæ omnia pro solutione plurium et gravissimarum difficultatum valde notanda sunt : et ideo ea fusius explicuimus.

16. Ad primam confirmationem.

Ex quo ad primam confirmationem concedenda est major, juxta dicta et ad hunc sensum, quod nimirum divina libertas non possit actu et in exercitio terminari ad bonitatem Dei, nisi prædicta bonitas sit actu et in exercitio finis creaturarum, ita ut finalizet actu vel earum productionem, verbi gratia, vel non productionem. Et deinde neganda est minor, si intelligatur de bonitate divina ut est ratio finalizativa et actu finalizans secundum id, quod in recto et formalissime importat; secus vero si de ea, ratione connotati materialis, scilicet creaturarum fuerit intellecta. Nam cum bonitas divina sit infinita et actus purissimus, nequit distingui ratione sui quatenus est ratio finalizativa et finalizans; sed solum præcise quoad connotatum materiale, quod importat. Unde quod a bonitate divina separetur actualis finalizatio, non provenit ex eo quod ab ea aliquid intrinsecum auferatur; sed ex defectu prædicti connotati. Per quæ ad utramque probationem ejusdem minoris satis constat.

Ad secundum.

Ad secundam confirmationem eligenda est juxta dicta secunda pars illius dilemmatis. Et ad probationem neganda est consequentia, intellecta de distinctione virtuali inter rationes objectivas voluntatis divinæ ut natura et ut libertas est; secus vero si intelligatur de distinctione ex parte solius modi concipiendi. Contra quod nihil obest probatio ibidem adducta, ut ex jam dictis et statim dicendis patebit.

17. Ad tertiam

Ad ultimam confirmationem dicendum est, quod licet objectum voluntatis ut natura sit præcise divina bonitas ut necessario diligibilis, præcisione se tenente ex parte modi concipiendi : et similiter objectum ipsius ut libertas sit cum eadem præcisione eadem bonitas ut libere diligibilis, ac proinde connotando creaturas ; attamen objectum formale et adæquatum utriusque ex parte rei conceptæ est bonitas Dei ut infinita per essentiam, et consequenter ut eminenti modo habet esse necessario et libere amabilem : et ita secundum hanc considerationem connotat adæquate tum omnia divina ut secundum se necessario diligibilia, tum etiam creaturas ut objectum materiale et indispensabiliter requisitum ad volitionem liberam : et consequenter ex hac connotatione aut non connotatione creaturarum non potest argui diversitas in prædicta voluntate : quia ordo ad sola connotata seu objecta adæquata et formalia diversificat formaliter potentias.

18. Ad secundum principale.

Ad secundum transeat major, et negamus minorem. Ad probationem, quod principium necessarium non indiget motione voluntatis in ordine ad conclusionem probabilem tanquam ratione formali eliciendi, sed tanquam connotato et conditione materiali, sine qua non elicietur prædicta conclusio. Et ita principium illud necessarium, non est formaliter diversum ut inclinat ad conclusionem necessariam, et ut ex eo deducitur conclusio probabilis. Unde inclinat per se primo in conclusionem necessariam, et ad summum secundario, consequenter, dependenterque ab alio principio probabili, ac motione voluntatis potest inclinare in conclusionem probabilem alias veram.

19. Ad ultimum.

Ad ultimum respondetur majorem esse concedendam, quando illæ quasi diffinitiones explicant adæquate rationem aliquam ; non vero quando utraque explicat eamdem rationem adæquatam ex parte rei conceptæ et inadæquatam ex parte solius modi concipiendi, ut in præsenti contingit.

Ad confirmat.

Ad confirm. patet ex dictis, alia ratione Deum, ut miseretur, non punire, et e contra : et alia, ut necessario vult non velle libere. Quia illud prius provenit ex eo quod respiciatur distinctum objectum formale, ut disp. 2, n. 31 et disp. 3, n. 36, dictum est : at hoc posterius ex eo quod connotetur diversum objectum materiale in libera volitione :

volitione : quod tamen in eadem volitio ne prout concipitur per modum volitionis necessariæ ex parte nostri modi concipiendi non connotatur. Unde per volitionem liberam solum denotamus volitionem prout præcise ex parte nostri modi concipiendi præscindit a volitione Dei secundum se sumpta : sicut per volitionem necessariam solummodo significamus eamdem, ut ex parte et defectu nostri modi concipiendi inadæquate concipitur in ordine ad divinam bonitatem secundum se, et absque consortio creaturarum sumptam.

20. Elucidatur exempio.

Potest autem hoc explicari exemplo scientiæ divinæ ut terminatur ad Deum, ad creaturas possibiles, et simul etiam ad easdem ut existentes. Nam licet prout terminatur ad Deum, et ad creaturas possibiles, non terminetur ad creaturas existentes : alioqui hoc ipso quod cognoscerentur ut possibiles, cognoscerentur ut existentes; nihilominus non ob id ex parte rei conceptæ sunt duæ scientiæ ; sed una et eadem, distincta tamen ex parte modi concipiendi seu una et eadem scientia, quæ licet non dicat multiplicitatem virtualem, dicit tamen eminentiam ratione cujus æquivalet pluribus non quidem spectantibus ad diversas lineas, alioqui interveniret ibidem multiplicitas virtualis; sed pertinentibus ad eamdem lineam. Ita ergo in præsenti proportione servata philosophandum est. Et ratio est eadem utrobique, nempe. Quia objectum formale, et adæquatum est unum et idem, et solum adest ibidem diversum connotatum materiale, quod proinde non refundit distinctionem in rationes formales objectivas.

DISPUTATIO VII.

De actu libero divinæ voluntatis quoad quid est, illius.

DUBIUM I.

Utrum actus liber addat supra volitionem necessariam divinæ voluntatis aliquam realem perfectionem, realiter ab ipsa distinctam?

1. Ratio ordinis.

Semel explicata quidditate divinæ voluntatis, tam ut habet quasi in actu primo rationem libertatis, quam ut in actu secundo tendit per modum naturæ in suum objectum, quæ duabus præcedentibus disputationibus præstitimus, statim pulsat animum inquirere de eadem voluntate, ut quasi in actu secundo terminatur libere ad sua objecta (seu quod idem est) de quidditate actus liberi ut talis, qui saltim secundum nostrum modum concipiendi ab actu necessario distinguitur.

Sed quia explicatio quidditatis actuum liberorum Dei est summe difficilis, et ita plures, et gravissimi Doctores sentiant intelligentiam illius non posse in hac vita haberi, sed in patriam usque reservari, ideo potissimo jure sibi vendicat modum perveniendi ad ejus qualem qualem notitiam, quem pro rebus divinis attingendis D. Dionysius tradidit, ut nimirum per negationes, et remotiones notitia earumdem haberi curetur, cognoscendo nimirum quid non sint, ut statim inde colligatur esse quidpiam supra omne id, quod in rebus creatis inveniri, aut excogitari potest : et ideo hanc viam præ aliis in explicatione hujus summæ difficultatis eligemus. Et merito sane. Quia, ut optime in hac parte interpretes D. Thom. prænotarunt, non est nimis arduum explicare quid non sit actus liber divinus, et diversos circa illum opinandi modos hucusque inventos impugnare : at ostendere quid sit, ibi opus, ibi labor.

2. Cæterum quia plura sunt quæ a prædicto actu removeri, et de eodem negari debent, nam plures Doctores nimia rei difficultate, et celsitudine obnubilati, plura, quæ cum summa illius perfectione, actualitate, et puritate cohærere non possunt, ipsi attribuunt, ideo majoris claritatis gratia in singulis dubiis unam vel alteram imperfectionem breviter ab eodem semovebimus (pareret enim confusionem, et prolixitatem non exiguam, si tot diversi opinandi modi, et eorum impugnationes in uno, et eodem dubio congerendæ essent). Postea autem quid dicendum sit, ac proinde et ejusdem actus liberi quidditatem pro humili captu nostro aliqualiter innuere curabimus, non tam ut difficultas hæc omnino devicta, nodusque iste indissolubilis, prorsus enodatus maneat; sed ut aliqualem viam ad illam quasi investigandam, summamque illius arduitatem magis præsentiendam aperiamus. Ut ergo primam, et maximam omnium imperfectionum, quæ actui libero tribuitur, ab eo semoveamus, ideo præsentem excitamus dubitationem.

§ I.

Placitum Cajetani.

3. Prima sententia asserit, actum liberum addere supra actum necessarium realem aliquam perfectionem, licet liberam; ita tamen ut hoc quod est esse liberam, sit conditio diminuens rationem perfectionis : ac proinde non sit inconveniens hanc a Deo posse abesse, et consequenter realiter saltim modaliter ab eo distingui. Refertur pro hac sententia quoad omnes sui partes a quibusdam ex junioribus Cajetan. in hac quæst. art. 2. Nam etsi ultimam illius (inquiunt ipsi) expresse non fateatur, sequi tamen aperte videtur ex aliis. Imo et pro eadem sententia referuntur plures ex Neotericis, qui etsi non vocibus, re tamen ipsa, ab illa non discedunt.

Primum argumentum. Et quidem quod actus liber realem aliquam perfectionem liberam supra actum necessarium addat, hac unica ratione, eaque satis difficili suadetur. Quia hæc denominatio seu quasi effectus formalis volendi libere creaturas, non necessario convenit Deo, et convenit realiter : ergo debet sumi ab aliqua ratione reali, quæ ipsi non necessario, sed libere conveniat : ergo ab aliqua perfectione libera. Hæc ultima consequentia ex priori videtur aperte sequi. Quia sicut realitas necessaria affert suam perfectionem necessariam, ita libera realitas importabit suam perfectionem liberam. Prima vero consequentia ex antecedenti constat. Tum quia forma talis esse debet, qualis effectus formalis, et e contra. Tum etiam : quia quævis realitas necessaria Dei debet illi effectum omnino necessarium tribuere.

4. Confirmatur primo. Confirmatur et explicatur. Quia si in voluntate nostra esset unus, et indivisibilis actus, qui semper et eodem modo, ac omnino invariabiliter permanens eam afficeret, fieri nequiret, quod nunc tribueret illi formaliter, quod vellet hoc objectum, et tamen quod eodem modo perseverans potuisset non constituere ipsam volentem idem objectum : ergo si in Deo forma constituens illum volentem creaturas est omnino necessaria, et semper eodem modo afficiens divinam voluntatem, non ita dabit illi quod sit volens creaturas, quod potuerit talem effectum eidem non tribuere, ac proinde nec dabit quod libere easdem velit : ergo necesse erit aliud perfectionis non necessariæ genus ad hunc effectum præstandum superaddere.

Confirmatur secundo. Quia ad salvandam summam Dei perfectionem, nec non, et perfectissimam illius libertatem, oportet ut hæc duo ipsi in sua æternitate conveniant. Primum quidem, quod ante omnem actum liberum habeat cunctas perfectiones necessarias, quippe quæ sunt illi intimiores. Secundum vero, quod prius natura quam velit, sit potens velle et non velle, alioqui liber non esset : ergo ut in posteriori sequenti intelligatur realiter, et libere volens creaturas, necesse est, ut eidem aliqua nova forma realis, et alterius rationis, scilicet libera superaddatur. Patet consequentia. Quia ad novam, et realem denominationem intrinsecam, quæ diversæ rationis sit, oportet novam, et realem formam superaddi : ergo cum denominatio immanens et vitalis libere volendi creaturas, sit nova, si non duratione, bene tamen posterioritate naturæ, ac tandem realis intrinseca, et essentialiter diversa ab omnibus aliis denominationibus, quæ necessario Deo conveniunt, quippe quæ potuit esse, et non esse in Deo, fit inde, ut a nova forma intrinseca vitali, et diversæ rationis, ac proinde non necessaria sed libera debeat provenire. Confirmatur secundo.

5. Solutio. Nec satis erit si dixeris, actum quo Deus vult creaturas, esse liberum non quoad entitatem, et vitalitatem, sed præcise quoad terminationem quæ nec vitalitatem, nec perfectionem importat : unde non mirum quod eademmet perfectio divinæ volitionis ratione diversarum terminationum, quæ possunt esse et non esse, tribuat diversas et separabiles denominationes.

Impugnatur. Nam contra hoc obstat primo. Quod vel illa terminatio est aliquid reale, vel rationis? Non hoc secundum, tum quia cum sit indispensabiliter requisita ad hoc ut Deus libere velit creaturas, nonposset ipse a parte rei libere eas velle, si prædicta terminatio esset quid rationis : siquidem ad hoc ut actu a parte rei detur aliqua realis denominatio, debet similiter seclusa omni intellectus fictione dari quidquid ad illam indispensabiliter desideratur. Tum etiam : quia cum hæc terminatio sit libera, non potest non proxime contineri in potestate voluntatis : at ens rationis non est proxime in potestate voluntatis, sed intellectus illud fingentis. Si autem primum dicas, jam illa terminatio superaddet novam perfectionem; quandoquidem prædicta realitas sicuti entitatem affert, ita et perfectionem : cumque hæc perfectio seu realitas possit esse et non esse,

esse, fit inde, ut non sit necessaria, sed omnino libera.

6. Alia impugnatio. Deinde contra eamdem solutionem obstat secundo. Nam vel terminatio hæc est Deo intrinseca, seu quasi inhærens, vel non? Si hoc secundum dicatur, ergo per illam nequit Deus esse intrinsece, et libere volens. Nam per id, quod est alicui extrinsecum, sicuti immutatus omnino manet, ita et eodem modo ac antea : ac proinde si Deus ante illam terminationem ipsi extrinsecam non erat libere volens, ita nec post illam. Adde quod, ut dicebamus, denominatio libere volentis est immanens, consequenter a forma, et terminatione immanente.

Si vero primum asseratur, ergo est aliquid reale intrinsecam perfectionem dicens : quandoquidem quidquid est in Deo, est aliquid reale summam dicens perfectionem. Maxime quia cum terminatio volitionis creatæ hoc ipso quod sit intrinseca voluntati, habeat esse quid vitale per modum actus secundi, potiori ratione idem dicendum erit de terminatione volitionis increatæ : et per consequens maximam, et intrinsecam importabit perfectionem : siquidem quidquid perfectionis est in terminationibus liberis finitis, debet altiori ratione inveniri in terminatione illa libera infinita.

Confirmatur. Confirmatur. Nam prædicta terminatio desideratur ad actum liberum non solum per modum alicujus conditionis, aut connotati importati in obliquo, sed per modum constitutivi intrinseci, et rationis formalis actus liberi : ergo cum talis actus prout liber, sit quid reale Deo intrinsecum et vitale, fiet inde, ut prædicta terminatio sit etiam quid reale et vitale, ac eidem Deo intrinsecum. Consequentia patet. Tum ex se : tum etiam, quia id ipsum importat per modum actus secundi terminatio actualis volitionis Dei ad creaturas, quod affert per modum actus primi terminatio quasi habitualis suæ voluntatis ad easdem : ergo sicuti terminatio habitualis voluntatis est quid vitale in actu primo, et intrinsecum Deo, quia est idem quod divina libertas, ita terminatio actualis erit ipsa vita per modum actus secundi, et intrinseci Deo, quia est idem quod actus liber ipsius Dei.

Antecedens vero etiam constat. Nam cum entitas actus liberi dicatur omnino necessaria et sola terminatio ponatur libera, et potens adesse et abesse, fit inde, ut sicuti actus liber ut liber importat formalissime, quod possit adesse et abesse, ita afferat pro intrinseco, et ultimo constitutivo terminationem prædictam.

7. Secundum et principale argumentum. Ex quibus omnibus eadem sententia quoad reliquas sui partes facile et breviter suadetur. Nam cum modus habendi perfectionem omnino necessario sit maxime perfectus, et proprius perfectionum, quæ dicuntur simpliciter simplices, quippe dicens consistentiam in habendo illam, fit inde necessario, tum quod in quavis perfectione hoc quod est esse liberum, et consequenter non habere in essendo consistentiam, sit conditio diminuens rationem perfectionis, imo et quod non sit inconveniens, quod hoc genus perfectionis possit adesse, et abesse a Deo : sicuti nihil obest, quod a Patre Æterno absit Filiatio, quia solum dicit perfectionem relativam, et hoc quod est esse relativam, est conditio diminuens rationem perfectionis. Tum etiam, quod hæc perfectio debet realiter distingui ab actu necessario : quandoquidem quando duo ita se habent, ut unum afferens propriam realitatem possit re ipsa ab alio separari, non possunt non realiter distingui. Unde nos non habemus aliud majus signum distinctionis realis versantis inter naturam, et subsistentiam propriam, et connaturalem, nisi quia hæc possunt saltim per divinam potentiam separari : si ergo actus liber, et perfectio quam dicit, potuit non solum supernaturaliter, sed etiam connaturaliter separari a Deo, oportet realem distinctionem saltim modalem inter utrumque intercedere.

§ II.

Resolvitur dubium.

8. Assertio. Sed nihilominus dicendum est, actum liberum non importare propriam realitatem, et perfectionem liberam distinctam re ipsa ab actu necessario, aut ab illo separabilem.

D.Thom. Assertionem hanc tuetur D. Thom. locis in hac disp. num. 58 referendis, et est communis inter Theologos, præcipue vero Thomistas. Atque ita Ferrara 1 cont. Gent. cap. 73, et recentiores graviter in hoc oppositam sententiam reprehendunt, quamvis re vera non sit ita certum hanc esse Cajetani sententiam.

Ferrara

Prior ratio assertionis. Probatur autem primo ratione, quam innuit S. Doct. Quia ex opposito sequeretur esse in Deo aliquid, quod maximam importet imperfectionem. Nam hic actus liber, qui in suo ordine concipitur secundus et ultimus, ita est in Deo ut secundum pro-

priam, et realem perfectionem, ac entitatem posset non esse in illo : et consequenter simpliciter posset non esse, quod sane maximam involvit imperfectionem.

9. Confirmatur. Confirmatur. Illa perfectio, quia libera est, censetur esse diminuta, juxta oppositam sententiam : sed quia diminuta, nec est, nec potest esse in Deo : ergo, etc. Minor probatur. Quia in summo illo, et perfectissimo ente nihil diminutum est, nec esse potest, alioqui ipsum non esset ens constitutum meliori modo excogitabili, quippe melius excogitaretur, si nihil in eo esset diminutum, sed omnia integra et (ut sic dicamus) plena : ergo, etc.

Evasioni cuidam aditus præcluditur. Nec refert si dixeris, quod illa perfectio postquam semel est, non potest non esse. Non itaque hoc refert. Quoniam non habere necessitatem in essendo, nisi ex aliqua hypothesi est satis magna imperfectio, scilicet posse absolute et simpliciter non esse.

10. Secunda ratio pro assertione. Secunda ratio principalis, quam idem sanctus Doctor innuit est. Nam si inter volitionem liberam, et necessarias Dei perfectiones, ac proinde inter ipsam et Deum, est collocanda distinctio actualis a parte rei : ergo illa realitas actus liberi, non erit ipse Deus : ergo nec creator, sed creatura : consequens autem est omnino falsum : ergo, etc. Falsitas consequentis satis est perspicua. Tum quia videtur esse contra Concilium Rhemense, quod tempore Bernardi contra Gilbertum congregatum est. Nam in symbolo dicitur : *Credimus et confitemur, etc. neque aliquas omnino res, sive relationes, sive proprietates, sive singularitates, vel unitates dicantur, vel alia hujusmodi, adesse Deo, quæ sint ab æterno, et non sint Deus :* ergo cum actus liberi sint ab æterno, juxta illud Pauli ad Ephes. 1 : *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem,* fit inde ut sint ipse Deus. Tum etiam : quia Deus volendo creavit omnia, juxta illud : *Quæcumque voluit Dominus fecit ;* et non utcumque, sed ita ut divina volitio sit in suo genere principium omnium creaturarum, ut art. 4 dicemus : at hoc stare non posset, si ipsa volitio secundum suam intrinsecam entitatem esset creatura, quandoquidem nequiret esse principium creandi se ipsam. Tum denique : quia alias Deus perficeretur intrinsece ab aliqua forma creata, quia volitio illa si creata esset, non constitueret Deum volentem, nisi intrinsece inhærendo illi.

Falsitas consequentis ostenditur Conc. Rhem.

Ephes. 1.

Vis utriusque sequelæ aperitur. Utraque vero sequela etiam constat. Tum quia quod distinguitur re ipsa a Deo, nequit esse Deus, sed a fortiori debet esse creatura. Tum etiam : quia illa volitio ita est in Deo, ut secundum realitatem quam affert, potuerit juxta hanc sententiam non esse : ergo dum non existeret, ideo careret existentia, quia Deus non voluisset eam ipsi communicare, et dum fuit, ideo fuit, quia divina voluntas illud *esse* eidem communicavit : ergo vere dependebat a Deo ut a causa efficiente, vereque rationem creaturæ, et non creatoris habet. Patet conseq. Quia de ratione creaturæ ut talis, est intrinseca non repugnantia ad assendum et non essendum dependenter e divina voluntate : et ita non ob aliud nostra volitio pendet realiter a nobis ut a vera causa, et est essentialiter quid creatum, nisi quia nobis volentibus est, et nobis non volentibus sive nolentibus non est.

11. Confirmatur primo. Complut Confirmatur primo. Quia dependere aliquid vere, et proprie ab alio ut a causa, et consequenter esse creaturam, nihil aliud importat, ut nostri Complut. in lib. Physic. disp. 8, num. 7 docent, quam habere suum *esse* ab alio a se essentialiter distincto, ita ut non possit habere illud, quin ita ei communicetur : et ideo licet Verbum divinum habeat suum *esse* a Patre ; et non utcumque, sed ita ut semper sit necessarium communicari sibi illud, ut semper ipsum habeat ; nihilominus non proprie pendet a Patre, neque est quid vere causatum ab ipso, quia non distinguuntur inter se essentialiter, sed solum personaliter : at actus liber vere distinguitur a divina voluntate non solum realiter, sed etiam essentialiter ; cum essentia illius sit diminuta, et quæ potest simpliciter evanescere, et in nihilum redigi : secus vero essentia voluntatis divinæ, et inde habet totum *esse* datum sibi ab eadem voluntate : ergo vere pendet vereque causatur ab illa : et consequenter est creatura.

Confirmatur secundo. Confirmatur secundo. Nam juxta oppositam sententiam actus liberi, qui de facto in Deo non sunt, potuerunt tamen in eo esse, nihil modo sunt quoad suam realitatem, et perfectionem, et cum potuerint habere existentiam, habent suam non repugnantiam ad essendum : ergo vere sunt creaturæ, ac proinde etiamsi fuissent, non ob id rationem creaturæ amitterent. Prima consequentia patet. Quia esse de facto, aut quantum est de se, sub nihilitate, habere tamen non repugnantiam ad essendum, est transcendentalis imperfectio, omnibus et solis creaturis conveniens. Secunda vero etiam constat. Nam id ipsum haberet actu res si fuisset, quod possibiliter habet quando

quando præcise est in statu possibilitatis : ergo si in hoc statu erat possibiliter quid creatum, etiam in statu existentiæ fuisset actu hoc ipsum.

12. Evasio quædam dijicitur. Ex quo fit, nihil referre si occurras, quod etsi prædicta volitio libera distinguatur ex natura rei, et secluso intellectu a Deo, attamen identificatur cum illo, quia non distinguitur ab eo secluso intellectu ut entitas, et entitas, sed ut duplex formalitas ejusdem entitatis ex natura rei diversa : et ita potest de illa verificari, quod revera sit Deus.

Ex dictis igitur constat, hoc nihil referre : tum quia id consideranti rationes factas patebit : tum etiam, quia ut dubio sequenti expendemus, rationes istæ probant non posse esse talem identificationem inter prædictam volitionem liberam et Deum, si talis volitio habet eas conditiones, quas opposita sententia ei tribuit.

13. Ultima ratio assertionis. Ultimo probatur assertio ratione deprompta ex eodem D. Thom. Quia etiamsi admitteremus hanc implicationem, scilicet perfectionem illam liberam, non esse creaturam, adhuc tamen ex eo quod talis perfectio realiter a Deo distincta, in ipso admittatur, sequuntur gravissima absurda. Scilicet Deum neque esse purum actum, nec summe immutabilem, nec simplicissimum, sed ex actu et potentia, imo ex subjecto et accidente, saltim prædicabili, compositum.

Probatio sequelæ quoad primam partem. Sequela quoad 1 p. probatur. Nam potentia activa realiter distincta ab actu quem elicit, et ab eo separabilis, non est purus actus, ut ex terminis ipsis, et ex dictis disp. 2 n. 34 hujus tract. constat : at in eo eventu esset divina libertas vera et realis potentia activa, realiter eliciens volitionem liberam, et realiter distincta ab ipsa, ac tandem ab eadem separari posset : ergo, etc.

14. Quoad secundam. Quoad secundam vero partem etiam constat. Nam etsi semel habita volitione aliqua non posset non divina libertas ratione suæ constantiæ in eadem perseverare; attamen sicut Deus habuit illam potuit eadem carere, ac proinde aliter esse quam modo est, quod quidem consetur esse quoddam mutabilitatis, et deficientiæ genus. Nam potuisse absolute aliter se habere, seu aliter esse, licet solum ex quadam hypothesi eodem modo se habeat, est imperfectio non exigua, et quoddam mutabilitatis genus.

Quoad tertiam vero partem eadem sequela ex se patet : quandoquidem juxta hanc sententiam non potest non admitti in Deo compositio, cum hæc nihil sit aliud quam distinctorum unio. Quare cum realitas volitionis liberæ ponatur realiter distincta a Deo, et cum eo unita, non poterit non ibi vera intercedere compositio : imo hæc non erit qualiscumque; sed ex actu et potentia passiva. Quia cum libertas esset vera potentia activa respectu volitionis liberæ, ut jam ostendimus, et volitio ipsa libera sit actus vitalis immanens et re ipsa distinctus, debebit in eadem recipi, et manere : et consequenter ibidem intercedet vera compositio ex actu et potentia passiva, quod quidem non parum summæ puritati Dei derogat. Quoad tertiam.

Ex quo tandem ultima pars ejusdem sequelæ satis constat. Quia omnis ratio intrinseca seu afficiens substantiam aliquam sine qua potest esse integre constituta in suo supposito, est illi accidentalis, saltim per modum accidentis prædicabilis, ac proinde facit cum ipsa compositionem ex subjecto et accidenti : at sine illa volitione libera posset divina substantia integre in sua natura, et suppositis constituta permanere, ut ex se patet : ergo, etc. Quoad ultimam

Ad argumenta Cajetani. Ad dub. ult. hujus disputationis respondebimus.

DUBIUM II.

Addatne actus liber supra actum necessarium aliquam formalitatem ex se realem, et virtualiter tantummodo ab actu necessario distinctam, ab ipso tamen libere separabilem?

15. Explicatur titulus. Pro tituli intelligentia notandum est, quod dupliciter potest intelligi addi Deo aliquam formalitatem. Vel primo ita ut illa non imbibat per modum transcendentis essentiam divinam, sed solum realiter identificetur cum illa, ut habet rationem naturæ, et consequenter talis formalitas sit realis a se, quia propriam ex vi sua affert realitatem, quatenus realitas distinguitur contra nihil. Vel secundo ita ut tantum sit realis ratione essentiæ divinæ per modum transcendentis in ea imbibitæ.

Inter hos autem duos modos habendi realitatem, est maximum discrimen. Nam licet demus, quod formalitas illa, quæ præcise a se et modo dicto propriam affert realitatem, possit importare infinitatem in proprio genere, non tamen in genere en-

tis, si talis formalitas consideretur quatenus virtute a divina essentia distinguitur : quia sicuti sola divina essentia, et id, quod eam includit, est infinitum in genere entis, ita quod concipitur ut præcisum ab eadem, necesse est, ut tali infinitate careat : sicuti etiam oportet, quod quatenus identificatur cum ipsa (si tamen identificari queit) habeat solum identice totam illam infinitatem.

16. Cæterum formalitas illa, quæ a divina essentia per modum transcendentis habet suum *esse* reale, non potest non etiam quatenus virtute distincta ab illa, esse infinita in omni genere. Nam sicuti hæc distinctio tantum potest esse includentis et inclusi etiam per ordinem ad nostros conceptus, ac proinde ibidem non potest omnimoda præcisio intervenire, ita non tollit quominus talis formalitas habeat semper prædictam infinitatem : imo et quod alio etiam titulo, scilicet ratione identificationis cum divina natura, ut habet rationem naturæ, sit identice infinita.

Quare, ut clarius procedamus, in hoc dubio tantum inquirimus, an actus liber consistat in aliqua formalitate virtualiter tantum ab actu necessario distincta, virtualiterque solummodo supra ipsum addita, quæ quidem sit primo modo ex nunc relatis infinita et realis, et nihilominus secundum suam realitatem possit ab eodem actu necessario separari? inquisituri tamen statim, an consistat in aliqua alia reali formalitate, ab actu necessario similiter distincta, quæ tamen secundo modo ex jam dictis habeat *esse* reale, et infinitum?

§ I.

Quorumdam recentiorum opinio.

17. Prima sententia argumentis contra Cajetanum factis convicta, concedit quidem non posse actum liberum consistere in aliqua reali entitate distincta actu a parte rei a Deo, bene tamen in reali formalitate habente eas conditiones, de quibus titulus
Salas. hujus dubii inquirit. Hanc tuentur Salas 1, 2, q. 6, tract. 3, disp. 1, sect. 8, § 7 et 8
Fonseca. referens pro ea Fonsecam tom. 3 Metaphys. lib. 7, c. 8, q. 4, sect. 4 conclusione 10 et q. 5, sect. 4 et eamdem tribuit Suarez pluribus sectatoribus Cajetani volentibus illius sententiam aliquantulum temperare : nec eam improbabilem, et gravi aliqua censura dignam reputat Basilius Legionensis in suis opuseulis variarum disputationum q. 6 scholastica c. 2. Bas. Leg.

Et probari potest primo sic. Necesse est actum liberum distingui aliqua distinctione, ex rebus ipsis petita, ab actu necessario, ac proinde aliquid super ipsum addere, id enim ad minus argumenta pro sententia Cajetani adducta satis convincunt : at non distinguitur distinctione reali actuali, ut ex impugnationibus pro nostra assertione dubio præcedenti factis constat : ergo distinctione reali virtuali : ergo cum non possit distingui tanquam formalitas imbibens divinam essentiam, et immobiliter Deo conveniens, ut in sequenti dub. dicemus, necesse est ut distinguatur tanquam formalitas ex se realis, et libere ac simpliciter separabilis. Primum fundamentum.

Secundo. Realitas formalis, quam dicit actus liber, potest non esse in Deo : ergo distinguitur virtualiter ab actu necessario, et non utcumque, sed per modum formalitatis afferentis ex se propriam realitatem, prout realitas ambit quidquid non est nihil. Consequentia quoad primam partem videtur evidens. Quia realis duorum separabilitas debet ad minus præbere intellectui maximum fundamentum ad distinguendum secundum rationem ea, quæ sic separantur : ac proinde erit ibidem saltim distinctio virtualis. 18. Secundum.

Quoad secundam vero partem patebit ex adducendis dubio sequenti : ubi ostendemus, quod hoc ipso quod actus liber sit realis ab essentia divina per modum transcendentis in eo inclusa, non poterit quoad aliquam formalitatem, aut realitatem abesse a Deo. Antecedens vero etiam videtur certum. Quia alioqui non posset non talis volitio esse semper, et indispensabiliter in Deo : et consequenter erit volitio necessaria. Nam si prædicta volitio essentialiter est ens reale : et talis realitas non potuit non esse : ergo nec talis volitio.

Nec satis erit si dixeris, hanc argumentationem valere in creatis, non tamen in divinis : et ideo quamvis Paternitas sit aliquid reale, et perfectio infinita in Patre Æterno, et eadem Paternitas desit Filio; non tamen ob id aliquid realis perfectionis est in Patre, quod non sit in Filio. 19. Solutio.

Nam contra hoc est, quod prædictus syllogizandi modus videtur etiam in divinis habere locum. Nam etiam in divinis esse volitionem est aliquid reale, et *velle*, est velle realiter : ergo *non velle*, est non habere Impugnatio.

bere volitionem realem : ergo est non habere realitatem volitionis.

20. Confirmatur primo. In divinis etiam est verum, ideo in Deo esse aliquod reale prædicatum, v. g. omnipotentiæ, quia in eo est talis prædicati essentia realis : et ob id non esse in illo aliud prædicatum reale, verbi gratia lapidis, quia non est in ipso realis essentia, seu realitas essentialis lapidis : sed essentia volitionis liberæ est essentia realis, seu realitas essentialis : ergo ut non sit in Deo, oportet non esse in ipso realem essentiam, seu realitatem essentialem volitionis, et eo ipso quod tota essentialis realitas illius in eo sit, non potest non esse essentialiter volitio.

Confirmatur secundo. Quia si potuit in Deo deesse volitio : ergo potuit deesse aliquid : ergo potuit deesse saltim aliqua realitas prout hæc distinguitur contra nihil. Nam aliquid, et realitas sic accepta sunt synonyma.

Confirmatur tandem. Nam instantia adducta nulla est. Quia ex eo quod deest Filio Paternitas, re vera deest illi aliqua realitas. Unde sicuti bene valet : *Pater ut Pater est aliquid reale relativum, et Pater ut Pater non est Filius : ergo realitas relativa Patris non est realitas relativa Filii : ac proinde prædicta realitas Paternitatis abest a Filio;* ita etiam valebit : *Volitio ut volitio est aliquid reale : sed volitio ut volitio potest abesse a Deo : ergo aliquid reale potest ab illo abesse.*

§ II.

Ex mente Angelici Doctoris dubium decciditur.

21. Dicendum est tamen, actum liberum non consistere in aliqua formalitate habente simul illa duo, scilicet quod a se et modo dicto sit realis, et quod secundum suam realitatem seu formalitatem, quæ est in Deo, possit ab illo separari. Hæc est D. Thom. locis in hac disp. num. 58 referendis, et communis inter Thomistas, quos fere omnes Theologi sequuntur : et ideo necesse non est pro ea aliquem in particulari referre.

Deinde ratione, quam sanctus Doctor innuit, probatur. Nam ex opposita sententia sequitur non minus, quam ex sententia, quæ Cajetano tribuitur, formalitatem illam actus liberi esse re vera creatam et finitam : at id, quod creatum, et finitum est, non potest esse idem realiter cum Deo, nec constituere illum formaliter, et intrinsece in ratione volentis, ut ex se patet : ergo, etc. Sequela constat ex dictis. Quia etiam hæc formalitas habet indifferentiam, ut sit vel non sit : ergo quantumvis sit ab æterno, habebit *esse* creatum. Sicut quamvis Deus ab æterno, produxisset Angelum, quia tamen Angelus ille potuit simpliciter non esse, ideo semper inter cancellos entis creati clauderetur.

Huc etiam spectant duæ illæ probationes 22
in præcedenti dub. adductæ. Prima quidem quod posse non esse simpliciter, et habere consistentiam solum ex hypothesi, est maxima imperfectio, ac proinde formalitas eam involvens non potest non esse creata : id enim quod increatum est, nequit esse imperfectionibus admixtum. Secunda vero. Quia formalitates actuum liberorum, quibus Deus de facto caruit, cum tamen potuisset illos habere, sunt talis naturæ, ut modo nihil absolute sint, potuerint tamen esse : et ita habent suam non repugnantiam ad essendum : hoc autem nihil est aliud quam transcendentalis imperfectio creaturarum : ac proinde etiamsi tales actus, aut formalitates in Deo fuissent, vere haberent rationem creaturæ, ut dub. præcedenti ostendimus.

Ex quo manet impugnata solutio, quam 23. Solutio. Basilii Leg.
tradit Basilius Legionensis loco supra citato pro defensione probabilitatis hujus sententiæ, dum asserit, formalitatem illam nec esse creatam nec increatam : quia quodvis ex his prædicatis tantum potest enuntiari de entitatibus, non vero de formalitatibus.

Ex dictis igitur hoc impugnatum manet. Impugnatur primo.
Nam cum probatum sit transcendentalem creaturæ imperfectionem convenire huic formalitati, non potest non ipsa creaturæ ratio formalitatibus convenire : non enim aliunde colligimus, quod ratio entis prout distinguitur contra nihil, non est alligata ad solas entitates, sed quod etiam extenditur ad reales formalitates, nisi quia in ejus diffinitione tantum includitur hoc quod est habere secluso intellectu aliquod *esse*, et istud convenit formalitatibus realibus : ergo cum ratio, et diffinitio creaturæ, tantum consistat in quadam non repugnantia jam dicta, ad essendum, fit inde, quod sicut hæc diffinitio formalitatibus competit, ita etiam ratio diffinita.

Deinde. Quia certum est formalitates Impugnatur ulterius
pertinere ad prædicamenta ratione sui, ut

in actione et passione constat : at id, quod est ponibile in prædicamento, non potest non esse creatum. Adde, tum quod prima divisio entis est in ens per essentiam, et per participationem : tum etiam quod formalitates in Deo repertæ etiam si sigillatim sumantur, v. g. intellectus divinus, simpliciter sunt quid increatum : ergo etiam formalitates in creatura repertæ, vere erunt quid creatum. Nam sicut habent esse ens prout ens distinguitur contra nihil, ita etiam habebunt suum *esse* dependenter, et emendicatum a sua causa, et secundum illud suo modo incipient, vel desinent secundum aliquam realitatem intrinsecam : ac proinde erunt quid creatum. Tum denique : quia hoc ipso quod aliqua realitas præcise sumpta maneat realitas, habeatque suum qualecumque *esse* intrinsecum, oportet ut illud *esse* sit vel simpliciter finitum, vel infinitum : quia non potest non, vel habere, vel non habere terminum : at si finitum, jam erit creatum, si infinitum, et non utcumque, sed secundum suam essentiam, ergo erit increatum.

24. Secunda ratio conclusionis. Secundo principaliter probatur assertio. Nam alioqui posset Deus esse longe perfectior perfectione intrinseca, quam modo est : at hoc est contra intrinsecam Dei rationem, quæ sita est in hoc quod sit ens perfectissimum omnium excogitabilium, et constitutum meliori modo excogitabili : ergo, etc. Patet sequela. Nam loco plurium ex actibus justitiæ quos exercuit, potuit habere plures actus misericordiæ, præter eos, quos de facto habuit : at tunc (si vera esset sententia opposita) non posset non esse intrinsece perfectior, quam modo est : quia actus misericordiæ sunt intrinsece perfectiores actibus justitiæ : sicut etiam ipsa virtus misericordiæ perfectior esset intensive quam justitia, quippe distincta ab illa secundum speciem, et magis ostendens divinam bonitatem : et tamen hæc major perfectio non compensaretur per intrinsecam imbibitionem divinæ essentiæ per modum transcendentis ibidem inclusæ.

Nec necesse erit confirmare amplius assertionem : tum quia satis ex dictis manet probata : tum etiam, quia ex dicendis dub. seq. ejus veritas magis elucescet.

Ad argumenta opposita. Ad argumenta pro sententia opposita, dubio ultimo fiet satis.

DUBIUM III.

Utrum actus liber consistat in aliqua formalitate virtualiter addita actui necessario, quæ solum sit realis, et infinita ab essentia divina per modum transcendentis inclusa, et possit adesse vel abesse a Deo?

Titulus dubii satis constat ex iis, quæ in explicatione tituli dubii præcedentis annotavimus, et ideo ab ejus ampliori explicatione supersedemus. 25.

§ I.

Prior sententia affirmans.

Partem affirmantem tuentur plures ex recentioribus, et in eam valde inclinat Navarrete 2 tomo suarum controversiarum controversia 4, et quidem quod actus liber addat formalitatem virtualiter distinctam ab actu necessario, videtur patere ex argumentis pro Cajet. dub. 1 hujus disp. adductis. Quod vero talis formalitas habeat illa duo in titulo recensita, suadetur sic. Divina essentia per modum transcendentis considerata non minus transcendit omnia, quæ sunt in Deo, quam ens creatum omnia, quæ sunt in creatura : ergo cum actus liber Dei sit in Deo, non poterit non prædicta essentia in ipso includi : at de ratione transcendentis est, quod reperiatur in quolibet juxta naturam illius : et ideo ens ut in substantia imbibitum, est substantia, et in accidenti accidens : et similiter divina essentia ut in relationibus inclusa dat illis *esse* reale relativum, et in attributis *esse* absolutum : ergo in actibus liberis imbibita dabit illis quod ita sint in Deo, quod potuerint non esse in illo realiter. Patet consequentia. Quia hæc est intrinseca, et propria natura actuum liberorum. Navarrete. Fundamentum.

Confirmatur. Quia sic salvantur duo illa difficillima, quæ totum hoc negotium facessunt, scilicet, quod actus liber sit quid reale potens abesse et adesse, et quod nihilominus propter hoc nulla realitas, nullaque perfectio possit abesse ab ipso. Et quidem primum ex se patet, cum in eo natura actus liberi consistat. Secundum vero etiam constat. Nam si semel prædictus actus habet totam suam realitatem, et perfectionem ab essentia, modo dicto considerata, fit inde, ut sicut ipso non existente, adhuc manet essentia, ita nihil perfectionis, aut realitatis a Deo absit. Corroboratur.

§ II.

§ II.

Enodatio dubii.

26. Conclusio. Nihilominus dicendum est, actum liberum non posse consistere in aliqua formalitate reali, quæ duo illa in dubii titulo posita habeat, nimirum quod sit realis ab essentia divina, et quod eadem formalitas possit adesse vel abesse a Deo : ex eo quod possit imbibere, vel non imbibere divinam essentiam per modum transcendentis consideratam. Hæc est D. Thomæ locis in hac disput. num. 58 referendis, estque communis inter Thomistas.

. Thom.

robatur primo. Probatur a priori ratione quam insinuat Angelicus Doctor. Quoniam id, quod a se ipso existit, seu quod non habet sui causam realem, est ens existens omnino necessarium : at omnis ratio realis, quæ formaliter et intrinsece est in Deo, quæque proinde imbibit divinam essentiam, existit a se, seu (quod in idem quoad præsens redit) nullam habet sui causam realem, ut constat : ergo existit ex omnimoda necessitate, ita ut nullo modo potuerit non esse : et consequenter implicat hæc duo conjungere, scilicet quod formalitas actus liberi imbibat divinam essentiam, et simul habeat quod potuerit non esse quoad suam intrinsecam entitatem seu formalitatem, ex eo quod possit non imbibere divinam essentiam.

Suadetur major. Major probatur. Tum quia ideo creatura quantumvis esset ab æterno, potuisset non esse, ac proinde non existeret omnino necessario, quia pendet a Deo ut a causa : sicut e contrario non ob aliud ratio divinæ naturæ, aut alterius attributi existit ex omnimoda necessitate, nisi quia a se ipsa existit, et id quod a nulla dependet causa, non potest habere rationem deficiendi, aut non existendi, et ita necessario mensuratur duratione æterna. Tum etiam : quia hoc ipso quod aliquid existat a se non habens causam sui, jam erit liberum ab omni dependentia, ac proinde ab omni potentialitate et mendicitate : et consequenter erit actus purus et Deus : ex quo etiam fiet ut sit ens essentialiter existens ; quod quidem sine omnimoda necessitate in essendo concipi non potest.

27. Corroboratio prior. Confirmatur, et explicatur. Nam vel talis formalitas est suum *existere* per essentiam, ita ut ab eo non distinguatur secluso intellectu? vel non? Si primum, ergo existit cum omnimoda necessitate, ita ut nec possit, nec potuerit non existere. Nam id, quod sic est ipsum *existere* per essentiam, nec potest, nec potuit non existere. Si vero secundum, ergo non est Deus, nec imbibit divinam essentiam, sed est quid creatum : quia de ratione Dei est, quod modo dicto sit suum *existere* per essentiam. Non enim ob aliud creaturæ habent rationem creaturarum, nisi quia earum formalis ratio sita est in hoc, quod habeant non repugnantiam ad essendum cum indifferentia ut sint, vel non sint.

Alia corroboratio. Confirmatur adhuc ex probatione illa, quam supra contra Cajetanum, et Salas adducebamus, ad hanc tamen formam redacta. Implicat aliquid imbibere divinam essentiam, et esse Deum, et quod sit admixtum imperfectionibus : at hoc ipso quod illa formalitas potuerit non esse, et solum ex quadam hypothesi, scilicet ex constantia divinæ voluntatis habeat non posse non esse, includit aliquid imperfectionis : quia ut ibidem dicebamus, non habere consistentiam simpliciter, sed solum ex quadam hypothesi, imperfectionem dicit : ergo talis formalitas nullo modo imbibit divinam essentiam.

Confirmatur tertio. Huc etiam spectat illud inconveniens, quod communiter solet inferri, scilicet hinc fore, tum quod id, quod modo est purum nihil, potuerit imbibere divinam essentiam, et esse realiter, et formaliter Deum. Tum etiam, quod id, quod modo est formaliter Deus, potuerit non includere Deitatem, nec esse Deum. Primum patet ex actibus liberis, quibus nunc de facto caret, quique modo nihil juxta hanc sententiam sunt. Secundum vero in iis, quos exercuit, qui modo sunt Deus, quia sunt in Deo ; potuerunt tamen non esse Deus : quoniam potuit Deus non exercere illos : at utrumque est contra divinam perfectionem : nam Deus est optimum ens excogitabile : at melius esset, si esset ipsum ens indeficiens, et indefectibile, quia omnimoda in essendo necessitas est perfectio simpliciter simplex.

28. Animadversio ad secundam probationem assertionis. Secundo principaliter probatur conclusio destruendo potissimum fundamentum adversariorum, scilicet per suum dicendi modum salvari, quod nihil reale absit a Deo, dum abest actus liber : ex eo quod tota realitas illius ortum ducebat ab essentia divina per modum transcendentis in eo inclusa. Apparebit autem magis vis hujus rationis si attendatur, quod juxta hunc dicendi modum, non solum est quid reale essentia divina ibidem imbibita, sed etiam conjunctum illud, quod ex eadem essentia,

et propria ratione actus liberi, a se nihil realitatis afferente, quasi resultat; imo conjunctum hoc juxta prædictam sententiam affert distinctam, secundum rationem, realitatem ab ea, quam dicit essentia divina transcendens ipsum. Nam essentia divina præcise sumpta, non est formalissime loquendo volitio realis creaturarum; secus vero prædictum conjunctum. Sicut licet in eorum sententia relatio divina secundum esse *ad*, sit realis præcise ab esse *in*, idest, ab essentia divina per modum transcendentis ibidem inclusa, nihilominus relatio est formalitas realis virtualiter distincta ab essentia, et ideo Paternitas habet oppositionem cum Filiatione, non tamen prædicta essentia.

29. Deducitur ex dictis secunda probatio assertionis.

Hinc ergo sequens deducitur ratio. Quamvis hoc ipso quod desit actus liber, non absit essentia, quæ dabat illi *esse* reale; attamen deest formalitas illa quasi consurgens ex propria ratione differentiali illius actus, et ex essentia divina : at hæc dicit realitatem distinctam secundum rationem ab essentia : ergo deest aliquid reale.

Confirmatur primo.

Confirmatur primo. Hoc ipso quod desit formalitas illa, non potest non juxta hunc dicendi modum deesse Deus per modum vitalis operationis liberæ : sicut hoc ipso quod deesset illi intellectio scientifica, deesset Deus per modum vitalis operationis intellectualis et scientificæ : ergo tunc non haberet Deus aliquod prædicatum reale, et intrinsecum, et in eo existens : quod tamen haberet si talis formalitas non deesset : hoc autem, ut constat, satis absurditatis affert; ergo, etc.

Confirmatur secundo.

Confirmatur secundo. Nam licet misericordia v. g. et divinæ relationes habeant, juxta hunc dicendi modum (proportione tamen servata) *esse* reale ab essentia divina per modum transcendentis inclusa, sicut misericordia creata illud habet ab ente in ea imbibito; nihilominus si abesset a Deo misericordia, aut Paternitas, deesset illi aliquod prædicatum reale, quamvis non deesset essentia, quæ alias ibidem includebatur, ut ex se constat : et consequenter deesset etiam aliqua realis formalitas : ergo licet actus liber sit realis solum ab essentia divina modo dicto, et ipsa non desit; attamen si prædictus actus potest abesse, poterit etiam aliquod reale prædicatum, aliquaque realis formalitas a Deo abesse.

30. Posterior Confirmatio.

Confirmatur tertio. Nam licet homo, v. g. totum suum *esse* habeat a materia et forma dantibus se illi, ut 1 Physicorum dici solet; attamen homo ipse constitutus distinctum *esse* habet (modo tamen a nostris Complutensibus in lib. Physic. disp. 6 num. 58 et sequentibus explicato) ab illis : et si homo desit, deest aliquid reale, etiam si non desit materia et forma; imo etiamsi per impossibile non evanesceret unio, sed maneret separata ab extremis : ergo similiter in præsenti. Complut

Addi-tamen-tum.

Adde tamen, quod superest alius modus, quo possit salvari natura, et essentia actus liberi, altius de divina perfectione sentiendo, ita nimirum ut etsi non desit aliqua realis formalitas in Deo; nihilominus possit actus liber deesse : ergo licet modus hic, qui superest, esset æque difficilis, ac modus dicendi, quem impugnamus (quod tamen admitti non debet) nihilominus dummodo evidenter falsitatis non convinceretur, deberet illi anteponi. Nam de Deo, et ejus perfectione debemus sentire quò melius sentiri possit, quamvis modus, quo hæc se in Deo habeant, non ita perfecte a nobis attingatur : ideo enim ipse lucem habitare inaccessibilem perhibetur.

Ad argumentum, et confirmationem pro prima sententia, dubio ultimo responsum præbebitur.

DUBIUM IV.

Addat ne actus liber supra actum necessarium aliquam relationem rationis ad ejus intrinsecum complementum spectantem?

Prioris sententiæ fundamentum.

Non defuere plures Doctores qui partem tuerentur affirmantem; imo pro ea non infimæ, sed gravioris notæ Theologi referuntur (sed quid de eorum mente sentiendum sit infra dicemus). Probatur ergo hoc unico fundamento. Actus liber non potest saltim adæquate consistere in aliquo reali : quia quidquid reale est in Deo, debet esse indefectibile, cum tamen prædictus actus potuerit deficere : ergo consistet in aliquo ente rationis, saltim tanquam in complemento intrinsece importato ab illo : sed non in negatione, aut privatione, ut constat, quia actus iste concipitur ut tendens, et respiciens objectum volitum : ergo in relatione.

32. Assertio. Ratio illius.

Dicendum tamen est, actum liberum, nec consistere, nec compleri relatione rationis formaliter sumpta. Hanc tuentur omnes Doctores, quos infra dub. 7 referemus, et probatur efficaciter sic. Nam dum Scriptura proclamat, et diffinit, Deum diligere creaturas

Joan. 3. creaturas Joan. 3 : *Sic Deus dilexit mundum*, et volitionem ejus esse causam creaturarum, juxta illud Psalm. : *Salvum me fecit quoniam voluit;* vel intelligitur de vero et reali amore, veraque causa, vel de dilectione, et causalitate per intellectum fictis? Si primum, ergo vere et realiter Deus diligit creaturas, et per liberam volitionem realiter illas causat : ac proinde in re est quidquid ad quodlibet horum desideratur : quia implicat esse in re aliquid, nisi sit etiam in re id, quod ad illud indispensabiliter requiritur. Quare cum respectus rationis formaliter non sit in re, neque in eo vera dilectio consistet, neque ad intrinsecum illius complementum indispensabiliter desiderabitur. Si secundum, ergo potius debuisset Scriptura diffinire, Deum non diligere creaturas, neque eas libere causare, quam oppositum. Quia ficta dilectio et causalitas, nec est dilectio, nec causalitas, sed dilectionis, et causalitatis fictio : et ita nihil potest ad veram causalitatem conducere.

Ad fundamentum oppositum.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ dub. ultimo, sæpe citato, hujus disp. dicetur.

DUBIUM V.

Consistatne actus liber in aliqua denominatione extrinseca desumpta ex productione transeunte ad extra, vel ex rebus productis, et actui necessario superaddita?

33. Altisiodor. Aureolus. Gregor. Fundamentum.

Prima sententia affirmat. Ita Altisiodorus 1 p. summæ cap. 13, Aureolus apud Capreolum in 1 dist. 45 q. 1 art. 2 et 3, Gregor. ibidem quæst. unica post septimam conclusionem, et alibi. Fundamentum hujus sententiæ non est aliud quam generalis quædam inductio eorum in quibus poterat actus liber consistere. Nam actus iste non potest non esse (si vere in Deo datur) ante omnem intellectus fictionem : at non consistit in actu necessario ut necessario, neque in entitate, aut formalitate aliqua superaddita, et in Deo existente, ut probatum est : ergo in sola reali denominatione extrinseca desumpta ab actione, vel termino producto. Patet consequentia. Quia nihil aliud reale præter hanc extrinsecam denominationem restat post illa, quæ numeravimus.

Confirmatio.

Et confirmari potest. Quia ratio libertatis in volitione divina reperta non se tenet ex parte principii a quo procedit, quia, ut jam diximus, quidquid reperitur formaliter, et intrinsece in Deo, necessario est in ipso, ex eo quod habet omnimodam necessitatem in essendo : ergo desumenda est ex parte termini : at quod desumitur ex parte termini, vel actionis ad extra, non potest esse nisi ad summum realis denominatio extrinseca : ergo, etc.

34. Conclusio.

Nihilominus dicendum est, actum Dei liberum non posse in prædicta denominatione extrinseca formaliter consistere. Assertio hæc communis est apud Sanctos Patres, et fere omnes Theologos. Et probatur primo ratione deprompta ex D. Thom. Volitio libera secundum communem, et receptam significationem est actus vitalis immanens : ergo volenti intrinsecus : et consequenter vel dicendum est, Deum non habere vere et proprie volitionem erga creaturas, quod est contra communem Patrum consensum, aut hanc volitionem non esse ipsi extrinsecam, sed intrinsecam.

Ratio illius. D.Thom.

Confirmatur. Cognitio Dei circa creaturas futuras est vera vitalis, et intrinseca notitia illarum in Deo residens, non vero denominatio extrinseca desumpta ab aliqua creatura, quomodo enim per illam posset Deus aliquid percipere? ergo idem dicendum erit (proportione servata) de volitione. Patet consequentia. Quia cognitio intellectiva, et volitio mutuo sibi correspondent; non secus ac cognitio sensitiva, et actus appetitus sensitivi mutuam inter se habent correspondentiam : ergo si cognitio non potest consistere in sola aliqua extrinseca denominatione; neque etiam volitio in sola illa consistet. Maxime quia talis cognitio futurorum libere Deo convenit, et potest adesse et abesse.

Corroboratio.

35. Alia ratio pro assertione.

Deinde peculiariter probatur, non posse prædictam Dei volitionem præcise consistere in aliqua denominatione extrinseca desumta ab actione Dei transeunte, per quam in ratione agentis constituatur. Nam Deus ad extra non operatur per actionem formaliter transeuntem, ut docet D. Thom. infra q. 25, quia sicut ejus potentia executiva est scientia illius connotando voluntatem, ita executio et *fieri* effectuum, quos producit, est suum *scire* connotando volitionem, seu imperium suæ scientiæ practicæ : ergo nequit denominari volens ab aliqua actione transeunte, quæ ipsum in ratione agentis constituat.

D.Thom.

36. Ult. ratio.

Tandem hoc ipsum peculiariter etiam suadetur de denominatione extrinseca ab effectibus productis, seu volitis desumpta. Quia in sacra Scriptura enuntiatur de crea-

tura, tum quod est terminus, et objectum volitionis Dei, ad Ephes. 3 : *Propter nimiam charitatem qua dilexit nos* ; tum quod est effectus ejusdem volitionis, Psalm. 113 : *Omnia quæcumque voluit fecit* ; ad Ephes. 1 : *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ* ; tum denique quod creatura rationalis juste operatur et sancte, dum juxta voluntatem divinam præcipientem, aut consulentem operatur. Et ideo Paulus monet ut juxta eamdem voluntatem operemur, ad Hebræ. 10 : *Voluntatem Dei facientes* : ergo secundum Scripturam quælibet creatura est objectum, et effectus voluntatis Dei, et per illam regulari debet, ut sit bona : ergo Deus non constituitur in ratione volentis alia a se, per denominationem extrinsecam, sumptam a creaturis volitis seu productis. Patet consequentia. Quia creatura neque est causa, nec quoad hoc, objectum aut regula sui : ac proinde nec erit causa formalis constituens illam volitionem, quæ est causa creaturæ, et eam ut objectum respicit, et bonarum actionum ejusdem regula ac norma est.

Ephes. 3. Ps. 113. Ephes. 1. Hebr. 10.

Confirmatur. Confirmatur. Omnes Sancti clamant, dona divinitus nobis collata, esse exigua et infinite distantia, si conferantur cum amore infinito Dei in nos, qui est radix talium donorum : ergo non constituitur Deus in ratione diligentis creaturas, per denominationem extrinsecam, desumptam a donis datis : alias sicut hæc sunt finita, ita finita esset denominatio volitionis et amoris.

Fundamenta primæ sententiæ dubio ultimo diluentur.

DUBIUM VI.

Consistatne actus liber in formalitate necessaria divinæ volitionis connotando extrinsecam actionem Dei?

37. Postquam in pluribus ex præcedentibus dubii explicuimus quid non sit in recto volitio libera Dei ; explicemus etiam oportet, quid non sit etiam in obliquo, quodve connotatum non afferat, tanquam quid ex parte illius vere, et absque fictione intellectus se tenens, et ad illam necessario præsuppositum : de hoc enim genere connotati præsens dubium procedit.

§ I.

Proponitur prior opinio.

Prima ergo opinio affirmat, ita quidem ut respectu volitionis connotetur actio ; respectu vero nolitionis cessatio actionis, aut actio mali inflictiva : hanc autem actionem connotatam non oportet esse præsentem, alioqui volitio libera non esset ab æterno, sed sufficit quod sit futura ; sive talis actio ordinetur ad existentiam termini, qui immediate efficitur, sive ad alios fines remotos, ad quorum existentiam aliquid Deus operatur : quomodo influxus ille, quo Deus operatus est unionem hypostaticam, non solum, ordinatus fuit ad existentiam Christi Domini compositi ex natura humana, et personalitate increata, sed ad redemptionem, et salutem nostram. Nam quivis ex his modis sufficit ut sit connotatum volitionis liberæ in ordine ad talia objecta ; ac proinde ad hoc quod eadem volitio, quæ est necessaria respectu divinæ bonitatis, habeat posterius natura, quam prædictum connotatum, esse liberam respectu redemptionis nostræ.

Pro hac sententia sic explicata refertur D. Bonavent. in 1, dist. 45, art. 2, quæst. 2 in responsione ad argumenta ; et eam tenent Arrubal. 1 p. disp. 54, cap. 3 et 5, Granado tomo 2, in 1 p. tract. 3, disp. 5, sect. 3, Torres opusc. 5, disput. 2, dubio 4, et alii plures ex recentioribus.

Bonavent. Arrubal Granado Torres.

38. Probatio prioris sententiæ.

Fundamentum est. Quia volitio libera Dei non potest tantum consistere in aliquo importato in recto, sed simul dicit etiam aliquid in obliquo, et tanquam connotatum : ergo hoc connotatum erit causalitas futura, et alia modo explicata. Antecedens patet. Quia ad volitionem liberam Dei, sicut etiam ad quamlibet aliam volitionem, desideratur tam entitas volitionis, quam terminatio : sed hæc in volitione divina ob infinitam ejus perfectionem distinguitur ab ipsa entitate, quæ terminatur, quippe quæ potest esse sine illa, ut supra art. 2 tactum est : ergo debet esse aliquid creatum, quia quod increatum est, nequit a Deo separari : ergo cum id, quod est creatum, et entitas increata divinæ volitionis non possint ex æquo concurrere ad volitionem Dei liberam constituendam, ut ex se constat, oportet ut non ambo in recto, sed unum scilicet entitas increata in recto, et terminatio in obliquo concurrat.

Consequentia

Consequentia vero suadetur. Quia præter entitatem divinæ volitionis, quæ sit, v. g. amor, solum invenitur actio et effectus ab ea procedens, tanquam quid indispensabiliter eamdem concomitantes : cumque actio sit intimior, et sufficiens ad hoc ut volitio divina censeatur terminata, cum, ea media, attingat effectum, fit inde, hanc in prædictis amoris actibus fore indispensabile connotatum : et consequenter in nolitionibus cessatio ipsa actionis, aut actio mali inflictiva rationem connotati habebit : quia eo ipso censetur Deus vel nolle, vel odio habere aliquid.

§ II.

Ex mente D. Thomæ difficultas dubii expeditur.

39. Conclusio. Dicendum tamen est, actum liberum Dei non consistere in formalitate necessaria divinæ volitionis connotando actionem transeuntem Dei, et alia in priori sententia relata. Assertio hæc aperte colligitur ex D. Thom. Thom. 1 p. q. 25, art. 1, et eam communiter tuentur ejus discipuli : suadeturque ratione sic. Divina volitio ad aliqua objecta creata libere terminatur, nihil positive efficiendo ad extra, neque ab aliqua positiva actione cessando : ergo non constituitur hoc *velle* liberum per formalitatem divinæ volitionis necessariam, connotando respectum extrinsecum actionis, seu (quod idem est) actionem ipsam physicam, et transeuntem, de qua opposita sententia loquitur. Antecedens patet. Quia cum Deo placet dispensare in aliqua positiva lege, quam ipse condidit, aut in aliquo voto, ut reddatur res promissa, tunc integrum est ei prestare id libere, etiamsi nihil operetur ad extra, vel cesset ab aliqua actione, quam antea , dum hæc obligabant, exerceret.

Ratio conclusionis.

40. Solutio. Nec sat est, si dixeris, utramque partem antecedentis esse falsam ; quia non potest tollere obligationem media dispensatione, nisi intimando volitionem, qua dispensat : at hæc intimatio sine actione ad extra, per quam divina volitio significetur, esse non potest.

Impugnatio. Nam contra hoc est, quod ad intimationem volitionis liberæ dispensandi essentialiter præsupponitur ipsa volitio libera : non enim talis intimatio potest esse aliud quam quædam significatio volitionis dispensandi jam habitæ.

Confirmatur, et explicatur inquirendo, quodnam sit objectum quod per illam intimationem revelatur, an nimirum sit dispensatio facta? an facienda? Si facta, ergo præcessit volitio dispensandi, ac proinde intimatio non erit connotatum antecedens volitionem illam, de quo solo connotato in hoc dubio (ut jam diximus) fit sermo. Si facienda, ergo tunc non manebit, v. g. vovens absolutus ab obligatione voti, sed absolvetur. Confirmatur.

41. Enodatio. Nec etiam refert si addideris, quod sicut intimatio voluntatis obligandi est quædam significatio practica, quæ perficit, et complet obligationem ejus, ad quem dirigitur intimatio, et significatio practica, et ideo non præsupponit sed ponit suum objectum, ut in verbis consecrationis patet, ubi verba illa : *Hoc est corpus meum,* denotant esse sub speciebus panis corpus Christi, et ponunt illud ibidem, ita illa intimatio voluntatis obligandi pertinet etiam ad significationem practicam ejusdem voluntatis : et ideo et significat, et complet illam, ita ut sine eadem non sit.

Eversio. Non igitur hoc refert. Nam licet demus, talem intimationem requiri in lege ad exercitium obligandi; imo etiamsi gratis admittamus desiderari ad hoc ut complete lex aliqua habeat rationem legis, ita ut sine ea non sit simpliciter lex, ex eo quod de ratione hujus sit actu obligare; nihilominus non videtur posse idem dici de dispensatione. Nam sicut ad hoc ut calor producatur in ligno, desideratur tam virtus calefactiva, quam approximatio, attamen ad hoc ut non imprimatur talis calor, sat est quodvis horum deesse, ita quamvis ad hoc ut lex obliget, desideretur dictamen illud præceptivum superioris, et intimatio illius, quæ est veluti quædam approximatio, et applicatio illius dictaminis præceptivi ad subditos; attamen ad hoc ut non obliget, satis est quodlibet horum deesse : nec necessaria erit talis intimatio nisi tantum per accidens, scilicet ad excusationem peccati, quatenus ratione ignorantiæ dispensationis factæ, non minus peccaret subditus operando oppositum illius, quod in lege præcipiebatur, quam si talis dispensatio facta non esset.

42. Secunda ratio assertionis. Secundo principaliter probatur assertio. Nam inquirimus, an verbi gratia, actio productiva ad extra hujus universi habeat ex propriis meritis, et antecedenter ad volitionem liberam Dei esse futuram; ac proinde id, quod requiritur ad hoc ut sit connotatum? vel tantum id habeat ex vi ejusdem

liberæ volitionis? Non quidem primum, tum quia nihil habet esse futurum, nisi Deo id ipsum libere decernente, tum etiam, quia alioqui esset necessario futura : ergo secundum, ac proinde jam præsupponetur eadem volitio ad actionem, et futuritionem ipsius, et consequenter non erit connotatum illius antecedens, et complens ipsam in ratione liberæ volitionis : maxime quia actio futura (id quod non parum notari debet ad multorum solutionem) non utcunque comparatur cum divina volitione libera, sed per modum objecti voliti ut *quod* : imo et sæpe ut præcipui voliti, ut contingit dum Deus decernit, et præcipit actum v. g. amoris ab homine eliciendum : at volitio et terminatio ipsius ex parte ejusdem se tenens, maxime si sit practica, debet necessario præcedere simpliciter objectum, ad quod terminatur, ac proinde et ipsa plene in ratione libere constituta.

43. Animadversio ad confirmationem satis efficacem

Confirmatur et explicatur prænotando, quod etsi agens ut denominatur talis denominatione extrinseca desumpta ab actione tanquam a forma, ita ut comparetur ad ipsam ad modum quasi subjecti, sit posterior eadem actione in genere causæ formalis ; attamen si consideretur hæc denominatio agentis in genere causæ efficientis prout genus hoc etiam extenditur ad causam applicantem, et moventem active quoad exercitium et prout ab ipso, procedit actio, tunc denominatio agentis est simpliciter prior non solum termino, sed etiam eadem actione : nam hæc saltim ut *quo* ab agente procedit ; et eo modo quo est ens, est ab alio. Unde secundum hanc rationem habet agens independentiam ab ipsa : et quia hæc independentia, et prioritas intelligitur esse in ordine ad actionem exercitam, ideo illam possumus claritatis gratia independentiam exercitam nominare : ac proinde hoc ipsum in volitione divina respectu actionis transeuntis, ab ea (juxta adversarios) provenientis invenietur.

Ex dictis deducitur confirmatio.

Hinc ergo sequens deducitur ratio. Illa independentia exercita, quæ in genere efficientis convenit divinæ voluntati respectu actionis futuræ, non potest provenire ab ipsa actione : cum hæc respectu agentis sit dumtaxat, ut modo dicebamus, prior et independens in genere causæ formalis, non vero in genere efficientis : in quo secundum totum suum *esse* dependet ab efficiente ; imo est ipsa actualis dependentia : ergo volitio divina antecedenter ad eamdem actionem ad extra habet ex se ipsa hanc exercitam independentiam : ergo et actualem terminationem ad eamdem actionem, et consequenter esse simpliciter liberam. Prima consequentia est evidens. Secunda vero suadetur. Quia antecedenter ad actualem terminationem, et ut concipitur indifferens ad *terminari*, non habet hanc independentiam exercitam : ergo hoc ipso quod concipiatur cum prædicta independentia exercita ante actionem, debet concipi cum terminatione. Tertia autem consequentia etiam liquet. Quia si semel concipias volitionem Dei, ut terminatam ad aliquid extra Deum, concipis illam ut jam liberam.

44. Ultima ratio pro assertione.

Tandem. Quia Deus, ut dubio præcedenti dicebamus, non operatur ad extra per actionem transeuntem : alioqui ejus virtus activa non esset purus actus intra propriam lineam : quandoquidem virtus activa, quæ se ipsa formaliter non est ipsa actio, et productio effectus, non est purus actus in ratione virtutis activæ, sicut intellectus et voluntas, quæ se ipsis non sint ipsa actualis volitio et intellectio, nequeunt esse purus actus intra lineam intellectus et voluntatis.

Ad fundamentum prioris sententiæ patet, tum ex dictis, tum etiam et maxime ex iis, quæ infra in hoc eodem art. 3 dicemus.

DUBIUM VII.

In quonam essentia actus liberi consistat?

45. Ratio ordinis.

Semel confutatis aliis sententiis, et consequenter natura actus liberi per negationem et remotionem jam explicata, quia hucusque solum diximus, quid non sit, non vero quid positive sit, restat ut illum per affirmationem, idest, in quonam ejus essentia sita sit, exponamus. Quod quidem licet satis difficile (Deo dante) pro viribus præstare conabimur.

§ I.

Animadversio valde necessaria.

Pro decisione hujus dubii supponendum est id, quod in materia de Scientia Dei communiter dici solet, quod sicut *intelligere* Dei essentiale et necessarium, ratione suæ infinitatis, non solum in genere entis, sed etiam in genere intelligendi habet esse ex se actualem attingentiam omnis veri ; et propterea sine additione reali et intrinseca, posita

posita tamen veritate in objecto extrinseco, idemmet *intelligere* absque ulla prorsus sui mutatione jam est attingentia illius veritatis, cujus positio licet extrinseca desiderabatur ad hoc ut actualiter illud attingeret, seu perciperet : ita quia divinum *velle* habet parem infinitatem non solum in ratione entis, sed etiam in ratione appetendi, modo supra disp. 5 num. 73 et deinceps explicato, et hoc non per modum actus primi, aut inchoati, sed secundi perfectissimi et ultimi, ideo ex vi suæ simplicissimæ, et eminentissimæ entitatis, ac proinde æquivalentis in genere volendi pluribus, et infinitis volitionibus, quæ in nobis distinguuntur, est sufficiens ad attingendum omne volibile juxta uniuscujusque naturam et merita, etiamsi nihil aliud reale et intrinsecum, seu quasi inhærens addi illi intelligatur : et consequenter ad attingendum Deum necessario, et creaturas libere : quia hunc diversum attingibilitatis modum, natura et meritum horum objectorum exposcunt.

16. Ratio 1ma dissionis

Et potest reddi utriusque sufficiens ratio. Nam sicuti si semel poneremus in Deo facultatem volitivam, aut intellectivam distinctas virtualiter ab intellectione et volitione, oporteret ut hoc ipso quod concipiamus illas infinitas in ratione potentiæ intellectivæ et volitivæ, quod absque aliqua additione pertinente ad ordinem potentiarum haberent omne id, quod requiritur ad hoc ut in ratione potentiarum vitalium sint omnino sufficientes ad attingendum omne intelligibile et volibile : ita quia actualis intellectio, et volitio essentialis concipiuntur ut infinitæ, tam in genere entis, quam in genere intelligendi et volendi modo dicto, et non utcunque, sed per modum actus secundi actualissimi, et summe perfecti : ideo sine ulla additione pertinente ad ordinem actus secundi, et ad ordinem essendi, erunt sufficientissimæ ad actu attingendum per modum actus secundi quidquid intelligibile et volibile fuerit, et hoc juxta propria merita, et naturam cujuslibet intelligibilis, aut volibilis.

Confirmatur ratio præcedens.

Et confirmari potest hoc ipsum, tum ex disparitate, quam supra disp. 3 num. 10 constituimus, inter objectum voluntatis creatæ, et voluntatem ipsam ex una parte, et objectum voluntatis divinæ, et divinam voluntatem ex alia : quæ licet brevitatis causa hic iterum non repetatur, attamen videri omnino debet. Tum etiam ex illis, quæ modo tetigimus, quæque disp. 2 dub. 1 late ostendimus, nempe quod non dantur in Deo intellectus, aut voluntas per modum cujusdam potentiæ, etiam secundum rationem nostram fundatam in rebus ipsis, sed tantum per modum actualis intellectionis et volitionis : quia quævis rationes in eo inventæ, debent esse et concipi ex parte rei conceptæ et fundamenti, quod præbent, per modum actus purissimi intra propriam lineam, ut ita concipiantur ex parte ipsarum meliori modo excogitabili, quod ad rationem supremi entis omnium excogitabilium perfectissimi desideratur. Unde cum disp. 6 hujus tract. n. 8 probatum sit, quod voluntas ut per modum naturæ, et per modum libertatis consideratur, non distinguitur virtualiter, sed quod eadem ipsissima formalitas habet rationem utriusque, fit inde, ut sicut juxta hunc dicendi modum volitio necessaria habet in Deo rationem voluntatis ut naturæ, ita eademmet necessaria volitio sit ipsissima libertas Dei, actualissima quidem in se quoad omnem rationem entitatis importatæ, et inventæ in illa, et potens terminari, et non terminari ad objectum secundarium, scilicet creaturas. Unde in Deo libertas (id, quod maxime notandum est) non est ad habendum, et non habendum actum, quia hoc est proprium libertatis per modum potentiæ; sed ad hoc ut tota entitas actualissima, et omnino indefectibilis divinæ volitionis terminetur, vel non terminetur, seu habeat hanc vel illam terminationem respectu creaturarum.

§ II.

Responsio cujusdam incidentis interrogationis ad hujus dubii decisionem maxime conducens.

17. Et si inquiras, quomodo fieri possit, ut tota realitas volitionis, qua Deus diligit creaturas, sit semper et necessario in ipso : et nihilominus non diligat necessario eas, sed potuerit ad illas non terminari, seu a prædicta dilectione abstinere, et has potius quam illas creaturas amore prosequi?

Occurritur interrogationi.

Respondetur id optime intelligi, si animadvertatur in hoc distingui *velle* increatum a creato, quod hoc totum est ex natura sua ad objectum volitum, quia ab illo capit speciem : et ideo nequit talis actus secundus reperiri in voluntate, quin inclinet, et terminetur ad ipsum, talisque terminatio, et habitudo sit intrinseca, et essentialis

eidem actui : ac proinde quin reddat voluntatem, in qua est, volentem prædictum objectum. Cæterum volitio increata, quia nullam speciem accipit a prædictis objectis creatis, nec realitatem suam habet ullo modo dependentem ab illis, ideo nec in ea est realis habitudo intrinseca, et essentialis ad ipsa : quoniam hæc habitudo ad dependentiam aliquam, aut specificationem ab illis desumptam consequitur, vel in ea intime imbibitur : nec terminatio ad eadem objecta est prorsus idem, tam ex parte ejus quod in recto, quam ex parte ejus quod in obliquo dicit, cum realitate talis volitionis ; nec ex parte utriusque scilicet ejus quod in recto, et in obliquo affert, est intrinseca seu existens essentialiter in ipsa; sed distinguitur, et est separabilis ab illa, ratione ejus quod in obliquo importat, ut in hoc eodem dubio dicemus. Ac proinde, quia volitio alicujus objecti ut sic formaliter sumpta, importat realitatem volitionis terminatam ad ipsum, ut jam explicamus, ideo ex defectu, vel absentia prædictæ terminationis, quamvis nihil realitatis intrinsecæ actui abesse queat, poterit constituere, vel non constituere Deum libere volentem.

Elucidatur præcedens responsio.

Si namque, quia volitio creata capit speciem a suis objectis, non potest separari a sua terminatione, et habitudine ad illa, et ob id nequit non esse semper volitio eorumdem, ac tandem constituere voluntatem, cui inhæret, in ratione volentis; cur si illa realitas volitionis increatæ nullam ab objectis creatis sumit specificationem, neque ad illa realem habitudinem dicit, non poterit separari a sua terminatione? et per consequens ab hoc quod habeat formalissime rationem volitionis eorum? Et similiter, quia eadem realitas volitionis increatæ ob suam summam puritatem, et infinitatem in ratione actus secundi habet totam entitatem requisitam ad hoc, quod terminetur, cur non poterit ad nutum terminari? et ratione absentiæ, vel præsentiæ talis, vel talis terminationis, saltim quoad connotatum, non valebit constituere Deum in ratione volentis, vel nolentis creaturas?

Objectio retunda.

Sed objicies, quod divinum *intelligere* non capit speciem a creaturis possibilibus intellectis, nec ad eas realiter refertur; et tamen non potest separari a terminatione ad ipsas : ergo quod aliquis actus non capiat speciem ab objecto, nihil refert ad hoc ut sit separabilis a terminatione ad illud.

18. Respondetur negando consequentiam generaliter intellectam : quia prædicta independentia quasi operatur diversa in diversis attributis divinis, juxta propriam naturam cujuslibet. Nam cum linea intellectionis non petat formalem libertatem, ideo non tribuit illi independentia ista, quod possit terminari, et non terminari cum intrinseca indifferentia; sed quod semel posito objecto terminetur perfectissimo, et elevatissimo modo : et quod licet objectum aliquod, qualia sunt plura futura contingentia, non ponatur, nihilominus adhuc remaneat tota entitas intellectionis : quia linea ejus, quippe linea formaliter necessaria, tantum petit ut posito objecto, non possit non attingere illud. Cæterum quia linea voluntatis petit intrinsecam indifferentiam ad *terminari*, et *non terminari*, ideo prædicta independentia potest esse in hac linea radix hujus indifferentiæ : et consequenter ratione illius potest divina volitio, salva manente in tota sua entitate intrinseca, habere hanc vel illam terminationem ad creaturas : quod tamen non posset, si entitas sua esset tota posita in tendentia et habitudine ad illas.

Dilucidatur

§ III.

Enodatio alterius quæsiti ex qua tota hujus dubii intelligentia pendet.

Et si rursus inquiras, cur sicuti ratione suæ infinitæ perfectionis, et independentiæ habet divinum *velle* denominare Deum volentem creaturas absque reali additione, et habitudine transcendentali, cur ita non poterit hoc ipsum ratione ejusdem eminentiæ præstare, absque additione realis terminationis? et quidnam prædicta terminatio addat supra entitatem intrinsecam actus volendi?

19. Alia interrogatio.

Respondetur, quod sicut hæc perfectio non extrahit divinum *velle* a linea actus volendi, ita nec a linea actus attingentis objectum volitum : at *attingere*, et *terminari* in idem coïncidunt, et ideo prædicta perfectio non tollit necessitatem constituendi in actu volitionis divinæ terminationem activam, et realem ad objectum.

Fit satis præcedenti interrogationi.

Quod etiam potest adhuc colligi, et explicari magis ex eo, quod sicut in universum objectum quod independens est, non potest intelligi terminare primo actionem sine denominatione extrinseca terminationis quasi passivæ : sic licet entitas actus independens sit, indigebit denominatione, quam-

Explicatur.

jam

jam explicamus, terminationis activæ superaddita ad respiciendum objectum. Etenim consideratæ entitates illæ sine hac terminatione, solum quasi disparatæ intelliguntur. Ut ergo una circa aliam versetur, opus est has duas denominationes activæ, et passivæ terminationis in his extremis juxta naturam cujuslibet constituere.

50. Lucidatur amplius.

Ecce ergo quomodo huic interrogationi fit ex omni parte satis. Nam divinum *velle* quatenus dat Deo denominationem libere volentis creaturas, habet quod ut quid independens, et infinitum, quasi respiciat illas, ut objecta secundaria : et ideo qua ratione est independens, tollitur realis intrinseca, et essentialis habitudo : et qua ratione est infinitum in linea volendi, imo et qua ratione objecta illa sunt secundaria, aufertur additio alicujus entitatis, aut formalitatis quasi inhærentis. Et tandem ex quo capite quasi respicit, verbi gratia æternam salutem divi Petri (seu præbet fundamentum ad hunc respectum rationis, cum possit illud non præbere, ratione intrinsecæ indifferentiæ, quam habet ad hoc ut terminetur, vel non terminetur, sicut voluntas creata eam habet ad hoc ut eliciat actum) dicit ex hac parte actualem terminationem pertinentem non ad ordinem essendi, sed ad ordinem realis denominationis intrinsecæ, quæ licet actu sit, potuit tamen non esse. Sicut si daremus per impossibile visionem infinitam in genere visionis, quæ simul cum hac infinitate esset independens ab objecto, tunc quia independens in entitate, posset manere pereuntibus objectis saltim aliquibus (quod ad præsens sat est) et quia infinita, haberet quod hoc ipso quod esset aliquid visibile, statim absque additione ad ordinem essendi spectante videret illud.

51. Objectio animadvertenda.

Sed objicies. Nam vel hæc denominatio provenit ab objecto, et est creata? vel ab aliqua forma increata, ita ut etiam ipsa denominatio sit increata? Si primum, ergo nec tale objectum, nec denominatio ipsius constituent Deum libere volentem : quandoquidem ante illam debuit Deus esse libere volens, cum objectum creatum habuerit esse ex vi volitionis liberæ Dei, et non aliunde. Secundum vero dici nequit, tum quia quævis forma increata est omnino intrinseca Deo : ergo non potest illum extrinsece denominare : at hæc denominatio, non potest non esse extrinseca : siquidem licet deesset, non ob id mutaretur Deus : cum tamen sit proprium denominationis intrinsecæ non posse adesse, vel abesse sine subjecti mutatione. Tum etiam : quia denominatio increata non potest adesse et abesse : quoniam hoc ipso quod increata, habet omnimodam necessitatem in essendo.

Notatio ad emendationem præcedentis objectionis.

Ut objectio hæc, a qua tota difficultas hujus dubii pendet, maneat soluta, notandum est, quod sicut denominatio omnipotentis nihil est aliud quam divina potentia ut connexa in ratione potentiæ activæ et effectus, cum creaturis possibilibus, et hæc connexio solum dicit eamdem potentiam, ut connotantem possibilitatem creaturarum, non quidem ut quid antecedens ipsam in ratione potentiæ, sed tanquam quid consequens, et illatum ex vi ejusdem : quoniam hæc denominatio est denominatio potentiæ practicæ : et ita ideo creaturæ non implicant, sed sunt possibiles, quia Deus est primum non implicans, et potest illas producere; et possibilitate creaturarum sublata, non ob id tanquam a priori tolleretur omnipotentia, sed esset signum quod in priori antecedenti fuit sublata. Unde hæc possibilitas creaturarum ad eam subsecuta, satis est per modum connotati ad hoc ut Deus denominetur omnipotens.

52.

Ita similiter denominatio Dei libere volentis, nihil est aliud quam volitio increata, et necessaria Dei, et objectum volitum, ut libere connexa in ratione actus volendi, et objecti voliti : hæc autem connexio importat volitionem ipsam, connotando *esse* futurum effectus, si fuerit volitio, vel *non esse* futurum, si fuerit nolitio : ita tamen ut hoc connotatum non sit antecedens ad volitionem ipsam, sed illatum ex vi ejusdem. Nam sicut ex vi omnipotentiæ habent res possibiles (modo sibi proportionato, et in tract. de Scientia Dei disp. 7 n. 38 tacto) rationem possibilium, sic res futuræ exeunt in ratione futurarum a volitione increata ut a causa earum, modo tamen in eodem tract. de Scientia Dei disp. 5, dub. 2 et 3 explicato. Unde volitio hæc præsupponitur ut indifferens ad *terminari* et *non terminari* : ac proinde ad hoc ut ab illa exeat *esse* effectus futurum, vel *non esse*, seu non futuritio ejusdem. Et deinde ratione hujus indifferentiæ, non quidem passivæ, sed activæ exit ab ea, v. g. futuritio effectus : et consequenter non præsupponit, sed facit suum connotatum seu objectum, tanquam aliquid posterius natura subsecutum : ita tamen ut volitio illa ut causans et prior, et per consequens ut libera, non possit concipi non concepto expresse hoc connotato

posteriori, et e contra, ob nexum quem inter se habent.

53. Ratio notationis. Et potest hujus reddi sufficiens ratio, ex eo quod sicut causa efficiens creata non potest intelligi ut causans, quin expresse intelligatur ipsa ut prior, et effectus ut posterior, et ideo illud signum includit expresse aliquid ut prius, et aliquid ut posterius ad hoc ut ipsa denominetur prior, quandoquidem nequit prioritatem habere, nisi ad illam subsequatur effectus, ita volitio libera Dei, quæ hoc ipso quod libera, intelligitur ut causans, v. g. futuritionem æternæ salutis D. Petri, non poterit intelligi ut prior, et consequenter neque ut libera, nisi ibidem expresse intelligatur æterna salus ejusdem D. Petri ut quid posterius in eo signo, quod ex utraque illa ratione priori et posteriori conflatur.

Enodatio objectionis. Hoc ergo supposito ad argumentum respondetur, quod denominatio prædicta est ex parte formæ, dantis illam, increata; imo quantum est ex vi ejusdem necessaria : cæterum involvit aliquid creatum. Quia ipsa (ut dicebamus) nihil est aliud, quam divina volitio et objectum creatum volitum, ut nectuntur inter se in ratione actus et objecti : ac proinde ex parte objecti est creata, et connotando illud, habet esse liberam.

54. Ad probationem contra priorem partem dilemmatis. Et ad primam probationem contra priorem partem dilemmatis, quatenus aliquo modo potest pugnare contra hanc solutionem, neganda est consequentia. Quia licet id quod est creatum, non possit per modum formæ intrinsecæ dare Deo denominationem libere volenti; bene tamen per modum objecti et tanquam connotatum formæ intrinsecæ in Deo existentis potest ad prædictam denominationem desiderari. Et ad secundam probationem ibidem subsumptam dicitur, quod cum hoc quod est aliquid creatum concurrere seu desiderari per modum objecti et connotati, ad dandam hanc denominationem, cohæret optime quod ante illud prioritate jam explicata, et non alia, sit Deus libere volens quia non est connotatum antecedens, sed consequens, et illatum ex vi illius quod ponitur in recto : et nequit concipi in ratione connotati, non concepta divina volitione libera, et e contra, ut ostensum est.

Ad 1am probationem contra 2am ejus partem. Ad primam autem probationem contra secundam partem ejusdem dilemmatis, quatenus aliquo modo pugnare potest contra solutionem datam, dicendum est, quod denominatio libere volentis, nequaquam est extrinseca, sed intrinseca Deo, licet connotet objectum ut quid extrinsecum : at hinc nihil contra nos, ut in creatis suo modo patet : quamvis cum hoc stet, quod licet addatur Deo hæc intrinseca denominatio, sub conceptu et ratione denominationis intrinsecæ, non tamen ob id aliqua realis entitas, modus, aut formalitas debeat superaddi. Nam quotiescumque ad aliquam denominationem intrinsecam desideratur tum forma intrinseca in recto importata, tum etiam aliquid in obliquo, et tanquam connotatum extrinsecum, sive antecedens, sive consequens et causatum ex vi formæ prædictæ, tunc si tale connotatum non desideretur ad hoc ut existat intrinseca entitas formæ, sed solum ad hoc ut talis forma, tribuat aliquam intrinsecam denominationem, fiet inde, ut quamvis adsit forma; nihilominus non erit denominatio, si connotatum desit : et per positionem talis connotati, sive antecedentem, sive consequentem, sive necessario causetur, sive ita ut possit causari et non causari, aderit talis denominatio intrinseca sub conceptu intrinsecæ, absque eo quod aliquid pertinens ad ordinem essendi intelligatur superaddi ex parte formæ.

55. Elucidatur triplici exemp'o. Cujus rei plura exempla adduci possent, et satis congruum est illud speciei intelligibilis Angelicæ, juxta opinionem Cajetan. et Thomistarum, quæ quamvis sit repræsentativa *ut quo* plurium naturarum inferiorum, necnon et individuorum, quæ sub illis continentur, et hanc eamdem denominationem habet ut *quod* intellectus Angelicus participatam ab ipsa tanquam a forma; nihilominus non repræsentat actu eadem individua quoad eorum existentiam exercitam quando non existunt, non quidem ex defectu entitatis speciei intelligibilis, sed ex defectu positionis existentiæ illorum : ac proinde licet adsit jam in specie tota entitas, per quam repræsentabitur postea actu *ut quo*, et dabit intellectui rationem repræsentantis *ut quod;* non tamen ob id adest modo talis denominatio. Cæterum quia nihil ex parte speciei entitativum (seu pertinens ad lineam essendi) deest in ordine ad illam tribuendam, ideo posito tali connotato, absque superadditione in Angelo alicujus pertinentis ad ordinem essendi, aderit talis denominatio.

Simile etiam invenitur, juxta omnium sententiam, in materia prima, quæ etsi post adventum formæ nihil de sua entitate intrinseca

intrinseca amittat, amittit tamen denominationem appetitus desiderii respectu talis formæ eo quod denominatio hæc exigit pro connotato carentiam prædictæ formæ : quo connotato deficiente, quamvis nihil de intrinseca entitate materiæ desit, nihilominus prædicta denominatio appetitus desiderii deficit.

56. Et tandem relatio paternitatis, quæ est in patre respectu prioris filii, non denominat illum patrem respectu posterioris, usque dum hic existat; et tamen in sententia D. Thom. et discipulorum ejus, ut Complut. optime notarunt nostri Complut. in Log. disput. 14 numero 92 et 93 et in libr. de Generat. disput. 4 numero 167 et 168, eademmet absque additione aliqua ex parte sui terminatur ad posteriorem filium, hoc ipso quod producatur, tanquam ad terminum solum materialiter, non vero formaliter diversum, ac proinde non refundentem formalitatem aliquam novam ad ordinem essendi pertinentem in eamdem relationem : quia illa formalitas nec posset esse specie distincta a relatione præexistenti, ut ex se constat; nec solo numero, alias duo accidentia solum numero distincta, essent simul in eodem subjecto, quod tamen in via D. Thom. aperte repugnat. Unde relatio paternitatis jam præexistens, posito tamen de novo prædicto connotato (scilicet filio posteriori) tribuit patri absque intrinseca sui variatione denominationem patris respectu illius. Similiter ergo contingere potest in præsenti, et de facto contingit, ut explicatum est.

57. Nec refert si dicas, quod omnia hæc connotata sunt antecedentia, non vero subsequentia; secus vero connotatum, quod pro actibus liberis constituimus.

Non igitur hoc refert. Quia sicut connotatum actus aut potentiæ (ut sic dicamus) speculativæ debet præcedere, ita connotatum potentiæ aut actus practici, quod habet *esse* ex vi illius, debet subsequi ad eum : alioqui nequiret esse connotatum illius. Quia ad hoc ut possit esse connotatum ejus per modum habentis *esse* ab ipso, desideratur ut sit effectus ejusdem, ac proinde habeat posterioritatem respectu illius.

Ad 2am probationem contra 2am part. dilemmatis. Ex quo tandem ad secundam probationem contra eamdem secundam partem dilemmatis ejusdem objectionis num. 51 adductam patet. Quia etsi denominatio increata non involvens aliquid creatum non possit adesse et abesse; bene tamen quando illud involvit tanquam connotatum, si tamen forma increata dans illam denominationem non habeat quoad *esse* necessariam connexionem cum tali connotato, ut in præsenti contingit. Quia inter intrinsecam entitatem volitionis necessariæ Dei et futuritionem, aut non futuritionem, adhuc contrarie sumptam, creaturæ (si quævis harum in particulari sumatur) nulla est necessaria connexio : quandoquidem, ut constat, potest esse tota entitas intrinseca divinæ volitionis necessariæ, absque eo quod habeant determinate et in particulari creaturæ, quod sint v. g. futuræ.

§ IV.

Decisio dubii, et prima decidendi ratio.

58. Conclusio. His ergo suppositis dicendum est, actum liberum Dei consistere in formalitate necessaria divinæ voluntatis, seu volitionis terminata ad creaturas, seu connotante eas ut objectum volitum, et tanquam quid in genere volitivo causatum, et pendens ab ipsa, quatenus determinate tribuit eis, quod habeant *esse* v. g. futurum, si talis actus sit volitio earum; vel determinate communicat illis, quod habeant *esse* non futurum, si actus ille fuerit nolitio earumdem : sive (quod in idem redit) consistere in formalitate ex se necessaria divinæ volitionis, non quidem ut dicit relationem realem ad objectum volitum, nempe creaturas, sed ut fundat relationem rationis non necessariam ad illud. Hæc est communis Thomistarum sententia. Unde huic pertinent omnes illi, qui dicunt actum liberum Dei addere solummodo supra actum necessarium relationem rationis. Quia non loquuntur de ea formaliter, ut dicit quid fictum per intellectum (ut plurimi et gravissimi Doctores interpretantur) sed fundamentaliter accepta, quatenus importat prædictam denominationem intrinsecam, et modo explicato sumptam. Discipuli D. Thom.

Angelic. Doct. Proptereaque D. Thom. rem hanc per prædictam relationem rationis explicuit. Et ita q. 23 de Verit. art. 4 ad 1 inquit : *Dicendum, quod velle Dei est necessarium, et æternum ex parte volitionis, quæ est divina essentia, et ex parte ejus, quod est ratio volendi, quod est divina voluntas, non autem quantum ad respectum volitionis ad volitum.* Et ibidem ad 3 ait : *Cum dicitur Deum velle aliquid, non significatur, illud aliquid inesse Deo; sed tantummodo importatur ordo*

ipsius Dei ad illius effectionem in propria natura : et ideo ex hac parte deficit conditio absolutæ necessitatis. Et 1 cont. Gent. cap. 82 sic loquitur : *Voluntas Dei uno et eodem actu vult se et alia; sed habitudo ejus ad se est necessaria et naturalis : habitudo autem ejus ad alia est secundum convenientiam quamdam, non quidem necessariam et naturalem, sed voluntariam.* Et in præsenti articulo 2 ad 1 ita dicit : *Dicendum, quod licet divinum velle sit ejus esse secundum rem; tamen differt ratione secundum diversum modum intelligendi et significandi, ut ex superioribus patet. In hoc enim quod dico Deum esse, non importatur habitudo ad aliquid, sicut in hoc quod dico, Deum velle : et ideo licet non sit aliquid aliud a se, vult tamen aliquid aliud a se.* In quibus testimoniis, ut vides, sanctus Doctor duo petit ad actum liberum Dei, nempe realitatem ipsius actus volitionis necessariæ, quo se ipsum necessario vult, ac proinde realitatem omnino quoad *esse* necessariam, necnon habitudinem volitionis ad res libere volitas, quæ non sit necessaria. Cumque hæc habitudo non possit esse realis habitudo formaliter talis juxta mentem sancti Doct. nec etiam habitudo rationis, ut ex dictis patet, oportet ut sit relatio rationis fundamentalis, ac proinde actus liber Dei consistat in formalitate necessaria divinæ volitionis, ut fundat relationem, non necessariam, rationis ad objectum volitum, nempe creaturas. Cumque formalitas illa necessaria non aliter fundet hanc relationem rationis, nisi quia est terminata ad creaturas, seu connotat illas, ut objectum volitum, tanquam quid in genere volitivo causatum, et pendens ab ipsa quatenus determinate tribuit eis *esse* v. g. futurum, vel determinate communicat illis *esse* non futurum, ut ex se, et ex dictis constat, fit inde ut juxta sancti Doctoris doctrinam volitio libera Dei consistat in formalitate necessaria divinæ volitionis terminatæ ad creaturas, seu connotante eas, tanquam objectum volitum, ut quid in genere volitivo causatum, et pendens ab ipsa, quatenus determinate tribuit ei, quod habeat *esse* v. g. futurum ut in volitione contingit; vel determinate communicat illi, ut habeat *esse* non futurum, ut in nolitione accidit.

59. Prior ratio assertionis.

Assertionis hujus præcipua probatio desumenda est ex generali quadam inductione eorum, in quibus actus liber Dei videbatur consistere posse, et ex efficaci, ac satis probata in dubiis præcedentibus, exclusione eorum. Quæ inductio ad hanc formam potest reduci. Actus liber Dei non potest consistere in formalitate volitionis necessariæ omnino præcise sumptæ, absque eo quod aliquid aliud, saltim in obliquo, superaddatur; quandoquidem volitio necessaria, ut talis, non potest non esse; secus vero libera : neque in entitate aliqua realiter distincta ab actu necessario, et in Deo existente, aut in formalitate virtualiter distincta ab ipso, quæ vel a se, vel ab essentia divina per modum transcendentis imbibita sit realis, quæque simul habeat posse evanescere : quia hoc genus entitatis aut formalitatis esse in Deo prorsus repugnat, ut in hac disp. dub. 1, 2 et 3 ostensum est : ergo consistit in formalitate necessaria, connotando aliquid, quod possit esse, et non esse : ergo consistet in eadem formalitate connotando creaturas, ut objectum volitum, tanquam quid in genere volitivo causatum, et pendens ab ipsa, quatenus determinate tribuit eis, quod habeant *esse* v. g. futurum si actus ille fuerit volitio earum; vel determinate communicat illis, ut habeant *esse* determinate non futurum, si fuerit nolitio. 1 2

Probatio primæ consequentiæ.

Patet prima conseq. Quia ex quo cap. prædictus actus est volitio realis, vitalis et immanens, ac proinde Deus, non poterit consistere in relatione rationis, aut in sola denominatione extrinseca, sed in aliqua reali formalitate Deo intrinseca et vitali, ac omnino necessario ad divinam voluntatem pertinente : et ex quo capiie potest esse, et non esse, oportet, ut secum trahat aliquid separabile, non quid enim recto, sed in obliquo. Quia quod separabile est, et eo ipso censetur quid creatum, nequit ex æquo, atque adeo nec in recto una cum formalitate increata et essentiali concurrere ad denominationem Deo intrinsecam, seu in ipso existentem.

60. Suadetur secunda consequentia.

Secunda vero conseq. patet ex priori. Quia nihil aliud potest congruentius esse connotatum adæquatum et separabile prædictæ formalitatis divinæ, et ita præcise per hoc, quod connotet *esse* futurum v. g. D. Petri, ut objectum volitum, tanquam quid causatum in genere volitivo, et pendens ab illa formalitate, intelligitur habere quidquid deerat, ad hoc ut sit volitio libera illius; et hoc ipso quod connotat *non esse* futurum alterius universi, ut quid etiam eodem modo causatum ab ea, habet quidquid ei etiam deerat, ad hoc ut esset nolitio ipsius. Maxime quia cum volitio libera

Dei

Dei, qua v. g. amat *esse* divi Petri, debeat habere pro connotato separabili aliquid causatum ab ea, ut ex dictis liquet, et ipsa non causet per actionem formaliter transeuntem, sed ipsamet sit actio immanens causans in suo ordine quidquid vult, oportet, ut connotatum ejus non sit aliqua actio transiens medians inter eam et objectum volitum : ac proinde oportebit ut prædictum connotatum sit ipsummet objectum volitum et causatum in genere volitivo ab ipsa, nempe *esse* divi Petri, ut habet *esse* futurum ab eadem volitione : siquidem, connotatum indispensabile et immediatum actionis volitivæ causantis suum objectum, est ipsummet objectum causatum quoad illud *esse*, quod (ut sic dicamus) primo ei communicat, quod in præsenti est *esse* futurum. Unde ex his habebimus id, quod in assertione asserebamus, nempe actum liberum Dei consistere in prædicta formalitate actus necessarii connotante objectum materiale, nempe creaturas, ut quid in genere volitivo causatum, et pendens ab ipsa, quatenus si sit volitio seu amor, determinate tribuit ei vel quod habeat *esse* v. g. futurum, vel si sit nolitio, determinate communicat illi, ut habeat *esse* non futurum : sive (quod in idem redit ut ex dictis constat) ex his habebimus, actum liberum Dei consistere in formalitate in se necessaria divinæ volitionis, non quidem ut dicit relationem realem ad objectum volitum, nempe creaturas; sed ut fundat relationem rationis non necessariam ad illud.

§ V.

Secundum fundamentum veræ sententiæ.

61. Thom. Secundo principaliter potest suaderi assertio ratione, quam innuit D. Thomas articul. 2 hujus quæst. quamque ibidem tetigimus, et nunc amplius expendemus. Nam actus divini non terminantur per se primo ad creaturas tanquam ad objectum formale *quo* vel *quod*, sed solum tanquam ad objectum materiale et secundarium : ergo se ipsis absque aliquo alio intrinseco sibi superaddito, connotando tamen easdem creaturas ut objectum materiale et secundarium, poterunt terminari ad illas. Antecedens constat ex iis, quæ disput. 3 hujus tract. n. 26 et deinceps asseruimus, potestque ex ibidem dictis, breviter suaderi. Nam tam objectum formale *quo*, quam objectum formale *quod* concurrunt formaliter ad tribuendam suam specificationem et perfectionem actibus ; ergo cum actus divini nequeant specificari aut perfici a creaturis, ut ex se constat, fit inde, ut nequeant easdem ut objectum formale *quo*, aut *quod* respicere.

Ex quo etiam consequentia satis patere videtur. Nam ut nostri Complutenses 2 Physic. disp. 10 q. 6 expendunt, ideo alteratio, ut subordinatur substantiæ generanti, potest absque aliqua additione, connotando tamen substantiam genitam, terminari ad productionem illius, quia alteratio illa per se primo terminatur ad calorem ut ad dispositionem ultimam præcise introductivam, tanquam ad terminum primarium, et ad eamdem substantiam et generationem ejus, ut ad secundarium : et similiter non ob aliud divina scientia sine additione intrinseca potest terminari ad creaturas connotando eas, nisi quia terminatur ad ipsas ut ad objectum secundarium. Complut

62. Objectio prima. Sed objicies primo. Per gratiam sanctificantem reddimur objectum congruum divinæ dilectionis supernaturalis : ergo homo ut gratus per illam, erit objectum formale prædicti amoris : sicuti quia sapor reddit cibum, objectum congruum gustus, ideo est objectum formale illius.

Objectio secunda. Secundo. Quamvis actus charitatis divinæ voluntatis possit solum secundario terminari ad creaturas, ita ut objectum formale tam *quo*, quam *quod*, sit sola divina bonitas, seu bonum divinum intrinsecum Deo ; non tamen actus misericordiæ aut justitiæ vindicativæ : ergo ratio facta falso nititur fundamento. Consequentia ex se constat. Antecedens vero etiam liquet. Quia licet divinum bonum possit amari amore charitatis ab ipso Deo tanquam objectum formale *quod*, non tamen Deus ipse potest ratione suæ bonitatis esse objectum formale *quod* misericordiæ aut justitiæ : quandoquidem nec habere potest miseriam, ratione cujus Deus sibi ipsi misereatur, seu se ipsum ab illa sublevet; nec malum culpæ, ratione cujus possit puniri, seu justitiæ vindicativæ subdi.

Confirmatio. Confirmatur. Nam actus divinæ omnipotentiæ, qui necessario concernunt actus voluntatis Dei, nequeunt per se primo terminari ut ad objectum formale *quod*, ad divinam bonitatem, seu ad Deum ipsum : ergo non omnes actus divini habent pro objecto formali *quod* bonitatem Dei, vel aliquid ipsi intrinsecum. Consequentia est legitima. Antecedens autem constat. Quo-

niam objectum formale omnipotentiæ est, factibile ut sic : ergo solum terminabitur ad rem factibilem, sciiicet omnem et solam creaturam, quæ sola potest esse facta.

63. Occurritur primæ objectioni. Has objectiones consulto proposuimus : quia ex earum solutione vis hujus rationis et veritas doctrinæ Thomisticæ non parum elucidabitur. Ad primam ergo concedendum est antecedens, si intelligatur de objecto congruo divinæ dilectionis materiali et proximo intra lineam objecti materialis præcise : negandum vero, si de objecto formali intelligatur. Et inde neganda est consequentia. Et ad probationem respondetur, non ideo saporem esse objectum formale gustus, quia constituit utcunque cibum, in ratione objecti congrui respectu ipsius; sed quia adæquate illum in ratione talis objecti potest constituere, ex eo quod ratio prædicti objecti non est adeo elevata ut transcendat vim saporis : secus vero ratio objecti formalis divinorum actuum, quæ ob sui eminentiam nequit alicui creaturæ convenire.

64. Solutio secundæ objectionis notatu digna. Ad secundam objectionem respondetur, negando antecedens. Nam sicut divina charitas per se primo terminatur tanquam ad objectum formale *quod*, ad bonitatem Dei ut est infinita per essentiam, seu quatenus est bona bonitate divina, in communi (ut sic dicamus) et generaliter considerata, idest, ut ambit quidquid bonitatis reperitur in ipso Deo, ex eo quod quævis illius perfectio quasi participat (si sic licet loqui) bonitatem Dei ut sic, seu ipsam bonitatem divinæ essentiæ, absolute et simpliciter sumptam ; et deinde ratione ejusdem bonitatis sic sumptæ terminatur ad creaturas ut ad objectum materiale et secundarium : ita misericordia divina per se primo terminatur tanquam ad objectum formale *quod*, ad eamdem bonitatem magis contracte sumptam, prout nimirum est proxima ratio miserendi : et justitia vindicativa habet etiam terminari ad ipsammet bonitatem, non ut est ratio miserendi, vel secundum rationem bonitatis divinæ (ut sic loquamur) in communi et generaliter sumptæ, sed quatenus est ratio proxima puniendi : et deinde terminatur ad creaturas ut ad objectum materiale et secundarium.

Explicatur. Itaque divina misericordia v. g. habet duos actus ex parte nostri modi concipiendi ab eadem misericordia et inter se distinctos. Primus quidem quo vult divinam bonitatem, seu divinum bonum ut objectum formale *quod* volitum, ut est proxima ratio miserendi. Nam bonum divinum sic formalissime consideratum habet specialem amabilitatem, seu volibilitatem, quam non intelligitur habere, ut est ratio proxima puniendi, vel ut est bonum bonitate divina quasi in communi considerata, et ut est infinita per essentiam, ambiens quidquid bonitatis est in ipso secundum rationem generalem bonitatis divinæ ut sic, seu ut dicit ipsam bonitatem divinæ essentiæ, absolute et simpliciter consideratam. Unde secundum prædictam considerationem pertinet peculiariter ad misericordiam, ut objectum formale *quo* et *quod* ab ipsa volitum : ita ut bonitas illa in abstracto significata sit objectum formale *quo* ; ipsa vero ut in concreto denotatur, intelligatur esse objectum formale *quod* : quia ita est bonitas ut simul etiam sit infinitum bonum habens ut *quod* specialem volibilitatem.

65. Et deinde secundario eadem misericordia terminatur per alium actum, ex parte solius nostri modi concipiendi distinctum, ad easdem creaturas, ut ad objectum materiale et secundarium. Quia non solum terminatur ad divinam bonitatem ut est quasi in actu primo ratio proxima miserendi, et ut potest connotare miseriam creaturarum et ipsas creaturas quæ ratione prædictæ bonitatis prius volitæ, a miseria sunt sublevabiles ; sed etiam easdem de facto ut objectum materiale et secundarium connotat : ita ut illas ratione dictæ bonitatis jam prævolitæ, de facto velit, easque a miseria sublevet. Quare licet primus ille actus divinæ misericordiæ sit omnino necessarius, quippe qui non concernit creaturas ut actu volitas; secus tamen secundus ob oppositam rationem.

Ad probationem antecedentis ejusdem objectionis. Nec contra hoc aliquid obest probatio ibidem subsumpta, scilicet Deum non habere aliquam miseriam aut malum culpæ, ratione cujus possit a miseria sublevari, aut puniri, et justitiæ vindicativæ subdi. Nam licet eadem misericordia et idem actus ex parte rei conceptæ terminetur ad divinam bonitatem, modo dicto, et deinde ad creaturas ; attamen denominationem sublevandi non intelligitur habere quatenus præcise terminatur per priorem actum ex parte solius modi concipiendi distinctum, ad objectum formale *quod* primarium ; sed quatenus intelligitur terminari ad secundarium et materiale et respectu illius.

66. Ratio responsionis. Et ratio est. Quia multoties actus, qui est idemmet ex parte rei conceptæ, intelligitur habere diversam denominationem ut terminatur

terminatur ad objectum secundarium, ac habet ut terminatur ad primarium : ex eo quod ad talem denominationem, tanquam connotatum materiale et secundarium, ac proinde non diversificans ex parte rei conceptæ actum illum, requiritur aliquid aliud : et ideo idem actus divinæ charitatis prout terminatur ad creaturas est factivus modo proportionato suæ lineæ earumdem creaturarum, illisque propriam earum bonitatem active communicat : attamen respectu divinæ bonitatis essentialis prius dilectæ, nec habet, nec habere potest hanc denominationem. Quia ipsa non est causabilis aut factibilis a sua voluntate : et ita ex defectu connotati factibilis non habet illa dilectio charitatis ut terminatur præcise ad Deum, denominationem factivæ, quamvis ut supra ostensum est, actus charitatis Dei ut ad illum, et ut ad creaturas terminatur, non distinguatur ex parte rei conceptæ, sed ex parte solius modi concipiendi.

Ad confirmationem. D. Thom.

Ex quo etiam ad confirmationem satis patet, negandum esse antecedens. Et ad probationem dicimus, omnipotentiam (juxta doctrinam D. Thom. 1 p. q. 14 art. 8 et q. 25 art. 1, quem communiter sequuntur ejus discipuli et quoque nos late hoc ipsum defendentes in tractatu præcedenti disput. 5, n. 43) esse idem cum scientia et voluntate divina, quatenus dicit in recto divinam scientiam, connotando voluntatem : ex eo quod scientia Dei, ratione suæ eminentiæ et infinitatis habet ex se sufficientem efficacitatem connotando prædictam voluntatem, ad exequendum quidquid intelligit esse factibile. Unde sicut objectum formale *quo* et *quod* scientiæ et voluntatis Dei, tantum est divina essentia ut habet rationem primi scibilis et volibilis, ita omnipotentia per se primo respicit eamdem essentiam ut est primum scibile : deinde peculiariter connotat ipsam ut est primum volibile : quia intelligendo et sciendo se, ac amando bonitatem suam tanquam objectum primarium, intelligit, scit, et amat creaturas, et intelligendo sciendo et amando illas, tribuit eisdem proprium *esse* et bonitatem earum. Et ita eadem scientia ratione illius prioris terminationis denominatur præcise scientia; ratione vero posterioris, connotando creaturas ut factibiles tanquam objectum materiale, denominatur omnipotentia : ac proinde nunquam est verum quod objectum formale omnipotentiæ sit factibile ut tale, sed solum objectum materiale.

67. Ratio autem ob quam hunc duplicem actum in divina omnipotentia constituimus est. Tum ea, quæ in objectione tangitur, scilicet attributa divina non posse ullo modo sumere suam speciem a creaturis. Tum etiam, quia sicut implicat dari in Deo intellectum aut voluntatem per modum potentiæ aut actus primi distincti virtualiter ab actu secundo, sed necessario debent esse in eo per modum actus secundi, ut disp. 2 hujus tract. n. 10 et deinceps ostendimus, ita repugnat dari omnipotentiam per modum actus primi distincti virtualiter ab actu secundo : quia quodvis attributum divinum debet esse in illo per modum actus purissimi. Quare necessario debet in actu secundo terminari ad aliquod objectum : quia repugnat dari aliquid per modum actus secundi, et non esse actu terminatum ad aliquod objectum : sicut repugnaret dari aliquid per modum actus primi, et non posse terminari ad aliquod ex suis objectis. Et ita cum divina omnipotentia nequeat terminari necessario ad creaturas, fit inde, ut debeat habere prædictam terminationem respectu Dei, et modo explicato ; ne si divina voluntas decrevisset (ut potuit) nunquam creare aliquam creaturam, maneret ejus omnipotentia absque omni actu : et per consequens non esset per modum actus purissimi. Quæ rationes ad alia etiam attributa, ut misericordiæ, justitiæ etc. proportionabiliter applicandæ sunt.

Ratio animadvertenda

§ VI.

Ultimum fundamentum pro nostra assertione.

68. Notatio ad tertiam rationem pro assertione.

Tertio principaliter probatur assertio supponendo prius ea, quæ supra § 1 hujus dubii dicebamus, in hunc tamen modum magis perpensa, scilicet quod sicut hoc ipso quod aliqua potentia in ratione potentiæ sit omnino completa non indiget aliquo alio ad hoc ut prorumpat in actum secundum, sed satis est quod illum connotet, quia cum potentia omnino completa immediate conjungendus est talis actus absque aliquo alio, ex eo quod si aliquid aliud adderetur medians inter utrumque, non esset antea illa potentia omnimode completa : ita hoc ipso quod aliquis actus sit per modum actus secundi infinitus et omni ex parte completus, ad hoc ut ab illo habeat aliquod objectum suum *esse*, non erit necessarium ut illi aliquid entitativum, sive aliqua realis formalitas (pro eodem enim hæc duo quoad præ-

sens sumimus) ex parte ejusdem actus se tenens, aut rationem actus secundi habens superaddatnr, ad hoc ut illud objectum exeat, aut quasi exeat ab illo; sed satis erit quod modo dicto connotet objectum.

Tum, quia inter actum secundum omnimode completum et inter objectum nihil entitativum ex parte actus mediat : sicuti inter objectum et potentiam omnino completam in ratione potentiæ solus actus secundus mediat. Tum etiam : quia quoad præsens attinet, vel illud quod mediaret, quodque addi poterit, est formalitas realis, quæ secundum suam realitatem possit adesse et abesse? et hoc non propter rationes in hac disp. dub. 2 et 3 factas. Vel est formalitas omnino necessario in Deo existens? et hoc non : cum, ea posita, sit Deus indifferens ad volendum : alioqui necessario vellet creaturas; et ita ad hoc ut actus secundus sit per modum actus secundi infinitus et ex omni parte completus ad hoc ut ab illo aliquod objectum habeat suum *esse*, satis erit ipse actus secundus et infinitus intra suam lineam connotando modo insinuato objectum, absque eo quod ipsi actui aliquid intrinsecum superaddatur.

69. Tertia ratio assertionis.

Hinc ergo sequens deducitur ratio. Nam volitio Dei necessaria est infinita intra propriam lineam volendi, et ex se sufficiens per modum actus secundi ad hoc ut ab illa exeat, vel non exeat effectus futurus : ergo absque aliqua additione ad ordinem essendi pertinente, et ex parte actus se tenente, poterit creatura ab eo habere quod sit futura, vel non futura contrarie, idest, ut in tract. 3 disp. 7 n. 147 diximus, quod taliter sit non futura ut repugnet ei futuritio : ergo hoc ipso quod habeat ab illo *esse* futurum, ac proinde et hæc futuritio etiam in ordine ad nostros conceptus connotetur, jam prædictus actus in illo signo independentiæ exercitæ, absque aliqua additione erit volitio : et similiter si habeat suum *non esse* futurum jam dictum, jam idem actus sortietur rationem nolitionis, seu volitionis quo tale *non esse* velit.

Antecedens et prima consequentia patent, tum ex modo dictis, tum etiam ex iis, quæ supra disput. 2 dub. 2 et disput. 6 dub. unico asseruimus ostendentes divinam voluntatem ut naturam et ut liberam quasi in actu primo non distingui ex parte rei conceptæ, sed eamdem met volitionem, quæ per se primo et necessario terminatur ad Deum, esse quasi in actu primo indifferentem, ad hoc ut terminetur ad creaturas, et voluntatem divinam aut alias virtutes in Deo non esse per modum potentiarum, seu dicere aliquid potentiale, sed per modum actus secundi purissimi et infiniti. Secunda vero consequentia constat ex priori. Quoniam sicut per hoc quod divina volitio necessario connotet indistincte, indifferenter, ac indeterminate *esse*, vel *non esse* futurum creaturarum tanquam quid quod poni potest ex vi ejusdem, ac proinde tanquam quid quod pendet possibiliter ab ea, cum tamen ipsa non pendeat ab illis, jam habet in illo priori independentiæ non quidem exercitæ, sed exercibilis (ut sic dicamus) quod sit libera et indifferens quasi in actu primo : ita ex eo quod connotet in particulari *esse* futurum v. g. hujus objecti potius, quam *non esse*, tanquam quid quod habet tale *esse* ab illa, sortietur in illo priori independentiæ non jam exercibilis præcise, sed exercitæ, rationem liberæ volitionis respectu prædicti objecti.

70. Confirmatio recolenda rem hanc non parum explicans.

Et manebit hoc ipsum satis confirmatum et non parum elucidatum; si reducatur in memoriam id, quod supra in hac disput. numero 43 dicebamus, scilicet quod agens creatum v. g. voluntas nostra dupliciter potest denominari libere volens, vel primo denominatione sumpta in genere causæ formalis, et non qualiscumque, sed desumptæ a volitione libera tanquam a forma, ita ut voluntas comparetur per modum subjecti respectu ipsius : quæ denominatio hic non est extrinseca (sicut contingit in agente per actionem transeuntem), quippe proveniens ab actione immanenti. Vel secundo denominatione in genere causæ efficientis, quatenus ab illa procedit volitio libera : et ita licet in priori modo denominationis sit actio prior in genere causæ formalis, quam denominetur voluntas agens; secus vero in secundo : quia quatenus ab illa procedit actio, est simpliciter prior non solum termino, sed etiam actione. Nam actio eo modo quo est, ab agente est : ac proinde secundum hanc rationem pendet ipsa ab agente, cum tamen agens non pendeat ab illa. Quam quidem independentiam, ut supra dicebamus, quia est in ordine ad actionem exercitam, possumus independentiam exercitam nuncupare, et consequenter ratione ipsius poterit adesse in voluntate denominatio agentis liberi, antecedenter ad actionem liberam, antecedentia et prioritate supra in hoc dub. a num. 51 usque ad 54 explicata.

71. Unde si daremus quod voluntas creata non

non indigeret præmotione, aut præoperatione Dei ad suos actus liberos (de quo nihil modo, ut decreto sanctissimi domini nostri Pauli V omnino pareamus, quodque de facto esse verum contendunt Patres Societatis : quia sentiunt, quod voluntas in ratione potentiæ est ex omni capite completa ad agendum, et immediate conjungitur cum suo actu) tunc eadem voluntas denominaretur libere volens per hoc quod importaret propriam entitatem, et insuper connotaret actionem liberam, v. g. amorem ab ipsa prodeuntem et pendentem in genere causæ efficientis ab ipsa, ac proinde ponendum in posteriori subsequenti, posterioritate tamen loco nuper citato explicata. Et tota ratio a priori ob quam hæc volitio exit et connotatur ab illa, est. Quia ipsa est operativa, et completa in ratione potentiæ ad hoc ut positis omnibus requisitis procedat ab eadem talis actus. Et similiter ratio ob quam iisdem requisitis ad operandum positis procedit amor potius quam odium, nulla est alia, nisi intrinseca indifferentia ejusdem potentiæ volitivæ.

Ita igitur quia volitio divina non solum est infinite completa per modum facultatis volitivæ, ac proinde in omnium sententia non indigentis præmotione aut aliquo mediante inter ipsam et suum actum, sed etiam est infinite completa per modum actus secundi habentis totam perfectionem excogitabilem in genere seu linea volendi, ac proinde indifferentis ad hoc ut det immediate in suo genere objectis creatis, quod sint, vel non sint futura : ideo per hoc quod in particulari connotet v. g. *esse* futurum Petri, ut ab ea procedentis, et consequenter habeat independentiam exercitam ab illo, sortietur denominationem agentis, seu volentis libere. Quia (ut dicebamus) sicuti connotatum immediatum potentiæ indifferentis, atque ex omni parte entitative completæ est actus, ita et connotatum immediatum actus, est ipsum objectum volitum : et ratio ob quam tale connotatum in suo genere ab ea exit, erit, quia ipsa in ratione actus volendi et habentis efficacitatem ad dandum *esse* rebus creatis est omnino et infinite completa : et radix ob quam hoc potius quam illud objectum habet *esse* per illam, erit intrinseca et completa indifferentia et libertas, quæ eidem actui inest.

Advertendum tamen pro iis, quæ in toto hoc dubio diximus, quod etsi actus liber divinæ voluntatis dum est volitio sui objecti, v. g. *esse* D. Petri, tribuat eidem D. Petro, tum quod ab æterno et in quovis instanti temporis imaginarii sit futurus, tum quod pro sua duratione sit pro tempore futuro existens, ac proinde quod suum *esse* sit ab æterno præsens divinæ voluntati in *nunc* æternitatis, licet non in quolibet *nunc* temporis adhuc imaginarii ; nihilominus quia prius est, quod divina volitio tribuat eidem D. Petro quod sit futurus, quam quod pro tempore futuro sit præsens in *nunc* æternitatis, propterea prædicta volitio prius connotat D. Petrum ut objectum volitum habens *esse* futurum ab eadem volitione, quam illum ut pro tempore futuro est præsens in *nunc* æternitatis, et hoc ipso quod connotet illud prius, connotet etiam hoc posterius, idcirco connotatum illius explicuimus per *esse* futurum ejusdem D. Petri ut causatum et pendens ab eadem volitione, licet talis volitio ut habet rationem volitionis, seu amoris, utrumque connotet, et utrumque causet.

DUBIUM VIII.

Possitne alio sufficienti modo natura actus liberi Dei probabiliter, et juxta mentem D. Thomæ explicari?

Quamvis actus liberi Dei naturam pro viribus dubio præced. explicuerimus et modum dicendi doctrinæ D. Thomæ magis consonum elegerimus, placuit rem hanc (quia adeo difficilis) alia via, à D. Thomæ doctrina non dissona explicare, ut ita melius, quoad fieri possit, præsens difficultas maneat devicta. 72.

§ I.

Præmittuntur quædam notationes.

Pro decisione hujus dubii recolendum est in memoriam id, quod supra disp. 4 a n. 17 usque ad 21 tetigimus et in tract. de Trinitate uberius explicabimus, scilicet divina attributa ita inter se comparari, ut non solum identificentur realiter in una et eadem formalitate, sed etiam quodvis eorum includat per modum transcendentis perfectionem reliquorum, et omnem modum positivum in eisdem inventum. Quia sicuti quodlibet includit entitatem a se, ita et infinitatem in genere entis ; quam tamen non haberet formaliter, si non includeret omnem modum, omnemque perfectionem et realitatem positivam, quæ in cæteris at- Animadversio prima.

tributis reperiuntur, cum hæc ad infinitatem hanc spectent. Quomodo autem cum his cohæreat distinctio virtualis attributorum ad invicem, ibidem explicatum manet.

Corollarium. Ex quo fit, tum quod singulæ attributales rationes (quod idem cum proportione de divina essentia dicimus) distinguendæ sint in duos conceptus aliquo modo distinctos, nimirum in se ipsas prout habent rationem transcendentis, et in easdemmet prout constituunt attributa, sortiunturque denominationem talium. Tum etiam, quod tam ratio transcendens, quam ratio attributalis ut talis, non dicat præcise quid positivum, sed insuper connotet quamdam privationem, seu carentiam, ut jam explicamus.

73. Ratio illius. Et ratio utriusque est fere eadem. Nam rationes attributales prout sunt transcendentes, dicunt rationem ulterius quasi modificabilem et contrahibilem : at ut attributa et proprietates, exprimunt rationem omnino ultimam et atomam, ac proinde modificantem reliquas ibidem inventas : ergo necesse est ut hi duo conceptus aliquo modo distinguantur : cumque hæc ultimitas non possit addere supra easdem rationes attributales, ut sunt transcendentes, aliquid positivum, quia nihil est positivum in quavis formalitate divina, quod non transcendat reliquas, cum tamen rationes hæ ut ultimæ, sint omnino intranscendibiles, quia ex opposito fieret ut essent et non essent ultimæ; consequens inde necessario est, ut hæc ultimitas solum addat quid negativum, sive aliquam carentiam.

Aliud corollarium. Et similiter hinc etiam fit, quod in prædictis formalitatibus hoc quod est esse transcendentes, debeat etiam aliquid negativum, seu aliquam carentiam addere : cum tota ratio positiva transcendentis divini debeat in rationibus ultimis et specialissimis suorum quasi inferiorum imbibi. At ut sunt quasi inferiora reduplicative loquendo, quamvis imbibant prædictam rationem, quæ alias est transcendens, non accipiunt a suo transcendenti ut tali, quod ipsa etiam, ut quasi inferiora reduplicative, sint transcendentia : ex eo quod ut sunt quasi inferiora, formalissime et reduplicative loquendo, non habent prædictam carentiam.

71. Occurritur cuidam interrogationi. Et si inquisieris, in quonam consistat hæc carentia? Respondebimus, in hoc differre rationem differentialem et specialissimam creaturæ a rationibus quasi differentialibus cujusvis attributi divini, quod illa cum non sit, nec possit esse quid transcendens, ideo quatenus ultima trahit secum, saltim consequenter, carentiam omnimodæ contrahibilitatis et contractionis passivæ in quavis serie et ordine, ac secundum quamvis considerationem essentialem : ita ut post ipsam nulla alia ratio essentialis subsequatur, quæ illam in aliquo ordine contrahat.

Diximus, *saltim consequenter*, quia ob eamdem rationem intranscendibilitatis, ortam ex finitate et limitatione ipsius, quæ non patitur ut sit simul ratio transcendens et constituens speciem atomam, habet ante hanc carentiam, esse adæquate, positive tamen ultimam, ut in rationalitate patet, quæ ut rationalitas est, ante quamvis carentiam habet esse essentialiter ultimam, et inferre carentiam ulterioris contractionis specificæ seu essentialis, de qua modo.

At cum ratio quasi differentialis attributi 75.
cujuslibet, v. g. voluntatis divinæ, sit ulterius quasi contrahibilis in aliis attributis, quandoquidem (ut dicebamus) debet transcendi in cunctis aliis, ut ita singula habeant infinitatem in genere entis, ideo non potest dicere omnimodam carentiam contractionis in quovis ordine, serie, et linea attributali, sed tantum in aliqua ex pluribus illis, quæ in Deo reperiuntur, scilicet in ordine, serie, seu linea voluntatis. Quoniam in hac, quia linea divina est, habent cæteræ omnes rationes infimæ attributales secundum id positivum, quod afferunt, includi et imbibi per modum transcendentis : et modus ille proprius voluntatis, qui explicatur per facultatem seu vim ad volendum, habet rationem ultimæ rationis positivæ afferentis carentiam ulterioris modi post ipsum, qui illum intra eamdem latitudinem seu lineam determinet : et ratione connotationis hujus carentiæ constituitur omnino complete in ratione attributi voluntatis, ita ut sine illa sicuti non habet esse omnino terminatam, ita nec rationem attributi sub conceptu attributi.

Quare juxta hunc dicendi modum, attributum voluntatis Dei nihil erit aliud, quam modus ille, seu ratio quasi differentialis propria voluntatis, ut imbibit per modum transcendentis omnes rationes formales absolutas et divinas secundum omnes rationes etiam differentiales, positivas tamen, quas afferunt : ita ut modus ille seu ratio quasi differentialis propria voluntatis sit omnino ultima in hac latitudine, seu linea, et post ipsam nulla alia sequatur in eadem latitudine, et ita sit omnino tam positive, quam negative

Duo corollaria.

negative terminata. Quod idem cum proportione de aliis attributis dicendum est, quodque n. 85 et 86 magis explicabitur.

6. Ex quo etiam fit, ut carentia illa, quam dicit eadem voluntas ut transcendens, consistat in carentia ultimitatis et terminationis in quovis ordine et linea divina. Quia secundum hanc rationem in omnibus aliis latitudinibus seu lineis habet quasi contrahi per modos proprios illarum latitudinum, v. g. in linea justitiæ, per modum proprium justitiæ, et in linea intellectus, per modum proprium ejusdem intellectus, quamvis cum hoc (ut modo dicebamus) recte cohæreat, quod eadem voluntas, non ut transcendens sed ut constituit rationem attributalem propriam suæ lineæ, habeat esse ultimam in tali serie seu ordine, scilicet voluntatis ut est attributum.

mad- rsio unda ex ece- ıtibus ucta . Secundo notandum est quod ex his omnibus in unum collectis (ut sic cuncta quæ diximus ad præsens institutum, et hujus dubii difficultatem enodandam deserviant) colligitur quod cum actus liber divinus importet formalitatem quamdam vitalem Deo intrinsecam, seu in ipso existentem, quia ex genere suo habet esse actum immanentem et vitalem, ideo sicuti cætera attributa, v. g. volitio necessaria Dei, potest considerari, tum per modum transcendentis, secundum quam considerationem non tribuit Deo denominationem volentis necessario se ipsum, tum etiam per modum attributi, secundum quam rationem dat prædictam denominationem, ita etiam formalitas actus liberi in Deo existens potest aliquo modo bipartiri in se ipsam ut transcendentem : et sic non tribuit denominationem libere volentis; et in eamdemmet ut habet rationem (ut sic loquamur) quasi attributi, idest, ut imbibit reliquas alias formalitates divinas, importatque carentiam ulterioris contractionis in suo ordine et latitudine peculiari, ac proinde in eadem est omnino terminata : et secundum hanc rationem præstat Deo denominationem libere volendi, habetque rationem actus liberi sub conceptu talis.

77. Cæterum licet in hoc conveniat cum reliquis aliis rationibus divinis, differt tamen (id quod maxime ad præsentem difficultatem enodandam facit) quod v. g. volitio necessaria tam ut transcendens, quam ut attributum, inest necessario in Deo : at formalitas volitionis liberæ licet per modum transcendentis, non possit non esse in illo, attamen ut habet rationem (si sic licet loqui) quasi attributi, et modo explicato, tribuitque denominationem libere volendi, potest abesse ab ipso, ac proinde fuit in potestate divinæ voluntatis, ut volitio v. g. eligendi D. Petrum ad æternam salutem, exierit vel non exierit ab ea : quia licet non fuerit in potestate ipsius, quod illa formalitas secundum positivum quod importat, sit in Deo libere, quandoquidem secundum hanc rationem, sicuti est Deus, ita habet necessitatem essendi; attamen fuit in potestate divinæ voluntatis, quod eadem formalitas haberet vel non haberet carentiam ulterioris contractionis, essetque vel non esset ultima in sua quasi latitudine, consistente in electione illa sub conceptu talis : ac proinde quod maneret vel non maneret in Deo præcise sub ratione transcendentis : quandoquidem (ut dicebamus) ad hoc ut maneat etiam sub conceptu dantis prædictam denominationem eligendi D. Petrum, oportet ut habeat rationem ultimæ omnino in illo suo quasi ordine talis actus liberi, et consequenter afferat prædictam carentiam.

§ II.

Difficultatis nodus dissolvitur.

78. Assertio Iis ergo suppositis, dicendum est probabile esse, quod actus liber v. g. electionis D. Petri, consistit in formalitate quadam reali vitali, quæ non solum sit Deo intrinseca, ut in primo et ultimo notabili dicebamus, sed etiam virtualiter ab actu necessario divinæ volitionis et a reliquis attributis distincta, quæque et imbibat cunctas rationes divinas absolutas, et dicat clare seu expresse modum illum seu rationem quasi differentialem exprimentem prædictam electionem, et connotet carentiam ulterioris contractionis in illa sua quasi serie et latitudine peculiari, ac proinde importet terminationem, quæ libere potuerit adesse vel abesse ex defectu vel absentia prædictæ carentiæ.

Duæ assertionis partes recensentur. Assertio hæc ut probabilis in doctrina D. Thom. admittitur ab ejus discipulis, habetque duplicem partem probandam. Prima quod formalitas actus liberi sit virtualiter distincta a formalitate actus necessarii (quod enim eadem formalitas sit vitalis et Deo intrinseca jam dictum est); secunda vero est, quod debeat habere cæteras alias conditiones ibidem enumeratas. Et prima quidem videtur probabiliter ostendi, ex eo

Probatio prioris partis. quod actus liber et necessarius comparantur per modum actus primarii et secundarii prodeuntium ab eadem facultate seu voluntate divina : sicuti etiam objecta circa quæ immediate versantur, habent suo modo similem objecti primarii et secundarii ordinem : at actus primarius et secundarius virtualiter saltim distinguuntur.

79. Confirmatio. Et confirmari potest, tum ex his, quæ in hoc tract. disp. 2 a num. 5 usque ad num. 9 in favorem primæ sententiæ diximus. Tum etiam ex eo, quod actus necessarius dilectionis Dei, et actus liber amoris proximi procedentes a gratia consummata, sunt participationes quædam volitionis necessariæ et liberæ repertæ in Deo : sicuti et gratia ipsa a qua procedunt, est divinæ naturæ participatio : ergo quemadmodum actus hi, juxta probabilem dicendi modum, sunt semper realiter distincti tanquam actus primarius et secundarius, ita et in Deo erunt virtualiter distincti, habebuntque prædictum ordinem virtualiter : quandoquidem eo ipso entitas illa divinæ voluntatis, non obstante quod sit actu, et realiter unica, præstabit id, quod in creatis præstant plures realiter actus, non minus ac si ipsa esset realiter plures.

Suadetur secunda assertionis pars. Secunda vero pars quoad omnia, quæ continet, ex dictis fere patet. Quia actus liber v. g. amoris D. Petri importat tria hæc, scilicet rationem quamdam existentem in Deo, et deinde quod prædicta ratio sit omnino ultima et atoma, et tandem quod idem actus sit simpliciter separabilis a Deo : ergo sicuti virtus misericordiæ divinæ, v. g. quia habet primam illam rationem, scilicet quod sit in Deo, importat cunctas alias rationes absolutas per modum transcendentis imbibitas ; et ipsa etiam in eisdem per modum transcendentis imbibitur, et repetitur toties quoties attributa multiplicantur simul cum omnibus formalitatibus entitative necessariis ; ita quia actus ille liber Dei est existens in ipso, et consequenter est Deus, debet imbibere cunctas divinas rationes imbibibiles, et rursus imbibi in eisdem, saltim secundum suam formalitatem entitative necessariam ; imo et toties repeti in illis, quoties et ipsæ multiplicantur.

80. Et deinde sicut eadem virtus misericordiæ, quia per modum attributi vel rationis ultimæ consideratur, ideo habet quod sit veluti ultimum in Deo, id est, ut afferens carentiam ulterioris contractionis in sua latitudine seu linea, ita quia idem actus liber amoris sub conceptu talis dicit rationem omnino ultimam et atomam, necesse est ut non solum sit per modum transcendentis inclusus in aliis secundum suam formalitatem positivam, sed etiam quod debeat veluti iterum repeti, et in illa sua repetitione afferre carentiam ulterioris contractionis in propria et speciali latitudine seu linea.

Et tandem sicut quia virtus misericordiæ necessario est in Deo secundum utramque rationem, ideo indispensabiliter et necessario affert hæc omnia, ita quia prædictus actus sub conceptu quasi attributi et ut dantis prædictam denominationem libere amantis, est liber, ideo potest separari a Deo, et quoniam secundum rationem positivam, secundum quam est Deus, nequit abesse, quia secundum hanc est ens per essentiam, fit inde, ut secundum prædictam carentiam, quæ est connotatum indispensabile ad dandam hanc denominationem, quæque nunquam fuit aut potuit esse Deus, aut imbibere quidquam positivum divinum, valeat abesse et separari a Deo, ut sic potissima difficultas, quæ in hac materia magis videbatur urgere, fere penitus evanescat.

Unde quemadmodum hoc ipso, quod detur modus ille misericordiæ proprius in actu 1 connotans illam suam carentiam, statim datur terminatio in actu primo ad suum objectum, quia nihil aliud quam prædictus modus cum sua carentia imbibens tamen cuncta divina et absoluta, per modum transcendentis considerata, ad illam desideratur, ita hoc ipso, quod detur modus ille proprius actus amoris Dei erga D. Petrum, connotando illam suam carentiam et ultimitatem, statim datur terminatio in actu secundo ad tale objectum.

DUBIUM IX.

Quæ obstent contra hunc dicendi modum et quomodo solvenda.

81. Objecti primi. In primis contra illum urget ratio illa, quam supra contra primam sententiam dub. 1 hujus disp. num. 28 adducebamus, quæ potest, quoad præsens, sic applicari. Non solum est aliquid reale et Deus formalitas illa actus liberi v. g. amoris D. Petri per modum transcendentis considerata, sed etiam quatenus in se imbibit cuncta divina, habetque esse ultimam positive in sua latitudine, id quod ex terminis ipsis constat, quia hoc ipso quod imbibat cuncta divina, habet

habet *esse* divinum : at si semel potest prædictus actus ut dat denominationem libere volentis, ac proinde ut ultimus et terminatus negative, abesse a Deo, necesse est ut possit deesse ut ultimus positive, seu quatenus imbibit, et quasi contrahit cunctas rationes divinas : ergo etc.

Minor probatur. Quia hoc ipso quod maneat in Deo ut imbibens et contrahens omnes illas rationes divinas, non potest non subsequi carentia ulterioris determinationis in sua propria latitudine, ut ex terminis ipsis videtur constare : si namque omnes in illa sua unica et speciali latitudine contrahit, nulla ratio divina in ea latitudine prædictæ formalitatis, scilicet amoris D. Petri subsequetur post ipsam : ergo eo ipso quod illa formalitas possit abesse ut ultima negative, et ut dat prædictam denominationem, necesse erit, ut possit etiam deesse quatenus ultima positive et imbibens cæteras rationes divinas.

82 Confirmatur. Nam si semel non potest deesse forma itas prædicti actus ut ultima positive et ut habet rationem transcendentis, sequitur quod non possit deesse ut ultima etiam negative, quia hæc ultimitas negativa, tantum addit carentiam ulterioris contractionis in suo ordine : at dum transcenditur in aliis formalitatibus ut ultima positive, tantum contrahitur per modos aliarum latitudinum, ac proinde semper retinet carentiam ulterioris contractionis in illo suo ordine et latitudine : ergo, etc.

Respondetur, negando minorem. Quia formalitas prædicti actus etiam dum est transcendens, habet tum quod imbibat cuncta divina absoluta : alioqui ratio illa transcendentis non esset divina. Tum etiam, quod sit positive ultima, seu afferat modum illum positivum, qui idoneus est ad constituendam illam quasi latitudinem amoris D. Petri. Quia modus iste in omnibus aliis formalitatibus ad salvandam infinitatem earum in genere entis debet transcendi, et ideo manente formalitate prædicti actus amoris in ratione transcendentis, manet conjunctum illud, quod ex modo proprio hujus formalitatis, ex aliisque rationibus divinis pullulat.

83. Explicatur hoc. Etenim sicut quævis pars quantitatis continuæ, quia semper habet rationem quantitatis, sive considerata ut inclusa in alia, sive intellecta per modum totius importantis carentiam unionis cum altera comparte, quæ post ipsam sequatur; ideo semper retinet infinitas partes; ita quia quævis ratio divina, sive consideretur per modum transcendentis, sive per modum (ut sic dicamus) cujusdam totius importantis carentiam alicujus alterius rationis divinæ post ipsam subsecutæ semper habet suam quantitatem virtualem, et non qualemcunque, sed divinam; ideo semper includit infinitatem divinam, quæ est infinitas in genere entis : ac proinde semper imbibit cunctas alias rationes divinas, et affert suum modum ultimum positive. Unde sicut persistendo in exemplo proposito, satis est quod maneat talis pars quantitatis, quamvis non maneat per modum cujusdam totius, et cum ea carentia unionis cum alia comparte post ipsam subsecuta, ad hoc ut retineat illam suam infinitatem, quoniam non habet eam, quia separata est ab aliis, ita sat est ut maneat in Deo formalitas illius actus liberi, ut habet esse ultimam positive, ad hoc ut maneat tota illa infinitas, quamvis non maneat ut habet rationem cujusdam quasi totius, ac proinde, ut ultima negative, quia non convenit ei prædicta infinitas per essentiam ratione ultimitatis negativæ, nec cum ea habet nexum.

84. Ad probationem minoris ejusdem objectionis. Quapropter ad probationem minoris negandum est antecedens, et ad probationem illius patet ex dictis. Nam etsi formalitas illa amoris erga D. Petrum dum est transcendens, quasi contrahat cunctas alias rationes divinas, non tamen ut ibi sistat, sed ut cum omnibus illis rursus in eisdem quatenus omnino ultimæ, imo et quatenus ipsæ etiam imbibuntur in aliis transcendatur (hoc enim potest esse proprium, et speciale iis transcendentibus, quæ simul imbibuntur et imbibunt modos illos, in quibus expresse conceptis transcenduntur) at ut subsequeretur carentia ulterioris contractionis quatenus sat est ad constituendum actum liberum, desiderabatur ut prædicta formalitas contraheret cuncta divina, non ad hoc, ut imbiberetur in aliis latitudinibus, sed ut propriam constitueret, et consequenter, quod includeret illa per modum cujusdam quasi afferentis carentiam unionis cum altera quasi comparte aut formalitate, quæ post ipsam subsequatur. Quia conceptus actus liberi (quod idem de conceptu cujusvis attributi sub conceptu talis dicimus) est conceptus cujusdam quasi totius divini : sicut et conceptus transcendentis est conceptus cujusdam quasi partis inclusæ in alio.

Ex quo ad confirmationem respondetur

Ad confirmationem. negando sequelam. Et ad probationem distinguendum est antecedens : *Tantum addit carentiam ulterioris contractionis in suo ordine,* utcunque ultimam, negari debet : carentiam ulterioris contractionis in suo ordine, per quam absolute et simpliciter ultimo terminetur, concedi poterit. Et deinde concessa minori statim subsumpta, distinguendum est eodem modo consequens primæ consequentiæ : et tandem secunda consequentia neganda est.

85. Elucidatur. Explicatur hoc. Etenim licet formalitas illa amoris erga D. Petrum ut per modum transcendentis includitur in quibusvis aliis formalitatibus divinis, debeat ibidem afferre carentiam ulterioris contractionis in suo ordine utcunque ultimam, quatenus per hoc præcise denotatur contractio ejusdem formalitatis ut transcendentis per solos modos aliarum latitudinum seu linearum, non vero per modum proprium sui ordinis seu lineæ; attamen ibidem non affert carentiam ulterioris contractionis in suo ordine, per quam absolute et simpliciter ultimo terminetur. Nam ad hoc desiderabatur ut in aliqua una serie, linea, ordine, aut congerie (ut sic dicamus) divinarum formalitatum, secundum quam formalitates divinæ adunantur per modum transcendentis ad se invicem constituendas, haberet prædicta formalitas amoris talem carentiam ulterioris contractionis, ut in illa serie aut congerie non ulterius esset contrahibilis in suo ordine aut in quovis alio, quamvis in alia serie posset contrahi per modum proprium illius seriei, ut patet in voluntate divina. Nam in congerie illa, qua omnes formalitates divinæ absolutæ concurrunt per modum transcendentis ad illam constituendam, non habet ulteriorem contractionem, per modos proprios sui, vel alterius ordinis aut seriei, quamvis in alia congerie, v. g. in illa, in qua prædictæ formalitates confluunt ad constituendum intellectum, modificetur et contrahatur per modum proprium, seu rationem quasi differentialem intellectus, et propterea prædicta voluntas habet in priori illa serie carentiam ulterioris contractionis, per quam absolute et simpliciter loquendo ultimo terminetur.

86. Quare cum formalitas amoris Dei erga D. Petrum sub conceptu transcendentis præcise considerata non habeat, quod in aliqua serie aut linea divina dicat carentiam ulterioris contractionis, tam per modum proprium sui ordinis et seriei, quam per modos aliarum serierum, quin potius sub hoc conceptu semper petat ut modus proprius sui contrahatur per modos aliarum serierum, in quibus transcenditur, inde est, ut sub hoc conceptu non afferat carentiam ulterioris contractionis, per quam absolute et simpliciter ultimo terminetur, quamvis importet carentiam ulterioris contractionis in suo ordine utcunque ultimam, quatenus non contrahitur per modum proprium sui ordinis, sed prædictus modus sub conceptu transcendentis consideratus per solos modos aliarum latitudinum, seu serierum determinatur.

Amplio explicatio. Potestque hoc amplius aliis verbis (in idem cum præcedentibus tamen coïncidentibus) declarari, si dicas, quod ad hoc ut formalitas illa amoris divini erga D. Petrum non solum habet carentiam ulterioris contractionis utcunque ultimam in sensu explicato, sed etiam omnino ultimam in aliqua serie, desideratur, quod præterquam quod modus ille seu ratio differentialis propria hujus actus toties quasi repetatur in Deo, quoties opus est ut transcendatur in omnibus formalitatibus divinis, et in omnibus his repetitionibus nunquam contrahatur nisi per modos aliarum latitudinum; nihilominus adhuc iterum semel exeat a divina voluntate tam secundum *esse* positivum, quam secundum suam illam carentiam et ultimitatem. Ita quidem ut talis carentia sit ultimum, quod ibidem invenitur, quatenus post adventum illius nulla alia formalitas subsequitur, ut ita prædicta formalitas amoris habeat rationem cujusdam quasi totius, et carentia ipsa sit carentia omnino atoma : ac proinde connotatum proportionatum formalitatis constituentis unam quasi speciem atomam : et tandem ut ita formalitas illa amoris possit quasi formalizare cunctas alias formalitates et trahere illas ad proprium *esse* actus amoris. Quia rationes transcendentes solummodo contrahuntur ad constituendam specialem aliquam naturam, speciem, aut attributum, a ratione illa, quæ in illo exitu a sua causa vel ratione a priori habet, quod sit ratio essentialis omnino ultima.

87. Replica. Sed urgebis, ergo jam poterit deesse aliqua repetitio formalitatis actus amoris, quatenus nimirum adhuc iterum semel exit tam secundum *esse* positivum, quam secundum suam carentiam omnino ultimam : at hoc satis est, ut verificetur quod aliquid, quod modo est Deus, potuerit non esse Deus : ergo adhuc non salvatur il, quod maxime

maxime salvari intenditur. Minor videtur certa. Quia ista repetitio est realis, positiva, et in Deo existens ; ergo est Deus : ergo si potuit deesse, fiet inde, ut aliquid, quod modo est Deus, potuerit non esse Deus. Sequela vero etiam videtur evidens. Quia semel data hac ultima repetitione, et emanatione ejus formalitatis amoris, quatenus habet rationem ultimæ omnino tam positive quam negative, jam censetur Deus libere volens : ac proinde si potest deesse hæc denominatio libere volentis, poterit et abesse prædicta repetitio.

88. Respondetur, quod si loco hujus actus amoris erga D. Petrum Deus habuisset actum oppositum circa illum (non enim, ut supra visum est, potuit divina voluntas manere suspensa) licet tunc non prodiisset formalitas illa deserviens ad actum amoris, ut modificata per illam suam ultimitatem et negativam terminationem, non ob id deesset aliqua veluti repetitio prædictæ formalitatis. Quia loco ejus prodiisset formalitas actus oppositi, quatenus est ultima positive et negative, et in eadem formalitate, ut sic iterum repetita, et quasi vincente formalitatem amoris in hoc quod pullulat a divina voluntate, ut habens suam omnimodam ultimitatem, exibit iterum eadem formalitas amoris in actu odii repetita per modum transcendentis ipsum : et sicuti aliæ formalitates divinæ transcendentaliter inclusæ in actu odii trahuntur ibidem ad *esse* odii, quia formalitas odii esset omnino ultima in illa emanatione et quasi congerie rationum divinarum, ita etiam formalitas actus amoris maneret ibidem per modum transcendentis, et contracta ad *esse* odii.

Unde ille ultimus exitus formalitatis amoris erga D. Petrum est indifferens secundum omne positivum, quod affert, ad hoc ut ipsa iterum semel exiens exeat modificata, vel per suam carentiam omnino ultimam, quæ est connotatum ejusdem ut dantis denominationem libere volendi, vel secundum carentiam propriam ipsius ut habet rationem transcendentis : quia in his transcendentibus divinis eadem ipsissima formalitas positiva, quæ modificatur per unam ex his carentiis, modificatur per aliam, ob rationem dub. præcedenti allatam.

89 Cur autem (ut sic alia objectio, quæ hîc fieri poterat, solvatur) prædicta formalitas amoris cum potuerit exire in illo suo ultimo exitu et repetitione, ut modificata per suam carentiam omnino ultimam, nihilominus exiit ut modificata præcise per carentiam transcendentis propriam et imbibitam in actu odii, nulla potest congruentior ratio assignari, quam intrinseca indifferentia divinæ libertatis. Nam hæc, quippe indifferentia primi liberi, est satis ad hoc ut ab illa exeat actus, odii, v. g. potius, quam amoris, ac proinde ad hoc quod in actu odii transcendatur formalitas amoris : quia si semel exiit odium sub conceptu odii erga Judam, et non imbibens cuncta divina, non erit actus dignus Deo, quippe non haberet infinitatem in ratione entis.

Ultimo objicies, quod ex hoc modo dicendi sequatur posse in Deo dari aliquam mutationem. Probatur. Quia potuit simpliciter ab illo abesse aliqua carentia realis, quæ modo est in ipso, scilicet illa carentia omnino ultima ulterioris contractionis allata ab actu amoris erga D. Petrum. Alia objectio.

Respondetur, quod adventus carentiæ solius non est idoneus ad mutationem, nisi simul absit a subjecto aliquid positivum, vel tale positivum denuo addatur. Quare cum probatum sit, quod per hoc quod desit, vel adsit in Deo actus liber, non ideo deest, nec deesse potest aliquid positivum, ideo neque ob id erit in Deo possibilis aliqua mutatio. Enodatio

DUBIUM X.

Quomodo juxta hos duos dicendi modos solvantur omnia quæ pro aliis sententiis supra adduximus.

Ad fundamentum ergo Cajetan. dub. 1 hujus disp. n. 3 et deinceps adductum, respondetur, quod ut aliqua forma det aliquam denominationem intrinsecam realem, quam antea non dabat, sat est, quod addatur illi a parte rei aliquod connotatum, et si hoc potuerit abesse et adesse, nihil mirum quod denominatio illa præstanda a forma, possit etiam adesse et abesse, ut hic contingit. Per quod ad utramque confirmationem satis patet. 90. Ad fundamentum Cajetani.

Unde legitima est solutio ibidem data, quatenus ait, quod actus liber est necessarius et vitalis quoad entitatem, non vero quoad terminationem, si tamen terminatio non sumatur adæquate. Quia, ut diximus, affert in recto formalitatem positivam vitalem et entitative necessariam actus liberi, connotando carentiam illam omnino ultimam jam explicatam, vel objectum volitum.

Ad primam et secundam impugnationem solutionis ibi datam.

Et contra hoc nihil obest prima impugnatio ibidem adducta, ut intuenti patebit. Imo neque secunda. Quoniam terminatio adæquate sumpta est idem omnino quod ipse actus liber; et ita dicit in recto vel eamdem formalitatem actus necessarii connotando objectum, et ea quæ ad illud desiderantur, tanquam aliquid ex parte ejusdem objecti se tenens, vel aliam formalitatem necessariam quoad *esse*, quam juxta hunc ultimum modum dicendi explicuimus, connotando tamen carentiam jam dictam; ac proinde nunquam erit quid fictum, semperque habebit intrinsece seu quasi inhærenter denominare vitaliter Deum volentem, ut in duobus præcedentibus dubiis ostendimus.

91. Ad confirm.

Ad confirmationem contra solutionem ibidem datam, negandum est antecedens, si intelligatur de terminatione adæquate sumpta. Nam terminatio ipsa, sic considerata dicit actum liberum, ac proinde aliquid importat in recto scilicet formalitatem illam, quæ semper et necessario est in Deo, et aliquid in obliquo, nimirum connotata jam dicta. Et ad probationem, quod ut actus liber posset adesse et abesse non quoad entitatem, sed quoad terminationem, potius requiritur, quod terminatio afferat aliquid in obliquo, ex cujus defectu vel præsentia possit prædicta terminatio adesse vel abesse, quia quidquid in recto importatur ab actu libero, est Deus, et consequenter omnino necessarium. Unde licet actus liber involutus imperfectionibus dicat pro constitutivo intrinseco, et in recto id, quod potest adesse et abesse, quia hoc quod est formalitatem aliquam positivam posse deesse est imperfectio : attamen actus ille liber, qui fuerit purus ab omni imperfectione, non potest hoc habere.

92. Ad argumenta pro sententia P. Salas.

Ad primum pro sententia Patris Salas supra dub. 2 hujus disp. num. 17 adductum, patet ex dictis. Imo et ad secundum, et cuncta, quæ pro se a numer. 18 usque ad 21 affert. Nam sicut *esse* volitionis, est esse aliquid reale positivum cum sua carentia vel connotatione objecti, ita ad *non esse* sufficit, quod quodvis horum desit. Unde etsi in universum in his denominationibus intrinsecis et positivis, quæ nullum afferunt connotatum, debeat deesse aliquid positivum intrinsecum, ad hoc ut desit denominatio; non tamen in iis, quæ aliquam carentiam, aut quidpiam aliud ut indispensabile connotatum requirunt. Quapropter quia denominatio appetitus desiderii in materia dicit entitatem suam connotando carentiam formæ, ideo sat est deesse hanc carentiam, ut desit denominatio realis prædicti appetitus.

Ad rationes n. 25 pro contraria parte formatas.

Ad fundamenta in hac eadem disp. dub. 3 n. 25 pro contraria sententia adducta unico verbo dicitur, essentiam divinam debere transcendi in actu libero juxta modum tamen illius : cæterum modus proprius illius non est, quod possit deesse quoad entitatem, seu formalitatem realem : quia hic modus essendi est incapax imbibendi divinitatem, ut eodem dubio probavimus.

Ad confirmationem.

Ad confirmationem patet ex dictis in secunda nostra ratione principali ejusdem dubii num. 28 adducta.

Ad argumenti dub. 6. n. 38.

Ad fundamenta allata pro contrariis sententiis in præsenti disp. 4 n. 31 et dub. 5 n. 33, non est opus respondere ut intuenti patebit. Ad illa vero, quæ dub. 6 n. 38 ejusdem disp. adducuntur, dicimus adhuc superesse aliud connotatum magis intrinsecum, et ex parte Dei magis se tenens, scilicet prædictam carentiam et ultimitatem, ut juxta ultimum dicendi modum explicuimus. Addendum tamen est juxta primum, implicare quod Deus agat per actionem formaliter transeuntem, ut ibidem ostendimus : et ita connotatum actuum liberorum ipsius non posse esse prædictam actionem, sed objectum volitum : et licet etiam objectum connotetur ab actu libero, juxta ultimum dicendi modum; attamen differt in aliis jam insinuatis, ab illo priori dicendi modo.

ARTICULUS IV.

Utrum voluntas Dei sit causa rerum?

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod voluntas Dei non sit causa rerum. Dicit enim Dionys. c. 4 de div. nom. * : Sicut noster Sol non ratiocinans, aut præeligens, sed per ipsum esse illuminat omnia participare lumen ipsius valentia, ita et bonum divinum per ipsam essentiam omnibus existentibus immittit bonitatis divinæ radios : sed omne quod agit per voluntatem, agit ut ratiocinans, et præeligens : ergo Deus non agit per voluntatem : ergo voluntas Dei non est causa rerum.

1 d. 45, art. 3. Et 3 cont. c. 97, et lib. 4, c. 10, princ. et pot. q. 3, ar. 15. Et Ps. 50, con. 2. Et Jo. 5, l. 3. * c. 4. circa princip.

2 Præterea, id quod est per essentiam, est primum in quolibet ordine, sicut in ordine ignitorum est primum, quod est ignis per essentiam : sed Deus est primum agens : ergo est agens per essentiam suam, quæ est natura ejus. Agit igitur per naturam, et non per voluntatem. Voluntas igitur divina non est causa rerum.

3 Præterea, quidquid est causa alicujus per hoc quod est tale, est causa per naturam, et non per voluntatem. Ignis enim causa est calefactionis, quia est calidus, sed artifex est causa domus, quia vult eam facere. Sed August. dicit in 1 de doctrin. Christian. † quod quia Deus bonus est, sumus : ergo Deus per suam naturam est causa rerum, et non per voluntatem.

† Lib. 1 de doct. Christ. c. 32, tom. 3. * q. 14, art. 8.

4 Præterea, unius rei una est causa : sed rerum creatarum est causa scientia Dei ut supra dictum est * : ergo voluntas Dei non debet poni causa rerum.

Sed contra est, quod dicitur Sapientiæ 11 : Quomodo posset aliquid permanere nisi tu voluisses?

Respondeo

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere voluntatem Dei esse causam rerum, et Deum agere per voluntatem, non per necessitatem naturæ, ut quidam existimarunt. Quod quidem apparere potest tripliciter. Primo quidem ex ipso ordine causarum agentium. Cum enim propter finem agat intellectus et natura, ut probatur in 2 Physic. * Necesse est ut agenti per naturam prædeterminetur finis, et media necessaria ad finem ab aliquo superiori intellectu : sicut sagittæ prædeterminatur finis, et certus modus a sagittante. Unde necesse est, quod agens per intellectum et voluntatem sit prius agente per naturam. Unde cum primum in ordine agentium sit Deus, necesse est quod per intellectum et voluntatem agat. Secundo ex ratione naturalis agentis, ad quod pertinet ut unum effectum producat : quia natura uno et eodem modo operatur nisi impediatur. Et hoc ideo, quia secundum quod est tale, agit. Unde quandiu est tale, non facit nisi tale. Omne enim agens per naturam, habet esse determinatum. Cum igitur esse divinum non sit determinatum, sed contineat in se totam perfectionem essendi, non potest esse quod agat per necessitatem naturæ, nisi forte causaret aliquid indeterminatum et infinitum in essendo, quod est impossibile, ut ex superioribus patet †. Non igitur agit per necessitatem naturæ, sed effectus determinati ab infinita ipsius perfectione procedunt secundum determinationem voluntatis et intellectus ipsius. Tertio ex habitudine effectuum ad causam. Secundum hoc enim effectus procedunt a causa agente, secundum quod præexistunt in ea : quia omne agens agit sibi simile. Præexistunt autem effectus in causa secundum modum causæ. Unde cum esse divinum sit ipsum ejus intelligere, præexistunt in eo effectus ejus secundum modum intelligibilem, et per modum intelligibilem procedunt ab eo : et sic per consequens per modum voluntatis. Nam inclinatio ejus ad agendum, quod intellectu conceptum est, pertinet ad voluntatem. Voluntas igitur Dei est causa rerum.

Ad primum ergo dicendum, quod Dionysius per verba illa non intendit excludere electionem a Deo simpliciter, sed secundum quid, in quantum scilicet non quibusdam solum bonitatem suam communicat, sed omnibus, prout scilicet electio discretionem quamdam importat.

Ad secundum dicendum, quod quia essentia Dei est ejus intelligere, et velle, ex hoc ipso quod per essentiam suam agit, sequitur, quod agat per modum intellectus et voluntatis.

Ad tertium dicendum, quod bonum est objectum voluntatis. Pro tanto ergo dicitur, quia Deus bonus est, sumus, in quantum sua bonitas est ei ratio volendi omnia alia ut supra dictum est *.

Ad quartum dicendum, quod unius et ejusdem effectus, etiam in nobis, est causa scientia ut dirigens, qua concipitur forma operis, et voluntas ut imperans : quia forma ut est in intellectu tantum, non determinatur ad hoc quod sit vel non sit in effectu, nisi per voluntatem. Unde intellectus speculativus nihil dicit de operando. Sed potentia est causa ut exequens, quia nominat immediatum principium operationis, sed hæc omnia in Deo unum sunt.

Conclusio est affirmativa.

† 2 Physic. tex. 19, t. 2.

† q. 1, art. 3.

* Art. 2 in solut. ad 2 præcipue

DISPUTATIO VIII.

De voluntate Dei quoad causalitatem quam erga creaturas habet.

1. Cuncta, quæ hic dici poterant, ex iis quæ in tract. de Scientia Dei disp. 5 dub. 2 et 3. dicta sunt, constant : et ideo in præsenti unicum tantummodo et brevissimum dubium movebimus, ut in eo breviter rationes D. Thom. ad formam reducamus.

DUBIUM UNICUM.

Utrum divina voluntas sit causa rerum?

Ratio dubitandi est. Quia illud est causa creaturarum, cui ipsæ assimilantur : sed creaturæ non assimilantur voluntati divinæ, sed ideis, aut cognitioni Dei in qua repræsentantur : ergo, etc. Major videtur certa. Quia quævis causa intendit producere sibi simile. Ratio dubitandi.

Dicendum tamen est, conclusionem D. Thom. esse omnino veram, imo et de fide. Apocalyp. 4 : *Propter voluntatem tuam erant et creata sunt.* Sapient. 11 : *Quomodo posset aliquid permanere nisi tu voluisses?* Conclusio. Apoc. 4. Sap. 11.

Deinde probatur triplici ratione : prima quidem, et ex dictis desumpta. Nam Deus vult creaturas, ut art. 2 et 3 probatum est : at volitio absoluta illius, est efficax et causans quod vult, juxta illud : *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit* : ergo, etc. Prior ratio. conclusionis.

Secunda ratio, quam D. Thom. in hoc artic. tradit, potest ad hanc formam reduci : Omne agens per naturam, id est, non per intellectum et voluntatem, habet *esse* determinatum in aliquo genere : at divinum *esse* non est determinatum, seu limitatum, aut in aliquo genere peculiari entis constitutum, sed continet in se totam essendi perfectionem : ergo non agit ex necessitate naturæ in sensu insinuato, sed per suam voluntatem. Major patet. Nam agens per naturam, idest, non per intellectum et voluntatem, non causat quod vult, sed ejus vis causativa ad determinatum et finitum effectum limitata est. Unde communiter dicitur, quod natura est determinata ad unum, et quod semper (nisi impediatur) operatur unum et eodem modo. 2. Secunda ratio. D.Thom.

Tertiam rationem tangit etiam D. Thom. in præsenti, potestque sub hac forma proponi. Quamvis intellectus et natura agant propter finem, ut ostenditur 2 Physicorum; nihilominus agenti per naturam, semper prædeterminatur finis ab aliquo superiori intellectu, sicut sagittæ prædeterminatur scopus et certus motus a sagittante : ergo necesse est ut agens per intellectum et voluntatem sit prius agente per naturam, quippe prædeterminans finem illius : ergo cum Deus in ordine agentium sit omnino primus, necesse erit ut agat per intellectum et voluntatem, non vero per naturam. 3. Ratio posterior D.Thom.

Ad rationem dubitandi respondetur, quod voluntas Dei tantum dicitur causa rerum per modum moventis ad exercitium et applicantis divinum *intelligere* ad productionem creaturarum, ac proinde per modum complentis vim effectivam seu omnipotentiam Dei : at quod sic est causa, non est opus quod contineat omnes effectus nisi in- Ad rationem dubitandi.

tra propriam lineam, scilicet movendo divinum intelligere et scire ad eorum productionem : et ita non erit necesse ut illi assimilentur.

ARTICULUS V.

Utrum voluntatis divinæ sit assignare aliquam causam?

1, dist. 41, a. 3 co. Et 1 cont. c. 86, et lib. 2, c. 28 et 29, et lib. 3, c. 97.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod voluntatis divinæ sit assignare aliquam causam. Dicit enim August. lib. 83 * quæst. : Quis audeat dicere Deum irrationabiliter omnia condidisse? Sed agenti voluntario, quod est ratio operandi, est etiam causa volendi : ergo voluntas Dei habet aliquam causam.

2 Præterea, in iis quæ fiunt a volente, qui propter nullam causam aliquid vult, non oportet aliam causam assignare, nisi voluntatem volentis : sed voluntas Dei est causa omnium rerum, ut ostensum † est. Si igitur voluntatis ejus non sit aliqua causa, non oportebit in omnibus rebus naturalibus aliam causam quærere, nisi solam voluntatem divinam. Et sic omnes scientiæ essent supervacuæ, quæ causas aliquorum effectuum assignare nituntur, quod videtur inconveniens. Est igitur assignare aliquam causam voluntatis divinæ.

* Lib. 83 quæst. q. 46, parum a medio tom. 4.

† Art. præced.

3 Præterea, quod fit a volente non propter aliquam causam, dependet ex simplici voluntate ejus. Si igitur voluntas Dei non habeat aliquam causam, sequitur quod omnia quæ fiunt, dependeant ex simplici ejus voluntate, et non habeant aliquam causam aliam, quod est inconveniens.

* Lib. 83 quæst q. 27, in finem tom. 4.

Sed contra est quod dicit August. in lib. 83 * quæst. : Omnis causa efficiens major est eo quod efficitur : nihil tamen majus est voluntate Dei : non ergo causa ejus quærenda est.

Respondeo dicendum, quod nullo modo voluntas Dei causam habet.

Ad cujus evidentiam considerandum est, quod cum voluntas consequatur intellectum, eodem modo contingit esse causam a cujus volentis ut velit, et alicujus intelligentis ut intelligat. In intellectu autem sic est, quod si seorsum intelligat principium, et seorsum conclusionem, intelligentia principii est causa scientiæ conclusionis. Sed si intellectus in ipso principio inspiceret conclusionem, uno intuitu apprehendens utrumque, in eo scientia conclusionis non causaretur ab intellectu principiorum, quia idem non est causa sui ipsius, sed tamen intelligeret principia esse causas conclusionis Similiter est ex parte voluntatis, circa quam sic se habet finis ad ea quæ sunt ad finem, sicut in intellectu principia ad conclusiones Unde si aliquis uno actu velit finem, et alio actu ea quæ sunt ad finem, velle finem erit ei causa volendi ea quæ sunt ad finem, sed si uno actu velit finem, et ea quæ sunt ad finem, hoc esse non poterit : quia idem non est causa sui ipsius : et tamen erit verum dicere, quod velit ordinare ea, quæ sunt ad finem, in finem. Deus autem sicut uno actu omnia in essentia sua intelligit, ita uno actu vult omnia in sua bonitate. Unde sicut in Deo intelligere causam, non est causa intelligendi effectus, sed ipse intelligit effectus in causa, ita velle finem, non est ei causa volendi ea, quæ sunt ad finem. Sed tamen vult ea, quæ sunt ad finem, ordinari in finem. Vult ergo hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc.

Ad primum ergo dicendum, quod voluntas Dei rationabilis est, non quod aliquid sit Deo causa volendi, sed in quantum vult unum esse propter aliud.

Ad secundum dicendum, quod cum velit Deus effectus sic esse, ut ex causis certis proveniant ad hoc quod servetur ordo in rebus, non est supervacuum etiam cum voluntate Dei alias causas quærere. Esset tamen supervacuum si aliæ causæ quærerentur, ut primæ, et non dependentes a divina voluntate. Et sic loquitur August.

† Lib. 3 de Trin. c. 2, in medio tom. 3.

† in 3 de Trin. Placuit vanitati philosophorum etiam aliis causis effectus contingentes tribuere, cum omnino videre non possent superiorem cæteris omnibus causam, idest, voluntatem Dei.

Ad tertium dicendum, quod cum Deus velit effectus esse propter causas, quicumque effectus præsupponunt aliquem alium effectum, non dependent ex sola Dei voluntate, sed ex aliquo alio. Sed primi effectus ex sola divina voluntate dependent, utpote si dicamus, quod Deus voluit hominem habere manus, ut deservirent intellectui operando diversa opera : et voluit eum habere intellectum ad hoc quod esset homo, et voluit eum esse hominem ut frueretur ipso, vel ad complementum universi. Quæ quidem non est reducere ad alios fines creatos ulteriores. Unde hujusmodi dependent ex simplici voluntate Dei, alia vero ex ordine etiam aliarum causarum.

Prima conclusio : Voluntatis Dei nulla est assignabilis causa.

Secunda conclusio : Etsi Deus velit, hoc esse propter hoc, non tamen propter hoc vult hoc.

Animadversiones circa primam conclusionem.

1. Prior animadversio circa primam conclusionem.

Circa primam conclusionem notandum est primo, quod licet voluntatis divinæ, secundum se sumptæ nequeat vera causa ullo modo dari, nihilominus assertio hæc non loquitur de voluntate quasi in actu primo considerata, id est, ut præcise æquivalet nostræ potentiæ volitivæ ; sed de volitione divina non qualicumque, sed libera, ac proinde quæ est respec u creaturarum, ut ex contextu corporis articuli constat : et similiter non intelligitur de qualicumque causa, sed de vera et propria, imo principaliter de causa efficiente : et ob id sanctus Doctor eam testimonio illo D. Augustini causalitatem efficientem excludente probat. Quamvis cum hoc stet, ut ex exclusione causalitatis efficientis optime inferatur exclusio causæ finalis, ob correspondentiam, quæ inter has duas causas invenitur, non minus quam inter causas intrinsecas, materiam scilicet et formam ad invicem consideratas.

2. Alia animadversio.

Circa eamdem conclusionem notandum est secundo, quod hîc solet inquiri, an licet voluntatis divinæ secundum suum *esse* non detur causa; attamen respectu ejus, ut active terminatur ad creaturas, possit dari? Cæterum quia decisio hujus dubii satis constat ex iis, quæ disp. 3 dub. 2 diximus, ubi ostendimus, quod objectum formale adæquatum divinæ voluntatis, etiam quoad terminationem sumptæ, est sola divina bonitas, propterea illud in præsenti non excitamus. Nam hoc ipso quod objectum formale adæquatum voluntatis Dei, tam quoad suum *esse*, quam quoad suam terminationem sit divina bonitas; ac proinde nihil præter eam respiciat ut finem suorum actuum, et terminationum, oportet ut nihil creatum sit vera causa finalis respectu illius, etiam quoad terminationem consideratæ; atque adeo nec causa efficiens, aut aliquo alio modo, et per consequens quod nihil sit illius vera causa : siquidem sicut sola bonitas creata, solæque res creatæ distinguuntur

tinguuntur realiter ab illa, non vero divina bonitas, ita solæ illæ poterant esse vera causa ipsius.

Prior notatio circa secundam conclusionem.

3. Circa secundam conclusionem notandum est, aliud esse quod volitio finis, aut rationis finalis sit causa volitionis mediorum; aliud vero quod volitio illa velit, ut media sint propter finem. Nam primum illud denotat causalitatem inter ipsas volitiones : ac proinde si vera et realis causalitas ibidem invenitur, debet etiam distinctio realis inter ipsos actus reperiri. Secundum vero solum innuit causalitatem inter res ipsas volitas, eo modo quo inter easdem esse potest. Unde secundum ex his in priori assertionis parte conceditur : primum autem in posteriori negatur.

4. Ratio notationis. Et potest utraque pars explicari, et probari sic. Quando voluntas nostra unico actu vult finem et media, tunc licet volitio finis non sit causa volitionis mediorum; nihilominus ea, quæ sunt ad finem, vult ordinari in illum : ergo cum Deus unico actu velit se, qui est finis creaturarum, necnon et creaturas, quæ sunt media, ut supra explicuimus, fiet inde, ut volitio sui non sit causa volitionis liberæ creaturarum, nec volitio unius creaturæ, volitionis alterius : quamvis tali volitione velit creaturas ordinari in se ipsum tanquam in finem, et ex creaturis quasdam ordinari in alias tanquam in fines proximos.

Explicatio et confirmatio. Confirmatur et explicatur. Quando intellectus Angelicus unico actu intelligit essentiam et passiones, tunc etsi cognoscat causalitatem ex parte objectorum, ac proinde essentiam esse causam passionum; non tamen intellectio essentiæ, est causa intellectionis earumdem passionum : quia idem nequit esse causa sui ipsius : ergo similiter cum Deus unico actu vult se, et omnes creaturas, tunc etsi velit quasdam ex illis esse propter alias, et omnes propter se ipsum; nihilominus volitio sui, aut aliquarum creaturarum non erit causa volitionis aliarum : quandoquidem unico, et eodem actu vult se, et cætera alia.

Corollarium. Ex quo fit quod licet divinæ volitionis, tam quoad *esse*, quam quoad terminationem activam consideratæ nulla possit dari vera causa; bene tamen quoad terminationem passivam, seu (quod in idem redit) licet nihil possit esse vera causa quoad hoc, quod est divinam volitionem terminari active ad aliquod creatum; attamen unum objectum passive terminans divinam volitionem potest esse causa alteri quoad hoc, quod est cadere sub eadem volitione seu terminare passive illam. Et ratio sumitur ex dictis. Nam sicut hoc ipso quod intellectus Angelicus unico actu cognoscat principia et conclusiones, tunc principia cognita sunt causa quare cognoscantur conclusiones, ac proinde terminatio passiva, qua unum objectum (scilicet, principia) terminat passive cognitionem, est causa quare conclusiones eamdem passive terminent, licet activa terminatio ejusdem cognitionis prout fertur ad principia, non sit causa ipsius ut fertur ad conclusiones : ita licet non detur causa activæ terminationis volitionis Dei ad creaturas, bene tamen passivæ, quatenus unum objectum terminans active prædictam volitionem Dei, est causa alteri quare passive eamdem terminet volitionem seu sub eadem cadat.

5. D. Thom. Unde D. Thom. 1 cont. Gentra c. 87 inquit : *Divina bonitas est Deo causa*, seu (quod in idem quoad præsens redit) *ratio volendi. Aliorum autem a Deo volitorum, nullum est Deo causa volendi aliud, sed unum eorum est alteri causa ut ordinem habeat ad divinam voluntatem.* Et c. 86 ait quod finis alicujus rei prius a Deo volitus, est causa quare media cadant sub divina volitione, et universaliter loquendo, quoties aliquid cadit sub eadem volitione, est causa quare cadant sub illa, cætera, quæ ad illud requiruntur.

Aliud corollarium. Cajetan. Ex quo etiam fit optime distinxisse Cajet. quatuor propositiones in præsenti. Prima, *hoc est propter hoc.* Secunda, *Deus vult, hoc esse propter hoc.* Tertia, *hoc est volitum a Deo, quia illud volitum est.* Quarta, *hoc Deus vult, quia vult illud :* et ex his tres priores esse concedendas, ut ex primis duabus ex se constat, et de tertia ex dictis patet, quartam vero esse negandam : quia denotat dari causam respectu terminationis activæ divinæ voluntatis : et propterea D. Thom. in hoc art. ait : *Vult Deus, hoc esse propter hoc : sed non propter hoc, vult hoc.*

6. Objectio Vazquez. Nec refert si cum Vazq. in præsenti objicias, vocem passivam eumdem reddere sensum, quam activa : et ideo idem esse, Deum cognoscere aliquid, et illud esse cognitum a Deo : ergo si hæc propositio, *Hoc est volitum a Deo, quia illud volitum est*, debet admitti, ita etiam ista, *Hoc vult Deus, quia vult illud :* siquidem hæ duæ proposi-

tiones solum differunt penes vocem activam et passivam.

Diluitur. Respondetur enim, quod licet grammaticaliter idem soleat significari, voce activa et passiva; non autem theologice, aut metaphysice. Et ita licet grammaticaliter idem sit, Deum cognoscere aliquod objectum, et illud cognosci a Deo; non autem theologice, aut metaphysice. Quia hoc quod est, Deum cognoscere illud, dicit theologice, aut metaphysice loquendo, divinam cognitionem in recto, et objectum in obliquo: at vero quod objectum sit cognitum a Deo dicit in recto (ut multi, de quo alibi, volunt) denominationem extrinsecam proveniente a divina cognitione. Ita ergo similiter, *Deum velle hoc, quia vult illud*, est theologice distinctum ab hoc quod est: *Hoc esse volitum a Deo, quia illud est volitum*. Nam per primam propositionem significatur, dari causam terminationis activæ, divinæ volitionis, quod est falsum, si de vera et propria causa loquamur, ut in præsenti loquimur. Per secundam vero innuitur, hanc causalitatem tantum esse ex parte objectorum, quatenus quod unum terminet passive divinam volitionem, est causa alteri quare eam etiam terminet.

Additamentum Nazar. Adde cum Nazario in præsenti, quod saltim vox activa, et passiva reddit eumdem sensum, si theologice loquamur, quoties passivum æquatur activo; non autem quando activum superexcedit passivum, ita ut una sit actio; et multæ passiones, ut suo modo in præsenti contingit. Videatur tamen Cajetan. in præsenti.

Cajet.

7. Alia objectio. Nec etiam refert si secundo objicias, opera meritoria esse saltim causam moralem divinæ voluntatis quoad terminationem activam, qua vult dare præmium propter illa: ergo, etc. Antecedens probatur. Tum quia videtur impossibile quod quis mereatur, ut præmium sit volitum a Deo propter bona opera, et quod non mereatur, Deum velle conferre illi prædictum præmium propter talia opera. Tum etiam: quia id videtur constare ex proprio modo causandi causæ moralis et meritoriæ, ut condistinguitur a causa physica et naturali: qui consistit in hoc quod causa moralis non influit immediate in effectum, sed in voluntatem agentis liberi inclinando eam ad productionem effectus, ut constat in merito et oratione: nam meritum non dicitur causa præmii, quia immediate influit in illud; sed quia movet voluntatem præmiantis ut illud conferat: et similiter oratio in tantum dicitur causa beneficii impetrati in quantum inclinat voluntatem conferentis illud: ergo immediatius meretur, quod Deus velit rem, quam quod res sit volita, et causata a Deo.

Respondetur enim negando antecedens, et ad primam probationem negari etiam debet antecedens propter ea, quæ statim dicemus. Et ad secundam dicendum est, ex ea convinci dari causalitatem ex parte objecti voliti inter meritum et præmium, ac proinde quoad terminationes passivas, secundum quas cadunt sub divina voluntate, non tamen quod meritum sit causa moralis respectu terminationis activæ, qua Deus vult præmium largiri. Et ratio est ea, quam disput. 3 dub. 2 adduximus, et in secunda animadversione circa hunc art. n. 2 tetigimus, scilicet quod objectum formale adæquatum divinæ voluntatis, adhuc quoad terminationem activam consideratæ, est divina bonitas. Et ita voluntas Dei nequit moveri a bonitate, quæ est in merito creato ad volendum præmium; sed ratio formalis motiva tantum potest esse divina bonitas. Et propterea disp. citata n. 29 et deinceps asserebamus, Deum erga solam suam bonitatem posse habere amorem affectionis; ac proinde bonitas, quæ est in merito creato, non poterit esse causa meritoria respectu volitionis divinæ, aut terminationis activæ ejus, licet requiratur per modum objecti materialis, prius in suo genere causæ voliti, ad passivam terminationem præmii, seu ad hoc ut præmium passive cadat ordine executionis sub divina voluntate: siquidem ad hoc ut esset causa moralis, et meritoria respectu terminationis activæ desiderabatur, ut ex dictis disp. et dub. citatis constat, quod meritum, et ejus bonitas essent motivum formale divinæ voluntatis; non tamen hoc desideratur ad hoc quod meritum sit causa meritoria præmii, seu hujus quod est præmium esse volitum ordine executionis, ut ex ibidem dictis liquet: et propterea illud prius non minus repugnat, quam quod bonitas creata sit objectum formale voluntatis Dei: quod quidem non posse cohærere cum ejus infinita perfectione, satis ex dictis loco citato constat.

Respon-sio

Unde discrimen illud, quod in hac objectione constituitur inter causam moralem meritoriam ex una parte, et physicam ex alia, solum habet locum in creaturis, quæ propter sui imperfectionem possunt excitari tanquam a motivo formali a bonitate creata existente in opere meritorio, ratione cujus præmia largiuntur.

Posterior

Posterior animadversio circa eamdem secundam conclusionem.

Ultimo circa eamdem conclusionem notandum est, quod circa eam solet inquiri : qualiter sit assignandus ordo prioris, et posterioris secundum rationem inter decreta divinæ voluntatis. Cæterum quia de hoc in tract. de Prædestinatione aliquid dicemus, et fere nihil controversiæ quoad rem ipsam inter Doctores est, ideo in hoc ultimo notabili, breviter rem hanc attingentes dicimus, prædictum ordinem aliquando sumi ex ipsis objectis, aliquando vero ex ipsa divina voluntate.

Explicatur hoc. Etenim, ut optime notavit Gonzal. in præsenti, inter ea, quæ voluntati Dei objiciuntur, quædam sunt quæ inter se naturalem habent ordinem causalitatis, et dependentiæ, nec tamen ab illa per efficaciam divinæ voluntatis quasi in exercitio absolvuntur, vel quia essentialis est hæc habitudo, vel quia si sit solum connaturalis, attamen Deus libere vult operari juxta illius exigentiam. Alia vero sunt quæ vel connexionem hanc, et dependentiam non habent ex se, ordinantur tamen per divinam voluntatem, vel si connexionem aliquam non tamen indispensabilem, aut separabilem habuerint, non tamen vult Deus operari juxta illam.

Dicimus ergo, quod in rebus prioris generis ordo decretorum Dei assignari debet ex parte objectorum, et ratio prioris, et posterioris petenda est ex connexione, et habitudine seu ordine causalitatis inter illa, servatis tamen semper regulis communibus, nempe quod ea quæ sunt prima in intentione, in executione sint ultima, et quod finis *cujus gratia*, et finis *cui* ut sic habeant quasi unius objecti rationem. Et ratio est. Quia ordo prioris, et posterioris non potest fundari in ipsa divina voluntate secundum se : quia est una et simplicissima : ergo debet fundari in ipsis rebus, quæ voluntati objiciuntur supposita semper eminentia divini *velle*, qua pluribus æquivalet : ergo cum in rebus, et objectis prioris generis ordo, et habitudo vel essentialis sit, vel si connaturalis tantum, ab ea tamen per divinam voluntatem non absolvuntur, fit plane, ut juxta hanc habitudinem, et dependentiam recte talis ordo constituatur.

Unde sicut in scientia simplicis intelligentiæ totus ordo prioris, et posterioris inter res scitas sumitur ex intrinseca, et naturali connexione, vel dependentia ipsarum rerum inter se, qualis est, v. g. inter essentiam et passiones, inter substantiam, et accidens, etc. et hoc non alia ratione nisi quia scientia hæc est omnino necessaria, et veluti accommodata rebus, ita licet actus divinæ voluntatis liberi sint : quia tamen in casu dicto sunt veluti accommodati rebus, et illæ secundum suam naturam, et exigentiam eliguntur, et decernuntur a prædictis actibus, propterea ex rebus ipsis ut sic, hic ordo prioris, et posterioris sumendus erit.

Cæterum in rebus seu objectis secundi generis sumendus est ordo prioris, et posterioris ex habitudine diversorum effectuum, non quidem quam naturaliter habent, sed quam ex divina voluntate ordinante seu volente præ lictum ordinem, sortiuntur. Ita ut illud intelligatur prius volitum, quod ordinatum est a Deo tanquam ratio et finis alterius, illud vero posterius, quod ex divina voluntate est propter aliud, supposita tamen capacitate in rebus ipsis respectu hujus ordinis, et habitudinis.

Et ratio est aperta ex dictis. Quoniam hoc ipso quod objecta illa ex se non habeant prædictam habitudinem et ordinem, ita ut unum necessario vel connaturaliter debeat esse propter aliud, aut si eam habent, non vult Deus operari juxta illum, oportet ut aliunde prædictus ordo sumatur : cumque non possit in eo eventu aliunde accipi nisi ex libera Dei voluntate ordinante hoc ad illud, seu volente hoc esse propter illud, supposita tamen capacitate ex parte extremorum, ut intuenti patebit, fit inde, ut ex hoc capite debeat prædictus ordo desumi. 11.

Potestque hoc magis explicari ex eo, quod proportio sufficiens, non tamen necessitans, ut propter illam operetur agens, non potest esse adæquatum fundamentum, ut propter illam prædictum agens operari intelligatur ; sed necessarium est recurrere ad illius libertatem, et ordinationem : sed talis est proportio, et utilitas in rebus secundi generis libere ordinatis a Deo : ergo ex vi illius proportionis non habemus determinatum fundamentum signorum, et determinationum divinæ voluntatis, atque adeo totus hic ordo in ipsam voluntatem Dei libere quasi ordinantem unum ad aliud, supposita tamen capacitate extremorum, reduci debet.

ARTICULUS VI.

Utrum voluntas Dei semper impleatur?

1, dist. 47, a. 1 et a. 2. corp. et ver. q. 23, art. 2, corp. et quodl. 11, a. 3, corp. et quodl. 12, art. 4 corp.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod voluntas Dei non semper impleatur. Dicit enim Apost. 1 ad Timot. 2, quod Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire : sed hoc non ita evenit : ergo voluntas Dei non semper impletur.

2 Præterea, sicut se habet scientia ad verum, ita voluntas ad bonum : sed Deus scit omne verum : ergo vult omne bonum : sed non omne bonum fit : multa enim bona possunt fieri, quæ non fiunt : non ergo voluntas Dei semper impletur.

3 Præterea, voluntas Dei cum sit causa prima, non excludit causas medias, ut dictum * est : sed effectus causæ primæ potest impediri per defectum causæ secundæ : sicut effectus virtutis motivæ impeditur propter debilitatem tibiæ : ergo et effectus divinæ voluntatis potest impediri propter defectum secundarum causarum. Non ergo voluntas Dei semper impletur.

* Art. præc.

Sed contra est, quod dicitur in Psal. 113 : Omnia quæcumque voluit Deus fecit.

Respondeo dicendum, quod necesse est voluntatem semper impleri.

Ad cujus evidentiam considerandum est, quod cum effectus conformetur agenti secundum suam formam, eadem ratio est in causis agentibus, quæ est in causis formalibus. In formis autem sic est, quod licet aliquid possit deficere ab aliqua forma particulari, tamen a forma universali nihil deficere potest. Potest enim esse aliquid, quod non est homo vel vivum, non autem potest esse aliquid quod non sit ens. Unde hoc idem in causis agentibus contingere oportet. Potest enim aliquid fieri extra ordinem alicujus causæ particularis agentis, non autem extra ordinem alicujus causæ universalis, sub qua omnes causæ particulares comprehenduntur Quia si aliqua causa particularis deficiat a suo effectu, hoc est propter aliquam aliam causam particularem impedientem, quæ continetur sub ordine causæ universalis. Unde effectus ordinem causæ universalis nullo modo potest exire. Et hoc etiam patet in corporalibus. Potest enim impediri, quod aliqua stella non inducat suum effectum. Sed tamen quicumque effectus ex causa corporea impediente in rebus corporalibus consequatur, oportet quod reducatur per aliquas causas medias in universalem virtutem primi cœli. Cum igitur voluntas Dei sit universalis causa omnium rerum, impossibile est, quod divina voluntas suum effectum non consequatur. Unde quod recedere videtur a divina voluntate secundum unum ordinem, relabitur in ipsam secundum alium. Sicut peccator, qui quantum est in se recedit a divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinæ voluntatis, dum per ejus justitiam punitur.

Ad primum ergo dicendum, quod illud verbum Apostoli, quod Deus vult omnes homines salvos fieri, etc. potest tripliciter intelligi. Uno modo ut sit accommoda distributio secundum hunc sensum, Deus vult salvos fieri omnes homines, qui salvantur : non quia nullus homo sit, quem salvum fieri non velit; sed quia nullus salvus fit, quem non velit salvum fieri, ut dicit August. † Secundo potest intelligi ut fiat distributio pro generibus singulorum, et non pro singulis generum, secundum hunc sensum Deus vult de quolibet statu hominum salvos fieri mares, et fœminas, Judæos et Gentiles, parvos et magnos, non tamen omnes de singulis statibus. Tertio secundum Damascenum * intelligitur de voluntate antecedente, non de voluntate consequente. Quæ quidem distinctio non accipitur ex parte ipsius voluntatis divinæ, in qua nihil est prius vel posterius, sed ex parte volitorum.

† Lib. 1 de præd. Sanct. c. 8 Ench. cap. 103 tom. 3, et lib. 4 cont. Julian. c. 8. tom. 7. * Lib. 2 orthod. fidei, c. 29, non multum a fine. August. ad art. fal. sibi imp. art. 2, et de corr. et grat. cap. 15.

Ad cujus intellectum considerandum est, quod unumquodque secundum quod bonum est, sic est volitum a Deo. Aliquid autem potest esse in prima sui consideratione, secundum quod absolute consideratur, bonum vel malum, quod tamen prout cum aliquo adjuncto consideratur, quæ est consequens consideratio ejus, e contrario se habet. Sicut hominem vivere est bonum : et hominem occidi est malum secundum absolutam considerationem. Sed si addatur circa aliquem hominem quod sit homicida, vel vivens in periculum multitudinis, sic bonum est eum occidi, et malum est eum vivere. Unde potest dici, quod judex justus antecedenter vult omnem hominem vivere, sed consequenter vult homicidam suspendi. Similiter Deus antecedenter vult omnem hominem salvari, sed consequenter vult quosdam damnari, secundum exigentiam suæ justitiæ. Neque tamen id quod antecedenter volumus, simpliciter volumus, sed secundum quid : quia voluntas comparatur ad res secundum quod in se ipsis sunt, in se ipsis autem sunt in particulari. Unde simpliciter volumus aliquid secundum quod volumus illud consideratis omnibus circumstantiis particularibus, quod est consequenter velle. Unde potest dici, quod judex justus simpliciter vult homicidam suspendi; sed secundum quid vellet eum vivere, scilicet in quantum est homo. Unde magis potest dici velleitas, quam absoluta voluntas, et sic patet quod quidquid Deus simpliciter vult, fit, licet illud, quod antecedenter vult, non fiat.

Ad secundum dicendum, quod actus cognoscitivæ virtutis est secundum quod cognitum est in cognoscente : actus autem virtutis appetitivæ est ordinatus ad res secundum quod in se ipsis sunt. Quidquid autem potest habere rationem entis et veri, totum est virtualiter in Deo, sed non totum existit in rebus creatis. Et ideo Deus cognoscit omne verum, non tamen vult omne bonum : nisi in quantum vult se, in quo virtualiter omne bonum existit.

Ad tertium dicendum, quod causa prima tunc potest impediri a suo effectu per defectum causæ secundæ, quando non est universaliter prima, sub se omnes causas comprehendens : quia sic effectus nullo modo potest suum ordinem evadere, et sic est de voluntate Dei, ut dictum est *. * In corp.

Prima conclusio : Voluntas Dei alia antecedens, alia consequens ; illa est voluntas secundum quid, hæc vero voluntas simpliciter.

Secunda conclusio : Voluntas antecedens non semper impletur, secus vero voluntas consequens.

DISPUTATIO IX.

De voluntate Dei antecedente, et consequente, et an utraque semper impleatur?

Consulto in titulo disputationis duo illa ibidem recensita conjungimus, ut ita utramque articuli conclusionem explicemus. 1.

DUBIUM I.

Quid sit voluntas Dei antecedens quidve consequens, et an hæc divisio sit adæquata divinæ voluntati seu volitioni?

Pro hujus dubii decisione notandum est, quod bonum v. g. dupliciter potest considerari : vel absolute, et secundum se, seu secundum ea, quæ ab intrinseco, et ex genere ac specie sua affert, vel secundum quod est adjunctum, et vestitum peculiaribus circumstantiis, tunc occurrentibus. Hæc autem duplex consideratio non utcunque illi competit, sed ordine quodam : ita quidem quod secundum se sumptum præit se ipsum ut vestitum particularibus circumstantiis : quia hæc superinduitio illarum est veluti quoddam accidens respectu prædicti boni : et consequenter idem erit, quoad præsens attinet, considerare bonum secundum se, ac concipere illud secundum primam considerationem seu considerabilitatem, quam ex se offert intellectui in ordine Anima versio

dine ad voluntatem. Sicut etiam in idem redit, considerare ipsum ut vestitum particularibus circumstantiis, ac concipere illud secundum ultimam considerationem, seu considerabilitatem sui in ordine ad voluntatem.

Hoc ergo supposito dicendum est primo. Voluntas Dei antecedens, est voluntas illa, quæ fertur in bonum absolute, et secundum se consideratum, ac proinde in prima sui consideratione jam explicata sumptum. Voluntas vero consequens, est voluntas ejusdem boni ut vestiti particularibus circumstantiis occurrentibus, et consequenter secundum posteriorem sui considerationem. Hæc est D. Thom. in præsenti, necnon et Damasceni, ut vult idem Angelicus Doctor, quem communiter ejus discipuli sequuntur.

Probatur et explicatur simul. Nam stante divina voluntate, quantum est ex se in actu secundo, saltim quoad positivum, vel quoad id quod in recto talis actus affert, positaque ex parte objectorum congrua, et decente volibilitate, intelligimus divinam voluntatem terminari ad illam juxta exigentiam illius rationis in eo statu, in quo eam volibilem esse cognoscit : et quia prius est quod res habent secundum se (seu, ut loquitur D. Thom., in prima sui consideratione seu considerabilitate) quam quod habent omnino in particulari, et adjunctis omnibus circumstantiis (quod appellat sanctus Doctor consequentem, seu posteriorem rei considerationem) ideo voluntas divina prius terminari solet ad rem in illo primo statu, quam in posteriori : et volitio illa prior, vocatur antecedens, sicut etiam consideratio rerum secundum se est prior, et antecedens consideratio : et similiter posterior volitio ob oppositam rationem, est et nuncupatur consequens.

Cæterum Gabriel Vazquez disp. 86 hujus primæ partis, oppositum sentit dicens, quod secundum Damascenum voluntas antecedens, est eorum quæ ex Deo manant, hoc est ita ex Deo solo, ut nullam ex nostris bonis, vel malis operibus sumat occasionem. Voluntas vero consequens, est illa quæ ex nobis ortum habet, et occasione eorum quæ accidunt scilicet peccatorum, est : et probat testimonio ejusdem Damasceni, qui lib. contra Manich. aliquantulum ante finem sic inquit : *Primaria voluntas est id quod quispiam ex se ipso vult. Secundaria vero id, quod earum rerum, quæ contingunt, causa vult.* Et lib. 1 de fide cap. 9 circa finem explicans locum Pauli, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, ita asserit : *Deus ut bonitate præstans primarie quidem omnes homines servari, ac regni sui compotes esse vult. Neque enim supplicii aut cruciatus causa, verum ad hoc ut bonitatis ipsius participes simus, nos effinxit. Ut justus autem, iis quoque qui peccant, pœnam inferni nihilominus vult : at illud prius, antecedens voluntas seu beneplacitum dicitur, ex ipso manans; secundum autem, consequens voluntas ac promissio, a nostro vitio ortum ducens.*

Sed certe non apparet, quomodo possit inter se cohærere id, quod Vazquez in hoc art. fatetur, scilicet D. Thom. apprime Damasceni mentem attigisse, cum hoc quod est eumdem Damascenum aliter voluntatem antecedentem, et consequentem, quam Doct. Angel. explicuisse. Maxime cum idem D. Thom. exponens naturam voluntatis antecedentis, et consequentis, agensque de illo loco Pauli 1 ad Timoth. 2, scilicet, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, semper addat hoc verbum, scilicet : *secundum Damascenum*, ut sic innuat se illius mentem sequi. 3. Vasquez.

Quare respondetur, quod cum Damascenus inquit, voluntatem secundariam, seu consequentem esse earum rerum, quæ contingunt causa, gratis a Vazq. limitatur ad peccata tantum; sed ad res existentes cum suis particularibus circumstantiis referri debet. Hæ enim dicuntur contingere. Tum quia secundum existentiam efficaciter omnino re ipsa ponendam cum suis circumstantiis res omnes creatæ potuerunt simpliciter esse, vel non esse; ac proinde sic optime dicuntur contingere. Tum etiam : quia res in communi non contingunt, sed in particulari, et non utcumque in particulari, sed cum suis peculiaribus circumstantiis, a quibus ut re ipsa, et de facto in executione efficaciter ponendæ, denudari non possunt. Unde idem erit dicere : voluntatem secundariam esse id quod Deus vult, causa earum rerum quæ contingunt; ac asserere esse id quod Deus vult, seu esse volitionem Dei in ordine ad existentiam rerum in particulari omnino, ita ut volitio illa terminetur ad executionem rei cum suis peculiaribus circumstantiis efficaciter ponendam. Diluitur.

Consulto autem dixit Damasc. voluntatem secundariam esse earum rerum, quæ contingunt causa, vel quia illis benefacit, bona in particulari concedendo, vel quia 4. Animadversio.

si permittantur mala contingere, tunc causa eorum, seu eorum peccatorum occasione, vult Deus, modo supra insinuato, punitionem et pœnam. Antecedenter autem dicitur Deus ex se ipso velle : quia saltem omnium hominum salutem secundum se sumptam sic vult, sicque illi placet ut eam juxta Chrysostomi phrasin, ex suæ bonitatis abundantia desideret seu quasi desideret.

Additamentum. Adde, quod volens res secundum se, et (si sic licet loqui) quasi in communi, idest, non cum peculiaribus circunstantiis, et eis attentis, dicitur ex se ipso velle : quia tunc cum personarum in particulari omnino merita non intueatur, oportet ut benefacere volens, ex se ipso beneficium impendere velit. Sed de hoc infra sermo redibit : ubi quomodo hoc ultimum intelligendum sit explicabitur.

5. Assertio posterior Ad secundum testimonium patet ex dictis.

Ex quo inferendum, et dicendum est secundo, divisionem prædictam voluntatis in antecedentem, et consequentem esse omnino adæquatam, ac proinde comprehendere omnem volitionem in Deo repertam. Hæc est contra Vazq. disp. 83 cap. 3 qui ultra prædictas duas voluntates seu volitiones existimat ponendam esse aliam scilicet concomitantem, qua Deus decernat efficaciter concurrere nobiscum ad consensum, verbi gratia, quem vocati gratiæ præbemus : quia voluntatem consequentem, quam ab hac concomitante distinguit, asserit eam esse, qua ex prævisione nostrorum operum decernit efficaciter aliquid.

Cæterum sententia hæc ab antiqua Doctorum doctrina discedens, sic ex præcedentibus eliditur, et simul nostra assertio suadetur. Quia nomen voluntatis antecedentis, et notior respectus rationis, quem fundat, non sumitur respectu cujuscumque antecessionis, sed respectu illius voluntatis, qua objectum secundum se ut jam explicuimus (quæ est prior illius consideratio) respicitur; cum voluntas consequens de objecto omnino in particulari exequendo (quæ est posterior consideratio) sit : ergo quantumvis in objectis exequendis, et ut pertinentibus ad hanc secundam voluntatem, possit esse aliquis ordo prioris, et posterioris, hic tamen ordo non extrahit objecta ab ordine, et latitudine voluntatis consequentis. Sicut etiam si in objectis secundum se, et quasi in communi, seu non omnino in particulari sumptis, sit aliqua consideratio prior et posterior : quia tamen utraque sistit in ratione objecti secundum se, et non vestiti peculiaribus circumstantiis, utraque etiam ad voluntatem antecedentem pertinebit.

Unde obiter id attente notandum est, Animadversi falso asserere plures ex Patribus Societatis, voluntatem antecedentem esse illam, quæ nostrum antecedit consensum. Si enim hoc esset verum, fieret inde ut voluntas consequens, esset dicenda antecedens : ita ut nullo modo ab ea distingueretur ; quippe quæ, ut jam dicemus, nostrum antecedit consensum ; imo et illum efficaciter infert.

Nec refert si objicias, quod juxta Damas- 6. cenum potius videbatur dicendum, voluntatem Dei ex eo dici antecedentem, quia nostrum antecedit consensum. Nam quasi diffiniens voluntatem consequentem, inquit, esse eorum quæ contingunt causa : ergo sentit solam illam esse, quæ supponit consensum contingentem nostræ voluntatis : ac proinde illa erit voluntas antecedens, quæ illum non supponit. Hæc ultima consequentia patet ex priori. Prior vero ex antecedenti. Quoniam id, quod est eorum quæ contingunt causa, ac proinde id, quod est causa, seu occasione nostri consensus contingentis, debet supponere illum.

Respondetur enim ex dictis sensum Damasceni tantum esse, voluntatem consequentem eo tendere, ut velit res cum omnibus suis circumstantiis, hic et nunc occurrentibus, ac proinde ut hic et nunc contingunt, sicut si diceretur, misericordiam Dei esse sublevandi miseriam causa : per quod non significaretur sublevationem miseriæ præcedere ipsam misericordiam, bene tamen e contra.

DUBIUM II.

An voluntas antecedens sit voluntas secundum quid, et voluntas consequens, voluntas simpliciter, et quomodo inter se comparentur?

Dicendum est primo, voluntatem Dei 7. Prim antecedentem, esse voluntatem secundum quid, voluntatem vero consequentem esse voluntatem simpliciter. Hæc est contra Gabriel. Vazq. disp. 83 cap. 3 num. 14, sed Vazqu eam tenet D. Thom. in præsenti in solu- D. Tho tione ad 1 et cum eo Thomistæ. Et probatur ratione ipsius, et ex dictis dub. præc. Ratio desumpta. Nam cum voluntas feratur in res prout sunt in se ipsis, et res ut sunt simpliciter

citer in se ipsis, considerentur omnino in particulari, et vestitæ peculiaribus circumstantiis, hinc est quod voluntas consequens tendens in illas ut sic consideratas, sit voluntas simpliciter. Cæterum cum bonum prout dicit præcise bonitatem conveniențem sibi ex specie sua, seu ut non consideratur cum omnibus circumstantiis hîc et nunc occurrentibus, non sit bonum omnino in se ipso existens, sed sit veluti in via ad hoc; et consequenter secundum quid censeatur esse in se ipso; fit inde, ut voluntas quæ fertur in illud, cum hac præcisione sumptum, tantum sit voluntas secundum quid.

ir- Confirmatur. Nam volitio simpliciter circa
ir. aliquam rem ponit a parte rei saltim in affectu ipsam, alioqui non erit volitio simpliciter ejusdem rei : ergo est volitio illius ut vestitæ particularibus circumstantiis, quia non aliter est a parte rei ponibilis : ergo etiam volitio rei ut vestitæ peculiaribus circumstantiis coïncidit cum volitione simpliciter ipsius : quandoquidem talis volitio extenditur ad volendum absolute rei quidquid ei est necessarium ut simpliciter sit. Sicuti et ob oppositam rationem volitio, qua quis vult bonum secundum se sumptum, et non ut vestitum particularibus circumstantiis, non erit voluntas simpliciter, sed secundum quid, et potius velleitas, quam volitio, ut docet S. Doctor. Quæ quidem explicari posset per hoc complexum : bonum hoc quantum est ex vi bonitatis, quam ex se affert, placet appetitui : et licet illud absolute, et simpliciter non vult, hoc non provenit ex eo quod secundum se sumptum non placeat actu appetitui; sed propter concursum peculiarem circumstantiarum cum quibus est involutum.

a- Et explicari potest assertio præsens exem-
ior plo mercatoris qui ad evadendum naufragium, et salvandam vitam projicit merces proprias in mare. Hic enim vult per voluntatem antecedentem, et simplicem affectum illas non projicere : et ideo tactus dolore cordis intrinsecus easdem projicit. Cæterum voluntas illa tantum est voluntas secundum quid, non vero simpliciter et absoluta : quandoquidem hæc cohærere simul non potest cum altera illa voluntate, qua de facto easdem in mare projicit. Et tota ratio ob quam est voluntas secundum quid, et intra limites velleitatis manens, est. Quia non vult conservationem mercium, quatenus vestitam cum illa circumstantia periculi, quod incurrit ratione illarum : ac proinde non vult ipsam, ut omnino in particulari occurrit, sed tantum secundum quid, et secundum se acceptam, ratione commodi, quod talis conservatio ex se affert : et ita quod contingat ut non velit conservationem mercium absolute et simpliciter, non provenit ex eo quod prædicta conservatio secundum se sumpta non placeat actu appetitui, sed propter concursum particularium circumstantiarum tunc occurrentium.

Sic sane in voluntate antecedente, qua Deus vult v. g. salvari omnes homines, philosophandum est. Nam salus æterna omnium illorum secundum se bona est, et ob id volita fuit a Deo voluntate antecedente, juxta illud Pauli 1 ad Timot. 2 : *Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Ubi illa particula *vult*, de hac voluntate antecedente intelligi debet, ut bene expendit D. Thom. Cæterum talis voluntas non est voluntas simpliciter : quia cum prævideret Deus, quod si omnes homines de facto æternam salutem consequerentur, tunc impediretur bonum universale providentiæ divinæ, ac perfectio universi, ad quam requiruntur diversi gradus in rebus; impediretur etiam manifestatio justitiæ divinæ, et major splendor misericordiæ circa electos : ideo habuit voluntatem simpliciter non conferendi omnibus æternam salutem. Et tota ratio ob quam prior illa voluntas non est voluntas simpliciter, ac proinde nec omnino efficax, est : Quia non vult cunctis salutem, ut vestitam illis peculiaribus circumstantiis, sed solum secundum se, et in illo quasi statu præcisionis. Huc etiam spectat exemplum illud judicis allatum a D. Thoma : quod quia satis perspicue quoad præsens ab eo adducitur, ideo non est opus illud in præsenti adjicere. 1 Timot. 2.

Ex quo inferendum, et dicendum est se- 0. Assertio 2ª.
cundo. Quod voluntas antecedens, et consequens non sunt ita inter se oppositæ, ut id quod est volitum voluntate antecedente, debeat esse nolitum voluntate consequente, quamvis id sæpe contingat, sicuti et oppositum. Hæc est juxta mentem D. Thom. D.Thom
in 1 sententiarum ad Anibaldum dist. 46 quæst. unic. art. 2 ad secundum, et ratio Ratio assertionis.
assertionis quoad omnes sui partes, est. Quia sæpe id, quod secundum se est bonum, et appetibile, potest hîc et nunc, ut adjunctum peculiaribus circumstantiis, vel esse malum, saltim quatenus privat majori bono, vel non esse ita appetibile quatenus non ita conducit ad aliquod aliud bonum, quod appetens intendere potest : ac proinde queit

secundum istam rationem induere etiam aliquam rationem mali ut in exemplis in assertione præcedenti allatis cerni potest, ac proinde poterit secundum illam priorem rationem esse volitum voluntate antecedente, sicuti et secundum posteriorem nolitum voluntate consequente.

Et similiter tale bonum etiam ut vestitum peculiaribus circumstantiis, seu attentis omnibus illis, potest vel manere sub majori ratione boni, vel esse satis accommodatum in ordine ad executionem alicujus finis intenti, aut intendibilis : et ideo potest secundum utramque rationem, et secundum utramque voluntatem esse volitum.

Et explicari potest hoc ultimum exemplo Incarnationis, quæ secundum se considerata bona est, imo et maxime bona, et ideo voluntate antecedente fuit volita : et quia etiam ut conjuncta cum particularibus circumstantiis, quæ respectu illius occurrunt, adhuc mansit valde accommodata ad summam manifestationem justitiæ, misericordiæ, ac liberalitatis divinæ, necnon et cæterorum attributorum, ideo potuit magis in particulari, et cum omnibus circumstantiis volibilibus tunc occurrentibus esse volita voluntate consequente, imo et de facto sic volita fuit.

DUBIUM III.

An in Deo voluntas antecedens, sit verus actus voluntatis formaliter in ipso et non solum eminenter existens? ubi etiam agitur an voluntas antecedens semper impleatur?

10. Animadversio. 1 Timot. c. 2.

Dubium hoc majoris claritatis gratia procedet de voluntate illa antecedente salvandi omnes, quam Paulus 1 ad Timoth. cap. 2 satis innuit, an nimirum hæc sit in Deo formaliter? et quod de illa dictum fuerit, poterit ad alias voluntates seu volitiones divinas proportione servata applicari?

§ I.

Refertur prior opinio.

Prima sententia asserit, voluntatem illam antecedentem, qua Deus communiter dicitur velle salutem omnium hominum, non reperiri in ipso formaliter, sed solum eminenter, quatenus nimirum vult, et causat in nobis volitionem, qua velimus omnes salvari, et consequenter nullam esse in Deo formalem voluntatem, quæ non impleatur. Quia tota ratio ob quam voluntas illa antecedens dicitur ab hac sententia non esse in Deo formaliter, et immediate terminata ad salutem omnium hominum, est. Quia talis voluntas non est impleta : et omnis volitio divina hoc ipso quod talis petit impleri. Ita D. Bonavent. in 1 dist. 46 art. 1 quæst. 1 ubi etiam Scotus, imo et Major quæst. unica. Alex. Alensis 1 p. q. 36 membro 2, Marsilius in 1 quæst. 45 art. 1 favet Cajetan. 1 ad Timoth. cap. 2, et Zumel in præsenti disp. 2 ubi hanc sententiam reputat probabiliorem. Bona vent Scotu Major Alen Marsi Cajet Zume

Sententia hæc tres partes in se continet. Prima, quod talis actus non reperitur in Deo formaliter. Secunda vero, quod sit in eo eminenter. Tertia tandem, quod omnis voluntas seu volitio Dei in ipso formaliter existens impletur. Et quidem secunda evidens est, quandoquidem ex se constat talem voluntatem, et desiderium salutis omnium hominum reperiri multoties in nobis, ac proinde esse ad minus eminenter in Deo. Sicuti etiam tertia pars ex hac secunda, semel tamen admissa prima, aperte sequitur : et ideo sententia hæc, quoad primam partem solum, indiget probatione, quamvis etiam plura quæ ad omnes partes confirmandas deserviant, sint necessario ob rerum connexionem admiscenda.

Probatur ergo prima pars ex illo Psalmi : *Omnia quæcumque voluit fecit.* Et ex illo Isaïæ : *Omnis voluntas mea fiet.* Ubi, ut vides, de omni voluntate existente in Deo formaliter, dicitur adimplendam esse : ergo cum voluntas antecedens immediate terminata ad salutem omnium hominum (de qua in particulari procedit dubium) non impleatur, fiet inde eam non esse in Deo formaliter, sed tantum eminenter, quatenus vult, ut nos velimus talem salutem. Id quod videtur dixisse August. lib. de Correctione et gratia cap. 15 ubi sic ait : *Potest etiam sic intelligi, quod omnes homines Deus vult salvos fieri, quoniam nos facit velle, sicut misit spiritum Filii sui clamantem Abba Pater, idest, nos clamare facientem :* ergo secundum August. prædicta volitio immediate terminata ad salutem omnium hominum, tantum est in Deo eminenter seu causaliter. 11. Primum argumento ex testimoni D. A

Deinde ratione hæc eadem pars probatur. Cum aliquis potest aliquem salvare, et non salvat, plane convincitur non habere formaliter voluntatem eum salvandi : sed Deus potest salvare omnes homines, et non salvat : ergo non habet formaliter voluntatem eos Prim fund ment ex ratio petitu

eos salvandi : ac proinde voluntas illa salvandi non erit vera, et positiva voluntas.

Confirmatur. Voluntas antecedens in hominibus reperta sedem inter voluntates efficaces haberet, si absque incommodo, et periculo posset ad executionem usque deduci : unde optime a posteriori colligeremus defectum talis voluntatis in eo qui cum posset sine ullo periculo, aut incommodo aliquid exequi, nihilominus illud non exequeretur : ergo cum Deus sit omnipotens, ac proinde sine ullo incommodo, aut periculo possit pro sua voluntate, et citra omnem injustitiam salvare omnes, optime colligetur, quod si semel non salvat, non habuit talem voluntatem antecedentem, sicut e converso si habuit illam, omnes infallibiliter salvarentur. Antecedens patet in voluntate illa antecedente mercatoris nolentis proprias merces in mare jactare. Si enim omni semoto incommodo, aut periculo posset eas conservare, tunc voluntas illa non projiciendi esset absque dubio efficax.

Secundo. Cum hoc quod est velle aliquem salvum fieri non solum habet oppositionem reprobatio positiva, qua prævisis malis operibus decernit Deus punire pœna æterna habentem illa ; sed etiam reprobatio negativa, quæ est ante operum prævisionem, et consistit in non electione horum hominum ad gloriam, sive in voluntate non eligendi : at Deus habuit circa multos hanc non electionem, vel voluntatem jam dictam : ergo non fuit in illo positiva voluntas salvandi omnes. Major videtur certa. Quia non potest stare, quod quis ex se, et absque prævisione meriti, vel demeriti velit donare aliquid; et quod stante hac voluntate, et non præviso aliquo demerito ex parte ejus, qui tale donum recepturus est, nihilominus ex se ipso absolute, et efficaciter velit illud non donare, ut intuenti patebit. Minor vero probatur ex illo ad Roman. 9 : *Cum nondum nati fuissent aut aliquid boni aut mali egissent, etc. Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Quod testimonium explicat D. Thom. ibidem lect. 2 de prædestinatione, et reprobatione, asserens utramque esse ante prævisa merita, vel demerita.

Confirmatur. Quia licet gratis daremus, prædictam voluntatem non opponi cum alia voluntate in Deo reperta ; nihilominus non potest negari, quin otiose in Deo ponatur : ergo, etc. Antecedens probatur. Quia si Deus voluntate consequente vult plures non salvari, ad nihil deservit voluntas illa salvandi cunctos, quippe quæ circa eos, qui non salvantur, nullum est effectum habitura : ac proinde ad nihil deservit. Et similiter circa reliquos prædestinatos nihil operatur : quia eodem modo respicit omnes, sive reprobos, sive prædestinatos; sed sola voluntas consequens, est quæ in illis suum sortitur effectum.

Ultimo. Omnis libera voluntas Dei est efficax, maxime ea, qua vult communicare aliquod bonum : sed hæc voluntas formaliter, ut est salvandi omnes, non est efficax, alioqui omnes salvarentur : ergo formaliter ut est circa omnes, non est in Deo, imo neque ut est circa aliquos, et distinguitur a voluntate consequente salvandi ipsos. Minor cum prima consequentia videtur certa, imo etiam secunda consequentia. Quia voluntas illa, ut dicebamus, indifferenter et eodem modo respicit omnes, et singulos homines : ergo vel circa nullos, vel circa omnes est efficax, aut inefficax. Major probatur. Tum quia voluntas, quæ est inefficax, est imperfecta, quippe impotens ad effectum quem intendit. Tum etiam : quia hoc ipso quod Deus habeat internum voluntatis affectum, quo velit *esse* alicujus rei, jam res illa censetur exire ab statu puræ possibilitatis et transire ad statum futuritionis, ac proinde res illa suo tempore ponetur ad extra ex vi prædictæ voluntatis. 14. Ultimum

§ II.

Vera sententia Patrum.

Nihilominus dicendum est, Deum vere et formaliter habere positivam, et antecedentem voluntatem circa omnium hominum salutem, ac proinde voluntatem antecedentem esse vere et formaliter in ipso, et consequenter non omnem voluntatem in Deo formaliter existentem impleri. Assertio hæc quoad secundam partem sequitur ex priori, ut ex se constat. Quoad tertiam vero infertur clare ex duabus præcedentibus : quandoquidem satis notum est, voluntatem salvandi omnes, formaliter sumptam, non impleri. 15. Conclusio. Probatio assertionis quoad posteriores partes.

Quare quoad primam partem solummodo restat probanda. Eam tamen satis efficaciter videtur convincere locus ille 1 ad Timoth. 2 jam adductus scilicet : *Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire :* si tamen paululum expendatur, supponendo, quod Apostolus in verbis antecedentibus exhortatur, ut pro omnibus hominibus, cujuscumque status et Suadetur quoad primam. 1 ad Tim. 2.

conditionis sint, fundantur ad Deum preces, ut quietam, et tranquillam vitam agant in omni pietate et castitate : et ratio, quam adducit ad id suadendum, est, hoc esse acceptum coram Salvatore nostro Deo : *Qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.*

16. Gonzalez

Hoc ergo supposito, sic testimonium citatum ex prædicto contextu urgeri potest : una cum Gonzalez in præsenti disp. 56 sect. 3. Nam Paulus de ea voluntate loquitur circa hominum omnium salutem, ex qua deducit esse Deo gratum opus orandi pro omnibus, et ex qua ad hujus orationis exercitium exhortatur : sed ex non voluntate vera id non recte colligeret, ut ex se constare videtur : ergo in Deo est vera voluntas circa salutem omnium hominum, quinimo ad deductionem hanc non sat erat quævis positiva voluntas, quæ per modum complacentiæ circa salutem omnium hominum quasi in communi, seu secundum se sumptam versaretur; sed illam postulat quæ per modum quasi desiderii cujusdam, et prosecutionis practicæ in prædictam salutem modo jam explicato feratur.

Etenim sicut ex complacentia, v. g. quæ in Deo, juxta multorum sententiam, esse potest circa opus creandi alios mundos, aut circa opus assumendi per unionem hypostaticam singulorum hominum naturas, quatenus hoc secundum se est quid bonum, non potest sumi prudens exhortatio ad orandum ut creentur orbes alii, vel singulorum naturæ hypostatice sumantur, ita si solum esset in Deo illa quasi speculativa complacentia circa salutem omnium hominum, non sumeretur inde prudens exhortatio orandi pro omnibus : ergo oportebit esse in Deo positivam aliquam, et gratuitam voluntatem, quæ ad ordinem practicum suo modo pertineat, et circa salutem omnium versetur, ut inde prædicta exhortatio prudenter posset desumi.

17. Confirmatur primo.

Confirmatur primo, et simul eliditur interpretatio, quam authores oppositæ sententiæ adducunt. Nam ideo Deus vult nos etiam velle salutem omnium hominum, quia illam ipse vult; non vero præcise quia velle nos facit : et ratio est, nam Paulus dicit esse orandum pro omnibus, et desiderandam eorum salutem, quia Deus vult omnes homines salvare : ergo tribuit Deo illam voluntatem in se; et non solum quod eam in nobis operetur, alias jam supponeret id, quod persuadere conatur : quandoquidem supponeret, Deum facere nos velle : cum tamen hoc ipsum fit quod in sequentibus persuadet, ut velimus et desideremus.

Confirmatur secundo

Confirmatur secundo ex contextu subsequenti ejusdem testimonii, scilicet : *Unus Deus et unus mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus, qui dedit semetipsum in redemptionem pro omnibus nobis.* Quoniam in his verbis satis innuit, Deum sic vel leomnes homines salvos fieri, sicut vult omnes redimi : sed habuit positivam voluntatem redimendi omnes : ergo et salvandi. Major patet. Quoniam ad id confirmandum adducuntur prædicta verba, ac si diceret : non mirum Deum velle omnium salutem, siquidem pro illa mortuus est. Minor probatur. Nam redemptio est propter salutem omnium hominum : alioqui Christus Dominus pro solis prædestinatis mortuus fuisset, ac proinde soli ipsi deberent ei pro sua Incarnatione ac Passione gratias.

18. Posterior confirmatio.

Confirmatur tandem. Quia verba Scripturæ debent, juxta regulam August. ab omnibus Theologis receptam, cum proprietate, et sine metaphora intelligi, nisi aliquod absurdum inde sequatur, alioqui nihil in Scriptura firmum haberemus : at testimonium hoc : *Deus vult omnes homines salvos fieri,* si proprie intelligatur, denotat positivam voluntatem, in illa particula *vult* explicatam, sicut et alia quæ in Scriptura inveniuntur 1 Petri 3 : *Non tardat Dominus sicut quidam existimant : sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reduci.* Item illud Evangelii : *Quoties volui congregare filios tuos sicut gallina pullos suos, et noluisti :* et alias nullum sequitur absurdum ex eo quod prædicta testimonia sic intelligantur, ut ex solutionibus argumentorum constabit : ergo, etc.

1 Petri, 3

Maxime quia nullum potest inde sequi absurdum in quo fere omnes Patres conspirarunt : at fere omnes admittunt prædictam voluntatem antecedentem salutis omnium, quæ vere et formaliter sit in ipso, ut Greg. Euchumenius, Theophylactus, et alii ex Græcis. Ambros. et Hieronym. Athanasius lib. 3 de hominis assumptione, Innocentius 3 cap. *ad majores de Baptismo.* D. Thom. in præsenti, et quod magis est, hanc interpretationem secutus est August. lib. de Spiritu et litera cap. 33 et in lib. ad articulos falsos sibi impositos. Nam secundus erat, quod Deus nolit omnes salvari, cui respondet : *Sincerissime credendum est, atque profitendum, Deum velle, ut omnes homines salvi fiant.* Quod si verba hæc non de vera voluntate, intelligantur

Gregor. Euchum. Theophyl. Ambros. Hieron. Athanas. Innoc. D. Thom. D. Aug.

ligantur, sed de metaphorica, aut non de voluntate, quæ ad salutem omnium hominum formaliter terminaretur, non esset sincerissime credendum et profitendum secundum Augustinum, quod Deus habeat voluntatem salvandi omnes. Quodlibet enim horum a superlativa sinceritate, illo termino, *sincerissime*, significata degenerat. Et
osper. tandem Prosper hoc ipsum tuetur lib. ad capita Gallorum, sentent. 8, his verbis : *Qui dicit quod Deus non omnes velit salvos fieri, sed certum numerum prædestinatorum, durius loquitur, quam loquendum sit de altitudine inscrutabilis gratiæ Dei, qui et omnes vult salvos fieri, et voluntatis suæ in eis implet propositum quos prædestinavit.* Idem sentit lib. 2 de vocatione gentium, c. 19 et 25.

19. ecunda robatio sertionis quoad rimam artem. Secundo principaliter probatur assertio. Deus non utcunque naturam rationalem produxit, sed illam in supernaturalem finem ordinavit : id quod satis constat, tum ex communi Theologorum consensu ; tum ex originali justitia, quam primo parenti, ut in suos posteros illam quasi derivaret, concessit, tum denique ex remedio, quod, ut supra dicebamus, humanæ naturæ in peccatum lapsæ impertitus est, Christo scilicet prædestinato in remedium ejusdem naturæ : ergo voluntatem habuit, ut quantum in ipso esset, omnes homines æternam beatitudinem consequerentur. Non enim recte concipi potest, quod quispiam ordinet aliquid in finem, et non velit saltim voluntate antecedente, ut res ordinata illum finem adipiscatur. Cæterum probatio hæc juxta dicenda in tract. de Prædestinatione intelligi debet.

orrobo- ratio. Confirmatur. Si ob aliquam rationem non esset in Deo admittenda prædicta voluntas, maxime quia non impleretur : at hæc ratio est nulla : ergo etc. Major patet. Nam si impleretur, nihil obesset quominus Deo tribueretur : sicuti ob hanc rationem nihil obest eam circa prædestinatos admittere. Minor probatur. Quia licet non omnes homines divinis obediant præceptis, non tamen ob id colligendum est, Deum carere voluntate observationis illorum, quia talis observatio nequit non esse illi placita et accepta : ergo sicut non obstante permissione non observandi, seu transgrediendi præcepta ipsa, et transgressione efficaci eorum hominum, qui peccant, nihilominus stat in Deo voluntas antecedens prædictæ observationis secundum se sumptæ, quia hæc Deo placet, estque illi accepta, ita etiam stante efficaci non consecutione æternæ salutis ab omnibus hominibus, ac proinde damnatione efficaci plurium ex illis, stabit optime voluntas antecedens, seu (ut aliqui loquuntur) voluntas beneplaciti circa salutem omnium.

§ III.

Fit obviam argumentis prioris sententiæ.

20. Ad primum ex testimoniis petitum. Ad primum ex testimoniis desumptum respondetur, testimonia illa esse intelligenda de voluntate Dei consequente. Ad illud autem quod ex D. Augustino adducitur, dicendum est, quod Hilarius in ea epistola, quæ est in operibus August. ante librum de prædestinatione Sanctorum, ad eumdem Augustinum scribens, asserit, non recte acceptam fuisse ipsius expositionem circa locum Pauli 1 ad Timoth. 2, quatenus voluntatem illam salutis omnium limitabat : et ex tunc Augustinus passus est, ut locus Pauli exponeretur juxta ejusdem Aug. doctrinam, lib. de Spiritu et lit. cap. 33 supra citato, quæ admittit voluntatem formalem in Deo existentem circa salutem omnium.

21. Ad primum ex ratione. Ad primum ex ratione petitum distinguenda est major : *Non habere formaliter voluntatem eum salvandi*, efficacem et consequentem, concedenda est : antecedentem vero, negari debet. Quia cum hæc tendat in rem in prima sui consideratione jam dicta ; inde est, quod etsi tunc ad illud objectum feratur, volendo et quasi desiderando illud secundum se; nihilominus non amplectatur ipsum sub omni ratione, et ut est attingibile in posteriori sui consideratione jam explicata : et ita poterit ibi esse voluntas antecedens et insuper consequens, quæ posterius adveniat, per quamque res sub posteriori consideratione et inspectis omnibus particularibus circumstantiis, attentisque cunctis, quæ attendi debent, decernatur.

Unde non est inconveniens, ut per hanc efficacem, et consequentem voluntatem quasi impediatur (si sic licet loqui) illi prior : ut manifeste constat in mercatore projiciente merces in mare, qui illas voluntate antecedente cupiens retinere, nihilominus adveniente posteriori consideratione omnium circumstantiarum in particulari, non retinet, sed potius projicit prædictas merces. Quia prior voluntas tantum petit, ut quantum est ex vi bonitatis et

commoditatis mercium, illas non projiciat, sed potius retineat : secus vero si omnes circumstantiæ, quæ in tali conservatione occurrunt, considerentur.

22. Ad confirmationem. Ad confirmationem respondetur, antecedens esse verum, si paulo latiorem sensum reddat, nimirum quod voluntas antecedens in hominibus esset efficax, si citra incommodum, aut periculum exerceri posset, vel non occurrat aliqua alia circumstantia, in posteriori rei consideratione jam explicata, ob quam oppositum voluntatis antecedentis magis expedire judicetur : ita tamen ut prædicta voluntas antecedens cum præcisione sumpta non habeat hanc efficacitatem, sed quia in eo eventu conjungeretur cum illa alia voluntas consequens et efficax. Cæterum quia salute omnium hominum in posteriori illa sui consideratione accepta, potest ibidem nova involvi circumstantia, scilicet major manifestatio omnium attributorum, etc. ideo nihil obest quod voluntas illa antecedens, non sit efficax : quamvis licet efficax esset, non operaretur Deus contra justitiam, ut in eadem confirmatione optime innuitur.

Additamentum. Adde, quod illi incommodo aut periculo, quod in conservatione mercium, dum instat naufragium, apparet (ut sic exemplum in hac confirmatione adductum nobis faveat) correspondet major illa manifestatio attributorum, et pulchritudo universi, etc. quæ lucet in hoc quod non omnes re ipsa salventur, sed aliqui a consecutione vitæ æternæ deficiant. Unde sicut urgente illo periculo, non est efficax voluntas antecedens mercatoris, ita inspecta hac majori manifestatione potest voluntas antecedens salvandi omnes homines esse in Deo, quamvis non omnes efficaciter æternam salutem consequantur.

23. Ad secundum. Ad secundum respondetur, quod etsi volitio dandi gloriam, quæ sit antecedens, quæque respiciat objectum in prima sui consideratione jam dicta, habeat oppositionem cum volitione non dandi illam in eadem prima consideratione conceptam, ac proinde semel admissa illa priori, sit neganda hæc posterior, quatenus cum illa opponitur; attamen voluntas dandi gloriam in prima consideratione acceptam, non habet incomposibilitatem cum voluntas non dandi ipsam in secunda consideratione, quia objectum non est unum et idem; sed in priori voluntate respicitur gloria secundum se, et quoad aliquam rationem præcise; et in secunda inspicitur sub omni consideratione, et ut vestita omnibus circumstantiis. In qua consideratione potuere majora, et urgentiora motivá apparere, quæ inducerent ut attentis omnibus peculiaribus circumstantiis tunc occurrentibus, plures ex hominibus non eligerentur ad regnum; maxime cum regnum nec ipsis, nec ullis creaturis sit debitum. Quæ omnia exemplo sæpe inculcato projicientis proprias merces in mare, satis liquent. Unde neganda est major argumenti. Et ad probationem patet ex modo dictis.

Explicatur. Potestque hoc amplius explicari, ex eo quod voluntas antecedens, est voluntas secundum quid, voluntas vero consequens, est voluntas simpliciter : non est autem inconveniens quod respectu unius objecti diversimode considerati sit voluntas secundum quid : per quam secundum unam sui considerationem secundum quid amplectatur; et secundum aliam oppositum circa ipsum simpliciter decernatur. Quæ omnia optime explicuit D. Thom. in hoc art. in solutione ad primum, qui omnino videndus est.

24. Ad confirmationem. Ad confirmationem, negandum est voluntatem illam esse otiosam. Quia sufficit quod per illam viscera misericordiæ Dei ostendantur, et quod talis voluntas sit valde conformis divinæ bonitati. Sicut in opinione plurium datur in Deo simplex complacentia circa omnia possibilia, quamvis simul adsit voluntas non efficiendi plura ex illis : et hæc non censetur otiosa : quia sufficiens ratio complacibilitatis in hoc objecto respectu actus complacentiæ reperitur : et insuper adest congruentia ex parte voluntatis divinæ, quæ est veluti communis, et universalis voluntas ad omne bonum. Sic ergo in præsenti proportione servata philosophandum est.

Additamentum. Adde, quod talis voluntas antecedens, est ex parte efficax, quatenus hoc ipso quod divina voluntas per modum quasi desiderii suo modo practici circa *fieri* salutis omnium hominum versetur, manet Deus quasi obligatus ad providendum de mediis sufficientibus, et universalibus causis salutis. Sicut enim particularia, et efficacia auxilia in ordine ad salutem æternam consequendam subsequuntur, modo tamen in tractatu de Prædestinatione dicendo, ad particularem voluntatem qua vult efficaciter salvare hunc, quæ pertinet ad voluntatem consequentem, ita generalia auxilia consequuntur, modo ibidem explicando, ad voluntatem generalem, qua vult salvare omnes,

quæ

quæ spectat ad voluntatem antecedentem.

Diluitur tacita objectio.

Neque ex hac efficacitate (ut sic objectio quæ hîc fieri poterat, maneat soluta) sequitur voluntatem illam, ut est voluntas salutis omnium hominum, extrahi a latitudine voluntatis antecedentis. Quia licet ex hoc, quod ex vi hujus volitionis sequatur, Deum providere de mediis necessariis ad salutem, optime colligatur, quod velit efficaciter prædicta media, non tamen quod simpliciter velit salutem ipsam, neque quod talis salus maneat sub statu futuritionis absolute et simpliciter, sed solum secundum quid, scilicet quantum est ex vi auxiliorum supernaturalium et ex se sufficientium ad illam : et ideo non obstante hac voluntate potest Deus voluntate consequente velle, quod plures ex hominibus non salventur, sicut de facto id voluit. Imo hic efficacitatis modus, quem prædictæ voluntati antecedenti concedimus, est valde conformis naturæ ipsius prout in Deo reperitur : quandoquidem sicut quævis efficacitas composibilis cum voluntate consequente, et ei proportionata, est illi ob sui maximam perfectionem adscribenda, ita etiam efficacitas illa, quæ cum voluntate antecedente fuerit composibilis, et illi proportionata, potest eidem proportionate ad eamdem, et juxta ea, quæ jam diximus, tribui. Quia etiam juxta propriam rationem est summe perfecta.

Utrum autem hæ duæ voluntates, scilicet antecedens, et consequens distinguantur virtualiter secundum ea, quæ important in recto? an vero solum penes distincta connotata inadæquata? et ita dicant duplicem solum rationem inadæquatam, inadæquatione se tenente ex parte nostri imperfecti modi concipiendi? alia quæstio est, quæ ex dictis disp. 2 et disp. 7 soluta manet.

25. Animadversio ad solutionem tertii.

Ad tertium ut respondeamus prænotandum est, dupliciter posse aliquem actum esse et dici inefficacem : primo inefficacitate actus, secundo inefficacitate objecti. Tunc actus est inefficax primo modo, quando tendit ad objectum ut omnino in particulari, et attentis omnibus circumstantiis hîc et nunc occurrentibus, et nihilominus non vult efficaciter, et simpliciter ut res illa fiat. Tunc vero est inefficax posteriori modo, quando versatur circa objectum secundum se, et quasi in communi propositum voluntati, ita quidem, ut proponatur in illo signo antecedenti, in quo non objicitur res omnino in particulari, et cum omnibus circumstantiis.

Ratio animadversionis

Ratio autem ob quam quoties actus versatur circa objectum priori modo, dicitur inefficax inefficacitate actus, et non ex parte objecti, est : Quia objectum in hoc statu, et consideratione objectiva idoneum erat ex se ad efficacem actum terminandum, et hunc quasi exigit : et ideo inefficacia actus ad illum terminati non est ex defectu objecti, sed ex defectu actus, seu elicientis illum. Sicut e contra quando actus terminatur ad objectum posteriori modo, dicitur inefficax inefficacitate objecti, quia objectum talem induit naturam, et conditionem, ut proponatur in illo signo antecedenti ad objicibilitatem ejusdem cum omnibus suis circumstantiis : objectum autem ut sic præcise acceptum, non est exequendum, neque ad ultimam (ut sic dicamus) efficacitatem objectivam spectat, secundum quam res ut in particulari omnino exequenda proponitur. Et ita quamvis actus circa id, quod objectum in illo signo postulat, eliciatur, non debet esse efficax omnino : non quidem defectu actus, aut elicientis illum, sed defectu objecti, quod in illo signo, et antecedente consideratione non proponitur, ut in particulari exequendum : ac proinde nec est de se ut ita sumptum, idoneum ad efficacem actum terminandum.

26. Ad formam argumenti.

Unde ad argumentum in forma, distinguenda est major : *Omnis libera voluntas Dei est efficax*, ex parte, transeat major, quia ut diximus ex vi voluntatis antecedentis habet Deus efficaciter velle media, et causas universales requisitas, et sufficientes in ordine ad positionem rei volitæ : *Est efficax*, totaliter ita ut ex vi illius omnino mandetur executioni id, quod intenditur, neganda est major.

Ad primam probationem majoris.

Et ad primam probationem distinguendum est antecedens : *Quæ est inefficax*, inefficacia actus, concedendum est : inefficacia objecti, negari debet. Cæterum volitio illa antecedens salvandi omnes, tantum est inefficax inefficacitate objecti : quia non tendit ad ipsum in illo posteriori, in quo est vestitum omnibus peculiaribus circumstantiis, seu in illo signo, in quo ad illas attenditur; sed in priori antecedenti, ut supra explicatum est.

Et ad secundam probationem distinguendum est antecedens : *Ad statum futuritionis*, secundum quid, concedo : *Ad statum futuritionis*, simpliciter et absolute, negari debet. Quia prioritas illa, in qua res voluntate antecedente est volita, non est priori-

tas futuritionis simpliciter, quippe non est prioritas considerationis rei, ut omnino in particulari, et attentis omnibus circumstantiis exequendæ. Et ita neganda est consequentia. Quia sola res, quæ simpliciter est futura, debet suo tempore executioni mandari; non vero illa, quæ secundum quid tantum, habet futuritionem.

Ex quo etiam colligitur, quinam sit sensus conclusionis secundæ a D. Thom. in hoc articulo adductæ, scilicet voluntatem antecedentem non semper impleri. Non enim volumus per illam particulam, *non semper*, aliquam antecedentem voluntatem ex vi ejusdem cum præcisione sumptæ impleri omnino; sed ideo hoc loquendi modo usi sumus, quia ad id ipsum, quod voluntate antecedente est volitum, solet multoties, licet non semper, voluntas consequens terminari, et ex vi ejusdem executioni mandari.

DUBIUM IV.

Utrum voluntas Dei consequens semper impleatur?

27. Conclusio. D. Thom. Psal. 134. Esther. 13. Ad Rom. 11. Conclusio est affirmativa. Hæc est de fide, ut ostendit D. Thom. ex illo Psalm. sæpe dicto : *Omnia quæcumque voluit, fecit.* Et suaderi etiam potest ex illo Esther : *Nemo est, qui possit resistere voluntati tuæ.* Ad Roman. 11 : *Voluntati ejus quis resistet?*

Probatur primo. Ratione deinde probatur primo. Nam si Deus voluntate consequente, ac proinde voluntate simpliciter et efficaci, aliquid vult, expensis omnibus circumstantiis hic et nunc occurrentibus, eo ipso applicat suam omnipotentiam ad hoc ut res illa executioni mandetur sicut ipse vult : cumque divina potentia sit infinitæ efficacitatis, fiet inde, ut voluntas ejus consequens semper suum effectum, sicut vult operetur.

28. Secundo Tandem hoc ipsum ratione ejusdem sancti Doctoris hic adducta probatur sic. Effectus conformatur agenti secundum suam formam : ergo juxta naturam formæ, secundum quam agens agit, erit efficacia ejus, et modus efficaciatis, quem habet : at licet aliquid possit a particulari forma, verbi gratia, aquæ, equi, aut alterius similis; non tamen ab universali, scilicet entis deficere : quia nequit aliquid inveniri, quod entis rationem subterfugiat : ergo hæc eadem ratio in causis efficientibus reperietur : ita ut licet aliquis effectus possit ab ordine efficientis particularis deficere, quia nimirum ita impeditur ab aliqua particulari causa, ut vel nihil agat, vel monstruosum producat effectum: nihilominus nunquam ab ordine causæ universalis deficiet, sicut neque ab universali forma : quandoquidem causæ particulares ab universali comprehenduntur, et in efficacitate vincuntur : ergo cum voluntas Dei sit universalis rerum omnium causa, impossibile erit, ut suum effectum simpliciter ab eadem volitum non sortiatur.

Quomodo autem hæc cohæreant cum libertate creata, et an hæc efficacitas pendeat ex consensu libertatis ejusdem, vel non? supposito quod Deus voluntate consequente vult, aliquid ab arbitrio creato fieri? Dicemus art. 8 ubi plures, quæ hic ebullire videntur, difficultates dissolventur.

ARTICULUS VII.

Utrum voluntas Dei sit mutabilis?

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod voluntas Dei sit mutabilis. Dicit enim Dominus Genes. 6 : Pœnitet me fecisse hominem. Sed quemcunque pœnitet de eo quod fecit, habet mutabilem voluntatem : ergo Deus habet mutabilem voluntatem. 1 dist. 39, q. 1, art. 1, cor. et ad 3 et 4, et 1 con. cap. 82, et lib. 2, c. 25 fin. et lib 3, c. 91 et 98 fin. et pot. q. 3, art. 15, 7.

2 Præterea, Jerem. 18 : Ex persona Domini dicitur : Loquar adversus gentem, et adversus regnum, ut eradicem, et destruam, et disperdam illud, sed si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, agam et ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei. Ergo Deus habet mutabilem voluntatem.

3 Præterea, quidquid Deus facit, voluntarie facit : sed Deus non semper eadem facit : nam quandoque præcepit legalia observari, quandoque prohibuit : ergo habet mutabilem voluntatem.

4 Præterea, Deus non ex necessitate vult, quod vult, ut supra dictum † est : ergo potest velle, et non velle idem. Sed omne quod habet potentiam ad opposita, est mutabile : sicut quod potest esse et non esse, est mutabile secundum substantiam, et quod potest esse hic, et non esse hic est mutabile secundum locum : ergo Deus est mutabilis secundum voluntatem. † Artic. 3 hujus quæst.

Sed contra est, quod dicitur Num. 23 : Non est Deus quasi homo, ut mentiatur : neque ut filius hominis, ut mutetur.

Respondeo dicendum, quod voluntas Dei est omnino immutabilis. Sed circa hoc considerandum est, quod aliud est mutare voluntatem, et aliud est velle aliquarum rerum mutationem. Potest enim aliquis eadem voluntate immobiliter permanente, velle quod nunc fiat hoc, et postea fiat contrarium. Sed tunc voluntas mutaretur, si aliquis inciperet velle, quod prius non voluit, vel desineret velle, quod voluit. Quod quidem accidere non potest nisi præsupposita mutatione, vel ex parte cognitionis, vel circa dispositionem substantiæ ipsius voluntatis. Cum enim voluntas sit boni, aliquis de novo dupliciter potest incipere aliquid velle. Uno modo sic, quod de novo incipiat sibi illud esse bonum, quod non est absque mutatione ejus : sicut adveniente frigore incipit esse bonum sedere ad ignem, quod prius non erat. Alio modo sic, quod de novo cognoscat illud esse sibi bonum, cum prius hoc ignorasset. Ad hoc enim consiliamur, ut sciamus quid nobis sit bonum, ostensum est autem supra †, quod tam substantia Dei, quam ejus scientia est omnino immutabilis. Unde oportet voluntatem ejus omnino esse immutabilem. † q. 9, a. 1, et q. 14, a. 15, simul.

Ad primum ergo dicendum, quod illud verbum Domini metaphorice intelligendum est secundum similitudinem nostram. Cum enim nos pœnitet, destruimus quod fecimus, quamvis hoc esse possit absque mutatione voluntatis, cum etiam aliquis homo absque mutatione voluntatis interdum velit aliquid facere, simul intendens postea illud destruere.

Sic

Sic igitur Deus pœnituisse dicitur, secnudum similitudinem operationis, in quantum hominem, quem fecerat, per diluvium a facie terræ delevit.

Ad secundum dicendum, quod voluntas Dei cum sit causa prima, et universalis non excludit causas medias, in quarum virtute est, ut aliqui effectus producantur. Sed quia omnes causæ mediæ non adæquant virtutem causæ primæ, multa sunt in virtute et scientia, et voluntate divina, quæ non continetur sub ordine causarum inferiorum, sicut resuscitatio Lazari. Unde aliquis respiciens ad causas inferiores, dicere poterat, Lazarus non resurget; respiciens vero ad causam primam divinam, poterat dicere · Lazarus resurget. Et utrumque horum Deus vult, scilicet quod aliquid quandoque sit futurum secundum causam inferiorem, quod tamen futurum non sit secundum causam superiorem, vel e converso. Sic ergo dicendum est quod Deus aliquando pronuntiat aliquid futurum, secundum quod continetur in ordine causarum inferiorum, ut puta secundum dispositionem naturæ, vel meritorum : quod tamen non fit : quia aliter est in causa superiori divina. Sicut cum prædixit Ezechiæ : Dispone domui tuæ, quia morieris, et non vives (ut habetur Isai 38), neque tamen ita evenit, quia ab æterno aliter fuit in scientia, et voluntate divina, quæ immutabilis est. Propter quod dicit Greg. † quod Deus immutat sententiam, non tamen mutat consilium, scilicet voluntatis suæ. Quod ergo dicit pœnitentiam agam ego, intelligitur metaphorice dictum, nam homines quando non implent quod comminati sunt, pœnitere videntur.

† Lib. 20 mor. c. 23, in medio.

Ad tertium dicendum, quod ex ratione illa non potest concludi. quod Deus habeat mutabilem voluntatem, sed quod mutationem velit.

Ad quartum dicendum, quod licet Deum velle aliquid non sit necessarium absolute, tamen necessarium est ex suppositione, propter immutabilitatem divinæ voluntatis, ut supra dictum † est.

† Ar. 3 hujus quæst.

Conclusio est negativa.

Animadversio circa litteram articuli.

1. Circa hujus articuli literam notandum est, posse circa eam plura dubia excitari : cæterum quia eorum decisio constat ex iis, quæ circa actum liberum artic. 3 latissime diximus, ideo illa in præsenti non excitamus ; sed solum obiter notamus, ex conclusione articuli optime sequi, Deum quidquid semel voluit, illud ab æterno voluisse : ac proinde erit, saltim in sensu composito, impossibile, quod in tempore desinat velle illud, aut incipiat velle aliquid, quod ab æterno non voluit. Et ratio est. Quia inde optime colligeretur, volitionem illam non esse quoad entitatem infinite perfectam. Nam sicut licet volitio libera Dei, secundum terminationem præcise sumpta, non addat perfectionem, nihilominus si Deus non haberet aliquam, quam ipse maluerit terminationem circa quamvis partem contradictionis, colligeremus entitatem illam, quæ potest terminari, non esse undequaque perfectam, ut disp. 5 num. 73 probavimus : ita si denominatio aliqua, ex genere suo, et modo illo, quem loco statim referendo explicuimus, intrinseca, qualis est denominatio libere volendi, reperiretur in Deo, et non mensurata per æternitatem, optime colligeremus, entitatem dantem illam denominationem non esse infinite perfectam. Quia denominationes intrinsecæ, et immanentes, quæ in summo perfectionis gradu sunt, ac proinde a forma infinita per essentiam tribuuntur, debent æternitate mensurari Videantur ea, quæ in tract. de Scientia Dei, disp. 8 n. 100 usque ad 110 diximus.

2. Accedit, quod ex opposito colligeremus in Deo quamdam animi inconstantiam, et imprudentem operandi modum in suis decretis. Nam cum Deus in illo siguo æternitatis, et scientiæ simplicis intelligentiæ, in quo res omnes secundum suum *esse* possibile, et cunctas illarum circunstantias cognoscit, non potuerit manere suspensus, fiet inde, ut circa quamlibet contradictionis partem (modo tamen supradicto) decreverit. Unde mutare illud decretum, quod ab æterno habuit, non potest non esse aliquid inconstantiæ, et imprudens operandi modus.

ARTICULUS VIII.

Utrum voluntas Dei necessitatem rebus volitis imponat ?

Ad octavum sic proceditur. Videtur quod voluntas Dei rebus volitis necessitatem imponat. Dicit enim August. in * Enchirid. : Nullus fit salvus, nisi quem Deus voluerit salvari : et ideo rogandus est, ut velit, quia necesse est fieri, si voluerit. 1, 2, q. 20, art. 4, et 1, cont. c. 85, et

2 Præterea, omnis causa, quæ non potest impediri, ex necessitate suum effectum producit : quia et natura semper idem operatur, nisi aliquid impediat, ut dicitur in secundo Physic. *, sed voluntas Dei non potest impediri, dicit enim Apostol. ad Roman. 9 : Voluntati enim ejus quis resistet? ergo voluntas Dei imponit rebus volitis necessitatem. lib. 2, c. 29, et lib. 3, c. 73, usque 78 et 79

3 Præterea, illud quod habet necessitatem ex priori, est necessarium absolute : sicut animal mori est necessarium, quia est ex contrariis compositum : sed res creatæ a Deo comparantur ad voluntatem divinam, sicut ad aliquid prius a quo habent necessitatem; cum hæc conditionalis sit vera, Si aliquid Deus vult, illud est : omnis autem conditionalis vera, est necessaria. Sequitur ergo quod omne quod Deus vult, sit necessarium absolute. fin. et ver. q. 23, a. 5, et 1. Perih. l. 14, col. 5.

Sed contra, omnia bona quæ fiunt, Deus vult fieri. Si igitur ejus voluntas imponat rebus volitis necessitatem, sequitur quod omnia bona ex necessitate eveniunt : et sic perit liberum arbitrium, et consilium, et omnia hujusmodi. *Enchir. c. 103, tom. 3.

Respondeo dicendum, quod divina voluntas quibusdam volitis necessitatem imponit, non autem omnibus. Cujus quidem rationem aliqui assignare voluerunt ex causis mediis : quia ea, quæ producit per causas necessarias, sunt necessaria : ea vero quæ producit per causas contingentes, sunt contingentia. Sed hoc non videtur sufficienter dictum propter duo. Primo quidem, quia effectus alicujus primæ causæ est contingens propter causam secundam, ex eo quod impeditur effectus causæ primæ per defectum causæ secundæ : sicut virtus Solis per defectum plantæ impeditur. Nullus autem defectus causæ secundæ impedire potest, quin voluntas Dei effectum suum producat. Secundo quia si distinctio contingentium a necessariis referatur solum in causas secundas, sequitur hoc esse præter intentionem, et voluntatem divinam, quod est inconveniens : et ideo melius dicendum est, quod hoc contingit propter efficaciam divinæ voluntatis. Cum enim aliqua causa efficax fuerit ad agendum, effectus consequitur causam, non tantum secundum id quod fit, sed etiam secundum modum fiendi, vel essendi. Ex debilitate enim virtutis activæ in semine contingit, quod filius nascitur dissimilis patri in accidentibus, quæ pertinent ad modum essendi. Cum igitur voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur, quod fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Vult autem quædam fieri Deus necessario, quædam contingenter, ut sit ordo in rebus ad complementum universi. Et ideo quibusdam effectibus aptavit causas ne- * Lib. 2 Physic. tex. 84, tom. 2.

cessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt Quibusdam autem aptavit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniant. Non igitur propterea effectus voliti a Deo eveniunt contingenter, quia causæ proximæ sunt contingentes; sed propterea quia Deus voluit eos contingenter evenire, contingentes causas ad eos præparavit.

Ad primum ergo dicendum, quod per illud verbum August. intelligenda est necessitas in rebus volitis a Deo non absoluta, sed conditionalis. Necesse est enim hanc conditionalem veram esse, si Deus hoc vult, necesse est hoc esse.

Ad secundum dicendum, quod ex hoc ipso, quod nihil voluntati divinæ resistit, sequitur quod non solum fiunt ea, quæ Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter, vel necessario, quæ sic fieri vult.

Ad tertium dicendum, quod posteriora habent necessitatem a prioribus secundum modum priorum. Unde et ea, quæ fiunt a voluntate divina, talem necessitatem habent, qualem Deus vult ea habere, scilicet, vel absolutam, vel conditionalem tantum. Et sic non omnia sunt necessaria absolute.

Conclusio : Divina voluntas necessitatem imponit quibusdam rebus volitis, non tamen omnibus.

ARTICULUS IX.

Utrum voluntas Dei sit malorum?

2, dist. 46, a. 4, et 1 cont. c. 95, et lib. 2. c. 25, fin. et pot. q. 1, ar. 6, et 5, quo. q. 3, artic. 2.

Ad nonum sic proceditur. Videtur quod voluntas Dei sit malorum. Omne enim bonum quod fit Deus vult : sed mala fieri bonum est. Dicit enim August. in Enchir * : Quamvis ea, quæ mala sunt, in quantum mala sunt, non sint bona, tamen ut non solum sint bona, sed etiam ut sint mala, bonum est fieri : ergo Deus vult mala.

2 Præterea, dicit Dionys. 3 c. de divinis nominib. : Erit malum ad omnis, idest, universi perfectionem conferens. Et Aug. dicit in Enchir. † : Ex omnibus consistit universitalis admirabilis pulchritudo, in qua etiam illud, quod malum dicitur bene ordinatum, et loco suo positum, eminentius commendat bona, ut magis placeant et laudabiliora sint, dum comparantur malis : sed Deus vult omne illud quod pertinet ad perfectionem et decorem universi, quia hoc est, quod Deus maxime vult in creaturis : ergo Deus vult mala.

* Cap. 96, circa princ. tom. 3.

† Enchir c. 10 in fine, et 11 in princ. tom. 3.

3 Præterea, mala fieri et non fieri sunt contradictorie opposita : sed Deus non vult, mala non fieri, quia cum mala quædam fiant, non semper voluntas Dei impleretur : ergo Deus vult mala fieri.

Sed contra est quod dicit Aug. in * lib. 83 quæst. : Nullo sapiente homine authore, sit homo deterior; est autem Deus omni sapiente homine præstantior : multo igitur minus Deo authore fit aliquis deterior. Illo autem authore fit aliquid, quod fit illo volente. Non ergo volente Deo fit homo deterior. Constat autem quod quolibet malo fit aliquis deterior : ergo Deus non vult mala.

* Lib 83 quæst. q. 2, i. 4.

Respondeo dicendum, quod cum ratio boni sit ratio appetibilis (ut supra dictum est †), malum autem opponatur bono : impossibile est, quod aliquod malum in quantum hujusmodi appetatur, neque appetitu naturali, neque animali, neque intellectuali, qui est voluntas : tamen aliquod malum appetitur per accidens, in quantum consequitur ad aliquod bonum, et hoc apparet in quolibet appetitu. Non enim agens naturale intendit privationem, vel corruptionem, sed formam, cui conjungitur privatio alterius formæ, et generationem unius, quæ est corruptio alterius. Leo enim occidens cervum intendit cibum, cui conjungitur occisio animalis. Similiter fornicator intendit delectationem, cui conjungitur deformitas culpæ. Malum autem, quod conjungitur alicui bono, est privatio alterius boni. Nunquam igitur appeteretur malum, nec per accidens, nisi bonum, cui conjungitur malum, magis appeteretur, quam bonum, quod privatur per malum. Nullum autem bonum Deus magis vult, quam suam bonitatem. Vult tamen aliquod bonum magis, quam aliud quoddam bonum. Unde malum culpæ, quod privat ordine ad bonum divinum, Deus nullo modo vult, sed malum naturalis defectus, vel malum pœnæ vult, volendo aliquod bonum, cui conjungitur, tale malum. Sicut volendo justitiam, vult pœnam, et volendo ordinem naturæ servari, vult quædam naturaliter corrumpi.

† Q. 5, art. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod quidam dixerunt, quod licet Deus non velit mala, vult tamen mala esse, vel fieri, quia licet mala non sint bona, bonum tamen est, mala esse vel fieri : quod ideo dicebant, quia ea quæ in se mala sunt, ordinantur ad aliquod bonum, quem quidem ordinem importari credebant in hoc, quod dicitur mala esse, vel fieri. Sed hoc non recte dicitur, quia malum non ordinatur ad bonum per se, sed per accidens. Præter intentionem enim peccantis est, quod ex hoc sequatur aliquod bonum sicut præter intentionem tyrannorum fuit, quod ex eorum persecutionibus claresceret patientia martyrum. Et ideo non potest dici, quod talis ordo ad bonum importetur per hoc quod dicitur, quod malum esse, vel fieri, sit bonum : quia nihil judicatur secundum illud, quod competit ei per accidens, sed secundum illud, quod competit ei per se.

Ad secundum dicendum, quod malum non operatur ad perfectionem et decorem universi, nisi per accidens, ut dictum est *. Unde et hoc quod dicit Dionys. quod malum est ad universi perfectionem conferens; concludit inducendo quasi ad inconveniens

* In solut. ad arg. præced.

Ad tertium dicendum, quod licet mala fieri, et mala non fieri contradictorie opponantur, tamen velle mala fieri, et velle mala non fieri, non opponuntur contradictorie, cum utrumque sit affirmativum. Deus igitur neque vult mala fieri, neque vult mala non fieri, sed vult permittere mala fieri, et hoc est bonum.

Conclusio : Voluntas Dei est malorum pœnæ, non tamen malorum culpæ.

Animadversio circa literam utriusque articuli.

Circa hos duos articulos notandum est, quod tota dubitandi ratio, quæ esse poterat tum ad suspicandum quod divina voluntas imponat omnibus rebus volitis necessitatem, eo ipso quod illas velit, tum etiam quod ad mala culpæ formaliter sumptæ terminetur, est, quia ante consensum prævisum voluntatis liberæ creatæ, et independenter ab illo efficaciter præ diffiniat effectus ab ipsa eliciendos cum omnibus suis circumstantiis in particulari sumptos. Nam cum hi effectus sint simpliciter contingentes (quandoquidem qui a causis omnino necessariis proveniunt, certum est quod sunt necessarii, et quod etiam ex divina voluntate habent suam necessitatem) videtur inde fieri, quod si Deus prædicta efficaci voluntate, cui juxta illud Esther : *Nemo est qui possit resistere,* eosdem actus liberos prædiffiniat, non possint non subsequi tales actus, ac proinde necessario fient : et consequenter divina voluntas omnibus rebus volitis necessitatem imponeret.

Esther. 13.

Sicut etiam inde videtur sequi, quod Deus velit mala culpæ formaliter sumpta volitione saltim indirecta, quæ respectu malorum est simpliciter voluntas : quandoquidem plures ex actibus liberis creatis sunt intrinsece mali, ac proinde qui efficaciter prædiffinit, et vult illos secundum substantiam, videtur eosdem etiam quoad malitiam velle : et ideo ut doctrina horum articulorum perspicua maneat, de his peculiariter agemus.

DISPUTATIO

DISPUTATIO X.

De prædiffinitionibus, seu prædeterminationibus immanentibus divinæ voluntatis respectu omnium effectuum causarum secundarum.

1. Quamvis peculiariter et potissime in hac disp. de prædiffinitionibus, quibus Deus prædiffinit actus liberos voluntatis creatæ, agendum sit; nihilominus quia quoad hoc eadem est ratio de actibus liberis creatis, ac de quibuscumque aliis effectibus, propter ea generaliter de prædiffinitionibus, seu prædeterminationibus immanentibus divinæ voluntatis, quibus cunctos effectus creatos prædiffinit, disputationem hanc excitavimus.

Consulto autem disputamus de prædiffinitionibus et prædeterminationibus immanentibus divinæ voluntatis, ut per hoc denotemus, nos non agere, an ex vi harum prædiffinitionum et prædeterminationum resultet in causis secundis aliquod auxilium vel prædeterminatio ex se efficax, et infallibiliter inferens effectum ratione cujus Deus exequatur id, quod a se efficaciter præfinitum est necne? Quia, ut sæpe diximus, id peculiariter decreto sanctissimi domini nostri Pauli V cautum et prohibitum est. Et propterea quoties de divinis prædeterminationibus in præsenti agimus, toties præcise de divinis decretis ex se efficacibus, quæ sunt intrinsece in Deo, et extrinsece, efficaciter tamen, prædeterminant causas secundas ad actum prædiffinitum, loquimur.

DUBIUM I.

Utrum juxta sacram Scripturam Deus prædiffiniat omnes effectus, aut actus bonos causarum secundarum sumptos in particulari et cum omnibus circumstantiis?

2. animadversio. Pro tituli intelligentia notandum est, quod nomine diffinitionis, ut in præsenti accipitur, intelligimus decretum, seu voluntatem, per quam Deus absolute et simpliciter velit, ut aliquid in tempore executioni mandetur. Qui enim rem aliquam decernit, illam sic fieri, aut futuram esse diffinit. At illa particula *præ* antecessionem aliquam significat. Cæterum hæc potest esse duplex, vel durationis, vel causalitatis. Sed quia satis patet divinum decretum esse æternum, ac proinde collatum cum effectibus, vel actibus, sive necessariis, sive liberis causarum secundarum, ut in propria temporis differentia existentibus, esse in duratione prius, sicut et quod comparatum cum eisdem, ut futuris, non antecedat eosdem reali duratione, quia quod futurum est, ab æterno habuit futuritionis statum, ideo tota difficultas hujus dubii circa antecedentiam et prioritatem causalitatis versatur.

Sensus tituli. Quare sensus illius est: an detur in Deo decretum, quo decernat, quod causa secunda, sive necessaria, sive libera eliciat actum, aut producat effectum bonum in tali loco, et tempore, tanta intensione, et cum omnibus aliis circumstantiis, quæ undequaque illum circumstant, aut ad eum pertinent? ita quidem ut etiam si tale decretum circa consensum liberum voluntatis creatæ modo dicto versetur, nihilominus ex vi sua haheat intrinsecam efficacitatem ante talem consensum, vel prævisionem illius ad hoc ut infallibiliter faciat, quod arbitrium creatum eliciat prædictum consensum.

Consulto autem diximus, aliquem actum, aut effectum bonum, seu (quod in idem quoad præsens redit) aliquem actum, aut effectum, qui non sit peccatum, quia de actibus, aut effectibus peccaminosis in hac eadem disp. sigillatim agemus.

§ I.

Refertur prior sententia.

3. Primum testimonium. Herice. Partem negantem tuentur plures Theologi, quos dub. 3 hujus disp. pro contraria sententia referemus. Eam autem probat Herice 1 p. tract. 2 disp. 19 c. 2 duplici testimonio Scripturæ. Primum est illud Ecclesiast. 5: *Apposui tibi ignem et aquam;* Eccles. 5. *ante hominem vita et mors bonum et malum, quod placuerit ei dabitur illi.* Ubi bonum et malum dicitur esse in manu consilii hominis: at si Deus habet prædictum decretum efficax, tunc bonum et malum non erit in manu humani consilii, quia per illud ligatur indifferentia voluntatis creatæ, atque impeditur quoad usum: quemadmodum si teneretur homo vinculis ferreis ligatus ita arcte, ut virtutem movendi exercere non posset imminente periculo mortis, quam fugiendo posset evadere, tunc nequaquam mors et vita in manu consilii sui essent: ex eo quod hoc decretum multo arctius ligat: siquidem est longe efficacius, quam

quodvis vinculum ferreum arctissime ligans.

4. Secundum. Isaiæ 15. Secundum vero est illud Isaiæ, 15 : *Nunc ergo, habitatores Jerusalem, et viri Juda, judicate inter me et vineam meam, quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ et non feci ei? an quod expectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas?* Si autem Deus omnes effectus causarum secundarum decreto suo efficaci prædiffinit, tunc vinea illius, de qua in præsenti loquitur, scilicet tribus Juda, et Benjamin, ut constat ex textu ibidem : *Vinea enim Domini exercituum domus Israel est, et viri Juda germen ejus delectabile,* posset dicere Deo, quod debuit ultra facere habendo decretum efficax de fructu illius. Et ita si Deus habuisset prædictum decretum efficax, tunc prædicta vinea debitum reddidisset fructum, quod si non reddidit, ideo fuit, quia Deus non habuit prædictum decretum. Et ratio est. Quoniam si semel in Deo prædictum decretum ponitur, debet esse omnino necessarium ad hoc ut causa secunda operetur, ut ex dicendis in hac disp. dub. 4 constabit : ac proinde hoc ipso quod tale decretum non habeatur a Deo, debuit Deus ultra facere, ac fecit, scilicet habere tale decretum, quod erat vineæ necessarium, ad hoc ut debitum redderet fructum.

Quæ duo testimonia etsi solum loquantur expressius de divino decreto circa actus liberos, idem etiam probant de eo circa quamcumque aliam actionem, sive effectum aliarum causarum secundarum : quia quoad hoc eadem proportionalis ratio est de omnibus, ut ex infra dicendis constabit.

§ II

Vera sententia.

5. Assertio Dicendum tamen est, quod juxta sacram Scripturam Deus suo absoluto et efficaci decreto prædiffinivit, modo in explicatione tituli dicto, omnes actus liberos bonos voluntatis creatæ, et quemcumque alium actum, sive effectum cujuscumque alterius causæ secundæ. Ita communiter discipuli divi Thomæ, et plures alii, quos in hac eadem disputat. dub. 2 et dub. 3 n. 56 adducemus. Assertio hæc satis constat ex dictis in tract. de Scientia Dei disp. 8 n. 9 et deinceps. Ubi ex sacra Scriptura ostendimus, Deum mediante suo decreto efficaci, et ex se infallibiliter inferente effectum, quem decernit cognoscere futura contingentia, sive absoluta, sive conditionata Sed nihilominus potest suaderi ex illo Pauli ad Ephes. 2 : *Ipsius enim sumus factura creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.* Ephes. 2.

In quo testimonio duo expendenda sunt. Primum est, quod electi, in ipsis bonis operibus a Deo præparatis creari dicuntur : quoniam sicut creatio nullum omnino subjectum præsupponit, ita bona opera, in quibus electi creari a Deo dicuntur, nullum consensum voluntatis creatæ prævisum præsupponunt : sed sicut creatio suummet subjectum, seu materiam, *circa quam,* efficit, ita etiam præparatio et prædiffinitio æterna ex se habet, quod consensum voluntatis creatæ (qui est subjectum, seu materia circa quam versatur) inferat, ut ponendum in tempore futuro cum eisdem circumstantiis, cum quibus re ipsa existit. Expensio prima.

Secundum est, quod nomine præparationis istius intelligit Apost. prædiffinitionem eorumdem bonorum operum, non qualitercumque, sed cum omnibus circumstantiis, cum quibus in tempore executioni mandantur. Nam ex hac præparatione, seu prædiffinitione oritur id, quod Apostol. inquit, scilicet quod in illis ambulemus : siquidem, ut in hac disp. expendemus, quidquid voluntas creata seu secunda habet, debet ei provenire a voluntate increata et prima, ac proinde quod actu et efficaciter in operibus bonis, et cum talibus, vel talibus circumstantiis ambulet, debet illi provenire ex actuali, et ex se efficaci decreto divinæ voluntatis. 6. Secunda

Quod testimonium ita urget, ut, eo aliqualiter expenso, facile corruant evasiones adversariorum. Nam in primis occurrunt aliqui dicentes, quod aliud est prædiffinire, aliud præparare : prædiffinire namque est statuere omnino, ut fiat; præparare autem solum est disponere omnia necessaria, ut aliquid fiat : sicut præparat prandium, qui disponit fercula ad illud requisita, etiamsi non omnino statuat, ut aliquis comedat, sed solum sub conditione si voluerit. 7. Evasio aliquorum.

Hæc igitur evasio nullius est momenti. Tum quia juxta eam non salvatur id, quod jam innuimus, scilicet voluntatem creatam hoc ipso quod sit voluntas secunda debere habere a prima, tam quod possit ambulare in operibus bonis, quam quod actu, et in exercitio, ac efficaciter in illis ambulet : at per præparationem illam, de qua in hac evasione, non salvatur, quod voluntas creata habeat Præcluditur primo.

habeat a prima actu et in exercitio, ac efficaciter velle, sed solum quod possit velle : cum tamen hoc quod est actu velle sit aliquid distinctum ab ipso *posse* ad volendum : et propterea debeat illi provenire a voluntate divina, seu a divino decreto, quod Deus faciat, ut voluntas creata velit. De qno videantur omnino ea, quæ in tract. de Scientia Dei disp. 8 a num. 16 et deinceps diximus.

Tum etiam : quia D. Athanas. explicans verba Pauli hanc præparationem appellat prædiffinitionem his verbis : *Sciens autem hæc* (supple bona opera) *paravit Deus, quæ differri non poterunt, neque prætermitti, quin peragantur, tanquam divinitus sint præfinita, quousque sit procedendum, idque per multam erga nos providentiam*. Ubi expendendum est Athanasium dicere, quod non solum bona opera prædestinatorum dicuntur præfinita ; sed etiam prædiffinitionem comprehendere intensionem et durationem eorumdem operum : hoc enim est, prædiffinitum esse quousque sit procedendum, et non potuisse opera illa differri, aut intermitti. Et quia hæc tam exacta prædiffinitio coïncidit cum perfectissima Dei providentia, vel trahit secum illam, de qua scriptum est Sapient. 8 : *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*, idcirco dicitur, hoc fieri a Deo propter multam erga nos providentiam.

Tum deinde : quia Augustin. lib. de prædestinat. Sanct. cap. 10 (cujus verba desumsit D. Prosper ad capit. Gallorum, responsione 14) inquit : *Fidei et charitatis opera, quæ per Dei gratiam fuerunt prædestinata, recte prædiffinita dicuntur authoritate Apostoli, creati in operibus bonis, quæ præparavit Deus*. Augustinum, et Prosperum sequuntur tam Fulgentius lib. 1 ad Monimum. cap. 29 : *Puto* (inquiens) *his verbis beati Augustini evidenter esse ostensum, Deum bona sua opera præsciisse et prædestinasse* ; quam Anselmus et Beda in eodem loco.

Ac tandem D. Thom. super hæc eadem verba Pauli, ubi sic inquit : *Ipsa bona opera sunt nobis a Deo, Isai*. 36, *omnia enim opera nostra operatus est in nobis · et quia quos prædestinavit, hos et vocavit, scilicet per gratiam, ut dicitur Romanor*. 8 ; *ideo subdit de prædestinatione dicens (quæ) scilicet bona opera, præparavit Deus : nihil enim aliud est prædestinatio, quam præparatio beneficiorum Dei, inter quæ beneficia computantur et ipsa bona opera nostra. Dicitur autem Deus nobis aliqua præparare, in quantum disponit se nobis daturum*. Ubi, ut vides juxta sententiam et explicationem sancti Doctoris eatenus dicuntur bona opera præparari a Deo, quatenus disposuit, se ea nobis daturum. Constat autem hanc dispositionem Dei, qua disponit se ea nobis daturum, includere efficax decretum Dei illa prædiffiniens : quoque efficaciter decernit, ut in illis ambulemus.

Nec id, quod pro se adducit hæc solutio, ei prodest. Quoniam est aperta disparitas inter illud exemplum, et rem de qua agimus. Nam qui præparat prandium, tantum præparat materiam comestionis, non vero comestionem ipsam : at in præsenti ipsæ etiam operationes bonæ dicuntur a Deo præparari, ut ex loco citato constat. Unde nec etiam quoad præsens verum est, id, quod in hac eadem solutione dicitur, nempe aliud esse præparare, aliud vero disponere, statuere, seu prædiffinire : quoniam juxta Scripturæ phrasin, et quoad rem de qua agimus, hæc omnia in idem redeunt, vel se includunt, ut constat ex illo Pauli : *Nec oculus vidit* etc. *quæ præparavit Deus diligentibus se*, id est, quæ statuit, disposuit, et præfinivit Deus se daturum iis, qui illum diligunt. Et ideo prædestinatio involvens firmam Dei dispositionem, decretum, et præfinitionem de mediis efficaciter conducentibus ad vitam æternam, diffinitur per hoc, quod sit præparatio beneficiorum Dei, quibus electi certissime salvantur.

Respondetur exemplo hujus evasionis.

Deinde occurrunt alii, ex hoc testimonio ad summum colligi, Deum prædiffinire aliqua opera arbitrii creati, nempe supernaturalia ; non vero alia opera ordinis naturalis, ita ut nihil fiat sine prædicta prædiffinitione ex se efficaci.

10. Evasio aliorum.

Hæc igitur solutio ex dictis etiam corruit. Quia eadem est ratio quoad hoc de operibus supernaturalibus, et de aliis ordinis naturalis : siquidem ut paulo ante innuebamus, ex eo inter alia voluntas creata indiget ad actiones supernaturales voluntate Dei prædiffiniente illas, quia prædictæ operationes eliciuntur a voluntate creata ut a secundo libero : et ideo debet primum liberum facere, et decernere, ad hoc ut secundum liberum eas libere eliciat, quod tam liberum *velle* ipsius, quam quidquid est in causa secunda, habeatur ab ea secundum modum causæ secundæ, scilicet tanquam quid emendicatum, et participatum a causa prima. De quo videri debent ea, quæ in hac disp. num. 57. et deinceps dicemus

Præcluditur.

Unde loquens Paulus de iis quæ cadunt sub divina prædestinatione includente voluntatem Dei prædiffinientem, ac proinde de operibus ordinis supernaturalis, per quæ electi vitam æternam consequuntur, inde, nos prædestinari colligit, et per consequens prædicta opera cadere sub divina prædestinatione, quia Deus operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, seu quia ipse vult. Et ita in eadem epist. ad Ephes. cap. 1 inquit : *In quo etiam nos sorte vocati sumus prædestinati secundum propositum ejus qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Quæ verba D. Thom. ibidem sic exponit : *Ponit voluntariam Dei prædestinationem, cujus quidem prædestinationis ratio non sunt merita nostra, sed mera Dei voluntas, propter quod subdit, secundum propositum ejus : quod autem secundum propositum prædestinaverit, probat : quia non solum hoc sed etiam omnia alia, quæ Deus facit, operatur secundum consilium voluntatis suæ, Psalm.* 134 : *Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit; Isaiæ,* 46 : *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet.*

Ad Ephes. 1.

D.Thom.

11. Hoc autem magis explicuit sanctus Doctor in verbis statim sequentibus, in quibus sic inquit : *Non autem dicit secundum voluntatem, ne credas, quod fit irrationabilis, sed secundum consilium voluntatis suæ, idest, secundum voluntatem suam, quæ est e ratione : non secundum quod ratio importat discursum, sed secundum quod designat certam et deliberatam voluntatem.* Constat autem quod nomine certæ et deliberatæ voluntatis, non intelligitur voluntas conditionalis, et inefficax, qua Deus decernat se influxurum in actus v. g. voluntatis creatæ, si ipsa voluerit. Nam hæc voluntas non est certa, sed potius incerta et indeterminata : siquidem ex vi hujus voluntatis non habet Deus potius concurrere, quam non concurrere, sed sicut concurreret, si voluntas creata vellet, ita non concurreret, si voluntas creata non vellet.

Quod etiam non parum elucidavit 1, 2, q. 14 ar. 1 ad 2 inquiens, in Deo non reperiri consilium, secundum quod importat inquisitionem, et discussionem mediorum, quia hoc dicit imperfectionem; sed quantum ad certitudinem scientiæ, et judicii. Ex quo optime sequitur, quod operari Deum secundum consilium voluntatis suæ est firmiter statuisse ab æterno omnia quæcumque facit in tempore. Hæc autem firma constitutio divina est decretum absolutum prædeterminans, et prædifiniens illa.

Tandem occurrunt alii, quod ex his testimoniis solum habetur, Deum prædiffinire omnia opera nostra antequam fiant actu in tempore, non tamen antequam per scientiam mediam prævideantur futura. Nam per istam scientiam Deus prius videt quid voluntas creata his, vel his vocationibus, et in his vel illis occasionibus vocata faciet, et postquam prævidit, quod si his vocationibus, et in hac occasione excitaretur, consentiet, vult absolute collocare illam in prædicta occasione et illis vocationibus illam excitare : et ita nunquam prædiffinit ante prævisum consensum, ne temere et cum periculo frustrationis sui decreti prædiffiniat. 12 Ulti alior evas

Cæterum hæc solutio satis corruit ex dictis. Tum quia in tract. de Scientia Dei a disp. 7 usque ad disp. 12 multis ostendimus impossibilitatem hujus scientiæ mediæ. Tum etiam : quia, ut nuper dicebamus, propterea electi dicuntur creati in operibus bonis, quia sicut creatio non supponit ut futurum subjectum, seu materiam circa quam versatur, ita nec divina voluntas, et ejus prædiffinitio circa consensum voluntatis creatæ supponit eum ut futurum, sed ex vi illius habet esse futurum. Tum deinde : quia, ut ex divo Thom. modo insinuabamus, prædestinationis ratio non sunt opera nostra, sed mera Dei voluntas : si autem Deus prædiffiniat dare æternam vitam post prævisionem operum bonorum, ita ut non aliter velit, nec velle possit eam adultis tribuere, ne eorum lædatur libertas, ut adversarii fatentur, tunc non possent non prædicta opera esse ratio vel conditio prædestinationis, ut in tract. de Scientia Dei disp. 11 n. 14 et sequentibus diximus. Evai cit pr Secu Ter

Tum præterea : quia consulto Paulus dixit, Deum operari omnia secundum consilium voluntatis suæ, seu ad aliud non attendere, neque quidpiam aliud consulere ad hoc ut ea velit, et faciat, ut in executione ponantur, nisi ad suam meram voluntatem, suumque beneplacitum : si autem deberet expectare, ac explorare prius consensum voluntatis creatæ, non operaretur ea præcise secundum consilium voluntatis suæ, imo potius ea, ad quæ voluntas creata influxura est, diceretur operari secundum consilium voluntatis creatæ : siquidem non aliter posset ea velle, et facere, ut executioni mandarentur, nisi præviso consilio, et deliberatione voluntatis prædictæ, et 13 Quai

juxta

juxta ea, quæ arbitrium creatum de suis actibus præconsiliavit, et deliberavit. Propter quod merito Augustinus libro 2 Hypognosticon notavit Paulum non dixisse, quod Deus operatur omnia secundum consilium voluntatis humanæ, sive absolute, sive sub conditione prævisum; sed secundum consilium voluntatis suæ : quia ad hanc solum respexit, ut de operationibus creatis in tempore faciendis disponeret.

Tum denique (id quod ex præcedenti sequitur) quoniam Paulus in efficaciam divinæ voluntatis refundit, quod Deus omnia operetur secundum consilium voluntatis suæ, ut ex explicatione Divi Thom. adducta constat. Et similiter in magnitudinem divinæ providentiæ includentis decretum divinæ voluntatis reducit, quod simus creati in operibus bonis, ut in illis ambulemus, ut ex Athanasio vidimus : si autem Deus nequit prædiffinire actum liberum voluntatis creatæ, nisi prius ipsa velit, et prævideatur ejus consensus, tunc quod efficaciter sequatur talis consensus, non esset refundendum in efficaciam divinæ voluntatis, sed potius in ipsam voluntatem creatam, quæ licet potuerit nolle, re tamen ipsa, et de facto ob meram sui libertatem voluit, et consensit, ut multis ostendimus in tract. de Scientia Dei disp. 10 n. 11 et sequentibus.

Accedit primo, quod supposita scientia conditionata, media inter liberam et naturalem, quælibet Dei voluntas absoluta et efficax (qualis requiritur, ut esset prædiffinitio) præsupponit determinationem nostræ voluntatis absolute futuram : igitur non potest non esse prædiffinitio. Consequentia videtur perspicua. Quoniam, ut admittit Suarez et ejus sequaces, prædiffinitio debet antecedere futuritionem absolutam nostrarum bonarum operationum, et scientiam visionis de illis : alias nullo modo esset prædiffinitio, quin potius voluntas Dei prædiffiniretur in ordine ad tale objectum a voluntate nostra. Antecedens autem videtur etiam notum. Nam cum scientia media, juxta mentem introducentium illam, sit pure speculativa, et non factiva sui objecti, supponit illud : et ita cum terminetur ad determinationem nostræ voluntatis, absolute futuram, oportet ut prædicta determinatio præsupponatur ad illam : et per consequens præsupponatur etiam ad voluntatem Dei absolutam et efficacem, qualis requiritur, ut sit prædiffinitio : siquidem prædicta scientia media præsupponitur ad talem prædiffinitionem et voluntatem absolutam, ac efficacem Dei.

Additamentum secundum.

Accedit secundo (id quod ex præcedenti sequitur) quod talis prædiffinitio necessario præsupponens scientiam mediam nequit habere rationem prædiffinitionis : ex eo quod prædiffinitio debet esse causa rei prædiffinitæ, quippe quæ infallibiliter et efficaciter illam infert : at prædiffinitio præsupponens scientiam mediam nequit esse causa rei prædiffinitæ : siquidem scientia media, ut modo dicebamus, præsupponit suum objectum : ac proinde omnes causas, et causalitates ad illud requisitas : et ita si non præsupponit hanc prædiffinitionem, sed potius ad illam supponitur, signum erit, talem prædiffinitionem non esse causam rei prædiffinitæ : et per consequens nec habere rationem veræ prædiffinitionis.

15. Secundo principaliter probatur assertio. Proverb. 21.

Secundo principaliter probatur assertio ex illo Proverb. 21 : *Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini, quocunque voluerit vertet illud.* Ubi divinæ voluntati aperte tribuitur vis ad inclinandum, et trahendum post se cor regis quo ipsa voluerit : cumque divina voluntas extendatur ad volendum tam naturale, quam supernaturale, oportet, ut habeat vim ad trahendum efficaciter post se prædictum cor in ordine ad omnia hæc : imo etiam quod prædictum cor non velit aliquid, nisi Dominus ipsum illuc verterit : siquidem per hoc quod dicatur, cor regis esse in manu Domini, significatur esse in illa tanquam in manu primi cordis, primique liberi, ac supremi Domini : a cujus voluntate, ut a voluntate primi liberi debet habere, quod huc, illucque vertatur : cujusque supremum dominium nunquam subterfugere potest. Et ita debet ex ejus imperio, et efficaci decreto ad hanc, vel illam partem verti : ac proinde ei ad nutum, et juxta propriam naturam, nempe libero modo, obedire.

16. Aug.

Unde Aug. innuens explicationem hujus loci, in lib. de Correct. et gratia c. 14 inquit : Deum habere omnipotentissimam potestatem humanorum cordium quo voluerit inclinandorum. Et in Enchirid. cap. 95 asserit : *Quis tam impie desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit in bonum non posse convertere.* Et libr. 5 contra Julianum cap. 3 docet humanas voluntates ita esse in Dei potestate, ut eas quando, et quo voluerit, faciat inclinari.

Quæ omnia optime exposuit Cajetan. in

expositione, seu enarratione parabolarum Salomonis : ubi postquam retulit verba jam dicta Proverbior. sic inquit, cap. 21 in principio : *Efficaciam simul et facilitatem divinæ operationis ad inclinandum cor hominis quocumque Deo placuerit, describit Salomon instar dividentis aquam in multos rivos. Facillima est enim divisio aquæ in multos rivos : eo quod aqua non resistit divisioni. Quemadmodum itaque operatio hominis facillimæ est efficaciæ ad dividendam aquam in multos rivulos, nec opus est laborare ad hujusmodi divisionem, quamvis laborare oporteat ad faciendum alveos, per quos aqua deducatur, ita facillima efficacia Deus movet cor, et inclinat illud quocumque voluerit ipse summus Deus : nullus intercedit labor, nulla resistentia, quando vult Deus : in omni creatura, et non solum in corde hominis est, quæ a Theologis vocatur potentia obedientiæ relativæ ad Deum : omnia enim quæcumque vult Deus facit, sine resistentia prout vult.*

17. Confirmatur. Confirmatur, et explicatur expendendo particulam illam *cor regis*. Nam propterea fit specialiter mentio cordis regii, quia hoc minus videtur subdi alterius potestati, et voluntati, quin potius subditorum corda quo ipse voluerit, multoties morali quadam motione solet vertere, ut ita denotetur, quanta sit potestas primi cordis supra secunda corda, quippe quod cor regium, quod minus subdebatur alterius potestati, vertit quo voluerit : et per consequens multo melius cætera alia corda huc illucque secundum ejus voluntatem vertet.

D.Thom. Desumiturque hæc secunda ratio cum sua confirmatione ex D. Thom. 3 contr. Gent. capit. 88 ubi ut ostenderet, Deum efficaci suo decreto movere, et vertere corda hominum ad eorum operationes, adducit hoc testimonium his verbis : *Illud igitur solum agens potest causare motum voluntatis absque violentia, quod causat principium intrinsecum hujus motus : hoc autem est Deus, qui animam solus creat, ut in secundo ostensum est. Solus igitur Deus potest movere voluntatem per modum agentis absque violentia. Hinc est quod dicitur Proverb.* 21 : *Cor regis in manu Domini, et quocumque voluerit, inclinabit illud. Et ad Philippens.* 2 : *Deus est qui operatur in nobis et velle, et perficere pro bona voluntate.*

§ III.

Diluitur fundamentum primæ sententiæ.

18. Ad fundamentum primæ sententiæ ex duplici testimonio desumptum constabit ex iis quæ dub. 4 hujus disput. dicemus, explicantes quomodo decretum Dei efficax non tollat, quin potius ponat, quod voluntas creata libere operetur id, quod per divinum decretum stabilitum est : ac tandem quomodo dum Deus non habet decretum efficax circa conversionem alicujus, tunc et si potuerit ultra facere, quam fecerit, seu potuerit habere decretum efficax talis conversionis, quod tamen non habuit : non tamen debuit ultra facere, quam fecerit : quia prædictum decretum non est debitum : sed Deus satisfacit debito, quod (ut sic dicamus) habet, si decernat, ut revera decrevit, dare auxilia sufficientia ad talem conversionem, licet non decernat efficaciter quod illa conversio executioni mandetur.

Quibus etiam addi potest, testimonium illud primo loco allatum, solum adduci in Scriptura, ut denotetur hominem esse liberi arbitrii, quantumvis a Deo per suum efficax decretum ad libere volendum moveatur. Quod optime explicuit D. Thom. 3 D.T. contr. Gent. cap. 90 ubi postquam innuit, Deum suo efficaci decreto movere ad actiones liberas creatas, statim addidit contra eos, qui res humanas non subdi divinæ providentiæ asserunt, sequentia verba : *Videntur autem quædam in doctrina sacra, secundum prædictam sententiam sonare. Dicitur enim Ecclesiast.* 15 : *Apposui tibi aquam et ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam : ante hominem vita et mors, bonum et malum, quod placuerit ei dabitur illi. Hæc autem verba ad hoc inducuntur, ut homines esse liberi arbitrii ostendantur non ut eorum electiones subtrahantur.* Et loquitur sanctus Doctor de subtractione a divina providentia non qualitercumque sumpta, sed in eo sensu quo de ea nos loquimur, nimirum ut habet rationem providentiæ determinativæ, et prædiffinitivæ omnium electionum nostrarum, ut ex iis, quæ statim subjungit, quæque dub. sequenti a n. 36 et deinceps adducemus, constabit.

DUBIUM II.

An juxta doctrinam Patrum Deus prædiffiniat omnes actus bonos causarum secundarum in particulari, et cum omnibus circumstantiis sumptos?

Explicatio tituli satis constat ex iis, quæ dub. præcedenti num. 2 diximus, et ideo in ejus explicatione non est in præsenti immorandum.

§ I.

§ I.

Proponitur prior sententia.

Partem negantem tuentur juniores Theologi, quos dub. 3 hujus disp. referemus. Eam autem probant primo ex Damasceno lib. 2 de fide c. 30 ubi ita inquit : *Scire interest, Deum omnia præscire ; non autem omnia prædeterminare, et prædiffinire : præscit enim etiam ea, quæ in nostra potestate, et arbitrio sita sunt : at non item ea prædiffinivit.* Et rationem reddit his verbis : *Nec enim vitium admitti vult, nec rursus virtuti vim affert.*

Confirmatur ex Nyssæno lib. 7 de Philosop. c. 1 et lib. 8 cap. 4 ubi inquit : *Ea quæ sunt in nobis, non sunt ex providentia.* Necnon ex Damasceno loco citato de fide c. 29 asserente : *Quæ in nostra potestate sunt, non providentiæ, sed libero nostro arbitrio assignari debent.* Ac tandem ex Hieron. epistola 146 quæ est ad Damasum ubi inquit : *Homo vivit non ex imperio Dei, sed ex obsequio suo.* Quæ testimonia non possunt sane intelligi, nisi providentia et imperium sumantur pro absoluto decreto humanas operationes prædiffiniente : quandoquidem certum est, homines et eorum actiones liberas cadere sub providentia et imperio Dei ; et ita quoties hoc negatur, tantum potest intelligi de imperio et providentia talis conditionis, ut eis positis sit infallibile subsequendam esse actionem illam, quæ sub providentia, et imperio Dei cadit : ut contingeret si providentia, aut imperium illud essent prædiffinitiva.

Secundo probatur ex Chrysost. hom. 12 in epist. ad Hebræos. Ubi expresse negat, Deum nostras antecedere voluntates : et rationem reddit, ne nostrum lædatur arbitrium. Si autem Deus efficaciter prædiffiniret omnes actus bonos causarum secundarum, tunc per suum decretum nostras antecederet voluntates : ergo, etc.

Tertio probatur ex August. lib. 3 de libero arbitrio cap. 18 ubi sic loquitur : *Si laboriosum est omnia mandare memoriæ, hoc brevissimum tene, quæcumque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti sine peccato, ei ceditur :* at si Deus efficaciter prædiffinit omnes actus voluntatis creatæ, non potest huic decreto resisti : alioqui non esset efficax : ergo, etc. Cui consonat id quod scribit Anastasius Nyssæn. lib. Quæstionum in Scripturam tom. 1 Bibliothecæ, q. 59 : *Si ergo* (inquit) *quem Deus vult servat, quem autem vult perdit, neque qui servatur dignus est mercede, neque qui perit supplicio.* Similia profert Arnobius Psalm. 50 : *Negas libertatem arbitrii, si dixeris : Deus si vult, bonus sum, si non vult, bonus non sum.* Arnobius.

Quarto probatur ex divo Thom. q. 6 de Verit. art. 3 his verbis : *Invenimus enim ordinem incomposibilem esse respectu alicujus dupliciter. Uno modo in quantum una causa singularis producit suum effectum ex ordine divinæ providentiæ. Alio modo quando ex concursu causarum multarum contingentium, et deficere possibilium pervenitur ad unum effectum, quarum unamquamque Deus ordinat ad consecutionem effectus loco ejus, quæ deficit, vel ne altera deficiat, Sicut videmus, quod omnia singularia unius speciei sunt corruptibilia ; et tamen per successionem unius ad alterum, potest in eis secundum numerum salvari perpetuitas speciei, divina providentia taliter gubernante, quod non omnia deficiunt uno deficiente : et hoc modo est in prædestinatione. Liberum enim arbitrium deficere potest a salute ; tamen in eo, quem Deus prædestinat, tot alia adminicula præparat quod vel non cadat, vel si cadat, quod resurgat.* Ubi a divo Thom. non explicatur certitudo prædestinationis ex prædiffinitione, aut prædestinatione Dei per suum decretum circa tale medium in particulari secundum omnes circumstantias; sed ex prædiffinitione in communi tot et tantorum mediorum, ut si hoc deficiat, aliud loco ejus substituatur. 21. Quarto probatur ex D.Thom.

Confirmatur ex eodem sancto Doctore 1, 2 q. 9 art. 6 ad 3. Ubi inquit, quod licet inclinatio, et determinatio ad bonum in communi sit a Deo ; tamen ad volendum hoc vel illud bonum voluntas se determinat : et subdit, interdum aliquos homines moveri specialiter a Deo ad aliquid determinate volendum, sicut contingit in illis, quos movet per gratiam. Unde ex sententia divi Thomæ constat, non semper omnes homines moveri a Deo determinate et in particulari ad aliquid agendum : et per consequens nec semper prædiffiniri a Deo omnes actus eorum in particulari. Confirmatur ex eodem Angel. Doctore.

Ultimo arguit Suarez lib. 1 Opusc. c. 13 num. 3. Nam Augustinus sæpe proponit quæstionem cur ex duobus æque dispositis in actu primo, et æque invitatis ab eodem objecto : *Alter ad illicite perfruendum movetur. Alter in voluntate pudica stabilis permanet.* Quæ sunt ipsius verba 6 de Civitate Dei cap. 12 et tamen nunquam reddit ratio- 22. Ultimo probat Suarez ex Aug.

nem ex divinæ voluntatis prædeterminatione, sive prædiffinitione, quod esset facillimum, et omnino necessarium, si verum esset; sed in ipsius liberi arbitrii intrinsecam facultatem id reducit : et ibi sistit.

§ II.

Vera sententia breviter proponitur.

23. Assertio. Dicendum tamen est juxta mentem sanctorum Patrum, Deum prædiffinire omnes actus bonos, seu non malos omnium causarum secundarum per suum decretum efficax et absolutum. Ita omnes Doctores, quos dubio sequenti n. 56 adducemus. Assertio hæc non aliter melius probabitur, quam adducendo sigillatim diversa Patrum testimonia, in quibus hæc prædiffinitio continetur.

§ III.

Prædicta sententia testimonio Dionysii primo suadetur.

Dionys. Probatur ergo primo ex Dionys. Areopag. de divinis nominibus cap. 5 his verbis : *Exemplaria autem esse dicimus in Deo existentium rationes substantificas, et singulariter præexistentes, quas Theologia prædiffinitiones vocat; et divinas et bonas voluntates existentium prædeterminativas et effectivas, secundum quas substantialis essentia omnia prædiffinivit et produxit.* Ubi, ut vides, admittit Dionys. divinas et bonas voluntates prædeterminativas, prædiffinitivas, et effectivas omnium rerum productarum, ac proinde decretum prædeterminativum, seu prædiffinitivum efficax et absolutum, quo omnia prædicta prædiffiniat.

24. Impugnatio. Herice. Nec refert solutio Herice 1 p. tract. 2 disp. 19 cap. 3 ubi duo inquit. Primum est, quod juxta translationem Dionysii Carthusiani, et Ambrosii Florentini non habentur in Dionysio verba a nobis relata. Secundum est, in hoc testimonio Dionysii solum explicari ideas divinas omnium rerum, quæ in tempore producuntur, nec verbum haberi de speciali decreto, quo Deus cum agentibus liberis concurrit : et propterea commentatores sancti Thomæ in q. 15 hujus primæ partis per ea Dionysii verba ideas divinas explicant, atque probant, pertinere ad intellectum Dei, tanquam quid increatum ejus.

Non itaque hoc refert. Nam contra primum obest, tum quod D. Thom. lect. 3 in cap. 5. Dionysii adducit hoc testimonium ea serie verborum, quæ a nobis adducta est : ac proinde ei, et prædictæ seriei verborum maxima debet fides adhiberi. Tum etiam : quia adhuc secundum translationem Dionysii Carthusiani, et Ambrosii Florentini habentur verba sufficienter denotantia has prædiffinitiones divinas. Nam Dionys. Carthus. sic habet : *Paradigmata autem dicimus esse ipsas in Deo existentium substantificas, et uniformiter prætextas rationes, quas Theologia prædestinationes vocat, et divinas, et optimas voluntates existentium discretivas, et factivas secundum quas ipsa superessentialis existentia, et omnia prædestinavit, et adduxit.* Constat autem divinas prædestinationes, et optimas voluntates existentium factivas et discretivas, ac proinde quæ sint ratio et causa quare hoc potius fiat, quam illud, in idem redire, ac divinas prædiffinitiones omnium ex se efficaces. Et similiter secundum translationem Ambrosii Florentini, sic habetur : *Exemplaria vero esse dicimus omnes rationes in Deo substantificas rerum, et singulariter antea subsistentes, quas prædestinationes Theologia vocat, et bonas, divinasque voluntates eorum quæ sunt diffinitrices, ac effectrices, secundum quas ipse supersubstantialis Deus quæ sunt omnia prædestinavit, atque produxit.* Certum est autem, idem esse voluntates Dei diffinitrices, et effectrices omnium, ac decretum prædiffinitivum et efficax, medio quo fiunt, ut ex se, et ex jam dicendis in hoc eodem dubio constabit.

Et deinde contra secundum obstat, quod Dionys. loquitur de ideis practicis involventibus decretum efficax et prædiffiniens divinæ voluntatis, quæ nomine exemplarium solent insigniri. Et ita D. Thom. ibidem lect. 3 explicat hoc testimonium Dionysii his verbis : *Exemplar enim est, ad cujus imitationem fit aliud : non autem omnia, quæ scit Deus ex ipso posse prodire, vult in rerum natura producere. Illæ igitur solæ rationes intellectuales a Deo exemplaria dici possunt, ad quarum imitationem vult res in esse producere sicut producit artifex artificio artificiata ad imitationem formarum artis, quæ mente concepit : quæ etiam artificialium exemplaria dici possunt. Hoc est ergo quod dicit, quod (exemplaria dicimus esse) non res aliquas extra Deum, sed in ipso intellectu divino quasdam existentium (rationes intellectæ) quæ sunt substantiarum*

tiarum factivæ, etc. Et hujusmodi rationes sancta Scriptura vocat prædiffinitiones, sive prædestinationes, secundum illud Rom. 8 : *Quos prædestinavit, hos et vocavit. Et vocat etiam eas divinas et bonas voluntates, secundum illud Psalm. : Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus, quæ quidem prædiffinitiones et voluntates sunt distinctivæ entium, et effectivæ ipsorum, quia et hujusmodi rationes supersubstantialis Dei esse prædeterminavit, omnia produxit.*

Unde etiam D. Damascen. has prædeterminationes, et prædiffinitiones per divina decreta fuisse statutas a temporibus Apostolorum a sancto Dionys. Areopag. docuit. Et ita in oratione prima de imaginibus sic loquitur : *Sunt item in Deo imagines et exempla rerum, quæ ab ipso futuræ sunt, nempe consilium ejus æternum, quod se habet semper eodem modo : immutabilis est enim omnino Deus in quo nulla est commutatio, aut vicissitudinis obumbratio, has imagines, et hæc exempla prædiffinitiones appellat Sanctus ille Dei munere divinis in rebus considerandis, et explicandis excellentissimus Dionys. Omnia enim ab illo præfinita et sine ulla commutatione futura, in ejus consilio non aliter antequam fierent erant expressa, quam si quis velit domum ædificare, prius imaginem et formam ipsius in animo effingit, cogitationeque amplectitur.* In quibus verbis aperte præfinitiones omnium rerum a divina voluntate factas admittit, et eas explicat exemplo artificis, qui volens domum ædificare, prius in mente illam format, omnes partes ejus libere prædeterminat, et disponit, et postmodum præconceptam domum executioni mandat. Ita ergo Deus prædiffinivit omnia, quæ erat facturus, de illisque efficaciter per suum decretum disposuit.

Nec etiam refert si cum aliis dicas ex vi hujus testimonii Dionys. solum haberi quod Deus prædiffiniat omnes actus causarum secundarum, v. g. liberarum dependenter a scientia media, et a prævisione per illam futuri consensus, non autem antecedenter ad hanc prævisionem, et independenter ab ea.

Non igitur hoc refert. Tum propter illa, quæ dub. præced. diximus. Tum etiam : quia in hoc testimonio aperte asseritur exemplaria, et bonas voluntates divinas esse prædeterminativas omnium, quæ fiunt : ergo prædicta exemplaria, et voluntates divinæ ex se habent tribuere rebus futuris, quod sint futuræ : ergo dicunt decretum efficax et absolutum Dei prædeterminans talem futuritionem ; ac proinde independens a scientia media, et a prævisione per illam futuri consensus. Antecedens non indiget probatione, ut intuenti constabit. Prima vero consequentia ex antecedenti videtur perspicua. Quoniam res antequam sint futuræ, sunt indifferentes ad *esse* et *non esse* et ratione futuritionis determinantur ad essendum potius, quam ad non essendum : ergo exemplaria et bonæ voluntates divinæ prædeterminativæ omnium rerum, quæ in aliqua differentia temporis existunt, tribuunt illis, quod sint futuræ, potius habeantque determinationem ad essendum.

Ex quo etiam secunda consequentia liquet. Quoniam exemplaria et bonæ voluntates, seu decreta divina prædeterminativa rerum ad essendum, et tribuentia eis, quod sint futura potius, quam non futura, debent esse voluntates, et decreta ex se absoluta et efficacia : alioqui non haberent prædictam vim, nec res ex vi illorum essent absolute efficaciter futuræ potius, quam non futuræ, cum tamen hoc ipso quod talia decreta sint prædeterminativa prædictarum rerum, debeant eis tribuere efficaciter, quod sint futuræ potius, quam non futuræ, ut nuper dicebamus.

Ex quo similiter ultima consequentia satis liquet. Quoniam decreta ex se efficacia et absoluta, tribuentiaque rebus, ut sint futuræ, potius quam non futuræ, debent ante prævisionem per scientiam mediam futuri consensus, sive futuritionis rerum, esse prædiffinitiva et prædeterminativa earum : siquidem, ut modo asserebamus, ex vitalis prædiffinitionis, et prædeterminationis sunt futuræ, ac proinde independenter, seu antecedenter a scientia media supponente hanc futuritionem habebunt esse prædiffinitiva, et prædeterminativa rerum.

28. Confirmatur.

Confirmatur, et explicatur. Quoniam, ut dub. præced. asserebamus, scientia media, quippe scientia speculativa, juxta mentem Doctorum introducentium illam, supponit suum objectum, ac proinde ea, quæ ad illius futuritionem desiderantur, nimirum has voluntates divinas : ergo ut salvetur eas esse prædeterminativas omnium rerum existentium in aliqua differentia temporis, oportet ut sint voluntates, et decreta ex se efficacia, et absoluta : ergo etiam oportebit, ut sint prædiffinitivæ, et prædeterminativæ earumdem rerum; independenter a scientia media, et antecedenter ad illam.

Hæc ultima consequentia ex antecedenti et prima consequentia, nec non ex nuper dictis constat.

Prima vero ex antecedenti videtur patere. Quoniam hoc ipso, quod decretum sub aliquo statu præsuppositum ad scientiam mediam non sit ex se efficax, et absolutum, sed inefficax, et conditionatum, non erit prædeterminativum rerum ad essendum potius, quam ad non essendum. Et ratio hujus videtur aperta. Nam eo ipso hoc decretum erit talis conditionis, ut explicetur per hoc quod Deus velit consensum voluntatis creatæ respectu amoris v. g. versantis circa Deum, si ipsa voluntas creata voluerit; cumque sicut datur hoc decretum conditionatum et inefficax respectu hujus consensus, debeat etiam dari simul aliud decretum conditionatum et inefficax, per quod Deus velit, voluntatem dissentire, vel non amare, si ipsa noluerit amare, vel voluerit non amare, ut ita prædicta voluntas libere amet, vel non amet; consequens est, ut ex vi harum voluntatum divinarum ex se non efficacium, nec absolutarum, non maneat voluntas creata prædeterminata, vel prædiffinita in ordine ad prædictum consensum amoris : et per consequens non salvetur id, quod Dionys. in hoc testimonio docet, nimirum dari in Deo exemplaria practica, et bonas voluntates divinas prædeterminativas omnium, quæ existunt in aliqua differentia temporis.

29. Confirmatur secundo,

Confirmatur, et explicatur tandem. Quoniam juxta doctrinam recentiorum admittentium scientiam conditionatam, et ea mediante prædiffinitiones rerum, dicendum est, quod sicut bonæ voluntates divinæ circa aliquem effectum in particulari exequendum a voluntate creata, si considerentur in *esse* objectivo (ut ipsi loquuntur) sunt necessario pendentes a determinatione libera voluntatis creatæ circa talem effectum in particulari in *esse* objectivo consideratæ, ita etiam quantum ad existentiam realem a parte rei, seu in actu exercito consideratæ, debent pendere ab eadem determinatione libera voluntatis creatæ in re posita, aut absolute ponenda : siquidem eumdem ordinem prioris et posterioris, quem habent res in *esse* objectivo, debent habere secundum existentiam realem præsentem, vel absolute futuram, ne illud *esse* objectivum sit omnino confictum, et prorsus falsum : ergo non poterit salvari in Deo prædiffinitio, et prædeterminatio nostrarum bonarum electionum per bonas voluntates divinas, et decreta ipsius, quas tamen dari in Deo juxta mentem Dionysii vidimus.

Patet hæc consequentia. Nam, ut supra advertimus, et adversarii concedunt, de ratione prædeterminationis, et prædiffinitionis est, quod præeat futuritionem absolutam objecti prædiffiniti, et prædeterminati, ac ejus scientiam visionis.

§ IV.

Eadem sententia testimoniis Augustini fulcitur.

30. Secundi principaliter probatur assertio ex August. lib. 5 de Civitate Dei cap. 9 supponendo tamen prius, duplicem esse in voluntate potestatem : aliam quidem per modum principii habitualis, quod separari solet ab actuali operatione, aliam vero per modum principii actualis involventis operationem : siquidem voluntas non est unquam principium actuale volendi, nisi actu involvatur ibidem volitio. Utraque autem potestas quippe potestas causæ secundæ, est a voluntate divina : prima quidem quatenus Deus voluit producere voluntatem; secunda vero quatenus Deus attemperando se libertati voluntatis creatæ vult, ut salva sua libertate eliciat actum liberum.

Hinc ergo suadetur assertio testimonio divi Augustini loco citato, ubi ex eo colligit per præscientiam, et decretum Dei non tolli libertatem nostræ voluntatis, quia voluntati divinæ voluntates omnes subjiciuntur; ac proinde sicut causæ secundæ necessariæ juxta modum suum, idest, necessario, obediunt voluntati Dei ad nutum hoc ipso quod ipsa aliquid velit, ita etiam causæ secundæ liberæ subjiciuntur, et obediunt juxta modum suum, idest, libere, voluntati Dei ad nutum, hoc ipso quod ipsa aliquid decernat. Et rationem reddit : *Quia non habent* (inquit) *in se potestatem, nisi quam ille concedit*, idest, quia non habent potestatem, vel per modum principii habitualis, vel per modum principii actualis, nisi juxta modum, quo Deus voluit : et per consequens in divinum decretum, et efficacitatem ipsius, quo Deus voluit creatam voluntatem elicere aliquem actum, quoque prædiffinivit, et prædeterminavit illum, refundit quod talis actus a voluntate creata fiat.

Et ut ostenderet quomodo voluntates nostræ id tantum valeant, seu agant, quod Deus

Deus illas facere decrevit, et præfinivit, et quomodo ratione summæ efficacitatis hujus prædiffinitionis infallibiliter facturæ sunt id quod Deus voluit, quodque facturæ sunt, subjicit : *Quapropter voluntates nostræ tantum valent, quantum Deus eas valere voluit, atque præscivit : et ideo quidquid valent, certissime valent, et quod facturæ sunt, ipsæ omnino facturæ sunt.*

Et tandem ut magis ostenderet, quomodo hæc summa efficacitas conveniret divino decreto ex se, et hoc ipso quod Deus aliquid decernat de libertate creata, tunc eo ipso infallibiliter fiet ab illa : ac proinde quomodo voluntas divina præfiniat, et extrinsece prædeterminet per suum decretum efficax consensum libertatis creatæ, addidit : *Et si mihi fati nomen alicui rei adhibendum placeret, magis dicerem esse fatum infirmioris, potentioris voluntatem, qui eum habet in potestate.* ut per hoc denotaret, quod sicut fatum habet summam efficacitatem respectu ejus cujus est fatum, et infallibiliter fit id, ad quod inclinat, ita etiam potentioris (idest, Dei) voluntas habet summam efficacitatem supra infirmioris (idest, creatæ) voluntatis libertatem, et hoc ipso quod illa velit quod ista libere velit, infallibiliter sequetur actus liber ipsius : ac proinde decretum illud erit prædiffinitivum, et prædeterminativum prædeterminatione extrinseca consensus illius : et propter hoc si alicui fati nomen adhibendum placeret, merito cum Augustino diceretur, *fatum esse infirmioris, potentioris voluntatem, qui eum habet in potestate.*

Confirmatur. Quoniam August. in summam efficacitatem divinæ voluntatis, et decretorum ipsius refundit, quod a nulla voluntate creata vincatur Deus, a nullaque impediatur, quin fiat quod ipse vult : ergo sentit divinum decretum esse ex se efficax respectu ejus quod Deus vult : ac proinde mediante illo Deum prædiffinire, et prædeterminare actus voluntatis creatæ. Hæc ultima consequentia ex priori constat. Quoniam nihil aliud est esse in Deo decretum prædiffiniens, et extrinsece prædeterminans actiones voluntatis creatæ, quam esse in eo decretum efficax, et efficaciter illas inferens.

Antecedens autem quoad priorem partem probatur ex lib. de Correct. et gratia c. 7 ubi sic Augustinus inquit : *Horum* (scilicet electorum) *si quisquam periit, fallitur Deus, sed nemo eorum periit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam periit, vitio humano vincitur Deus, sed nemo eorum periit, quia nulla re vincitur Deus.* Ubi, ut vides, tanta tribuitur efficacitas electioni divinæ, ut nemo ex electis pereat, quia nulla re vincitur Deus.

Quoad secundam vero partem probatur ex eodem Augustino in eodem lib. cap. 14. Ubi summam efficacitatem omnipotentissimæ voluntatis Dei exponens, commendans, et in eam refundens, quod ei ad nutum obediat creata voluntas, sic inquit : *Deo volenti salvum facere, nullum hominum resistit arbitrium : sic enim velle et nolle in volentis, aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Idem.

Nec potest his testimoniis applicari communis illa aliquorum ex adversariis solutio, nimirum prædiffinitionem Dei semper esse intelligendam fieri cum dependentia a scientia media, et prævisione futuri consensus per illam, et non aliter, ne Deus exponatur periculo frustrationis sui decreti. 33. Solutio adversariorum.

Non igitur potest his testimoniis prædicta solutio adhiberi. Quoniam recursus necessarius ad scientiam mediam, et ad necessitatem prævisionis futuri consensus per illam antequam Deus prædiffiniat eumdem consensum liberum voluntatis creatæ, tantum potest ad summum desiderari (adhuc admissa scientia media) quoties decretum ex se non est efficax ad trahendum post se consensum voluntatis creatæ. Constat autem quod in tribus his testimoniis ex Augustino tam in hac secunda probatione, quam in ejus confirmatione relatis, tribuitur divinis decretis prædicta efficacitas : siquidem in primo testimonio asseritur, decretum Dei habere se ad instar fati respectu voluntatis creatæ, et consensus ab ea eliciendi : fatum autem, sive id quod se habet ad instar fati, habet prædictam efficacitatem respectu ejus, cujus est fatum, vel respectu ejus in ordine ad quod habet se ad instar fati. Impugnatur.

Et similiter in secundo testimonio asseritur, ideo Deum eligentem electos non falli, quia nullo humano vitio vincitur Deus : id autem quod ab alio non vincitur, sed potius illud vincit (ut in hoc testimonio innuitur, alioqui Deus in electione suorum electorum falleretur) debet esse majoris efficacitatis, imo et tantæ, ut sibi subjiciat id a quo non vincitur; sed potius illud vincit. Et tandem in ultimo testimonio dicitur voluntatem creatam nunquam impedire voluntatem divinam, aut ejus superare potestatem, et hoc propter omnipotentissimam 34.

Aug. potestatem divinæ voluntatis : et ita Aug. concludit, ut dubio præced. dicebamus : *Non facit, nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium quo placeret inclinandorum omnipotentissimam potestatem.*

Aperitur magis vis testimoniorum Aug. Unde ex his satis constat, quomodo in eis indicetur, quod divinum decretum habeat ex se prædictam efficacitatem, ac proinde quod non ideo humanum arbitrium non resistit voluntati Dei, vel quia Deus confert gratiam congruam quam prævidit forte obtinuisse consensum (nam et de Dæmone tale dici potuisset, scilicet ipsi immittenti tentationem contemperatam non resistere humanum arbitrium) aut quia sorte contingit, quod Deo inefficaciter volenti consensum, tunc consensus ipse voluntatem illam comitaretur, et ex suppositione quod illam comitatur, tunc arbitrium creatum non resistit prædictæ voluntati, ut adversarii fatentur : quia per hoc non magis commendaretur efficacia et omnipotentissima potestas divinæ voluntatis, quam cujuscumque agentis creati. Nam ex suppositione quod cum volitione v. g. Petri, qua vult ut Joannes ei obediat, conjungatur obedientia Joannis, certum est Petro volenti illam obedientiam, Joannem non resistere : siquidem nullus dum obedit, resistit : nec per hoc denotatur aliqua eximia efficacitas et excellentia voluntatis Petri supra voluntatem Joannis. Quare ut summa et omnipotentissima efficacitas voluntatis divinæ supra voluntatem creatam ex mente August. commendetur, oportet ut intelligatur de antecedente, absoluta, et efficaci volitione divina, quæ sit tanta ut eam nullum hominum arbitrium superet, aut impediat, quinimo post eam trahatur.

35. Alia evasio. Nec necesse erit, suppositis iis, quæ supra diximus aliam evasionem, quam junior quidam innuit, adducere, nimirum hæc testimonia solum loqui de prædiffinitione actuum voluntatis creatæ, non vero aliarum causarum secundarum.

Præclusio. Non itaque necesse erit, suppositis iis, quæ supra asseruimus, evasionem hanc adducere. Quia si semel Deus prædiffinit omnes actus voluntatis creatæ, oportet etiam ut prædiffiniat omnes actiones aliarum causarum secundarum : siquidem ideo prædiffinit actus liberos voluntatis creatæ, quia vult voluntate absoluta, illos esse juxta modum proprium ipsorum, scilicet libero modo : et hæc voluntas est efficacissima. Quare cum etiam velit quod causæ secundæ necessariæ operentur juxta modum suum, scilicet per modum necessitatis : et hæc voluntas sit etiam efficacissima, oportet ut etiam prædiffiniat omnes actus aliarum causarum secundarum, maxime quia in prædiffinitione actuum causarum necessariarum nulla apparet difficultas ex eo quod ex vi divinæ prædiffinitionis prædeterminentur ad unum; sed potius hoc natura prædictarum causarum exposcit.

Quæ omnia satis confirmata manent ex iis, quæ in tract. de Scient. Dei disp. 8 a n. 16 usque ad 26 et disp. 10 n. 31 et deinceps, et disput. 11 n. 2 diximus, ad ostendendum ex mente Augustini non dari scientiam mediam, nec ea mediante concordandam esse libertatem voluntatis creatæ cum voluntate divina : quæ quidem omnino videri possunt et debent.

§ V.

Vera sententia ex D. Thoma probatur.

36. Terti et principalis assertionis probatio D. Tho. Tertio probatur assertio ex D. Thoma in hac q. art. 3 ad 5 ubi cum proposuisset hoc argumentum : *Ab eo quod est ad utrumlibet, non sequitur aliqua actio, nisi ab aliquo alio inclinetur ad unum, ut dicit Commentator. 2 Physic. ex 48 : Si ergo voluntas Dei in aliquibus se habet ad utrumlibet, sequitur, quod ab aliquo alio determinetur ad effectum : et sic habet aliquam causam priorem*, ita respondet : *Causa, quæ ex se est contingens, oportet quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum; sed voluntas divina, quæ ex se necessitatem habet, determinat se ipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam.* Ubi ut vides, constituit discrimen inter voluntatem divinam et creatam, quod divina quæ ex se necessitatem habet, determinat se ipsam absque eo quod determinetur ab alia priori voluntate; creata vero voluntas, quia ex se est causa contingens, oportet quod determinetur per decretum divinæ voluntatis ad agendum : et per consequens prius est eam determinatione hac extrinseca determinari ab alia priori voluntate, nempe voluntate divina, quam quod ipsa se determinet et eliciat suum consensum liberum : hoc autem nihil aliud est quam eam quoad omnes suos actus præfiniri et prædeterminari per divinum decretum.

Et infra q. 25 art. 5 ad 1 sic inquit : *Non tamen potest esse ut Deus aliqua faciat, quæ non præsciverit et præordinaverit se facturum :* Ide

facturum : quia ipsum facere subjacet præscientiæ et præordinationi Dei. Constat autem præordinationem Dei necessario includere prædiffinitionem et prædeterminationem divinæ voluntatis circa id quod præordinatur. Et infra q. 16 art. 1 in corpore sic asserit : *Ea quæ hic per accidens aguntur, sive in rebus naturalibus, sive humanis reducuntur in aliquam causam præordinantem, quæ est providentia divina.* Idem etiam docet 3 contra Gent. cap. 90 in fine et alibi sæpe.

Nec quoad præsens alicujus momenti est illa evasio aliquorum juniorum ad alia testimonia, sæpius inculcata, nempe quod D. Th. in his locis non explicat an hæc præordinatio et prædeterminatio intrinseca Deo, quippe consistens in suo decreto, et extrinseca prædestinato, sit absoluta et efficax : an vero inefficax et conditionata, quatenus Deus solum disponit se influxurum in consensum voluntatis creatæ si ipsa voluerit : et ita non velle absolute talem consensum usquedum prævideat futurum consensum ejusdem voluntatis creatæ.

Non itaque hæc evasio est alicujus momenti. Tum quia D. Thom. totis viribus negat scientiam mediam, ut in tract. de Scientia Dei disp. 10 n. 78 et deinceps vidimus. Modus autem ille decernendi, qui non sit antecedens et absolutus ac præfinitivus, solum potest habere locum apud eos, qui scientiam mediam admittunt, ut ex dictis in eodem tract. et in hoc dubio, necnon ex jam dicendis amplius patebit. Tum etiam : quia D. Thom. in his testimoniis admittit præfinitionem actuum voluntatis creatæ : at per illam volitionem conditionatam, ut supra dicebamus, non manet præfinitus consensus potius quam dissensus : siquidem sicut habuit voluntatem influendi ad consensum, si voluntas creata velit, ita ad dissensum, si dissentire voluerit. Tum denique propter illa, quæ contra solutionem adhibitam testimoniis Dionysii, adduximus.

Accedit primo, quod D. Thom. in efficaciam summam divinæ voluntatis et decretorum ipsius refundit, quod voluntas creata velit, et libero modo velit id, quod Deus de ipsa disponit : et ita concordat efficaciam divinæ voluntatis cum libertate creata, ex eo, quod hoc ipso quod Deus velit illam velle, et libero modo velle, oportet ut propter prædictam efficaciam divinæ voluntatis, tunc voluntas creata velit, et libere velit : ergo sentit, Deum per suam volitionem et decretum efficax ac absolutum, ac proinde absque dependentia a scientia media decernere quid et quomodo prædicta voluntas volitura sit, quod quidem est Deum omnem consensum creatum liberum præfinire.

Unde in hac q. art. 8 sic sanctus Doctor loquitur : *Cum enim aliqua causa efficax fuerit ad agendum, effectus consequitur causam, non tantum secundum id quod fit, sed etiam secundum modum fiendi, vel essendi. Ex debilitate enim virtutis activæ in semine contingit, quod filius nascitur dissimilis patri in accidentibus, quæ pertinent ad modum essendi. Cum igitur voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur quod fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Vult autem quædam fieri Deus necessario, quædam contingenter, ut sit ordo in rebus ad complementum universi.* D.Thom.

Quod etiam docuit 1 contra Gent. cap. 85 ubi sic inquit : *Efficacia divinæ voluntatis exigit, ut non solum sit quod Deus vult, sed etiam ut hoc modo sit, sicut Deus vult esse illud. Nam et in agentibus naturalibus, cum virtus agens est fortis, assimilat sibi suum effectum, non solum quantum ad speciem, sed etiam quantum ad accidentia, quæ sunt quidam modi ipsius rei.* Idem.

Confirmatur ex eodem sancto Doctore. Tum in 1 ad Anibal. dist. 47 q. unic. art. 4 ubi sic ait : *Voluntate Dei non solum res in esse producuntur, sed etiam rebus producendis modum, quo producantur, prædeterminavit. Unde cum voluntas Dei efficaciter impleatur, oportet quod res fiant, et eodem modo, sicut voluntas divina disposuit.* 39. Confirmatio. Angelic. Doct.

Tum ex q. 23 de Verit. art. 5 his verbis : *Voluntas autem divina est agens fortissimum. Unde oportet ejus effectum omnibus modis ei assimilari ut non solum fiat id quod Deus vult fieri, quod est quasi assimilari secundum speciem, sed ut fiat eo modo, quo Deus vult illud fieri, ut necessario, vel contingenter, cito, vel tarde, quod est quasi quædam assimilatio secundum accidentia, et hunc quidem modum rebus divina voluntas præfingit ex ordine suæ sapientiæ.* Et statim : *Et sic non dicimus, quod aliqui divinorum effectuum sint contingentes solummodo propter contingentiam causarum secundarum, sed magis propter dispositionem divinæ voluntatis, quæ talem ordinem rebus providit.* Idem.

Tum deinde ex hac q. art. 8 ad 2 his verbis : *Ex hoc ipso, quod nihil voluntati divinæ resistit, sequitur, quod non solum* Ipsemet.

fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter, vel necessario, quæ sic fieri vult.

40. Corroboratio alia sanctiss. Præcep.

Confirmatur tandem illustri testimonio ejusdem sancti Thom. quodlibeto 12 q. 3 art. 4. Ubi discutiens illam quæstionem, an omnia subsint fato, inquit : *A providentia Dei omnia sunt prædeterminata et ordinata.* Et in hac acceptione docet posse concedi, quod omnia subjiciuntur fato, prout fatum dicit infallibilem dispositionem divinæ providentiæ, ratione cujus efficaciter infallibiliter fit id quod divina providentia prædeterminavit. Addit tamen non esse utendum hoc nomine : *Quia cum Gentilibus nec nomina convenit habere communia et ideo Aug. dicit : Si quis hoc modo intelligat fatum, sententiam teneat, linguam corrigat, et non dicat fatum, sed providentiam Dei.* Constat autem ratione fati dari absolutam efficacemque prædeterminationem respectu ejus, cujus est fatum : Quamvis quia fatum hoc, de quo loquimur, est juxta naturam ejus, cujus est fatum, scilicet respectu libertatis creatæ, non inducat necessitatem simpliciter; sed infallibilem nexum et prædeterminationem extrinsecam creaturæ consistentem in divino et efficaci decreto, et relinquentem potentiam ad oppositum, ut dub. 4 hujus disp. latius explicabitur.

§ VI.

Veræ sententiæ probatio ex aliis Patrum testimoniis.

41. Ultima probatio assertionis ex aliis. Boet.

Ultimo probatur aliis testimoniis Patrum. Nam Boetius lib. 4 de consolatione prosa 6 sic ait : *Ordo fatalis ex providentiæ simplicitate procedit. Sicut enim artifex faciendæ rei formam mente concipiens, movet operis effectum, ita Deus providentia singulari singula movet, ac infallibiliter disponit facienda.* Anselmus libr. de concordia prædestinationis et liberi arbitrii idem asserit his verbis : *Quoniam enim quod Deus vult non potest non esse, cum vult hominis voluntatem nulla cogi vel prohiberi necessitate ad volendum, vel ad non volendum, et vult effectum sequi voluntatem, tunc necesse est voluntatem esse liberam, et esse quod vult.* Quibus verbis infallibilitatem effectus liberi reducit tanquam ad primam radicem ad absolutum et efficax decretum voluntatis divinæ præfinientis actus futuros etiam contingentes et liberos, ratione cujus non potest in sensu composito et facta suppositione divini decreti, non subsequi actus a Deo volitus.

Ansel.

Fulgentius lib. de Incarnatione cap. 29 in prædestinationem omnipotentem ac efficacissimam divinæ voluntatis refert quod fiant ea, quæ Deus vult : et ita loco citato inquit : *Illud Apostolicum ubi dicitur de Deo : Quia vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, non sicut oportet intelligunt qui hanc Dei voluntatem sicut in vasis misericordiæ, sic et in vasis iræ accipiendam existimant, minus considerantes veracissimam Scripturæ sententiam, quæ divinæ commendans omnipotentiam voluntatis, Omnia, inquit, quæcumque voluit fecit.* Fulg

Quod etiam docuit Leo Papa serm. 7 de Passione Dom. qui incipit : *Scio quidem dilectissimi*; Athanas. super c. 2 ad Ephes., Theodoretus ad Ephesios 1 in illa verba : *Elegit nos in ipso.* Ubi etiam Chrysost. et D. Prosper ad cap. Gallorum responsione 15, Theophylactus et Beda ad Ephes. 2. Le Ath The Chry Pros The Be

§ VII.

Diluuntur fundamenta oppositæ sententiæ.

Ad primum cum sua confirmatione ex Damas. et Nyssæno desumptum respondet D. Thom. 3 contra Gen. c. 90 his verbis : *Quod Gregor. Nyssænus dicit, providentia est eorum, quæ non sunt in nobis, non autem eorum, quæ sunt in nobis, et Damascenus eum sequens dicit. quod ea, quæ sunt in nobis, Deus prænoscit, sed non prædeterminat, expendenda sunt, ut intelligantur ea, quæ sunt in nobis, divinæ determinationi non esse subjecta, quasi ab ea necessitatem accipientia.* Unde Damascenus juxta interpretationem Angelici Doctoris, non negat prædeterminationem et prædiffinitionem actuum liberorum, sed quod prædiffiniantur a Deo eo modo, quo prædiffiniuntur et causantur actiones causarum necessariarum, quæ a divina prædeterminatione necessitatem accipiunt. Nam tam actus causarum liberarum quam necessariarum prædiffiniuntur quoad substantiam et quoad modum ratione summæ efficacitatis voluntatis divinæ, ut explicatum est. Et ita Deus prædiffinit ut causæ necessariæ sic agant ut necessario agant : ac proinde a divina voluntate habent, quod necessario agant. Et similiter præfinit, quod causæ liberæ sic operentur, ut libere operentur : ac proinde ut licet re ipsa et de facto operentur cum Deus vult, possint tamen non operari : 4 A prim D.Th

operari : quia Deus utrumque vult, scilicet quod operentur quando possint non operari : et per consequens prædictæ causæ sunt subjectæ providentiæ et præfinitioni divinæ ut ab ea suam libertatem accipientes. Per quod etiam ad id quod ex Hieronymo ibidem adducitur, satis constat.

Quam solutionem adduxit etiam D. Th. infra q. 23 art. 1 ad 1. Ubi explicans Damascenum, sic ait : *Damascenus nominat* (intellige in loco allegato) *prædeterminationem, impositionem necessitatis, sicut est in rebus naturalibus, quæ sunt prædeterminatæ ad unum. Quod patet ex eo quod subdit. Non enim vult malitiam neque compellit virtutem. Unde prædestinatio non excluditur*. Neque enim negat quamcumque prædeterminationem divinæ voluntatis, sed solum eam quæ necessitatem inducit.

ica. ez. Ex quo satis constat, nihil referre si cum Suarez objicias, Damascenum duas rationes afferre ad probandum Deum non prædiffinire prædiffinitione antecedenti ea quæ sunt in nostra potestate. Prima circa actus malos : quia nimirum vitium non vult patrari : in qua non innititur in libertate nostra, sed in deformitate objecti. Secunda vero procedit de actibus bonis; et consistit in hoc quod virtuti non affert vim : at vis non sumitur pro coactione in eo rigore, quo Scholastici ea voce utuntur, quatenus nimirum voluntario opponitur, nam etsi Deus voluntatem nostram necessitaret, nihilominus, non illam cogeret; sed sumit particulam illam *vim* pro necessitate repugnante libertati : et hanc reddit causam, ob quam Deus decreto suo antecedenti voluntatem nostram non prædeterminat : quia videlicet virtuti non affert vim : ergo sentit Damascenum omnem prædeterminationem antecedentem, qualis est prædeterminatio per divinum decretum, inferre necessitatem repugnantem libertati. Et propterea hinc concludit, Deum per prædictam prædeterminationem, non prædeterminare eos actus, qui in nostra potestate sunt.

utio. Ex dictis igitur constat, hanc objectionem nihil referre : siquidem si conjungantur ea, quæ Damascen. in hoc loco docet, et illa, quæ oratione prima de imaginibus supra in hoc dubio citata inquit, distinguit, ut optime exposuit D. Thom. duplicem prædeterminationem antecedentem divinæ voluntatis; alteram cum impositione necessitatis, alteram sine impositione necessitatis, quæ fit juxta modum voluntatis liberæ, et creatæ jam insinuatum. Unde ex vi hujus objectionis, solum sequitur Damascenum loqui de prædeterminatione antecedente, et imponente necessitatem, cum hanc respectu actuum liberorum voluntatis creatæ negat; non vero de prædeterminatione antecedente alterius rationis, a qua propter summam efficaciam divini decreti, et extrinsecæ prædeterminationis illius habeat voluntas quod agat, et libere agat.

Ad secundum. Ad secundum ex Chrysostomo desumptum constat ex nuper dictis. Addendum tamen, quod illa verba in originalibus Græcis non habentur. Quare non immerito creduntur imposita a Pelagianis.

44. Ad tertium. Ad tertium ex Augustin. respondetur, illum loqui de causis, et objectis creatis inclinantibus ad peccandum : et de his verissimum est, quod si eis resisti non potest, sine peccato, ipsis ceditur. Hanc autem esse mentem August. constat ex contextu. D. Aug. Nam cum in cap. 17 præcedenti sic inquisisset : *Sed tamen scire vellem si fieri posset, quare illa natura non peccet, quam non peccaturam præscivit Deus? et quare ista peccet, quæ ab ipso peccatura prævisa est? Non enim jam puto, ipsa Dei præscientia vel istam peccare vel illam non peccare cogi. Sed tamen si nulla causa esset, non ita dispertiretur creatura rationalis, ut alia nunquam peccet, alia in peccando perseveret, alia quasi media inter utramque aliquando peccet, aliquando ad recte faciendum convertatur. Qua causa in has tres partes eam distribuit : cum ejusdem generis omnes sint?*

Cum igitur sanctus Doctor sic inquisisset, proponit deinde solutionem dicens : *Cave enim putes quidquam potuisse dici verius, quam id, quod dictum est, radicem omnium malorum esse avaritiam, hoc est plus velle quam sat est, aut igitur ipsa voluntas est prima causa peccandi? aut nullum peccatum est prima causa peccandi? neque est cui recte imputetur peccatum nisi peccanti. Non est ergo cui recte imputetur nisi volenti, sed nescio cur aliud te quærere libeat? Deinde quæcumqne illa causa est voluntatis, aut justa profecto est, aut injusta? Si justa, quisquis ei obtemperavit, non peccabit. Si injusta, non ei obtemperet, et non peccabit.* Et statim incipiens caput 18 et afferens id, quod ab adversariis adducitur, inquit : *An forte violenta est, et cogit invitum? num eadem toties replicaturi sumus? reminiscere superiorum, quæ a nobis tam multa de peccato, et voluntate libera dicta sunt? sed si laboriosum est omnia mandare memoriæ, hoc brevissimum tene, quæcumque ista causa est voluntatis,*

si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur, si autem potest, non ei cedatur, et non peccabitur. Ubi ut constat non loquitur Augustin. nisi de causis secundis, et objectis creatis inducentibus, et invitantibus ad peccandum, quæ nomine avaritiæ innuuntur, et solum vult, voluntatem esse primam causam peccandi : quia nisi ipsa velit, non peccabit : ex eo quod licet objecta creata invitent ad peccandum, si eis non potest resisti sine peccato, eis ceditur : et ita, ideo voluntas peccat, quia cum possit eis resistere, nihilominus libere vult eis non resistere, sed peccare.

45. Cæterum cum his stat, ut licet ex vi causarum secundarum, quibus non potest resisti inducatur necessitas simpliciter; non tamen ex eo quod divinæ voluntati aliquid prædiffinienti resisti non possit, quia quod ei resistatur dicit, juxta communem Theologorum consensum, quod possint hæc duo in unum conjungi, scilicet Deum prædiffinire aliquid circa voluntatem creatam, verbi gratia, actum amoris, et voluntatem creatam ponere simul cum illo decreto non amorem, vel odium, et hoc repugnat; non tamen tollit, quod licet actu non ponat non amorem, possit tamen illum ponere, et conjungere eumdem non amorem, non quidem cum decreto, sed cum voluntate creata, quod quidem ad libertatem sufficit. Sed de hoc, et de pluribus difficultatibus hinc illinc ebullientibus, et quomodo possint inter se cohærere, quod voluntas creata supposito decreto de actu amoris, non possit conjungere cum illo non amorem, et tamen adhuc supposito eo dem decreto possit ponere non amorem et conjungere illum cum eadem sua voluntate. qui tamen amor si esset destrueret decretum, in 4 dubio hujus disp. sermo redibit : et ex ibidem dicendis hæc elucidabuntur.

Ad illud ex Anast. Nyss. et Arnob.

Ad illud vero ex Anastasio Nyssen. et ex Arnobio respondetur, eos loqui de voluntate Dei causante in nobis volitionem nostram sine nobis, ad modum quo dicunt Lutherani. Nam hi Patres disputabant contra Manichæos vel sectatores eorum, qui eodem modo errabant sicut Lutherani. Unde in hoc sensu dicunt : *Quod negas libertatem arbitrii, si dixeris : Deus si vult, bonus sum, si non vult, bonus non sum.*

46. Ad quartum. Ledesma

Ad quartum ex D. Thoma respondetur, sanctum Doctorem ibidem solum docere (ut bene notavit Ledesma lib. de auxiliis divinæ gratiæ quæst. unica artic. 9 fol. 180 columna 2) quod Deus in eo quem prædestinat, tot et talia adminicula præparat, ut vel non cadat, vel si cadit, resurgat. Ex hoc tamen non recte colligitur ab adversariis, quod sanctus Doctor certitudinem prædestinationis ponat in communi tantum, et non in particulari, prout declaratur in illo disjuncto. Quoniam Deus in particulari prædiffinit et prædeterminat hæc omnia, et ex ejus prædiffinitione et prædeterminatione habent certitudinem : siquidem in prædestinatis præfinita sunt omnia media, quibus consecuturi sunt vitam æternam. Unde in illo disjuncto tantum significatur id, quod in prædestinatis sæpissime contingit, nempe quod aliquando prædestinatus post acceptam gratiam non cadit, sed perseverat : et tunc præparata sunt a Deo et prædiffinita adminicula ne cadat ; aliquando vero cadit : et tunc præparata sunt adminicula et prædiffinita ut resurgat. Et ideo semper præparat Deus et prædiffinit in particulari hujusmodi adminicula.

47 Esse autem hanc sancti Doctoris mentem, inde liquet. Nam ibidem expresse docet, prædestinationem non habere certitudinem ex præscientia, sed potius e contra, præscientiam habere certitudinem ex prædestinatione : *Quoniam alias* (inquit) *prædestinatio non fieret per electionem gratiæ, quod est contra sacram Scripturam et doctrinam Patrum.* Et ita, ut bene notavit Gonzalez in hac 1 part. disput. 57 sect. 2 num. 43 et 44, quando sanctus Doctor in verbis in argumento relatis distinguit illos duos modos certitudinis providentiæ, sub primo modo intelligit providentiam, quam gerit Deus de causis necessariis, concurrendo ad earum operationes, prædeterminando illas omnino ad unum per modum naturæ. In secundo vero modo explicat providentiam prædestinationis, quæ est in ordine ad actus liberos, inquiens, quod hæc habet certitudinem : non quia moveat Deus liberum arbitrium, sicut movet causas naturales necessarias, prædeterminando illud ad unum per modum naturæ, sed ex præparatione multorum mediorum, ita ut quamvis unum deficiat, alterum adhibeatur. In quo tamen non significat quod tam illud medium, quod deficit, quam etiam illud, quod loco ejus adhibetur, non sint distincte et in particulari prædiffinita a Deo, illud ut sufficiens, istud vero ut efficax; sed solum intendit, quod media non adhibentur cum omnimoda determinatione ad unum per modum naturæ, sed juxta modum humani liberi arbitrii flexibilis et

Gonz.

mutabilis

mutabilis servato jure nostræ libertatis, ita ut in iis, qui nunquam post acceptam gratiam cadunt, provideatur in particulari de adminiculis, ne cadant; et hæc a Deo præfiniantur : et in iis, qui aliquando cadunt, et postea resurgunt, provideatur de adminiculis, quibus resurgant : atque adeo sint a Deo præfinita respectu illorum tum auxilia sufficientia, quibus potuerunt non cadere, tum adminicula, quibus de facto resurgant, ac tandem perseverent.

Ad confirmationem respondetur, quod cum D. Thom. asserit, quod ad volendum hoc vel illud homo se determinat, idest, non præsupposita determinatione divinæ voluntatis, loquitur de voluntate hominis peccaminosa. Nam ad prædictam voluntatem seu volitionem peccaminosam quatenus talem non prædeterminatur voluntas creata a prima voluntate; sed in hoc ordine habet se per modum primæ voluntatis, quæ a se ipsa habet peccare. Esse autem hanc mentem D. Thom. constat ex eo quod argumentum, quod ibi solvit, procedebat de hac voluntate seu volitione peccaminosa. Unde loquens statim de actibus bonis subjungit, quod ad actus bonos specialiter determinatur voluntas creata a Deo per suum decretum præsertim ad opera gratiæ.

Ad ultimum respondetur Augustinum, tam in illa quam in aliis quæstionibus similibus recurrere ad voluntatem Dei prædiffinientem, seu (quod in idem quod præsens redit) ad voluntatem Dei prædestinantem, ut constat ex iis, quæ in tract. de Scientia Dei disput. 10 dub. 2 diximus. Unde idem sanctus Doctor libr. de Correct. et gratia capit. 14 sic ait : *Numquid aliquis dicturus est non iturum fuisse cum Saul quemquam eorum, quorum tetigit corda ut irent cum illo? aut iisse aliquem pestilentium, quorum ut hoc facerent corda non tetigit?* Ubi ut vides, loquens de decreto prædiffinitivo Dei, et reddens rationem, quare ex pluribus illis hominibus aliqui irent cum Saule, et eum ut regem (ut debebant) susciperent, aliqui vero non, recurrit ad prædictum decretum prædiffinitivum Dei.

DUBIUM III.

An sufficienti ratione probetur, Deum decreto suo absoluto, et efficaci prædiffinire omnes actus causarum secundarum?

Tituli hujus dubii intelligentia non minus quam aliorum hujus disp. satis ex iis, quæ in hac disp. num. 2 diximus constat. 50.

§ I.

Refertur sententia negans.

Partem negantem tuentur Herice 1 p. tract. 2 disp. 19 cap. 4 num. 25 inquiens, omnes scriptores suæ Societatis eam tenere, et revera hujus sententiæ sunt Molina in concordia per multas disputationes prout repetit in Appendice ad tertiam objectionem. Bellarmin. lib. 4 de gratia, et libero arbitrio, cap. 15 et 16; Fonseca tomo 3; Metaphys. lib. 6 cap. 2 quæst. 5 sect. 3; Suarez lib. 1 et 2 de concursu Dei per multa capita, et tomo 1 de gratia prologom. 2 cap. 8; Vazquez 1 p. disp. 99 cap. 3 et 4; Lessius in opuscul. de auxiliis, disp. de prædestinat. et reprobatione Angelorum num. 17 et lib. 11 de providentia cap. 15 et in disp. apologetica cap. 3; Granado 1 p. tractatu 11 sect. 1 cap. 3; refertur etiam Arrubal 1 p. disput. 86 cap. 3 et 4, et alii. Herice. Molin. Bellarm. Fonseca. Suarez. Vazquez. Lessius. Granado. Arrubal.

Probatur primo. Non est ponenda in Deo nisi illa volitio, seu decretum quod sufficiat ad hoc ut per modum primæ causæ primæque voluntatis respectu volitionis creatæ v. g. influat : sed ad hoc satis est, quod divina voluntas versetur circa prædictos actus, vel effectus per volitionem generalem, et quasi conditionatam, scilicet si voluntas creata voluerit : ergo non est necessaria prædicta prædiffinitio eorum. Consequentia cum majori ex se videntur constare. Minor vero probatur. Quia hoc ipso quod Deus decernat concurrere cum voluntate creata, v. g. conditionate, idest, si ipsa voluerit, præstabit absque alia voluntate absoluta omnem concursum, qui ad rationem causæ primæ desideratur : quandoquidem nisi per illam steterit, Deus una cum ipsa ex vi illius voluntatis generalis operabitur : ergo ad hoc ut divina voluntas per modum primæ causæ, ac primæ voluntatis, et secundum ea, quæ ex parte illius desiderantur, concurrat, satis erit Primum argumentum.

prædicta voluntas generalis, et quasi conditionata.

51. Confirmatur primo. Nam si voluntas creata sub conditione aliquid decernit, tunc si purificetur, seu adimpleatur conditio, sine alia voluntate absoluta executioni mandat id, quod decrevit; unde addere prædictam voluntatem supervacaneum est : ergo potiori ratione hoc ipsum de voluntate divina dici debet.

Confirmatur secundo. Quia per voluntatem concurrendi simultanee cum causa secunda, v. g. cum voluntate creata si ipsa voluerit, salvatur omnis dependentia essentialis, tum causæ secundæ a prima in causando, tum actionis ejus, tum effectus per illam causati : ergo superfluit alia voluntas efficax absoluta et prædiffiniens. Consequentia est evidens. Quia prædicta voluntas efficax, et absoluta solum potest addi ad salvandam aliquam ex his dependentiis essentialibus.

Antecedens videtur perspicuum. Nam ex qua parte causa prima potest operari sine concursu simultaneo causæ secundæ, non vero e contra causa secunda sine voluntate Dei, qua velit concurrere cum causa secunda si ipsa voluerit, salvatur essentialis dependentia in agendo causæ secundæ a prima, et ex qua parte ipsa actio causæ secundæ est immediate a Deo, per illam voluntatem manet illæsa dependentia ipsius actionis a causa prima : et tandem ex quo capite id, quod est causa actionis, causat etiam immediate effectum, qui sequitur ad actionem, salvatur dependentia ipsius effectus a Deo. Ad quid ergo desiderabitur voluntas illa efficax, et absoluta superaddita, et distincta a voluntate conditionata concurrendi simultanee si voluntas creata voluerit?

52. Secundum. Secundo. Influxus generalis Dei est indifferens ad hoc ut per concursum causæ secundæ modificetur ad talem, vel talem speciem actionis : ergo actus causarum secundarum in particulari, et cum omnibus circumstantiis non prædiffiniuntur a divina voluntate. Consequentia patet. Tum, quia eo et non amplius se extendit divina prædiffinitio, quo ejus influxus se extenderit : ergo si prædictus influxus, ut ab illo procedit, non terminatur ad effectum in particulari, nisi modificatus, et determinatus per concursum causarum secundarum, fiet inde, ut ejus volitio hoc ipsum habeat : ac proinde non sit prædiffinitio talis effectus antecedenter ad talem modificationem. Tum etiam : quia non aliter res sunt volitæ a Deo in æternitate, quam eo modo, quo in temporo executioni mandantur : ergo si Deus in tempore non præstat nisi concursum generalem, et indifferentem, qui per causas secundas determinetur, consequens erit, ut hoc modo et non alio, in æternitate velit concurrere. Antecedens autem etiam constat. Quia influxus Dei ideo nuncupatur generalis, quia quantum est ex vi sua nisi determinetur per causam secundam, non attingit effectum in particulari.

53. Tertium. Tertio. Deus non prædiffinit actus liberos voluntatis creatæ cum omnibus circumstantiis, et omnino in particulari sumptos : ergo neque actus, aut effectus aliarum causarum secundarum. Patet consequentia. Tum ex paritate rationis. Tum etiam : quia, ut ex dicendis constabit, ideo Deus potest et debet prædiffinire omnes actus liberos voluntatis creatæ modo dicto, quia secundum prædictam rationem sunt actus causæ secundæ, ac proinde debent prius esse absolute, et efficaciter prædiffiniti a causa prima : at hæc ratio non minus procedit in actibus, et effectibus aliarum causarum secundarum : ergo, etc.

Antecedens vero probatur. Quia alioqui tolleretur ejus libertas. Tum, quia hoc ipso quod decretum divinum sit ex se ita efficax, oportet ut quoties Deus decernit aliquid circa voluntatem creatam, maneat ipsa prædeterminata ad unam partem, illam nimirum quam Deus decernit, ac proinde non manebit indifferens ad utramque partem, quod est idem ac non manere liberam. Tum etiam : quia id tollit libertatem voluntatis, quod non est in potestate ejus tollere, aut ponere illud, et quo posito non potest non sequi actus voluntatis : sed voluntas creata nihil potest facere ad tollendam, vel ponendam hanc prædiffinitionem, ut ex se et ex statim dicendis patebit; et ea posita non potest non operari, et consentire, quia ejus effectus est facere quod voluntas infallibiliter faciat; et posita causa infallibiliter inferente effectum implicat non sequi talem effectum : ergo, etc.

54. Corroboratio Confirmatur. Quia ideo Angeli in primo instanti non fuerunt liberi ad peccandum, quia voluntas eorum dirigebatur a Deo tunc speciali providentia : et similiter homo in statu innocentiæ non erat liber ad peccandum venialiter prius, quam mortaliter, propter hanc eamdem extrinsecam

Dei

Dei providentiam : et tandem confirmati in gratia ratione hujus providentiæ non habent libertatem ad peccandum, ut docet D. Thom. de Veritate q. 24 art. 9 et in 3 dist. 3 quæst. 1 art. 2 quæst. 3; ergo si omnis voluntas creata præfinitur, et prædeterminatur per hanc extrinsecam præfinitionem in ordine ad actus bonos, non remanebit in ea libertas ad peccandum : siquidem hæc præfinitio, et prædeterminatio extrinseca est efficacissima sicut, quævis alia providentia.

Quarto. Quia si semel Deus indispensabiliter prædiffinit, et prædeterminat per hanc extrinsecam determinationem sui decreti omnes causas secundas, et consequenter causas liberas ad agendum, sequerentur inde duo maxima absurda. Primum est, quod etiam præfiniret, et prædeterminaret illas per prædictam prædeterminationem ad actum, v. g. odii Dei, quatenus habet rationem entis et actus; siquidem eliciunt actum illum, secundum istam rationem, quatenus sunt causæ secundæ efficientes; ac proinde ut subordinatæ suæ primæ causæ efficienti, et hæc essentialis subordinatio est prima radix in contraria sententia ponendi prædictam præfinitionem : at hoc videtur absurdum, nam inde fieret, Deum esse causam peccati ut talis : quandoquidem ratio entis, et actus non distinguuntur realiter a ratione ultima et expressa odii, quæ est formaliter peccatum : imo neque etiam virtualiter, sed solum penes explicitum, et implicitum : ergo nequit Deus active attingere illas duas rationes, relinquendo intactam per suam positivam causalitatem prædictam rationem odii ut talem.

§ II.

Statuitur vera sententia D. Thomæ et ejus prima ratio expenditur.

Dicendum tamen est, Deum prædiffinire omnes actus causarum secundarum, tam liberarum, quam necessariarum prædiffinitione absoluta et efficaci. Ita sancti Patres Aug., Angel. Doct. et omnes alii a nobis dub. præcedenti relati. Item Alensis 1 p. q. 23 memb. 3 art. 4; Albertus in summa tract. 15 q. 67 membro 4 particula 2; Bonavent. in 1 dist. 45 art. 2 q. 2 ad 4; Henric. quodlibet. 9 q. 6 littera A; Ricardus in 1 dist. 45 art. 2 q. 3; Scotus dist. 39 q. 3 § *Viso*, et dist. 41 q. unica § *Sed contra*, necnon, et quodlibeto 14 et in 2 dist. 1 q. 3 et in 4 dist. 49 q. 6 § *Dico ergo;* Gabriel in 1 dist. 33 q. unic. c. 2; Capreol. in 1 dist. 45 q. 1 art. 2 et in 2 dist. 28 q. 1 art. 3 ad 12; Duran. Ferrar. 3 cont. Gent. c. 89; Cajetan. 1 p. q. 14 art. 13 et q. 45 art. 5; Cabrera tom. 3 in 3 p. q. 62 art. 1 disp. 19 § 4 et tomo 2 in eamdem 3 p. q. 18 art. 4 disp. 2 § 4 ubi plures alios refert; Alvarez lib. 3 de auxiliis divinæ gratiæ disp. 22; Ledesma etiam lib. de auxiliis q. unica art. 9, Nazarius, Bannez, Navarrete, Zumel, Gonzalez, Zanardus, et Machin in præsenti et q. 23 artic. 5; Gaspar Ram. tract. de divinis præmotionibus fol. 86; Cornejo tom, 1 in 1 p. tract. 1 in q. 14 art. 13 disp. 2 dub. 6 et tractatu 2 in quæst. 23 art. 6 et 7 disp. 1 dub. 5; Josephus a Santa Maria tractatu de libero arbitrio quæst. 4 artic. 3 conclus. 1; Villegas controversia 12 disput. priori cap. secundo, referens Mayronem, Basol., Nyssæn., Orbel, Lychetum, Rubionem, Castronovum, Bacconem, Bononiam, Vegam, Trigosum, et alios. Et tandem idipsum tuentur plures alii.

Gabriel. Capreol. Ferrara. Cajetan. Cabrera. Alvarez. Ledesma Nazar. Bannez. Navarr. Zumel. Gonzalez Zanard. Machin. Ram. Cornejo. Jos. S. Mar. Villegas. Mayron. Basol. Nyssæn. Orbel. Lychet. Rubion. Castron. Bacco. Bononia. Vega. Trigos.

Probatur in primis ratione desumpta ex D. Thom. in 2 dist. 37 quæst. 2 art. 2 ad 2 et 3, et 1, 2 quæst. 80 art. 1 quam ad aliud intentum (de quo nihil modo) nostri Complut. 2 Physic. disp. 11 num. 24 adducunt, et optime expendunt : et ideo eisdem fere verbis ea, sicut et duabus sequentibus rationibus utemur. Quæ ut melius intelligatur advertendum est, esse valde distincta hæc duo, nimirum operari cum aliquo ex una parte, et ex alia operari per illud, seu per suum decretum efficax facere ut aliud efficaciter operetur. Nam primum solummodo denotat simultatem, quam vocant concomitantiam concursus, seu (quod in idem quoad præsens redit) solum denotat, quod velit concurrere, si aliud concurrat : et ideo si duo portent unum, et eumdem lapidem, quivis operatur cum alio : quia simultanee cum illo concurrit, et in sententia eorum qui dicunt fœminam concurrere active ad generationem prolis, tunc fœmina ob rationem dictam operatur una cum viro, et e contra.

57. Animadversio ad priorem rationem D. Thom. Complut.

At vero ad secundum requiritur ut agens, quod operatur per aliud, non solum concurrat simultanee cum altero; sed quod per suum decretum efficax agat, ut alterum agat et operetur : et ideo nec fœmina operatur per virum, nec vir per fœminam, nec unus ex portantibus lapidem portat

illum per alium : quia nec fœmina facit, quod vir faciat, nec unus qui portat lapidem, active facit ut alius illum portet. Quia nullus habet decretum ex se efficax, quod faciat ut aliud velit, et producat effectum.

58. Formatur prior ratio Ang. Doct. pro assertione.

Hinc ergo conficitur ratio ex D. Thom. sumpta. Nam licet prima causa, et secunda concurrant ad actionem ejusdem causæ secundæ; attamen cum hoc discrimine, quod Deus non solum est causa illius actionis prout est ab ipso, sed etiam per suum decretum est causa ejusdem actionis prout est a creatura : at vero causa secunda licet sit causa suæ actionis prout est ab ipsa, non tamen potest esse causa illius prout est a Deo : ergo Deus non solum causat realiter illam actionem, sed etiam per suum decretum efficaciter facit actu, quod causa secunda agat, et ex consequenti non solum concurret per concursum simultaneum, seu (quod in idem quoad præsens redit) non solum concurret per voluntatem conditionatam influendi si voluntas creata voluerit, sed per decretum absolutum antecedens et efficax, quo faciat ut causa secunda creata agat.

Probatio antecedentis.

Antecedens patet. Quia cum actio illa prout a creatura sit aliquid creatum in rerum natura existens, oportet quod ut sic, sit a Deo per suum decretum tanquam a prima causa efficiente : sicut quia eadem actio prout a Deo est ab illo ut a prima causa; ideo prout sic ab illo procedit, nequit procedere ab alia causa, alioqui non influeret per modum primæ causæ : quia causa quæ influit non solum in actionem utcumque, sed prout est ab aliqua causa, facit ut talis causa faciat; ac proinde est prior illa in causando : ergo si creatura esset causa illius actionis non utcumque, sed prout est a Deo, ac proinde faceret ut ipse faceret, jam esset prior in causando quam Deus, et ex consequenti eo ipso Deus rationem primæ causæ amitteret.

Suadetur prima et ultima consequentia.

Prima vero consequentia ex antecedenti constat. Quia idem est, actionem causæ secundæ, etiam prout est ab illa, esse actu a Deo, ac quod Deus faciat actu quod creatura faciat, alioqui licet actio illa esset a Deo, non tamen quatenus fit a creatura, fieret ab illo. Ultima vero consequentia ex probatione antecedentis, et primæ consequentiæ videtur constare. Quoniam ut Deus non solum habeat voluntatem concurrendi si causa secunda creata influxerit; sed etiam ut per suum decretum faciat quod ipsa actu concurrat, oportet ut habeat voluntatem absolutam, qua velit, causam secundam concurrere : quia voluntas illa conditionata non facit ut altera concausa concurrat; sed solum si talis causa influxerit, tunc etiam prædicta voluntas concurret : ac proinde etiam oportebit ut illa voluntas, seu decretum sit antecedens ad concursum talis causæ, ac tandem efficax ad faciendum ut illa faciat. Siquidem voluntas absoluta quæ est causa hujus quod est causam secundam agere, debet esse antecedens prioritate naturæ, et causalitatis, debetque esse efficax in ordine ad hunc effectum.

59. Occurrunt adversarii.

Non refugiunt authores oppositæ sententiæ respondere, quod licet illa actio realiter sit a Deo, non tamen prout est a causa secunda. Quia etsi una actio possit esse a duplici causa; attamen prout est ab una, non potest esse ab alia : et ideo satis esse concursum simultaneum. Quia ad dependentiam causæ secundæ a prima in agendo, sufficit quod non possit agere quin simul illa actio sit realiter a prima.

Impugnatio.

Sed contra. Quia, ut in ratione nostra dicebamus, dependentia illa actionis a causa secunda formaliter sumpta, non est purum ens rationis, sed est aliquid verum, et reale in rerum natura exercitum : ergo debet esse participatum actu, et immediate ab ente per essentiam; alioqui enim Deus non influeret in illam actionem ut habet rationem entis, quandoquidem non procedit ab illo secundum omnem modum, et formalitatem, quam habet : at hoc esse falsum satis constat : siquidem terminus qui per se correspondet universalissimæ causæ, qualis est Deus, est ratio universalissima omnium, quæ in rebus inveniuntur, scilicet ratio entis. Quare sicut aliæ rationes inventæ in actione, quia sunt aliquid reale, refunduntur actu in Deum ut in causam a qua actu, et immediate pendent, ita et hæc formalitas actionis prout est a causa secunda, cum sit ens, debet etiam esse actu, et immediate ab ipso mediante suo decreto.

Quare etsi facta collatione inter duas causas ejusdem ordinis repugnet actionem prout est ab una, esse ab alia; non tamen si fiat inter causas diversi ordinis, et essentialiter subordinatas. Quia de ratione causæ inferioris, et secundæ est, ut non agat, nisi habeat a superiori et prima mediante suo decreto, quod agat.

60. Confirmatur.

Confirmatur. Quia actiones vitales secundum rationem vitalitatis debent pendere

dere a Deo, seu a divino decreto actu, et immediate : quia cum hæc ratio sit valde perfecta, non possunt non in illa esse dependentes a Deo, qui est ipsa vita per essentiam, ac proinde ab ejus decreto : at actio vitalis ut vitalis intrinsece importat dependentiam ab intrinseco principio vitæ, imo et in hac dependentia ejus vitalitas consistit : ergo si semel ut vitalis pendet a Deo, non potest non pendere ab ipso, ut pendet a causa creata, seu a principio creato vitæ. Quod argumentum potest etiam fieri in actibus nostris liberis, qui ut tales consistunt in dependentia a potentia nostra libera ut libera est.

§ III.

Expromitur vis, et efficacia secundæ rationis D. Thomæ.

Secunda ratio principalis pro nostra assertione desumitur ex eodem sancto Doctore in 2 dist. 37 quæst. 2 art. 2. Eamque nostri Complutenses ad aliud, non minus quam præcedentem (de quo in præsenti non agimus) adducunt. Quia si Deus decreto suo efficaci non præfiniret, et prædeterminaret omnes actiones causarum secundarum, sequeretur quod causa secunda, verbi gratia, voluntas, esset primum se movens, et primum se determinans ad suam operationem, quod est esse primum principium simpliciter : at hoc est evidenter falsum : quia alioqui jam darentur plura prima principia in ordine operativo ; et ita incideremus in errorem Manichæorum. Sequela videtur aperta. Quia causa cujus operationes non præfiniuntur, et prædeterminantur per decretum alterius primi prædiffinientis, et primi prædeterminantis est primum se movens, et primum se determinans.

Respondent adversarii dupliciter. Primo ad rationem primi moventis, et primi se determinantis requiri ut habeat *esse* a se, quod non competit causæ secundæ. Secundo respondent, satis esse ad hoc ut causa secunda non sit primum movens se ipsam, quod nequeat operari sine concursu simultaneo primæ causæ, seu (quod in idem quoad præsens redit) sine voluntate illa, qua Deus decernit se influxurum, si causa creata, verbi gratia, voluntas voluerit concurrere.

Sed primam solutionem impugnat D. Thom. ibidem dupliciter. Primo quidem. Quia id quod a se non habet *esse*, nequit habere a se quod sit actuale principium operandi, quia tale principium debet commensurari cum *esse* : ergo si semel datur quod actu operetur a se, debet dari quod sit ens a se. Unde hæc solutio contradictoria involvit, scilicet quod causa secunda esset, et non esset ens a se : primum quidem, quia ut nunc dicebamus, quod a se non est ens, non habet a se quod operetur : secundum vero quia ut supponitur habet *esse* creatum.

Deinde. Quia etsi demus, quod per hanc solutionem evitetur, quod voluntas humana non sit primum ens simpliciter ; non tamen quod non sit primum operans respectu suarum operationum, si semel operatio illa, etiam prout est ab ipsa, non pendet ab alio, ac proinde si semel non præfiniatur ab alio, seu a decreto alterius ad illam eliciendam. Secundo.

Neque secunda solutio satisfacit. Quia in eorum sententia, licet possit Deus calefacere sine igne per majorem quantitatem concursus, quam sit illa qua concurrit cum ipso ; non tamen id potest facere per concursum simultaneum, quo concurrit cum igne, seu per quantitatem concursus, quem tunc illi præbet : quia prædictus concursus seu quantitas illius influxus ab intrinseco petit simultatem concursus ignis : et tamen tunc Deus concurrit ut prima causa ac per consequens modo non derogante rationi primi se moventis, primique operantis : ergo ex hoc præciso capite, quod voluntas, verbi gratia, egeat concursu simultaneo, non amittet rationem primi principii : sed ideo eam amittit, quia eget decreto alterius præfiniente, et prædeterminante illam actionem antequam ipsa eam eliciat. 63. Secunda solutio evertitur

Confirmatur. Tum, quia respectu actionum vitalium, et maxime liberarum, non potest Deus concurrere ad illas efficiendas, nisi simul concurrat voluntas, ut supra diximus ; et nihilominus concurrit modo proprio causæ primæ : ergo quod desideretur concursus simultaneus alterius causæ non derogat modo causandi causæ primæ ut primæ. Tum etiam : quia ex eadem radice oritur, quod causa secunda indigeat decreto Dei antecedente, et prædiffiniente, et quod ejus actio petat concursum simultaneum ipsius, scilicet quia tam causa, quam actio ejus est ens secundum : ergo utrumque est concedendum, vel negandum. Confirmatur.

§ IV.

Duæ aliæ rationes D. Thomæ.

61. Tertia ratio assertionis. D. Thom. Complut

Tertia ratio principalis pro sententia D. Thom. (per quam etiam rationes, et impugnationes præcedentes non parum confirmabuntur, quaque nostri Complutens. ad aliud intentum etiam utuntur) sic se habet. Causa secunda nequit agere, quin Deus simultanee cum illa influat : ergo etiam debet præmoveri ab ipso per suum decretum ad agendum. Patet consequentia. Quoties enim ad aliquam actionem indispensabiliter desideratur concursus simultaneus duarum causarum, oportet ut vel una moveat aliam, vel utraque ab alia tertia moveatur, alias omnino a casu sequeretur illa simultas concursuum, etiamsi illæ causæ sint per se subordinatæ : ergo cum nequeat causa secunda applicare causam primam, neque aliqua alia tertia sit excogitabilis, quæ utramque præmoveat, necesse erit ut Deus efficaciter per suum decretum præmoveat causam secundam, seu (quod in idem quoad præsens redit) præfiniat per suum decretum efficaxc oncursum causæ secundæ : alias ipse cæco modo, et ignoranti influeret. Quia nesciret quando illa inciperet operari, et an exhibitura sit suum concursum simultaneum, necne : ac proinde an ille concursus Dei obtenturus sit finem, pro quo exhibetur, vel non.

Confirmatio.

Confirmatur. Quia nisi Deus sic prædifiniat actionem causæ secundæ, tunc concursus illius, v. g. consensus voluntatis non esset futurus, quia Deus vult illum esse; sed potius quia est futurus, ideo Deus illum vult : quandoquidem prius prævidetur futurus, quam Deus efficaciter decerneret futuritionem illius : cujus oppositum in tractatu de Scientia Dei disput. 7 et sequentibus latius ostendimus.

65. Solutio adversariorum.

Nec refert id, quod respondent authores oppositæ sententiæ, scilicet quod ut Deus non procedat cæco modo, satis erit, quod per suam scientiam) quam appellant Theologi simplicis intelligentiæ (cognoscat quoad causas naturales, quod quoties non fuerit aliquod impedimentum, necessario operabuntur : ac per consequens poterit scire quando, et quomodo præbiturus sit suum concursum simultaneum, etc. Sicut etiam quoad causas liberas scit per suam scientiam (quam hi Doctores appellant mediam) an voluntas posita in tali, vel tali occasione operatura sit, et quomodo : et ita poterit similiter scientifico modo concurrere præsciendo punctum illud, in quo cooperaturus est cum illa : quare ad id non oportebit quod concurrat prædiffiniendo efficaciter actus liberos, antequam videat quid volitura sit voluntas in tali, vel tali occasione.

Refelli tur.

Non itaque hoc refert. Nam in primis quod attinet ad causas naturales, licet ipsæ ex se sint in suo ordine determinatæ ad operandum seclusis impedimentis; attamen possunt pro quolibet instanti impediri, vel a solo Deo supernaturaliter operante, vel ab aliis causis secundis efficacioribus et liberis : atque adeo nisi Deus efficaciter præfiniat earum operationes, et prædeterminet eas per suum decretum ad agendum, concurreret cæco modo, nesciens an causa secunda simul influxura sit, necne.

Et deinde quod attinet ad causas liberas, et scientiam illam mediam multis ostendimus in tract. de Scient. Dei a disp. 7 usque ad disp. 12 inclusive, eam esse impossibilem ac proinde ea mediante Deum non posse de creaturis providere, et decernere de concursu a se præstando una cum illis : attamen gratis admissa, sed non concessa, scientia media, adhuc ratio facta manet in sua vi. Quia potius ex illa sequitur, Deum ignoranti, et cæco modo influere, ut in eodem tract. disp. ult. dub. 4 late et ex professo prosecuti sumus. Quæ omnino videri debent, ut vis et efficacia rationis factæ magis splendeat.

66. Ultima ratio. D. Thom

Ultimo probatur ratione D. Thom. in hoc art. quæ potest ad hanc formam reduci. Quia cum aliqua forma efficax fuerit ad agendum, effectus consequitur causam non tantum secundum id, quod fit, sed etiam secundum modum fiendi vel essendi : et ideo ex debilitate virtutis activæ in semine contingit, quod filius nascatur dissimilis patri in accidentibus, quæ pertinent ad modum essendi : sed voluntas divina est efficacissima : ergo non solum ex vi hujus efficacitatis sequetur quod fiant ea, quæ vult Deus fieri, sed etiam quod eo modo fiant, quo vult fieri : ergo divina voluntas poterit prædiffinire quemlibet actum, vel effectum cum omnibus suis circumstantiis : et hoc ipso quod absolute velit, voluntatem creatam, v. g. operari modo libero, tunc infallibiliter ponetur illa operatio, et ponetur libere. Sicut hoc ipso quod absolute velit, causam necessariam operari, sequetur talis operatio, et sequetur modo necessario.

Nec

mad- rsio. Nec necesse erit has duas rationes magis urgere, aut alias adducere : quia ex dictis in tract. de Scientia Dei disp. 8 a n. 9 usque ad n. 35 et ex dicendis in tract. de Prædest. disp. 9 per totam magis hæc omnia constabunt. Videantur ea, quæ locis citatis dicuntur.

§ V.

Enodantur argumenta prioris sententiæ.

37. Ad num, et mam firma- nem. Ad primum, et ejus primam confirmationem respondetur, quod ille modus influendi, licet daretur quod posset admitti in creaturis, non tamen in Deo : quia intrinsece involvit imperfectionem ipsi repugnantem, nimirum quod ejus voluntas, quæ est prima in ratione voluntatis et causæ, determinetur ad agendum ab extrinseco, et creato agente. Accedit quod hic modus influendi involvit aliam maximam imperfectionem, scilicet agere præter intentionem, et cæco modo, ac tandem non per modum agentis intellectualis et liberi, ut ex dictis n. 64 et in tract. de Scientia Dei disp. ult. dub. 4 constat.

38. Ad cun- am irma- nem. Ad secundam confirmationem respondetur, per concursum simultaneum solum pendere directe a Deo ipsam actionem causæ secundæ, non vero causam secundam, sed solum indirecte quatenus sua actio pendet : eo modo quo fœmina in sententia dicentium, illam concurrere active, pendet a concursu viri; et e contra. Cæterum cum ipsa causa secunda debeat pendere directe a Deo in agendo, quatenus ab ipso immediate accipit non solum ut sit operativa, sed etiam quod agat, seu quod sit principium actuale actionis : et hoc non habeat præcise per concursum simultaneum, ut diximus, seu præcise per voluntatem concurrendi simultanee, et conditionatam, ut dictum est; oportet ut sit in Deo alia voluntas absoluta et efficax, ac antecedens, qua Deus velit absolute et efficaciter, quod causa secunda agat.

dita- tum. Adde (id quod etiam ex præcedentibus sequitur) actionem causæ secundæ non solum dicere actionem, sed etiam actionem cum modo dependentiæ a causa secunda, secundum quam rationem debet etiam procedere a Deo, ut supra dicebamus : at licet Deus per concursum simultaneum concurrat ad actionem ; non tamen potest ad illam prout est a causa secunda concurrere, nisi prædiffiniendo efficaciter ejus actum, ut explicatum est, etdocet D. Thom. 1, 2, quæst. 80 art. 1, ubi inquit quod nihil potest esse causa actus, alicujus, nisi per hoc quod proprium principium illius actus movet ad agendum. Et ideo ibi eleganter dixit Cajetan. si Deus non moveret Solem ad illuminandum (intellige per prædictam motionem) non esset causa illuminationis Solis, quamvis posset esse causa illius illuminationis, quæ esset a Sole.

69. Ad secun- dum. Ex quo ad secundum negandum est antecedens. Nam ut in sequentibus dubiis late probabimus, nullus concursus Dei est indifferens, sed determinatus ad hanc numero operationem. Unde autem hic concursus distinctus a divino decreto, et ejus efficacia sit efficax, et quomodo, et quidquid ad ejus efficaciam pertinet, consulto hîc non disputatur propter rationem sæpius a nobis datam. Et ad probationem antecedentis respondetur, non ideo concursum Dei dici generalem, quia per causas secundas modificetur, et determinetur, sed quia omnibus causis tribuitur juxta modum proprium uniuscujusque.

70. Ad tertium et quartum. Ad tertium argumentum cum sua confirmatione, et ad quartum respondetur, tangere graves duas difficultates. Prima est, an prædiffinitio Dei (de qua hucusque) per suum decretum efficax, et absolutum tollat libertatem arbitrii creati? Secunda est, an Deus prædiffiniat materiale peccati? Quæ duo in sequentibus dubiis examinanda sunt : et ideo ad tertium cum sua confirmatione num. 123 respondebimus, ad quartum vero n. 223 fiet satis,

DUBIUM IV.

An hæc prædiffinitio Dei efficax jam dicta in causis liberis libertatem earum adimat?

§ I.

Proponitur sententia affirmativa.

71. Primum argumen- tum. Partem affirmativam sequuntur Doctores dubio præcedenti num. 50 relati : imo hoc est potissimum fundamentum, quo convincuntur ad hanc præfinitionem denegandam. Et inter alia, quibus id probant, præcipuum obtinet locum id, quod præcedenti dubio attulimus, scilicet quod suppositio, vel depositio hujus præfinitionis non est in potestate voluntatis, et quod illa posita, non potest non operari; ac proinde tollitur ab

ea potentia ad utrumlibet, quæ est de ratione libertatis.

72. Solutio 1ª. Nec satis erit si huic argumento adhibeatur prima illa solutio, quæ communiter adhiberi ei solet, nimirum, quod licet posita tali præfinitione necesse sit in sensu composito voluntatem operari, tamen id non est necessarium in sensu diviso, et per consequens est liberum illam operari : quia necessitas sensus compositi non tollit libertatem.

Replica. Nam contra hoc objiciunt, quod Deus potest per aliquam præfinitionem positam sine voluntatis consensu necessitare illam, ita ut ea posita non maneat libera, licet retineat libertatem in sensu diviso, idest, si auferatur talis præfinitio : ergo etiam necessitabit illam per prædictam præfinitionem, quæ modo juxta oppositam sententiam ponitur. Antecedens patet. Quia ut ostendunt Theologi prima secundæ quæst. 6 art. 5, licet Deus non possit cogere voluntatem, potest tamen necessitare illam per aliquod suum decretum ; quia ejus omnipotentia est major, quam resistentia voluntatis.

Consequentia vero probatur. Quia præfinitio hæc, quam opposita sententia admittit, habet omnia, quæ requiruntur ad tollendam libertatem, scilicet quod ponitur sine ejus consensu ; et ea posita non potest in sensu composito non consentire, licet possit in sensu diviso, idest, si talis præfinitio auferatur : sicut unio hypostatica, quæ in Christo ponitur independenter ab ejus voluntate, et ea posita non potest peccare, licet ablata maneat peccabilis, ideo tollit ab eo libertatem et potentiam ad peccandum.

Confirmatur. Confirmatur. Quia alioqui voluntas non magis esset libera in actu pro quo daretur talis præfinitio, quam sit ignis ad calefaciendum : nam ignis necessario in sensu composito calefacit, si habeat omnia requisita ad agendum; non vero necessario in sensu diviso, si desit ei aliquod requisitum ad actionem, ut si deesset approximatio : ergo cum etiam voluntas posito isto decreto præfinitivo, operetur necessario in sensu composito, non vero in sensu diviso, si illud auferatur, erit par conditio utriusque.

73. Solutio 2ª. Neque etiam sufficiet si adhibeas secundam solutionem, quæ solet adhiberi prædicto argumento, et rationi principali, scilicet quod adhuc posito prædicto decreto prædiffinitivo potest voluntas dissentire si velit, nihilominus nunquam actu dissentiet, sed infallibiliter consentiet. Et ideo dixit D. Thom. 1, 2 q. 10 art. 4 ad 3 quod si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est huic positioni, quod voluntas ad illud non moveatur, seu (quod idem est) quod voluntas non operetur, et non consentiat. Nam ly *impossibile* sumpsit pro *infallibili :* quia semel mota voluntate ad consentiendum per præmotionem extrinsecam divini decreti præfinitivi, infallibile est quod consentiat. D. Th.

Nam contra hoc est, tum quod si semel stante illa præfinitione potest voluntas dissentire, cur non aliquando dissentiet? ac proinde cur erit infallibile, quod consentiet? Quia possibili posito in esse nullum sequitur inconveniens : et ex consequenti nihil oberit, quod prædictus consensus aliquando non ponatur; præsertim cum frustra sit potentia, quæ nunquam ad actum reducetur. Impugnatio prima.

Tum etiam : quia non videtur posse hæc duo cohærere, scilicet quod sit infallibilis connexio inter hanc prædiffinitionem absolutam, et ex se efficacem, et consensum voluntatis, et nihilominus quod possit voluntas dissentire, aut non consentire, si velit. Quia si semel est inter illas talis connexio et infallibilitas, debet provenire vel ex natura ipsius præfinitionis, vel ex modo operandi intrinseco illius, vel ex aliqua intrinseca repugnantia, quæ sit inter positionem talis præfinitionis extrinsece determinantis, et cessationem ab actu. Quia non apparet alia radix unde hæc infallibilitas oriatur : at hoc ipso quod oriatur ex aliquo horum capitum, fiet inde, ut voluntas non solum infallibiliter, sed etiam necessario sit consensura. Quia ipsa non potest tollere ab hac præfinitione id, quod convenit ei ex natura sua, vel intrinsecum modum operandi ejus, aut tandem facere quod ei conveniat aliquid intrinsece repugnans illi : ergo, etc. Alia impugnatio.

74. Confirmatur primo. Confirmatur primo. Quia nulla prædiffinitio, et prædeterminatio etiam extrinseca potest esse ita superior voluntate creata, ut superet, et subjiciat ejus indifferentiam, si semel manet libera : quia quandiu manet cum libertate, et potestate ad resistendum, tunc potestas illa resistendi est veluti syncategorematice infinita, et virtus talis præfinitionis quoad id, quod ex ea sequitur, est finita : ergo non poterit eam sic devincere, ut infallibiliter operetur. Maxime quia si semel prædicta præfinitio est virtus superior, quam efficacia, et potentia resistiva voluntatis ;

voluntatis; fiet inde, ut voluntas non solum eam non devincat, verum neque devincere possit. Quia virtus inferior non tantum non vincit actu, sed neque potest devincere superiorem.

nfir-atur ndo. Confirmatur secundo. Quia voluntas non potest esse præmota, est prædeterminata per hanc extrinsecam prædiffinitionem; et manere indeterminata Quoniam effectus hujus prædeterminationis est prædeterminare illam : ergo non tantum non dissentiet, aut non cessabit ab actu posita illa, verum nec poterit. Quia idem est manere cum potentia ad hæc, et manere cum indifferentia, seu manere indeterminatam.

5. utio. Nec refert si dixeris id, quod aliqui dicunt, scilicet manere determinatam determinatione infallibilitatis, et per modum liberi arbitrii, secus vero determinatione necessitatis et naturæ : et ita manere locum ad indeterminationem, quæ opponitur determinationi per modum naturæ, et necessitatis, et consequenter manere libertatem.

lica. Nam contra hoc est, quod videtur in ipsis terminis implicationem involvi. Tum quia idem est dicere, voluntatem manere determinatam determinatione liberi arbitrii, seu per modum libertatis, et non naturæ : ac dicere, manere determinatam per modum indeterminatæ : atque adeo manere, et non manere determinatam. Maxime quia in voluntate duplex tantum potest esse indifferentia, scilicet contradictionis seu exercitii, et contrarietatis, seu quoad specificationem actus : at hæc præmotio extrinseca, quæ fit per divinum decretum præfinitivum, prædeterminat, tam quoad speciem, quam quoad exercitium actus : ergo tollit utramque, et consequenter omnem illius indifferentiam.

Tum etiam : quia hæc præmotio extrinseca facta per divinum decretum, v. g. ad amorem, ex se taliter est determinata ad unam partem, scilicet ad amandum, ut hanc solummodo respiciat et non aliam, scilicet odium : alioqui posset deservire talis motio ad odium : ergo est determinatio per modum naturæ : ergo voluntas manebit determinata per modum naturæ, ita ut respiciat illam partem v. g. amorem, et non aliam : ergo implicatio est dicere, quod determinet, et quod determinet per modum liberi arbitrii.

76. ecun-lum rgu-ntum. Secundum principale fundamentum est, quod alias causæ liberæ nequibunt facere, nisi id ad quod sunt præmotæ, et prædiffinitæ per prædictam præmotionem extrinsecam divini decreti : et ita non posset illis imputari violatio præcepti, v. g. amoris : quia quoties violatur, non adest hæc divina præmotio ad illud servandum : alioqui infallibiliter amarent. Antecedens patet. Quia hæc præmotio ponitur ut omnino necessaria ad agendum : ergo sine illa non potest fieri actio a causa secunda.

Nec satis erit si dicas, quod hæc præmotio seu præfinitio non requiritur ad *posse*, sed ad *agere*. Unde licet sine illa voluntas non agat, non tamen sine illa caret potentia ad agendum. 77. Solutio.

Nam contra hoc in primis est, quod id quod pertinet ad ordinem operativum, et non tanquam ipsa actio, nec tanquam pura conditio ad agendum, debet pertinere ad illum tanquam virtus agendi, ac proinde tanquam quid dans virtutem, et *posse* ad actionem. Impugnatur primo.

Deinde. Quia id sine quo potentia non est sufficiens ad agendum requiritur ad *posse* : quia *posse* involvit sufficientiam ad agendum : at sine hac præfinitione potentia non est sufficiens simpliciter : ergo, etc. Minor probatur. Quia illud dicitur simpliciter sufficiens ad aliquem effectum, ultra quod non est simpliciter necessarium aliud in ordine ad illum : at hæc præfinitio est necessaria ad hoc ut voluntas creata operetur, ut ex dictis constat : ergo, etc. Secundo

Tandem. Quia, ut infra dicemus, non possunt hæc duo simul stare, scilicet quod Deus non habeat decretum efficax quo velit voluntatem creatam elicere amorem, et quod illum eliciat : sicut, ut docet D. Thom. quæst. 23 de Veritate art. 5 ad tertium, ista sunt incomposibilia : Deus vult istum salvari, et iste damnatur, seu non salvatur : ergo impossibile est voluntatem, respectu cujus Deus non habet tale decretum, amare; alioqui possent illa duo simul stare : ergo præfinitio dat *posse*, et ablatio illius tollit *posse* : quandoquidem sine illa non potest stare, quod detur amor : et cum illa potest. Ultimo. D.Thom.

§ II.

Exponitur, et probatur primo, quomodo præfinitio non officiat voluntatis libertati.

Nihilominus dicendum est primo, quod præfinitio efficax Dei qua efficaciter præmovet, et prædeterminat physice per ex- 78. Prima conclusio.

trinsecam prædeterminationem causas liberas ad operandam juxta suam naturam, minime tollit earumdem libertatem. Hæc D.Thom. est D. Thom. in præsenti art. 8 et 1, 2 q. 10 art. 4 et in omnibus locis, quibus supra diximus docere, Deum præmovere physice per præmotionem extrinsecam sui decreti omnes causas secundas ad operandum. Nam cum necessitas hujus præmotionis oriatur ex natura ipsarum causarum secundarum, non potest destruere illas : et ex consequenti, neque in causis liberis potest tollere earumdem libertatem : atque ita tuentur hanc conclusionem Thomistæ communiter.

Animadversio ad primam rationem D.Thom.

Probatur primo ratione desumpta ex diversis locis D. Thom. statim referendis. Sed ut clarius, et melius vis illius percipiatur, notandum est. Duplicem excogitari posse determinationem voluntatis. Aliam in actu primo, aut quasi in actu primo, seu (quod idem est quoad præsens) quæ realiter præcedit actum secundum, et consequenter realiter ab illo distinguitur. Aliam vero in actu secundo, idest, quæ formaliter fit per actum secundum voluntatis, v. g. per amorem, quatenus per illummet actum non solum vult, et amat objectum, sed etiam vult velle, et consequenter applicat, et determinat se ad volendum : quia ibidem virtualis quædam D.Thom. reflexio intervenit, ut docet D. Thom. 1, 2 Cajetan. q. 16 art. ult. ad 3 et Cajet. q. 9 art. 4.

Quare sicut hæc posterior determinatio fit per actum secundum voluntatis, modo explicato, ita illa prior fit per aliquid antecedens actum secundum, v. g. per habitum. Quia hoc ipso quod illum habeat, non est ita indeterminata ad prosequendum illud objectum, ad quod inclinat habitus, ac si non haberet illum. Et aliquo modo ad instar hujus est præmotio, et prædeterminatio extrinseca, quæ fit per præfinitionem divinam; quamvis distinguatur ab habitu in hoc, quod trahit secum infallibiliter, libere tamen, consensum voluntatis, quem habitus secundum se non trahit, ut statim dicemus.

79. Formatur ratio Angel. Doct.

Hoc ergo supposito probatur, quod etiam si detur talis præmotio, et prædeterminatio extrinseca divini decreti prius natura quam sit actus voluntatis, et distincta ab illo; nihilominus minime per hoc lædatur libertas voluntatis. Nam licet sit contra rationem causæ liberæ, quod determinetur totaliter ab extrinseco per posteriorem determinationem, quæ fit per actum secundum modo explicato, ex eo quod ipsa per consilium, et deliberationem debet etiam se libere determinare ad illum, ut tradit D. Thom. 1, 2 q. 9 art. 4 attamen non est D.Tho contra rationem ejus, quod determinetur ab extrinseco per priorem illam determinationem, quæ realiter præcedit actum secundum, quando illa determinatio est talis naturæ, ut non tollat quominus ipsa voluntas libere se applicet, et determinet per consilium, et deliberationem : at prædiffinitio, et prædeterminatio extrinseca Dei, de qua loquimur, solum prædeterminat prædeterminatione illa antecedente actum secundum voluntatis, et non utcumque; sed ita ut non tollat quin voluntas se determinet per consilium, et deliberationem (imo ut in sequenti ratione dicemus, facit, et infallibiliter infert, quod voluntas libere se determinet) : ergo licet sit ab extrinseco, scilicet a solo Deo, non derogabit libertati voluntatis, quod per illam ab illo extrinsece præmoveatur, et prædeterminetur.

Major quoad primam partem est evidens; imo et quoad secundam, scilicet quod non sit contra rationem libertatis creatæ, quod prædeterminetur ab aliquo agente extrinseco per priorem illam determinationem extrinsecam, quando per hoc non tollitur, quod ipsa voluntas se determinet. Et ideo aperte eam docet D. Thom. D.Th 1 p. q. 105 art. 4 ad tertium, ubi ait, quod si voluntas ita moveretur ab extrinseco, ut se nullatenus moveret, operatio illius non imputaretur ei ad meritum, vel demeritum (scilicet ex defectu libertatis) sed per hoc quod moveatur ab aliquo, non excluditur quod moveat se : et ideo non tollitur ratio meriti, vel demeriti.

Minor vero ejusdem syllogismi, scilicet quod præmotio, præfinitio, et prædeterminatio hæc extrinseca facta a Deo non tollat quominus voluntas se per consilium, et deliberationem determinet, est etiam D. Thom. 1 p. quæst. 83 art. 1 ad tertium, D.Th quæst. 105 art. 4 ad secundum, 1 contra Gent. cap. 68, lib. 3 cap. 90, de Potentia q. 3 art. 7 ad 13, de Malo q. 3 art. 2 ad 4, de Verit. q. 24 art. 1 ad 3; quibus in locis probat, quod sicut de ratione causæ efficientis non est, quod sit prima, sed quod efficiat, licet moveatur ab alia priori, ut patet in igne, et cœlo, ita non est de ratione liberi, ut se primo determinet, sed ut determinet se juxta suam naturam, v. g. si fuerit primum liberum determinet se primo : si vero fuerit secundum

dum liberum, qualis est nostra voluntas, determinet se secundario, et prædeterminatum a primo libero, scilicet Deo, qui per suam liberam prædeterminationem illud extrinsece prædeterminavit.

Confirmatur. Idem est voluntatem libere se determinare ad aliquem actum; et habere dominium illius, ut docet D. Thom. 3 contra Gent. cap. 111, et 1, 2, quæst. 6 art. 2 ad 2, sed voluntatem habere dominium sui actus, non tollit quod Deus habeat illud prius, et excellentius : quia ipse est universalissimus Dominus omnium, a quo nos habemus omne dominium : et ideo Theologi supponunt, Deum habere dominium universale actuum Christi Domini, quando inquirunt si Christus per illos potuit satisfacere Deo, quia non videtur posse satisfieri creditori per id, quod est ipsius creditoris : ergo neque tollet, quod voluntas se determinet, quod Deus prius illam per suum decretum prædeterminet. Sed hæc omnia magis elucidabuntur in sequenti ratione.

§ III.

Expenditur quomodo præmotio relinquat illæsam libertatem creatam.

Secundo probatur assertio ratione desumpta ex eodem S. Doctore in præsenti artic. 8, quæ ut melius percipiatur, duo ex ipso sancto Doctore supponenda sunt. Primum, quodque communiter ab omnibus conceditur, est, quod si semel datur præmotio hæc seu prædeterminatio efficax, et extrinseca divini decreti afferens infallibiliter ex vi sua consensum voluntatis, debet necessario admitti, dari in Deo decretum efficax, quo absolute prædiffinit consensum illius, antequam talis consensus sit, et prævideatur esse : quia nisi Deus prædiffinisset efficaciter actum antequam sit, non præmoveret, et prædeterminaret ad illum motione ita efficaci, quæ ex vi sua faceret efficaciter, quod voluntas consentiat.

Secundum est, efficaciam divinæ voluntatis non solum se extendere ad hoc, quod voluntas creata eliciat, verbi gratia, actum amoris quoad substantiam, sed etiam quoad modum, scilicet quod eliciat illum libere. Nam cum ille modus fiendi libere sit aliquid reale, debet etiam efficacia voluntatis Dei se extendere ad illum, non minus quam ad substantiam actus : et ita vult, et quod actus fiat, et quod fiat libere. Unde ex qua parte efficaciter Deus vult quod actus amoris fiat, fiet in executione talis actus, ita ut nunquam sit verum, quod voluntas actu resistat : alioqui voluntas illa Dei non esset efficax; quippe quæ non infert effectum, quem efficaciter intendit. Et ex qua parte Deus vult, utcumque fieri, sed fieri libero modo, oportet ut subsequatur talis actus, non qualitercumque, sed libero modo, idest, quod licet re vera actus sequetur, et nunquam erit verum, quod voluntas dissentit, aut non consentit; attamen potest non sequi. Quia utrumque vult Deus volendo quod libere consentiat, scilicet quod re vera consentiat, ac proinde quod nunquam sit verum, quod non consentiat; et quod nihilominus possit non consentire, quod est consentire libere et infallibiliter. Quoniam per ly *infallibiliter*, tantum denotatur, quod nunquam erit verum, quod actus ad quem Deus præmovet, non fiet, licet cum hoc stet, quod possit non fieri, ac proinde quod non fiat necessario modo.

82. Formatio secundæ rationis D. Thom.

Hinc ergo formatur ratio D. Thomæ Nam prædiffinitio hæc, et præmotio extrinseca divini decreti, qua Deus præmovet causam secundam liberam ad operandum, non facit utcumque quod voluntas faciat; sed quod libere et infallibiliter faciat : ergo non tollit libertatem, sed potius tribuit illam. Consequentia est evidens. Antecedens vero probatur. Efficacia divinæ voluntatis non solum se extendit ad hoc quod voluntas creata eliciat, verbi gratia, actum amoris quoad substantiam, sed etiam se extendit quoad modum, volendo nimirum quod illum eliciat libere et infallibiliter, ut probatum est : ergo efficacia hujus præmotionis, et prædiffinitionis non solum se extendet ad faciendum quod voluntas eliciat actum, sed etiam efficaciter et actu faciet, quod illum libere, et infallibiliter eliciat.

Confirmatur primo. D. Aug.

Confirmatur ex D. Augustin. lib. de Correctione et gratia cap. 14. Ubi in fine capitis ait, quod Deus magis habet in sua potestate voluntates hominum, quam ipsi suas : ergo sicut ex hoc quod homo habet in sua potestate voluntatem suam, idest, determinare se per illam ad operandum quando sibi placuerit, fit inde, ut hoc ipso quod se determinet ad operandum per suam voluntatem, libere et infallibiliter velit id, ad quod se determinat : ita etiam ex eo quod Deus magis habeat in sua potestate easdem voluntates, quam homines ipsi

quorum sunt, sequetur quod hoc ipso quod Deus prædeterminet illas per hanc prædeterminationem extrinsecam ad volendum juxta suam naturam, illæ libere, et infallibiliter velint.

83. Confirmatur secundo. Quia causa secunda hoc ipso quod secunda, subordinatur causæ primæ ad nutum, quia plenarie subjicitur illi quoad omnes suas perfectiones, et modos bonos, tam quoad *fieri* et *esse*, quam quoad *operari* : ergo sicut causa necessaria hoc ipso, quod Deus velit aliquid ab ea fieri, subordinatur illi juxta suam naturam faciendo illud necessario, ita hoc ipso quod Deus velit efficaciter voluntatem facere aliquid libere, subordinabitur illi faciendo libero modo : et hoc erit valde consonum libertati illius, quatenus libertas secunda est. Sicuti si fingeremus, quod in manibus, verbi gratia, hominis esset quædam libertas distincta a libertate voluntatis, et subordinata illi, tunc ejus natura esset, quod hoc ipso quod voluntas efficaciter vellet aliquid fieri a manibus, ipsæ etiam libere et secundario illud velint, licet possent non velle.

Confirmatur secundo.

Ad argumenta oppositæ sententiæ dubio 6 responsum præbebimus.

Ad argumenta oppositæ sententiæ.

DUBIUM V.

Quomodo cohæreat cum libertate voluntatis quod in sensu composito non possit non elicere actum efficaciter præfinitum, seu ad quem extrinsece præmovetur, dummodo possit in sensu diviso ?

84. Quia tota fere res hæc, et solutio argumentorum oppositæ sententiæ ex his, quæ in hoc dub. dicenda sunt, pendet, propterea ante solutionem argumentorum, quæ dubio præcedenti attulimus dubium hoc excitamus.

§ I.

Ex mente D. Thomæ dubium deciditur.

Conclusio. Dicendum est ergo, cum hac libertate voluntatis creatæ, et divina præmotione, et prædeterminatione extrinseca ad hoc ut libere, et infallibiliter operetur, optime cohærere, quod licet voluntas in sensu diviso possit dissentire, non tamen in sensu composito. Assertio hæc est D. Thom. in locis statim citandis, et communis inter Thomistas, eget tamen explicatione. Quia cum dicitur, voluntatem extrinsece præmotam, et prædeterminatam a Deo ad actum verbi gratia amoris, non posse in sensu composito dissentire, aut non consentire, non est sensus, quod quandiu illa præmotio efficax existit, non possit illi dissentire ; ablata vero motione possit, ac si præmotio illa existens in Deo auferret a voluntate creata potentiam ad dissentiendum, si velit : in quo sensu authores oppositæ sententiæ intelligunt sensum compositum, credentes, juxta hunc modum explicandi illum, loqui Thomistas, et hoc supposito plura, ac diversa inferunt inconvenientia, quæ re vera contra sententiam eorumdem Thomistarum a nobis hic traditam nullo modo procedunt.

D. Thom.

Rejicit simile quidam modus explicandi assertionem, sensum compositum ac divisum

Et sane si sic intelligeretur sensus compositus, non dubium, quin auferretur a voluntate sua libertas per prædictam præmotionem seu prædiffinitionem : sicut etiam tolleretur ab ea potentia ad oppositum. Sed verus illius sensus est, quod voluntas adhuc præmota, et prædeterminata hac prædeterminatione ad amorem, potest non amare vel odio prosequi, quamvis non possit hæc duo conjungere, scilicet quod sit extrinsece præmota efficaciter, et quod simul non amet, aut habeat actum odii.

Quod, ut plene capiatur, et simul distinctio, quæ inter hæc duo versatur, notandum est primo, in libero arbitrio ut tali esse simul potentiam ad opposita ; non tamen esse in illo simul potentiam ad opposita simul habenda : ac proinde hoc nullo modo posse requiri ad ejus libertatem. Etenim in illo simul est potentia ad consentiendum, vel dissentiendum, quæ sunt opposita contrarie : item ad consentiendum, vel non consentiendum, quæ sunt opposita contradictorie; non tamen est in illo simul potentia ad simul habendum utrumque extremum, sive contrarie, sive contradictorie sumatur.

85. Notat pric pro v explic tion assert nis, sens compositi a divi

Et ratio est aperta. Nam potentia ad unum actum non opponitur potentiæ ad actum contrarium : duo autem actus contrarii sunt inter se incomposibiles in eodem subjecto, nec possunt simul de eodem verificari : sicut nec duæ contradictoriæ simul de eodem verificabiles sunt. Id quod sub aliis nominibus explicare possumus, si dicamus cum Capreolo, in libero arbitrio esse simultatem potentiæ ad opposita, non autem potentiam simultatis, idest, potentiam ad opposita simul habenda.

Capre

Ex

orolla-rium. Ex quo fit, quod etiam dum quis amat, libere amet : et ex consequenti retineat potentiam ad non amandum : et ideo toto illo tempore quo amat, potest continuo mereri, ad quod requiritur continuata libertas. Corollarium hoc aperte sequitur ex dictis.

Ratio illius. Quia etsi non possit conjungere, vel componere, seu (quod idem est) simul ponere utrumque oppositorum, scilicet amorem, et ejus cessationem, et consequenter nec possit utrumque conjungere cum potentia (per quod denotatur sensus compositus, seu impossibilitas in sensu composito) attamen per amorem non tollitur a voluntate illa potentia, quam habebat ad odiendum, vel cessandum ab amore : et ideo facta collatione inter illam potentiam, et cessationem ab amore, adhuc dum voluntas amat, habet vim ad conjungendam illam potentiam cum tali cessatione.

xplica-tur. Etenim ad possibilitatem hujus conjunctionis non desideratur possibilitas ad conjungendum amorem et odium, vel cessationem ab amando; sed sat est, quod etiam tunc habeat potentiam ad actum odii, vel ad cessationem ab amore : quorum quodlibet si esset, destrueret oppositum actum, per quod significatur sensus divisus, seu possibilitas in sensu diviso, quæ sola sufficit ad libertatem. Et ideo libertas non definitur per hoc, quod sit potentia ad utrumque, idest, ad *velle* et *nolle*, v. g. simul habenda, sed ad utrumlibet, scilicet ad *velle* et *nolle* divise, idest, ad eligendum unum ex his duobus, quod magis libuerit.

86. Notatio ecunda. Ex quo notandum est secundo, quod cum prædiffinitio efficax Dei, seu hæc præmotio, et prædeterminatio extrinseca divini decreti afferat secum infallibiliter actum voluntatis ad quem datur, idem judicium ferendum est de illa, ac de ipsis actibus. Quare sicut dum quis amat, non habet potentiam ad conjungendum utrumque actum, scilicet amorem vel cessationem ab amando, vel inter se, vel cum potentia, ita neque habet potentiam ad habendum simul præmotionem hanc ad amandum, et carentiam amoris, quod est non habere potentiam in sensu composito, quodque (ut dicebamus) non derogat libertati. Quia alioqui, cum præmotio, et prædiffinitio efficax ad amorem afferat infallibiliter, quod voluntas libere amet, sequeretur inde, quod voluntas haberet simul potentiam ad simul amandum, et non amandum.

Cæterum sicut dum quis amat, habet potentiam non ad simul non amandum, aut odiendum, sed ad non amandum simultate se tenente præcise ex parte potentiæ, seu (quod idem est) habet potentiam ad non amandum, qui quidem *non amor*, si esset, destrueret oppositum actum amandi, ita qui est præmotus ista extrinseca, et efficaci præmotione ad amandum, etiam dum amat, habet simul potentiam simultate se tenente ex parte potentiæ, ad hoc ut habeat non amorem aut odium, quorum quodlibet, si esset, destrueret tum amorem, tum etiam saltim indirecte præmotionem istam, et præfinitionem ad illum. Et hoc est habere potentiam ad oppositum in sensu diviso, quam dicimus sufficere ad libertatem, ut per se constat. Quia illa possibilitas in sensu composito, nec fuit unquam, nec potest esse in voluntate, ac proinde nequit esse requisita ad libertatem illius.

87. Notatio tertia. Ex quo etiam notandum est tertio, quod etsi in hac propositione : *Voluntatem sic præmotam, et præfinitam a Deo, dissentire est possibile*, sensus compositus sit hic, qui a nobis explicatus est; attamen potest extendi claritatis gratia ad denotandum sensum compositum voluntatis cum præmotione, et prædeterminatione præcise, et consequenter, ita ut tantum denotet voluntatem simul positam cum præmotione. Cæterum tunc non est neganda prædicta propositio, ut credunt authores oppositæ sententiæ, negari a Thomistis : quandoquidem, ut ex dictis patet, voluntas adhuc posita præmotione ista extrinseca potest dissentire, si velit. Attamen si proprie et in omni rigore loquendum sit, sensus compositus dictæ propositionis non est iste; sed ille qui componit præmotionem cum dissensu mediante copula de possibili : ita ut denotet esse possibile, quod sit simul in voluntate præmotio ad amorem, verbi gratia, una cum odio vel cessatione ab amando, seu (quod idem quoad præsens est) carentia amoris : et ideo absolute, et merito negatur a Thomistis.

Et ratio horum omnium est. Quod sicut hæc propositio : *Album esse nigrum, est possibile*, in sensu composito denotat, quod sit possibile esse simul albedinem, et nigredinem in eodem subjecto, nam ex eo hæc propositio dicitur modalis composita, quia utramque formam componit, seu simul ponit in illo, non vero quia est in eo possibilitas ad habendum utrumlibet divise, quia hic potius est sensus divisus, quam compositus; quandoquidem sensus divisus separat actum ab actu, et formam a forma, et

ideo dicitur divisus; licet cum hoc stet ut non separet potentiam ad illam modo dicto : ita hæc propositio, *Voluntatem sic præmotam, et præfinitam a Deo dissentire est possibile*, denotabit esse possibile, quod simul sit (ut sic dicamus) in voluntate præmotio ista extrinseca ad amorem, verbi gratia, una cum odio, vel privatione amoris; non vero quod adhuc præmota retineat potentiam ad habendum utrumlibet divise.

§ II.

Dubii decisio ex mente divi Thomæ facta, testimoniis ipsius, et ratione stabilitur.

88. Eadem secunda assertio testimoniis stabilitur. D.Thom.

Sic ergo explicata assertione probatur in primis, testimoniis D. Thomæ qui in pluribus locis eam docet, quamvis non sub eisdem vocibus. Nam sub nomine *Necessitatis ex suppositione, et necessitatis absolutæ*, illam tenet prima parte quæst. 23 art. 6 ad tertium, et sub voce *modalis de re, et modalis de dicto*, loquens de divina scientia circa futura, quæ in illius sententia necessario præsupponit decretum Dei efficax, ac proinde hanc præmotionem, fatetur hoc ipsum prima parte quæst. 14 art. 13 ad tertium, et primo contra Gentes cap. 67, et sub titulo, *Necessitatis infallibilis*, tenet hoc idem 1, 2, quæst. 112 art. 3, sicut et sub nomine *Necessitatis absolutæ et conditionatæ*, docet hoc ipsum in præsenti art. 8, ad primum, et tertium.

Et similiter sub voce *Necessitatis consequentiæ et consequentis*, constituit hanc eamdem distinctionem de Veritate quæst. 24 artic. 1 ad 13, et primo contra Gentes cap. 67 et tandem, sub nomine *Sensus divisi et compositi*, eodem cap. 67 in fine. Unde in quæst. 23 de Veritate art. 5 ad tertium ait : *Quamvis* non esse *effectus divinæ voluntatis, non possit simul stare cum divina voluntate, tamen potentia deficiendi effectum simul stat cum divina voluntate. Non enim sunt ista incomposibilia : Deus vult istum salvari, et iste potest damnari, sed ista sunt incomposibilia : Deus vult istum salvari, et iste damnatur.*

Patres relati ab Alvarez.

Neque est solus in hac parte D. Thomæ, sed idem docent Patres et Doctores, quos refert et sequitur Alvarez lib. 3 de auxiliis disp. 26 num. 9 et aliis sequentibus : maxime vero D. August. loquens de scientia futurorum, quæ necessario supponit decretum efficax illorum, hoc ipsum tuetur lib. de Prædestinatione : et refertur in cap. *vasis*, 23, q. 4, et similiter Anselmus lib. de concordia prædestinationis, et lib. arb. cap. 1 dicens : *Quoniam enim quod Deus vult, non potest non esse, cum vult hominis voluntatem nulla cogi, vel prohiberi necessitate ad volendum, vel ad non volendum, et vult effectum sequi voluntatem, tunc necesse est voluntatem esse liberam, et esse quod vult.*

D. Aug. Anselm.

89. Ex dictis ratio fundamentalis pro secunda assertione deducitur.

Ex quibus omnibus breviter suadetur assertio ratione sic. Voluntatem per divinum decretum efficax præmotam, præfinitam, et prædeterminatam extrinsece, verbi gratia, ad amorem, posse in sensu composito dissentire, si velit, denotat eamdem posse conjungere cum hac præmotione dissensum : ita ut sit simul verum, voluntas est præmota efficaciter ad amandum : et tamen odit, vel non amat : et rursus voluntatem sic præmotam efficaciter ad amandum posse in sensu diviso dissentire, denotat quod adhuc præmota licet non possit conjungere carentiam amoris cum præmotione illa efficaci, attamen potest illam conjungere cum voluntate, quæ carentia destrueret, tum oppositum actum amoris, tum etiam præmotionem efficacem ad illum per destructionem saltim indirectam : at ad libertatem licet requiratur hoc posterius, non tamen est necessarium illud prius, ut ex dictis in notabilibus constat : ergo voluntatem modo dicto præmotam ad amandum non posse non amare in sensu composito, non tollit libertatem si possit (ut vere potest) non amare in sensu diviso. Quod erat intentum nostræ secundæ assertionis.

90. Confirmatur.

Et confirmari possunt omnia hucusque dicta manifesto exemplo, per quod non parum cuncta illustrantur. Nam hæc propositio : *Justus potest peccare mortaliter*, in sensu composito est falsa, et in sensu diviso est vera : et tamen in sensu composito non reddit hunc sensum, quod scilicet justus hoc ipso quod habeat gratiam sanctificantem, est impeccabilis mortaliter, et quod si ab illo auferatur poterit peccare, alioqui gratia sanctificans non distingueretur a perfectissimo dono confirmationis in gratia; sed tantum per illam significatur, quod justus non possit conjungere cum sua justitia seu gratia peccatum mortale, ita ut simul sint in illo hoc peccatum, et gratia : et e contra in sensu diviso est prædicta propositio vera, quia tantum denotat, quod justus etiamsi justus sit, potest conjungere peccatum mortale cum suo libero arbitrio, quod peccatum, si esset, destrueret gratiam sanctificantem:

sanctificantem : ergo eadem proportionali ratione debet explicari sensus compositus et divisus, cum loquimur de voluntate, præmota, præfinita, et prædeterminata extrinsece ad aliquem actum per divinum decretum efficax.

Quare sicut non tollit a justo libertatem peccandi graviter, quod in sensu composito non possit tale peccatum committere, dummodo in sensu diviso possit, ita non auferet a voluntate libertatem, et potentiam dissentiendi, quod præmota efficaciter, non possit in sensu composito dissentire, dummodo possit (prout re vera potest) in sensu diviso.

§ III.

Objectiones contra dicta valde notandæ.

91. Prima objectio. Sed objicies primo. Illud quod est talis conditionis, ut eo posito sequatur necessario aliquod impossibile, non potest ullo modo esse possibile, quia ex possibili nullum sequitur impossibile; licet e contra ex impossibili sequatur quodlibet : at si voluntas in hoc instanti efficaciter præmota extrinsece per divinum decretum præfinitivum ad amorem, non amaret, aut odio haberet, sequeretur necessario aliquod impossibile : ergo in nullo sensu est possibile, quod voluntas tunc non amet, ac proinde omnimode aufertur ab ea potentia ad utrumlibet.

Minor patet ex dictis in nostra assertione. Quia si semel voluntas sic præmota ad amandum in hoc instanti poneret carentiam amoris in illo, hæc carentia, si esset, irritum redderet tum amorem, tum illam præmotionem seu præfinitionem efficacem : at hoc esse impossibile est evidens : tum quia hoc ipso quod in illo instanti sit talis præmotio, ac proinde amor, quia ipsa efficaciter trahit illum, nequeunt in eodem instanti irrita fieri : quandoquidem nihil potest in unico, et eodem instanti simul esse, et non esse irritum : tum etiam, quia alioqui illa præmotio esset efficax ut supponitur, et non esset efficax, quia destruitur quoad effectum, et efficaciam a prædicta carentia : ergo, etc.

Confirmatur primo. Confirmatur primo. Nam ex dictis videtur sequi, voluntatem posse irritam et inefficacem reddere hanc divinam præfinitionem, seu præmotionem, extrinsecam ipsi, et intrinsecam Deo : quandoquidem potest facere actum, qui, si esset, redderet illam irritam et inefficacem. Nam quod actus actu faceret, facit potentia possibiliter : ergo si actus actu exercitus inefficacem redderet talem prædiffinitionem, et præmotionem, consequens est, ut potentia ad illum irritam faciet possibiliter eamdem præmotionem et præfinitionem.

Confirmatur secundo. Quoniam ad hoc ut voluntas creata prædiffinita ad actum amoris possit in sensu diviso non amare, requiritur, ut possit ponere carentiam amoris, vel odium, quæ si essent, destruerent tum amorem, tum etiam, saltim indirecte, efficacem illam prædiffinitionem Dei : ergo voluntas creata adhuc prædiffinita ad prædictum actum potest absolute, et simpliciter destruere talem prædiffinitionem. Patet consequentia. Quia non aliter calidum, v. g. ut octo potest destruere frigus intensum ut 6, nisi quia potest ponere calorem in ea intensione, sub qua si introduceret illum, destrueret prædictum frigus, essetque cum eo incomposibilis, quod idem in aliis agentibus naturalibus contingit. Nam illa ideo possunt aliquid destruere, quia possunt introducere dispositionem, aut carentiam repugnantem formæ præexistenti. Confirmatur secundo.

92. Secunda et principalis objectio. Secundo et principaliter objicies, quod semel præsupposita prædiffinitione efficaci Dei circa actum amoris in hoc instanti eliciendum a voluntate creata, tunc idem est, quod voluntas creata ponat non amorem, vel odium, ac quod componat ista cum prædiffinitione ad amorem, vel saltim positio non amoris, aut odii in prædicto eventu est necessario connexa cum compositione ejusdem cum tali prædiffinitione : ergo si voluntas creata supposita prædiffinitione potest ponere non amorem, aut odium, poterit utique componere, seu simul ponere ista cum prædicta prædiffinitione efficaci; vel si non potest componere, vel simul ponere omnia hæc, nec poterit ponere amorem. Consequentia videtur perspicua. Quoniam potentia debet correspondere suo actui, et e contra : ergo si positio non amoris, vel odii in illo instanti in quo supponitur esse prædiffinitio ad amorem, est compositio amoris, vel odii cum eadem prædiffinitione, vel saltim affert necessario adjunctam prædictam compositionem; fiet inde, ut si voluntas supposita prædiffinitione ad amandum in hoc instanti potest ponere non amorem, vel odium, quod possit componere ista cum prædiffinitione, vel quod si non potest componere hæc cum prædiffinitione ad amorem, nec possit illa ponere.

Antecedens autem probatur. Quia cum in illo instanti v. g. *A.* supponatur prædiffinitio efficax, et hæc semel supposita in illo instanti sit inauferibilis, oportet, ut hoc ipso quod ponatur in illo instanti non amor, aut odium, debeat esse simul aliquod ex his duobus una cum prædicta prædiffinitione. Et ita positio v. g. non amoris in eo instanti erit eidem, ac simultanea positio illius una cum prædiffinitione efficaci ad amorem, vel saltim habebit necessario connexam prædictam compositionem.

93. Confirmatur primo. Confirmatur primo. Quia posse componere unum cum alio in aliquo instanti, nihil est aliud, quam posse facere, quod existat unum in illa duratione, in qua existit aliud: at eo ipso, quod supponatur inauferibiliter prædiffinitio efficax ad amorem in hoc instanti *A.* et possit poni in eo instanti non amor, potest fieri ut non amor existat in eodem instanti in quo est prædiffinitio ad amandum: ergo posse ponere unum, nempe non amorem facta prædicta suppositione, est posse componere unum cum alio, nimirum cum prædicta prædiffinitione efficaci ad amandum, vel saltim habet necessario annexam possibilitatem ad hanc compositionem. Et ideo impossibile est, quod quis habeat potentiam ad ponendum aliquid in instanti, in quo existit aliud, et quod possit facere, quod utrumque non existat simul.

94. Confirmatur secundo. Confirmatur secundo. Quoniam qui semel posito uno extremo inauferibili relationis, potest ponere aliud extremum, quod est fundamentum correlationis, potest etiam ponere relationem ipsam subsecutam, ut patet in eo, qui posito in hoc instanti uno albo potest ponere in eodem instanti aliud album, quod est fundamentum relationis similitudinis: ergo qui posito inauferibiliter uno extremo relationis simultatis, nempe prædiffinitione efficaci ad amorem, potest ponere in eodem instanti aliud extremum, v. g. odium, quod est fundamentum alterius correlationis simultatis ex parte ejusdem odii, poterit ponere relationem simultatis inter prædiffinitionem ad amorem, et inter odium, vel si hanc non potest ponere, neque etiam poterit ponere odium. Sicut qui non posset semel supposito uno albo in hoc instanti ponere relationem similitudinis ad illud, nec posset ponere aliud album, ex cujus positione hæc relatio sequeretur.

95. Enodatio. Nec refert si dicas, quod etsi supposita prædiffinitione efficaci ad amorem in hoc instanti eliciendum a voluntate creata, tunc positio non amoris, et odii per accidens, et ex suppositione accidentali hujus prædiffinitionis haberet annexam, si re ipsa daretur, compositionem cum prædicta prædiffinitione efficaci; non tamen hoc per se, et ab intrinseco petitur ab illa positione non amoris et odii. Et ideo quia voluntas creata, adhuc supposita prædiffinitione ad amorem in illo instanti, tantum habet potentiam ad non amorem, vel odium secundum ea, quæ intrinsece petunt in eodem instanti, propterea non habet potentiam ad positionem non amoris, aut odii, prout sunt composibilia cum prædiffinitione efficaci ad amandum, sed præcise ut sunt composibilia, et conjungibilia cum ipsa voluntate.

96. Impugnatio. Nam contra hoc est, quod potentia libera voluntatis, quatenus adhuc supposita prædiffinitione ad amandum in hoc instanti, respicit non amorem, vel odium, est potentia (ut sic dicamus) non speculativa, sed practica: ergo vel non potest facta prædicta suppositione ponere non amorem, aut odium, vel potest ponere illa cum omnibus circumstantiis, cum quibus debet hic et nunc facta prædicta suppositione esse indispensabiliter conjuncta, vel si non potest illam sic ponere, non erit potentia ista potentia practica. Patet conseq. Quoniam potentia practica respicit exercitium sui non nude sumptum quoad substantiam illius, sed vestitum cum omnibus suis circumstantiis, et factis quibusvis suppositionibus in eodem instanti occurrentibus. Et ideo potentia præscindens a prædictis circumstantiis non est potentia practica, et practice respiciens suum exercitium.

Additamentum primum. Adde primo. Nam ex hoc quod, facta suppositione prædiffinitionis ad amorem, per accidens sequatur ex positione extremi oppositi, nempe non amoris, aut odii, in eodem instanti compositio eorum cum prædicta prædiffinitione, non vero per se et ab intrinseco; solum colligitur, quod non per se, bene tamen per accidens continget, quod qui potuerit ponere non amorem, aut odium, possit per accidens componere hæc cum prædiffinitione, vel si non potuerit per accidens ista componere, neque poterit illa priora ponere. Sicut si talis compositio sequeretur per se, tunc qui posset, supposita prædiffinitione ad amorem, ponere non amorem, posset per se eumdem non amorem cum prædiffinitione componere.

Secundum. Adde secundo. Quoniam alias voluntas creata, supposita prædiffinitione ad amandum

dum in hoc instanti, non solum non posset componere non amorem, vel odium cum prædiffinitione illa, verum neque poterit potentia practica saltim expedita ponere non amorem, aut odium, quod est destrui libertatem, et non manere potentiam ad non amandum in sensu diviso. Sequela videtur perspicua. Quoniam quoties actus, aut carentia illius habet per accidens adjunctam aliquam circumstantiam, ad quam operans non potest pertingere, toties non remanet in eo potentia expedita ad illum actum, licet absolute et sine illa circumstantia esset possibilis, ut patet in homine existente in carcere, cui licet sit possibilis absolute, et secundum se aditus ad Ecclesiam ad audiendum sacrum; quia tamen talis aditus habet adjunctam circumstantiam carceris, a qua, ut supponimus, non possit homo ille exire, ideo non habet *posse* practicum, et expeditum ad auditionem sacri . ergo si positio non amoris, aut odii in hoc instanti, in quo datur efficax prædiffinitio Dei ad oppositum actum, habet per accidens necessario adjunctam compositionem ejus cum prædicta prædiffinitione; et ideo hoc ipso quod tunc non amor, aut odium poneretur, fieret compositio : fiet inde ut hoc ipso quod voluntas nequeat, adhuc per accidens, hæc componere, nec etiam possit non amorem aut odium ponere.

§ IV.

Diluitur prima objectio cum suis confirmationibus.

Objectiones has consulto proposuimus, quia ex earum enodatione non parum res hæc illustrabitur, et ideo una cum suis confirmationibus quamlibet earum sigillatim, et in diversis paragraphis diluemus. Quoniam si illa, quæ tangunt, plene et late enucleentur, tunc præcipua capita, ex quibus vera intelligentia sensus compositi et divisi, nec non mira consonantia inter libertatem creatam, et divinam prædiffinitionem solent impugnari, manebunt plene evacuata.

Hoc tamen unum ante earum solutiones advertimus, illas sub eadem prorsus forma non minus urgere contra adversarios quoad compositionem peccati mortalis cum gratia sanctificante, vel actus odii v. g. libere exerciti cum actu amoris in eodem instanti (quam adversarii impossibilem reputant) ac quoad compositionem prædiffinitionis efficacis ad amorem cum actu opposito (quæ in sententia D. Thomæ admittentis prædictam prædiffinitionem impossibilis reputatur) et ideo in earum enodatione sæpius exemplis istis utemur. Unde objectiones istæ eodem proportionali modo ab adversariis solvendæ sunt, et ita non est cur specialem in eis contra nos vim faciant.

Ad primam objectionem. Ad primam igitur objectionem respondetur, quod etsi ex re possibili, et præcise ex vi ipsius nullum sequi possit impossibile absolute, et simpliciter loquendo : attamen nullum est inconveniens, quod semel facta aliqua suppositione, sequatur aliquod absurdum, si id, quod dicitur possibile, in rerum natura poneretur, id quod manifeste constat ex dictis. Nam dum quis in via actu amat Deum, libere amat, alioqui non mereretur, et ita in illo instanti retinet potentiam ad tunc non amandum, vel odio prosequendum, et consequenter carentia amoris, vel odium sunt tunc possibilia; et tamen si tunc poneretur illa carentia amoris, quæ possibilis est, sequeretur maximum absurdum, scilicet, quod in illo instanti simul voluntas amaret, et non amaret, vel quod amor ille in eodem instanti simul esset, et non esset : ac proinde sequeretur possibilitas in sensu composito ad non amandum, quæ (ut ex dictis constat) implicat.

Quare sicut ex hoc non bene colligeretur, quod carentia illa non esset simpliciter tunc possibilis, ita neque in præsenti. Quia hoc ipso quod ponatur præmotio hæc extrinseca, seu præfinitio efficax ad amorem, ponitur amor, et neutrius suppositio tollit libertatem. Quia amor est libera determinatio voluntatis in actu secundo, ut jam explicuimus, et præmotio hæc extrinseca non utcumque est præmotio ad amandum, sed est præmotio ad libere amandum, quia facit, ut voluntas operetur libere, ut explicatum est. Et ideo licet voluntas possit non amare, nunquam tamen omittet amorem.

98. Corollarium. Unde ex his optime intelligitur id, quod aliquos non parum premit, scilicet, quomodo recte cohærere possit, quod posita præmotione, et prædiffinitione efficaci extrinseca divini decreti circa actum amoris eliciendum a voluntate creata, tunc infallibiliter ponetur actus amoris, idest, ita ponetur, ut nunquam sit verum, quod pro illa duratione pro qua prædiffinitum est, ut ponatur, non ponitur; cum tamen pro illa eadem duratione possit non poni : ac tan-

dem quomodo posita eadem prædiffinitione circa prædictum actum amoris, tunc quod non possit non poni talis actus a voluntate creata in sensu composito, possit tamen poni ab illa in sensu diviso, omnino requiratur, ac sufficiat ad hoc ut illa duo jam recensita (ex quibus concordia libertatis creatæ cum divinis prædiffinitionibus ex se efficacibus pendet) simul inveniatur, nempe, quod posita prædiffinitione circa prædictum actum, tunc infallibiliter idem actus ponetur, licet possit absolute, et simpliciter non poni : ac proinde infallibilitas hæc non sit infallibilitas necessitatis simpliciter ad essendum opposita libertati creatæ, sed cum ea cohærens.

Ex dictis igitur optime intelligitur cohærentia, et mira consonantia prædictorum. Nam si posita prædiffinitione efficaci ad amorem, in hoc instanti a voluntate creata ponendum, non poneretur in illo ab eadem voluntate amor, ac proinde esset in eodem instanti carentia amoris, aut odium, tunc (ut modo expendebamus) esset possibile in sensu composito, quod simul poneretur efficax decretum Dei circa prædictum actum amoris pro hoc instanti, et carentia ejusdem amoris pro eodem instanti, ac proinde possent etiam simul in prædicto instanti poni carentia amoris, et amor ipse. Quia efficax decretum Dei circa amorem trahit secum amorem : alioqui non esset efficax. Quare si semel est impossibile in sensu composito, quod voluntate creata præmota, et præfinita extrinsece per decretum efficax, seu (quod in idem redit) quod posita præmotione ad amorem, in hoc instanti ponendum, non sequatur in illo amor, oportet, ut sit infallibile posita eadem præmotione, talem amorem esse ponendum, idest (ut jam diximus) quod pro hoc instanti nunquam verificabitur, quod talis amor non ponitur. Sicut etiam ex quo capite positio prædiffinitionis circa prædictum actum amoris non tollit quominus in sensu diviso possit amor ille a voluntate creata non poni, optime inde colligitur, actum illum ita esse ponendum, ut licet de facto nunquam verificetur non poni pro prædicto instanti (quod est infallibiliter poni pro illo) nihilominus posset non poni. Et ita ex hac vera intelligentia sensus compositi, et divisi hæc duo cohærent : et per consequens ex eadem intelligentia sensus compositi et divisi, optime salvatur, quomodo cohæreat libertas creata cum divinis prædiffinitionibus, ac proinde quomodo infallibilitas positionis actus non sit infallibilitas necessitatis simpliciter ad essendum oppositæ libertati, sed infallibilitas necessitatis secundum quid et ex suppositione cohærens cum libertate creata.

99. Ad primam confirmationem. Ad primam confirmationem neganda est sequela. Et ad primam probationem respondetur ibi fieri virtualiter hunc syllogismum : *Voluntas potest facere actum odii, etiam si sit extrinsece præmota ad amandum : sed si esset actus odii, tunc irritam et inefficacem faceret præmotionem istam ad amorem : ergo si potest facere actum odii, potest irritam facere prædictam præmotionem.* In quo neganda est consequentia. Quia arguitur ab una propositione, in qua fit sensus divisus, et ab alia, in qua fit sensus compositus, ad aliam, quæ facit sensum compositum, imo ad aliam, in qua ex possibilitate in sensu diviso infertur possibilitas in sensu composito, qui modus arguendi est plane defectuosus. Etenim in majori propositione fit sensus divisus, ut constat, et in minori redditur sensus compositus. Quia denotatur quod si actus oppositus odii et præmotio ista simul ponerentur, tunc actus irritam redderet præmotionem : ac proinde simul poneretur, quod præmotio illa esset efficax, nunquamque irrita ; et quod simul esset irrita et inefficax : et ex hoc infertur conseq. in qua consequens involvit sensum compositum. Nam hoc quod est reddere irritam illam præmotionem in eo instanti, in quo ipsa est, involvit, quod simul ponatur actus oppositus et ipsa præmotio, et ex hoc irrita reddatur : et per consequens etiam ibi involvitur sensus compositus in majori propositione insinuatus.

100. Unde hæc consequentia manifeste instatur in hoc syllogismo, de cujus vitio dubitari non potest : *Voluntas dum amat, potest habere actum odii : at si illud haberet, tunc componeret odium cum amore, imo conjungeret* non esse *amoris cum esse illius, et eumdem amorem irritum redderet : ergo si potest habere actum odii, potest ponere illum cum amore, imo potest conjungere* non esse *amoris cum* esse *illius, aut reddere irritum amorem.*

Per quæ etiam patet ad id, quod ultimo loco in eadem confirmatione additur, scilicet id quod faceret actus actu, facit potentia possibiliter. Nam id est verum, si servetur idem sensus compositus et divisus. Unde sicut si actus odii esset in voluntate modo dicto præmota ad amandum, fieret ibi sensus compositus, quippe ponuntur simul

mul duæ quasi formæ, ita si in sensu composito voluntas posset facere illum (quod tamen non potest) faceret possibiliter quidquid actus actu. Circa hæc tamen videnda sunt omnino ea, quæ in tractatu tertio, disputatione septima, numer. decimo quarto et deinceps diximus. Ubi ostendimus in simili non argui ibidem ab actu ad propriam potentiam ei correspondentem, sed ab actu ad potentiam, quæ neque est, nec fuit, nec potest esse : quia est potentia quædam chimerica, et contradictionem involvens.

101. Ad secundam confirmationem respondetur concedendo antecedens, et negando consequentiam. Et ad probationem dicendum est, quod id quod potest introducere aliquam dispositionem aut carentiam, quorum quodlibet (si semel quoad omnia, quæ involvit, introduceretur) expelieret, aut destrueret aliquam formam, potest absolute et simpliciter destruere talem formam, nisi per accidens supponatur, quod in illomet instanti, in quo dicitur posse poni oppositam carentiam, aut dispositionem, sit illa forma in illo subjecto, a quo removenda erat. Nam tunc in sensu composito hujus suppositionis nequit tolli prædicta forma, siquidem in uno et eodem instanti nequit simul habere *esse* et non *esse*. Et ita in eo instanti in quo quis libere amat, potest in omnium Catholicorum opinione ponere non amorem, qui, si esset quoad omnia, quæ involvit, destrueret amorem; et nihilominus, quia in eo instanti per accidens fit suppositio amoris in eo existentis, et amor non potest simul et in eodem instanti esse et non esse, propterea nequit voluntas absolute et simpliciter loquendo destruere pro tunc amorem. Quia in hoc involvitur sensus compositus, et conjungeret amorem et non amorem.

Quare cum hoc ipso quod supponatur voluntas creata per accidens, seu ex libero Dei decreto præfinita efficaciter ad hoc, ut eliciat amorem, supponatur etiam per accidens prædicta præfinitio mensurata æternitate, tanquam mensura propria et indefectibili, sicut amor creatus mensuratur per durationem in illo instanti imaginario, in quo est, indefectibilem, inde est, ut ex hoc quod voluntas creata possit adhuc sic efficaciter præfinita ponere non amorem, qui, si esset, destrueret indirecte prædictam prædiffinitionem, non colligatur, quod possit absolute et simpliciter destruere adhuc indirecte eamdem prædiffinitionem, imo nec ullo modo poterit eam destruere, si proprie et in rigore loquendum est. Quia in hoc involvitur sensus compositus, et potentia ad conjungendum *esse* et *non esse* ejusdem prædiffinitionis. Sicut propter similem rationem nullo modo est in eadem voluntate potestas ad destruendum amorem in eo instanti, in quo amat, quamvis possit conjungere non amorem cum voluntate, qui, si esset, destrueret amorem. Quoniam per hoc ultimum denotatur sensus divisus, et per illud prius, sensus compositus.

102. Ad instantiam de calore. Unde instantia de calore ut octo potente expellere frigus, et destruere illud non est contra nos, sed potius pro nobis. Quia nullum agens naturale potest destruere in hoc instanti formam aliquam, si per accidens supponatur, quod in illo eodem instanti talis forma sit in subjecto, a quo expellenda est. Quamvis in hoc semper recolenda sit disparitas illa jam dicta inter agentia naturalia, v. g. ignem collatum cum aqua pro eo instanti, in quo supponitur frigida v. g. ut sex, et inter voluntatem creatam, pro eo instanti, quo amat, et est efficaciter prædiffinita ad amorem, nempe quod suppositio amoris, quia est libera determinatio voluntatis, non est suppositio tollens libertatem, sicut nec suppositio decreti, quia ejus effectus est (ut late ostendimus) facere, quod voluntas libere ponat prædictam determinationem; cum tamen suppositio frigiditatis ut sex, sit suppositio necessitans, ne ignis tunc pro tunc possit, loquendo de potentia proxima et expedita, introducere calorem sub ea intensione, sub qua opponitur frigiditati intensæ ut sex. Sed de hoc iterum in hoc. dub. num. 115 sermo redibit, et ex ibidem dicendis tacita quædam replica, manebit soluta, dum ibidem amplius explicuerimus qua ratione licet positio non amoris, si esset, haberet annexam destructionem præfinitionis efficacis ad amandum ut tunc est, nihilominus ex hoc quod voluntas non possit destruere præfinitionem non colligatur voluntatem præfinitam ad amandum, non posse ponere non amorem.

§ V.

Solvitur secunda objectio.

103. Ad secundam objectionem. Ex quibus ad secundam principalem objectionem respondetur, quod, ut nuper dicebamus, bene potest aliquid manere absolute et simpliciter possibile, quamvis facta aliqua suppositione tunc, si daretur a parte rei absolute et simpliciter et quoad omnia,

quæ per accidens involvit, haberet annexum aliquod impossibile. Et ita ex eo quod facta per accidens suppositione prædiffinitionis efficacis ad actum amoris ponendum in hoc instanti a voluntate creata, tunc si voluntas creata poneret non amorem vel odium, absolute et simpliciter et quoad omnia, quæ per accidens involvunt, haberet annexam compositionem ejusdem non amoris, aut odii cum prædiffinitione efficaci (quæ quidem compositio est in sensu absoluto et simpliciter impossibilis) non sequitur, vel quod adhuc facta suppositione prædicta, qui potest ponere non amorem, aut odium, possit pertingere ad mandandum executioni hoc impossibile, nempe hanc compositionem non amoris, aut odii cum prædiffinitione ad amandum; vel quod si non potest pertingere ad hanc compositionem, neque etiam possit ponere non amorem, aut odium : siquidem ex hoc præciso capite, quod aliquid sit possibile, ac proinde aliqua potentia habeat *posse* ad suum effectum, non sequitur *posse* in sensu absoluto et simpliciter ad aliquid impossibile, aut quod si non potest ad aliquid impossibile, neque etiam possit ad id, quod sibi possibile est, quodque est proprius effectus illius.

Regula notanda.

Quare ad dijudicandum an aliqua actio vel omissio illius sit absolute et simpliciter possibilis, non est attendendum, an aliunde (si poneretur) sequeretur ratione alicujus suppositionis per accidens factæ aliquod impossibile; sed an tale impossibile sequatur ex vi positionis talis actionis, aut omissionis ex propriis meritis consideratæ, sive ex vi conjunctionis ipsius præcise sumptæ cum suo principio, et an potentia activa illius sit ex natura sua præcisiva, seu tendens quodammodo cum præcisione ad illam actionem, vel omissionem, secundum ea, quæ ex propriis meritis affert. Nam si illud impossibile non sequatur, aut sit connexum cum positione illius actionis ex meritis ejusdem actionis, seu secundum ea, quæ per se affert; sed solum aliunde et per accidens ratione alicujus suppositionis jam dictæ, et potentia activa illius fuerit ex natura sua præcisiva, seu quodammodo tendens cum præcisione ad ea, quæ per se affert illa actio, vel ad ea secundum quæ nullum inde sequitur impossibile, tunc prædicta actio, quippe inspecta quoad ea præcise secundum quæ nullum affert impossibile, nec cum eo est connexa vere retinebit rationem actionis absolute et simpliciter possibilis, vereque dabitur in suo principio ratio potentiæ activæ absolute et simpliciter talis respectu illius.

104. Applicatio regulæ

Unde in casu hujus objectionis, licet positio non amoris, aut odii, si daretur quoad omnia quæ involveret, haberet adjunctum quoddam impossibile, nempe compositionem v. g. odii cum prædiffinitione efficaci ad amorem; non tamen propterea talis positio esset impossibilis. Et ratio est aperta ex dictis. Quoniam interveniunt duæ conditiones jam dictæ. Prima, quod adhuc facta suppositione prædiffinitionis efficacis Dei ad actum amoris in hoc instanti eliciendum a voluntate creata, tunc si ponatur v. g. odium in eodem instanti, non sequitur compositio, seu simultanea positio ejus una cum prædiffinitione ad amandum ex vi positionis odii per se et ex propriis meritis spectatæ; sed aliunde et per accidens, nempe ex eo quod præsupponitur per accidens illa suppositio prædiffinitionis efficacis ad amorem, ideoque positio odii esset ejusdem prorsus rationis, secundum ea quæ per se affert, quamvis non adesset talis suppositio. Et similiter intervenit secunda conditio, nimirum quod voluntas ratione suæ immaterialitatis est potentia quodammodo præcisiva, idest, tendens ad bonum sub ea præcisione, sub qua proponitur ei ab intellectu. Et idcirco sicut intellectus, adhuc supposita prædiffinitione efficaci ad amorem, proponit ei v. g. odium, ut præcise elicibile ab illa, non vero ut conjungibile cum prædiffinitione efficaci ad amandum, ac proinde proponit ei prædictum odium, ut ex propriis meritis conjungibile tantummodo cum eadem voluntate, ita adest in voluntate potentia activa ad tendendum in illud, ut præcise est elicibile ab illa, et conjungibile tantummodo cum eadem, idest, non ut conjungibile cum prædiffinitione efficaci ad amorem, ac proinde solum adest potentia ad tendendum in illud secundum eam rationem secundum quam nullum affert impossibile : et per consequens prædictum odium ut associatum omnibus circumstantiis manet tunc in ratione impossibilis respectu voluntatis.

105. Ad formam secundi objectionis.

Quapropter ad formam objectionis, concesso antecedenti, neganda est conseq. Cujus probatio nihil obest. Quoniam etsi supposita prædiffinitione efficaci ad amorem in hoc instanti, tunc positio odii, vel non amoris, si daretur quoad omnia quæ involveret, haberet per accidens adjunctam compositionem odii v. g. cum prædicta prædiffinitione ac proinde in eo eventu conditionato

tionato daretur per accidens illud impossibile; attamen potentia ipsa volitiva est præcisiva, et tantum respicit ad id, quod est per se in illo odio : ac proinde odium non debet proportionari cum voluntate ei correspondente, et e converso quoad id impossibile, quod per accidens eis annecteretur, si essent; sed quoad id quod habent per se, et secundum quod sunt possibilia : siquidem in universum potentia et actus secundum hanc præcisam rationem sibi correspondent in ratione actus et potentiæ operativæ illius.

Quæ omnia manifeste cernere licet in exemplis jam dictis hominis justi, vel actu odientis Deum, in quibus facta suppositione gratiæ sanctificantis in illo, et odii Dei in isto pro hoc instanti, tunc positio peccati lethalis ab illo, in eodem instanti, si actu daretur, haberet annexam per accidens et aliunde compositionem talis peccati cum gratia sanctificante : et similiter si daretur tunc in isto amor Dei, ille amor haberet connexam compositionem sui cum odio; et tamen non ideo sequitur, quod si justus pro illo eodem instanti potest ponere peccatum, de quo loquimur, nempe peccatum lethale, aut odiens Deum possit ponere amorem (ut revera possunt, ut ex dictis constat) quod ille, nempe justus possit componere gratiam cum peccato, aut iste, nimirum odiens Deum queat conjungere amorem cum odio, aut quod si quævis ex iis compositionibus est impossibilis, quod etiam positio peccati a justo, aut amoris ab odiente Deum sit tunc impossibilis.

Et ratio horum omnium est eadem, nempe illa, quam supra adduximus, scilicet quod positio actus v. g. amoris, si facta illa suppositione daretur absolute et simpliciter, et absque aliqua limitatione, aut præcisione, tunc reddit sensum compositum. Quia actus, ut hic et nunc absolute et simpliciter exercitus, et sumptus sine aliqua limitatione et præcisione, dicit actum, ut hic et nunc cum omnibus circumstantiis occurrentibus fit : et ita non præscindit ab eis. Cæterum potentia voluntatis ad actum, secundum ea, quæ ex se habet in ratione potentiæ, est præcisiva, et tantum respicit actum, ut ab ea elicibilem, et secundum quod per se est conjungibilis cum eadem potentia, vel secundum ea, quorum simultas ipsi actui non repugnat. Et ita posse elicere illum, tantum reddit sensum divisum : et per consequens quoties arguitur a positione actus, si daretur, facta prædicta suppositione, et sumitur actus absolute et simpliciter absque ulla limitatione aut præcisione, toties arguitur a sensu composito ad divisum. Et ideo est vitiosus argumentandi modus.

107. Secunda solutio sive explicatio præcedentis.

Secundo respondetur, sive magis explicatur præcedens solutio, quod licet posita prædiffinitione ad actum amoris in hoc instanti, tunc positio v. g. odii in illo eodem instanti (si in eo modo dicto daretur) afferret re ipsa annexam compositionem prædictam; non tamen eam importaret, ut est præcise terminus per se inspectus a voluntate, ut est principium habituale odiendi, seu secundum quod præcise correspondet potentiæ activæ illius, aut secundum quod continetur intra spheram suæ activitatis, sed aliunde. Et ita ex eo quod positio illa (quæ nunquam absolute et de facto dabitur supposita illa prædiffinitione ad actum oppositum) haberet annexam per accidens et aliunde compositionem, data hac hypothesi quod absolute et simpliciter, et absque aliqua præcisione, aut limitatione poneretur, non sequitur esse in voluntate potentiam ad compositionem : siquidem quod illa positio odii si daretur, haberet alias esse compositionem sui cum prædiffinitione efficaci ad amorem, non competit ei, ut est terminus activitatis voluntatis respectu illius, sed dumtaxat in *esse* rei et per accidens.

Major explicatio solutionis.

Explicatur hoc. Etenim voluntas et habet rationem principii habitualis respectu alicujus operationis, vel omissionis, et sæpissime habet rationem principii actualis, seu infallibiliter influentis in illam. Est autem duplex discrimen inter utramque rationem principii. Nam voluntas, ut est principium habituale operationis, potest adhuc in sensu composito separari ab ea, imo ut præcise est principium habituale, non procedit ab illa actu operatio, licet possit procedere. Et ideo in idem, quoad præsens redit, quod voluntas sit præcise principium habituale alicujus determinatæ operationis v. g. odii, et quod ita sit principium illius, ut actu separetur ab illa. At ut est principium actuale illius, infallibiliter ab ea procedit operatio, nec potest in sensu compositio separari ab eadem operatione : et propterea secundum hanc rationem debet subdi alteri decreto Dei efficaci, a quo habeat ut non solum possit influere; sed etiam actu operatio illa ab ea fluat. Secundum discrimen est, quod operatio ipsa, ut comparatur cum principio habituali præcise sumpto non dicit omnia, quæ per accidens et ab extrinseco competerent, aut ei

annecterentur, si actu et in exercitio daretur; sed tantum ea, quæ sunt suæ lineæ, sive ea, quæ ei competerent in hoc instanti, si alias eliceretur nulla facta accidentali suppositione præfinitionis efficacis ad oppositam operationem. Cæterum eademmet operatio v. g. odium, ut comparatur cum voluntate, ut cum principio actuali illius, dicit se ipsam ut hic et nunc fit cum omnibus circumstantiis undequaque proventientibus, quæ tunc occurrunt, necnon et conjunctionem ac simultatem cum eis : et propterea potest, et debet componi cum illis, et voluntas est principium illius, ut conjunctæ cum omnibus illis : ideoque eadem voluntas non est principium hoc modo illius, nisi queat componere suam operationem cum omnibus circumstantiis occurrentibus, undequaque illæ proveniant.

108. Unde ex his optime salvatur, quomodo licet supposita prædiffinitione efficaci ad amorem, positio odii, si daretur, haberet in *esse* rei annexam per accidens compositionem ejusdem odii cum prædicta prædiffinitione efficaci : et similiter si posita eadem prædiffinitione ad amandum, voluntas esset principium actuale odii (quod tamen de facto et in sensu absoluto nunquam continget) tunc positio odii, quatenus corresponderet voluntati, ut est principium actuale illius, haberet annexam compositionem prædictam ; attamen positio odii, ut præcise correspondet voluntati, ut est principium habituale ad odiendum, seu ut dicit *posse* ad odium, ac proinde quatenus est terminus per se inspectus ab illa ut sic sumpta, non habet, adhuc supposita prædiffinitione amoris, annexam prædictam compositionem, sed ab ea præscindit, et abstrahit : non quidem quia secundum hanc considerationem sit indifferens ad eamdem compositionem ; sed quia ut est sub hac præcisione non agitur de illa, nec concipitur in collatione ad oppositum actum amoris. Et propterea optime cohærere potest, quod voluntas etiam supposita prædiffinitione ad amorem possit ponere odium, licet non possit componere illud cum amore, aut prædiffinitione ad amandum, quæ efficaciter affert eumdem amorem.

109. Ratio solutionis. Ratio autem horum potest reddi ex natura ejusdem voluntatis in prædicto statu constitutæ. Nam cum voluntas est efficaciter præfinita ad amorem, judicatur ab intellectu, amorem hic et nunc inspectis omnibus, quæ occurrunt, esse eliciendum : e contra vero odium non judicatur esse hic et nunc inspectis omnibus eliciendum ; sed tantum proponitur bonitas, quæ esset in elicientia illius, et conjunctione ejusdem cum potentia, non vero proponitur, ut conjungendum cum prædiffinitione efficaci ad amorem. Et propterea voluntas tendens ad suum objectum eo modo quo proponitur ab intellectu, habet tendere in amorem actualiter, ut hic et nunc inspectis omnibus circumstantiis occurrentibus fit, et ut conjungitur cum illis : et deinde dicit habitudinem potentiæ potentis elicere odium sub ea præcisione, sub qua proponitur ab intellectu. Et ita odium illud, si daretur (licet posita prædiffinitione ad amorem numquam dabitur) haberet, ut est terminus per se inspectus a potentia volitiva, ita esse odium, ut secundum hanc rationem non diceret conjunctionem sui cum illa circumstantia occurrente prædiffinitionis : siquidem non proponitur ut conjungibile cum illa.

Potestque hæc eadem ratio illustrari ex eo, quod dum voluntas est principium actuale amoris, ac proinde est efficaciter prædiffinita ad illum, tunc judicium, sive (juxta sententiam D. Thomæ) imperium immediate movens ad opus, est ultimus actus intellectus practici, habens perfectissime rationem practici et impellentis ad opus : et propterea impellit ad opus perfectissime, atque adeo ut hic et nunc fit attentis omnibus circumstantiis, et ut ad eas dicit ordinem, cum eisque conjungitur, quia hoc petit ratio actus practici perfectissimi et ultimi : ideoque voluntas, ut est principium actuale amandi, et commensuratur huic judicio, sive imperio, non præscindit in illa sua tendentia, qua per modum principii actualis respicit amorem a quibuscumque circumstantiis tunc occurrentibus. Cæterum judicium, quod simul habet de convenientia odii, non est judicium, quod sit actus ultimus intellectus practici, et in sententia D. Thomæ non est imperium movens ad opus : et propterea non habet perfectionem illius prioris judicii, nec dictat positionem odii et conjunctionem ejus cum omnibus circumstantiis, sed cum aliquibus (de quibus statim) et ita non dictat conjunctionem cum prædiffinitione ad amandum, aut cum amore ipso, sicut judicium, sive imperium, quod est actus ultimus intellectus practici, dictat conjunctionem cum quibusvis circumstantiis concomitantibus : et propterea nullæ tunc occurrent absolute et de facto circumstantiæ, cum quibus opus illud imperatum non conjungatur.

§ VI.

§ VI.

Enodatur utraque confirmatio secundæ objectionis.

Ad primam confirmationem hujus secundæ et principalis objectionis distinguenda est major : *Posse componere unum cum alio in aliquo instanti, nihil est aliud, quam posse facere, quod existat unum in illa duratione, in qua existit aliud*, idest, in illa duratione, in qua existit aliud, et prout in ea existit aliud, ac proinde prout illa duratio est mensura utriusque simul, seu prout prædicta duratio est accidentaliter associata existentiæ alterius, concedi debet : est, in illa duratione, in qua existit aliud, non prout in illa aliud existit, et per consequens non prout est mensura utriusque; sed prout est tantum mensura unius licet alias accidentaliter mensuret utrumque, neganda est. Et eodem proportionali modo distinguenda est minor : *Potest fieri, ut non amor existat in eodem instanti, in quo est prædiffinitio ad amandum*, prout illud instans est mensura utriusque, sive prout dicit durationem illam quatenus ei accidentaliter est associata existentia prædiffinitionis in ipsa, neganda est : secus vero si sensus illius sit, quod possit fieri, ut non amor existat in illo eodem instanti, non prout est mensura utriusque seu prout ei per accidens est associata existentia prædiffinitionis ad amandum; sed prout præcise est mensura illius omissionis, ut conjungibilis cum potentia, quamvis alias per accidens mensuret existentiam prædiffinitionis in ipso. Et deinde neganda est conseq. Quoniam ad hoc, ut esset legitima, requirebatur, ut voluntas posset ponere non amorem in eo instanti, in quo prædiffinitio ad amandum existit, et prout in illo prædicta prædiffinitio existit, atque adeo prout illud instans adæquate consideratur et habet esse mensuram utriusque, non vero sufficit ad possibilem compositionem non amoris cum prædiffinitione ad amandum, posse ponere illum in eo instanti, in quo prædicta prædiffinitio existit; non tamen prout in illo existit; sed prout est mensura tantummodo unius, nempe non amoris ut conjungibilis cum potentia, licet alias per accidens et omnino materialiter sit in eodem instanti talis prædiffinitio.

Et tandem ad id quod ibidem additur, nempe impossibile esse, quod aliquid habeat potentiam ad ponendum aliquid in instanti, in quo existit aliud, et quod non possit facere, ut utrumque non existat simul, constat ex dictis hoc esse verum, si detur potentia ad ponendum aliquid in instanti, in quo aliud existit, et prout in illo aliud existit, secus tamen si solum sit potentia ad ponendum illud in eo instanti, in quo alias et pure materialiter existit aliud, seu prout est præcise mensura unius. Quia tunc illud instans, et existentia alterius rei in illo, ita se habet respectu ejus, qui respicit hoc instans, ut est præcise mensura unius rei, ac si tale instans nulla ratione haberet actu mensurare aliud extremum. Et similiter ita se habet respectu alterius rei ibidem alias et pure materialiter existentis, quoad hoc quod est conjungi, seu simul cum illa poni in illo instanti, ac si non esset ibidem, cum tamen ad hoc ut potens ponere unum, posset componere unum cum alio in eodem instanti, requiratur, ut respectu illius non se habeat modo explicato omnino materialiter illud instans, ut est mensura utriusque, aut existentia unius ex illis extremis in illo eodem instanti.

111. Explicatur hoc.

Explicatur hoc. Etenim illud instans potest considerari dupliciter. Primo adæquate, prout exercet tum munus mensurandi prædiffinitionem efficacem ad amorem, tum etiam ut actu mensuraret non amorem, sive odium, si tale odium, v. g. quod in eodem instanti potest poni, poneretur actu in illo, quamvis supposita prædicta prædiffinitione nunquam actu et absolute ponetur, nec a prædicto instanti actu et in exercitio mensurabitur; sed solum mensuretur actu et in exercitio ab illo instanti, secundum quod in sua causa est possibilis. Secundo inadæquate, prout præcise habet, quod mensuraret non amorem; aut odium possibilia poni in eodem instanti, si actu et in exercitio in illo ponerentur. Voluntas igitur (adhuc supposita omnino materialiter et per accidens prædiffinitione ad amandum) potest ponere v. g. odium in illo instanti prout instans hoc (loquendo de odio in se ipso) præcise exerceret munus mensurandi ipsum, ut conjunctum cum potentia ipsa volitiva, si in eodem instanti poneretur, sive prout ad summum exercet munus mensurandi ipsum ut conjunctum cum aliis circumstantiis cum eo composibilibus; non vero prout illud instans adæquate sumitur, et exercet etiam munus mensurandi prædiffinitionem, seu prout habet, quod exerceret primum illud munus involvendo, aut connotando quod exerceat etiam munus

mensurandi prædiffinitionem. Constat autem, quod ad hoc ut potens ponere unum extremum in aliquo instanti, possit componere illud cum alio in eodem instanti desideratur, quod respiciat illud instans, ut est mensura utriusque simul, seu ut ita mensurat unum, quod quatenus respicitur a potente ponere unum extremum, involvat, sive connotet, quod mensuret etiam aliud : et non sufficit, quod alias et omnino pure materialiter sit mensura utriusque. Nam sicut potens componere respicit utrumque extremum ut adunatum et mensuratum simul, non vero divisive ab eodem instanti, ita respicit idem instans, ut formaliter habet esse mensuram utriusque.

Replica. Nec obest, quod in ipso instanti illa munera non distinguantur realiter, ac proinde non importent diversam durationem, aut diversam partem illius, ad hoc ut prædictum instans possit attingi, quatenus exercet, aut exerceret unum munus, non attacto quatenus exercet aliud; sed ita se habeat quoad hoc quod est attingi secundum quod exercet utrumque munus, ac si revera ita exerceret unum, nempe munus mensurandi non amorem aut odium, si essent, ac si non haberet munus mensurandi prædiffinitionem ad amandum, quæ actu et absolute ibidem est.

Diluitur. Non itaque hoc obstat. Quoniam satis est, quod hæc munera connotent diversa connotata ad hoc ut, saltim quoties potentia respiciens illud instans est præcisiva, possit respicere illud instans secundum unum munus, non inspecto secundum aliud, ut in præsenti contingit. Nam sicut si ille non amor poneretur, ut præcise est terminus potentiæ habitualis volitivæ ut talis, tunc diceret se ipsum, ut elicibilem a voluntate, et conjungibilem cum ipsa in illo instanti, non vero ut conjungibilem cum prædiffinitione efficaci ad amandum, ac proinde non respiceret illud instans, ut est mensura utriusque (quamvis alias si talis non amor de facto et sine hac præcisione et limitatione poneretur, sequeretur ex suppositione prædiffinitionis efficacis ad amandum quoddam impossibile, nempe compositio ejus cum prædicta prædiffinitione, ut num. 97 et 98 dicebamus) ita potentia volitiva potest per modum potentiæ respicere prædictum non amorem et instans mensurans illud, quatenus præcise esset mensura illius, non vero quatenus habet simul esse mensuram prædiffinitionis efficacis ad amandum.

Quæ omnia manifeste conspiciuntur in instantiis sæpe adductis, quæ quia rem hanc optime explicant, iterum atque iterum repetendæ et applicandæ ad præsens erunt. Nam etsi qui actu habet amorem in hoc instanti, qui ex suppositione quod in eo sit, est inauferibilis in eodem instanti possit absolute et simpliciter ponere non amorem in prædicto instanti, alioqui non amaret tunc libere; nihilominus non propterea potest componere amorem et non amorem. Quia licet possit ponere unum extremum in eo instanti, in quo existit aliud; non tamen prout in illo aliud existit, et prout illud instans est mensura utriusque; sed solum potest ponere illud nempe non amorem in illo instanti, prout esset mensura ejusdem non amoris, si esset. Sicut etiam dum actu et in exercitio in illo instanti ponit amorem, habet ponere illum in eodem instanti præcise, ut est mensura ejusdem amoris, non vero ut simul tale instans est mensura illius, et simul exerceret rationem mensuræ respectu non amoris, si esset. Quare sicut respectu amoris et non amoris, in omnium Catholicorum opinione, potest voluntas quodammodo et in sensu explicato præscindere in modo respiciendi illud instans, ita etiam respectu prædiffinitionis ad amandum (a qua eadem voluntas habet, ut libere amet) et carentiæ amoris eadem præcisio admittenda est.

Et similiter licet justus in eo instanti, in quo habet gratiam sanctificantem, possit pro tunc peccare lethaliter, ut sæpe diximus, quia gratia sanctificans præcise sumpta, et ut non est associata dono confirmationis, non tollit potentiam ad peccandum; nihilominus idem justus qui potest peccare in illo instanti, non potest componere gratiam cum peccato lethali. Quia licet possit ponere illud in eo instanti, in quo gratia existit; non tamen prout in eo existit gratia, et prout est mensura utriusque; sed tantum prout prædictum instans habet, quod mensuraret in exercitio prædictum peccatum, si tunc esset.

Et ratio horum omnium est eadem. Quia potentia ad habendum in uno instanti utrumlibet ex duobus oppositis, idest (quoad præsens attinet) quod si actu habet unum, retineat potentiam, seu rationem principii præcise habitualis ad eliciendum aliud, quod, si esset, haberet in *esse* rei expellere illud prius, non est potentia respiciens utrumque extremum, ut simul ponibile, nec respiciens unum et idem instans, ut simul

mul haberet esse mensuram existentiæ utriusque; sed est potentia ex natura sua præcisiva, quæ per unicum munus suæ activitatis liberæ respicit amorem, quem actu elicit, ut ponendum in hoc instanti, ut præcise est mensura amoris et prædiffinitionis ad amandum : et per aliud munus ejusdem potentiæ liberæ respicit non amorem, ut ponibilem in eodem instanti, ut præcise esset mensura illius, si daretur, quamvis re ipsa nunquam sit dandus; sed si modo dicto daretur, expelleret, et destrueret amorem, necnon prædiffinitionem efficacem ad illum.

Ad secundam confirmationem distinguendum est antecedens : si posset ponere aliud extremum, quod est fundamentum relationis similitudinis, non quidem ut est fundamentum, sed præcise quoad id, quod alias habet annexam rationem fundamenti, ita ut ibidem ratio fundamenti sit omnino materialiter, et (ut sic dicamus) ac si non esset ibi respectu ejus, qui potest ponere prædictum fundamentum, debet negari antecedens : secus vero si id oppositio modo contingat. Et deinde consequens eodem proportionali modo distinguendum est. Cæterum inde nihil contra nos. Quoniam odium, vel non amor ponibilia in hoc instanti ab eo, qui est efficaciter prædiffinitus ad amandum in eodem instanti, non est fundamentum illius relationis simultatis, nisi ut existeret in eodem instanti, quatenus illud instans simul est mensura amoris et prædiffinitionis in illo eodem instanti; cum tamen prædictum odium, aut non amor non sint ponibilia in illo instanti, ut simul est mensura horum omnium. Unde in hoc aperta cernitur disparitas inter illum, qui posito inauferibiliter uno albo, potest ponere in illo eodem instanti aliud, et inter casum, de quo loquimur. Nam unum album per se et ab intrinseco habet fundare similitudinem cum alio albo : at vero in casu, de quo loquimur unum extremum non habet fundare relationem simultatis cum alio; sed potius est talis naturæ, quod etsi nunquam erit supposita existentia alterius extremi, tamen si esset quoad omnia, quæ afferret, haberet re ipsa expellere, et destruere aliud.

Fientque hæc adhuc magis manifesta, si explicentur adhibitis instantiis sæpe inculcatis justi, potentis in instanti, in quo est justus, peccare : et amantis libere, ac proinde potentis in instanti, in quo amat, odio habere, etiamsi (juxta aliorum placitum) non daretur prædiffinitio efficax ad amandum : ibi enim ea, quæ diximus, reperiuntur, ut intuenti constabit.

§ VII.

Deducitur ex dictis intelligentia et approbatio solutionis ad hanc secundam objectionem, et ejus confirmationem, n. 95 traditæ, et impugnationibus contra eam n. 96 factis occurritur.

Ex quibus omnibus fit, quomodo solutio n. 95 tradita huic objectioni et ejus confirmationibus sit legitima, si juxta hæc, quæ late diximus, intelligatur. Et ad impugnationem concesso antecedenti, neganda est conseq. Et ad probationem dicendum est, satis esse ad rationem potentiæ practicæ, quæ per modum principii habitualis præcise, seu actu separati a sua operatione habet rationem potentiæ practicæ, quod respiciat exercitium sui non nude sumptum, idest, separatum ab omnibus circumstantiis, sed ut ponibile in hoc instanti, ut est mensura hîc et nunc ipsius, et conjunctionis ipsius cum potentia, necnon, ut est ponibile cum omnibus circumstantiis ad suam lineam pertinentibus, vel cum ea non oppositis, licet non respiciat illud, ut ponibile et componibile cum circumstantiis aliàs per accidens occurrentibus, et simul oppositis eidem exercitio. Et propterea, ut in instantiis adductis persistamus, justus in instanti, in quo habet gratiam sanctificantem, habet potentiam practicam ad peccandum lethaliter, quia potest conjungere peccatum hîc et nunc cum voluntate, idest, in eo instanti, in quo aliàs habet gratiam, et cum aliis circumstantiis pertinentibus ad lineam peccati lethalis, aut illi non repugnantibus, quamvis non possit componere illud cum quadam circumstantia incomposibili, et tunc occurrente, scilicet cum gratia sanctificante. Et idem in omnium Catholicorum sententia cum proportione contingit in odiente libere in hoc instanti Deum, qui habet potentiam practicam ad amandum illum in eodem instanti, licet non possit conjungere amorem cum illa circumstantia odii hîc et nunc per accidens occurrente.

114. Ad impugnationem n. 96 adductam.

Unde in hoc cernitur apertum discrimen inter potentiam practicam per modum principii habitualis tantummodo, et potentiam practicam per modum principii habitualis, et actualis simul, quod potentiæ practicæ per modum principii habitualis et actualis

Corollarium.

simul non possunt occurrere actu et in exercitio circumstantiæ inter se incomposibiles, quia respicit exercitium sui, seu suam operationem, ut conjungibilem cum omnibus, et quibusvis circumstantiis tunc occurrentibus : ex eo quod respicit eamdem operationem, ut existentem in illo instanti, quatenus est mensura cujusvis alterius circumstantiæ in eo, actu et absolute exercitæ. Cæterum respectu potentiæ practicæ per modum principii habitualis tantummodo possunt aliàs occurrere circumstantiæ incomposibiles cum sua operatione, licet non ob id ipsa desinat respicere suam operationem, ut possibilem : quia non respicit illam, ut conjungibilem cum prædictis circumstantiis, sed ut conjungibilem cum omnibus et singulis circumstantiis suæ lineæ, vel alterius, ex conjunctione ad quas nullum sequitur impossibile, et propterea non respicit suam operationem, ut ponibilem in eo instanti, in quo aliàs est ibi suum incomposibile, quatenus tale instans est mensura sui oppositi, et simul habet quod esset mensura operationis illius, respectu cujus habet rationem potentiæ practicæ per modum principii habitualis; sed quatenus præcise est mensura talis operationis, et aliarum circumstantiarum non incomposibilium cum ipsa.

Ad primum additamentum.

Ad id quod primo loco additur dicendum est, quod convinceret intentum, si adhuc per accidens potens ponere non amorem in hoc instanti, non obstante, quod esset præfinitus ad amandum, posset ponere illum, ut prædictum instans saltim per accidens est mensura prædiffinitionis efficacis ad amandum. Quare cum non adsit talis potentia, inde est, ut neque etiam per accidens detur potentia ad componendum prædicta, licet sit potentia ad ponendum non amorem in eodem instanti, in quo aliàs pure materialiter et in sensu explicato est ibidem prædiffinitio efficax ad amandum. Unde propter hanc rationem in omnium Catholicorum opinione amans libere non potest adhuc per accidens componere, seu simul ponere in eodem instanti non amorem, aut odium, licet possit ponere eumdem non amorem, aut odium.

Ad id quod secundo loco additur.

Ad illud autem, quod secundo loco additur, addimus et nos, negandam esse sequelam. Et ad probationem dicendum, antecedens esse verum, quoties respicitur operatie, ut exercenda in illo instanti, quatenus est simul mensura illius circumstantiæ, ad quam non potest pertingere operans, seu cum qua illa operatio non est simul ponibilis. Cæterum quando operatio respicitur, ut exercibilis in eo instanti, quatenus præcise est mensura prædictæ operationis, non curando de alia circumstantia, ad quam non potest pertingere, seu ex qua (si daretur operatio composita, seu simul posita cum illa) sequeretur aliquod impossibile, ac proinde ita se habendo respectu illius, ac si ibi non esset; tunc antecedens est falsum, quando talis circumstantia est ipsa positio actus oppositi libere exerciti, aut aliquid, de cujus ratione sit facere, ut prædictus actus libere fiat, ut in prædiffinitione efficaci ad amandum contingit : quia tunc potentia ipsa manet expedita ad oppositum actum per modum principii habitualis tantummodo, idest, principii actu separati ab operatione, et respicit non amorem, aut odium per modum potentiæ practicæ quodammodo præcisivæ, et sic se habet in modo respiciendi non amorem aut odium in hoc instanti, ac si illud instans non mensuraret simul existentiam prædiffinitionis in illo.

Nec contra hoc vim habet exemplum illud de eo, qui est in carcere, et propterea nequit adire Ecclesiam ad audiendum sacrum. Tum quia potentia executiva ad exeundum, ut talis est, et considerata secundum ea, quæ connotat, non est potentia quodammodo præcisiva, ex eo quod sic considerata involvit multum de materialitate. Tum etiam : quia illa suppositio non est de numero earum, quæ sunt ipsa determinatio libera voluntatis, vel habent esse juxta eamdem naturam libertatis, vel quarum effectus est, ut voluntas libere faciat. Nam hæ suppositiones sunt, de quibus loquimur, cum dicimus, eis suppositis manere adhuc potentiam expeditam ad oppositum. Unde in hoc argumento manifeste arguitur saltim virtualiter a sensu composito, et a negatione potentiæ in sensu composito, ad divisum, seu ad negationem potentiæ in sensu diviso : et ita fit virtualiter saltim hic discursus, nempe : *Positio si esset, haberet adjunctam compositionem : sed non potest dari compositio : ergo neque positio.* Nam prima propositio reddit sensum compositum. Secunda negat potentiam in sensu composito. Ultima vero divisum, seu potentiam in sensu diviso.

Ex quo etiam manet soluta alia forma arguendi huic similis, cujus solutionem supra num. 102 in hunc locum remisimus, scilicet : *Supposita prædiffinitione ad aman-*

dum

dum in hoc instanti, tunc positio odii v. g. si daretur in eo instanti, esset destructio prædiffinitionis, vel destructionem ejus inferret : sed in illo instanti nequit destrui prædiffinitio : ergo neque odium poni. Nam in ea manifeste arguitur ab una propositione de sensu composito, et ab alia, in qua negatur potentia in sensu composito, ad aliam in sensu diviso. Nam positio odii, si tunc poneretur, et considereretur, non quidem ut præcise est terminus habitudinis voluntatis ad ipsam; sed secundum id quod aliàs re ipsa haberet (si daretur) redderet sensum compositum, et duo impossibilia et implicantia sequerentur ratione suppositionis per accidens factæ, scilicet quod essent simul prædiffinitio efficax ad amandum et odium, et insuper quod ex una parte esset præfinitio efficax ad amandum, siquidem supponitur esse in eo instanti : et ex alia parte non esset, siquidem si esset odium, destrueretur prædicta prædiffinitio. Et similiter in secunda propositione negatur potentia in sensu composito, seu ad sensum compositum, ut intuenti constabit, et in consequentia infertur sensus divisus, seu negatio potentiæ in sensu diviso, qui modus arguendi est manifeste vitiosus, ut patet in instantiis sæpe adductis de homine habente gratiam sanctificantem, vel actu amante Deum in hoc instanti, in quo si poneretur quodvis peccatum lethale, aut odium Dei, tunc positio illa haberet annexam destructionem gratiæ, vel amoris, et licet non possit destruere in eodem instanti gratiam aut amorem, siquidem nequit conjungere *esse* eorum cum *non esse* eorumdem, potest tamen ponere prædictum peccatum aut odium.

Diximus : *Positio odii, si tunc poneretur et considereretur non quidem ut præcise est terminus habitudinis voluntatis ad ipsam etc.*, quia si illa positio odii (si esset) consideretur ut præcise est terminus habitudinis voluntatis ad ipsam, seu ut præcise continetur intra potentiam activam et expeditam voluntatis, tantum respicitur ut conjungibilis cum voluntate et circumstantiis jam dictis; non vero ut conjungibilis cum circumstantiis repugnantibus, sive illa repugnantia proveniat ex aliqua suppositione, sive aliunde. Et ita quia supposita prædiffinitione ad amandum in hoc instanti, repugnat conjungi *non esse* ejusdem præfinitionis cum *esse* illius in eodem instanti, propterea voluntas quatenus possibiliter respicit odium, aut non amorem in illo instanti, non respicit illa, ut destructiva prædiffinitionis, ita ut secundum hanc rationem terminent prædictam habitudinem. Quia ratione suppositionis factæ est impossibilis prædicta destructio, licet si re ipsa daretur odium, tunc consideratum quoad omnia, quæ affert, sequeretur hoc impossibile, nempe quod destrueret prædiffinitionem, quod tamen non convincit, odium illud non remanere in ratione possibilis, ut ex dictis in solutione ad 1 ex his objectionibus dicebamus.

Quæ omnia debent specialiter notari : 116.
quia per illa solvuntur plures consequentiæ, quæ prima facie videntur insolubiles, donec deprehendatur defectus a nobis assignatus. Nam in eis vel ab una propositione in sensu composito, et ab alia in sensu diviso infertur tertia de sensu composito; vel a duabus propositionibus in sensu composito infertur una in sensu diviso, ut si dicas : *Si voluntas præmota ad amandum poneret carentiam amoris, tunc componeret : sed potest ponere : ergo potest componere.* Item. *Nisi tollatur præmotio seu decretum efficax Dei, quo præfinitur amor, non ponet voluntas creata carentiam amoris : sed non potest tollere illam, imo semel posita in hoc instanti, non potest etiam a Deo tolli in illo : ergo non potest ponere prædictam carentiam.*

DUBIUM VI.

Quomodo solvenda sint argumenta pro contraria sententia dub. 4 *a num.* 71 *usque ad* 78 *adducta, necnon aliud argumentum adversariorum una cum sua confirmatione dub.* 3 *a num.* 53 *usque ad* 55 *allatum.*

Quamvis potuissemus ea, quæ in duobus 117.
præcedentibus dubiis diximus, in uno et eodem dub. conjungere, quia cuncta quæ in illis dicta sunt, eo tendunt, ut explicent quomodo hæc divina prædiffinitio efficax non tollat libertatem voluntatis creatæ : et similiter licet in illo eodem dub. possent argumenta adversariorum volentium, hanc prædiffinitionem Dei efficacem tollere libertatem creatam, dilui; nihilominus quia ex his omnibus simul junctis longissimum et satis prolixum dub. conficeretur, idcirco sigillatim ista in tribus dubiis tradimus, ut ita res hæc clarius, facilius, ac suavius, et expulsa animi nausea, quam unicum dub. nimis prolixum generare solet, capiatur.

§ I.

Diluitur primum argumentum pro contraria sententia a num. 71 usque ad 76 allatum.

Ad primum. Ad primum ergo pro contraria sententia n. cit. adductum respondetur, nihil referre, quod suppositio aliqua ponatur in voluntate, aut quod illa sit antecedens actum voluntatis ad hoc ut tollat ab illa potentiam ad actum oppositum, quando talis suppositio est juxta naturam voluntatis, idest, quando talis suppositio facit, ut voluntas libere faciat.

D. Thom. Quæ solutio desumitur ex divo Thom. in præsenti, a num. 8, ubi etiam optime explicat quomodo non omnis suppositio antecedens inferat necessitatem, et in quo sensu loquatur Anselmus (quem totis viribus conantur authores oppositæ sententiæ pro se et contra nos adducere) dum dixit, quod suppositio antecedens imponit necessitatem. Videatur Doctor Angelicus loco citato.

Ex quo, et ex dictis dub. 5 hujus disputationis satis constat primo, quomodo prima solutio sensus compositi et divisi ibidem adducta sit optima. Nec necesse erit solvere ea, quæ ibi adducuntur Quia, ut constat ex dictis a n. 84 procedunt ex defectu intelligentiæ sensus compositi et divisi in eo sensu, in quo de eis loquuntur Thomistæ.

Ad primam impugnationem secundæ solutionis. Secundo etiam constat, quod secunda solutio ibi item posita sit legitima. Et ad primam impugnationem patet ex dictis n. 97 et 98. Quamvis etiam addi possit, quod nec illud, quod in eadem probatione additur, scilicet quod frustra est potentia, quæ nunquam reducitur ad actum, est alicujus momenti. Quia potentia, quæ potest ad utrumlibet, sat est, ut non sit frustra, quod ponat unum ex illis actibus : alioqui etiam eo lemargumento probaretur, quod voluntas dum amat, frustra haberet potentiam ad ponendam carentiam amoris in illo instanti, quia nunquam dum amat, ponet illam.

118. Ad secundam. Ad secundam impugnationem patet etiam ex dictis, quomodo hoc quod est, voluntatem infallibiliter facere actum prædiffinitum, oriatur, tum ex natura ipsius præmotionis extrinsecæ seu divini decreti, tum ex modo operandi illius, tum ex incomposibilitate, quæ est inter hoc quod ponatur ista extrinseca præmotio ad amandum, et simul ponatur carentia amoris. Quia, ut jam diximus, voluntas præmota ad amorem non potest sensu composito non amare. Nec ob id sequitur, amorem poni necessario modo, tum propter dicta dub. 5, tum etiam : quia natura istius præmotionis et præfinitionis non est facere, quod voluntas utcunque amèt, sed quod amet libero modo, quod est ita amare, ut possit non amare.

119. Ad primam confirmationem. Ad primam confirmationem respondetur, præmotionem hanc, et prædiffinitionem divinam respicere, ut proprium ejus effectum duos terminos *a quo* et *ad quem*, ut docet August. lib. de Prædestinat. Sanct. c. 8, ex parte termini *a quo* tollit resistentiam et duritiam cordis ; ex parte termini *ad quem* tribuit consensum, et infert actum pro quo datur. Dicimus ergo, quod respectu termini *ad quem* influit finite, quia modo producit, et infert consensum intensiorem in voluntate creata v. g. ut quinque, modo remissiorem v. g. ut ter : respectu vero expulsionis termini a quo influit (ut sic dicamus) infinite syncategorematice, quatenus non dabitur tam vehemens resistentia et duritia cordis, quam actu non expellat.

Exemplum. Et explicari potest hoc, exemplo actuum fidei, charitatis, vel contritionis, qui licet ex parte termini *ad quem* sint virtutis finitæ, et juxta suam perfectionem faciant hominem magis, vel minus credentem, amantem, vel contritum; attamen ex parte termini *a quo* habent virtutem veluti infinitam syncategorematice. Quia nulla dabitur quantitas peccatorum, aut intensio infidelitatis, quæ non expellatur per actus istos quantumvis remissos. Ita ergo similiter in præsenti, proportione servata, philosophandum est. Et licet prædicta præmotio nequeat tollere a voluntate potentiam, quam habet ad dissentiendum, cum relinquat eam liberam, tamen cum de facto inferat consensum infallibiliter, de facto etiam tollet ab ea dissensum, ut ostensum est.

Ad additamentum. Ad id autem, quod in eadem probatione additur, scilicet quod si efficacia et virtus hujus præmotionis seu decreti divini sit superior voluntati, tunc voluntas non tantum non vincet, verum neque vincere poterit illam (sumpta victoria pro hoc quod est dissentire ei, si ipsa velit) respondetur, quod licet virtus inferior non possit vincere aut impedire virtutem superiorem agentem ex necessitate naturæ, et volentem necessario trahere secum virtutem inferiorem ; secus tamen si virtus superior agat libere.

libere, et velit actionem inferioris elici cum libero consensu illius : tunc enim potest impediri ab inferiori. Simile hujus reperitur in charitate, cujus inclinatio est fortior omni inclinatione voluntatis, et cujuslibet passionis vel habitus pravi; et tamen quia inclinat voluntatem salva ejus libertate, potest ab ipsa impediri. De quo D. Thom. in 3 dist. 32 q. 1 art. 1 ad 3.

Thom.

120. Ad secundam confirmationem.

Ad secundam confirmationem bene respondetur ibidem. Ut autem ad impugnationem respondeamus notandum est, quod voluntas sine omni præmotione extrinseca Dei manet suspensa ab omni actu. Et ideo retinet quandam indeterminationem privativam, quatenus non magis caret actu amoris v. g. quam actu odii, etsi ad utrumlibet habeat potentiam. Unde si consideretur in ordine ad Deum ut ad primam causam, et in illo priori antequam Deus præfiniat ejus actum, habet etiam suam indeterminationem, quatenus scilicet nondum est ab eo extrinsece præmota, et est indifferens ad hoc ut præmoveatur præmotione inclinante ad actum amoris vel actum odii modo supra dicto : ita tamen ut sive præmoveatur una, sive alia præmotione, semper retineat potentiam ad oppositum actum.

Hoc ergo supposito dicimus, quod præmotio et prædeterminatio extrinseca Dei, seu decretum præfinitivum ipsius ad actum amoris tollit quidem illam indeterminationem privativam, quam habebat voluntas in ordine ad actum amoris vel odii, atque adeo suspensionem illam, qua non magis erat suspensa ab actu amoris, quam odii, ac proinde illam indifferentiam, quam modo explicato habebat in ordine ad Deum ut ad primam causam præmoventem seu præfinientem. Et ideo hæc prædiffinitio, præmotio, seu decretum Dei vocatur prædeterminatio, quatenus determinatio opponitur huic indeterminationi et indifferentiæ.

Cæterum eadem præmotio relinquit aliam indifferentiam in voluntate prout indifferentia opponitur modo operandi cum determinatione ad unum, ac proinde sine potentia ad oppositum. Quia etsi voluntatem suspensam tam ab actu amoris quam odii, et potentem ad utrumlibet applicet ad amandum, ac per consequens tollat suspensionem et indifferentiam privativam; relinquit tamen intactam potentiam ad utrumlibet : et ideo ita applicat ad amorem, ut relinquat potentiam ad odium modo explicato. Et in hoc consistit voluntatem prædeterminari extrinsece, non per modum naturæ (quia hæc determinatio includit tam ablationem suspensionis ab actu, quam negationem potentiæ ad oppositum actum) sed prædeterminari per modum liberi arbitrii, quæ determinatio tollit indifferentiam illam privativam seu negativam et suspensionem, qua non magis suspensa erat ab uno quam ab alio actu : attamen relinquit potentiam ad utrumlibet, licet applicet ad unum determinate, seu licet unum determinate præfiniat.

Ad additamentum.

Per quod etiam patet ad id, quod in eadem impugnatione additur. Nam præmotio hæc extrinseca solum prædeterminat ad specificationem actus et exercitium illius quatenus tollit suspensionem illam ab utroque actu, per applicationem seu præfinitionem ad unum ex illis, relinquendo tamen potentiam ad alium.

Ad ultimam probationem dicendum, quod hæc prædiffinitio utramque partem respicit, quamvis diversimode : unam quidem ut actu inferendam; aliam vero ut possibilem inferri. Nam si sit præfinitio ad amorem, respicit illum ut actu inferendum; et alteram partem, nempe non amorem vel odium, ut possibilem inferri. E contra vero si sit præfinitio ad odium, infert actu odium; et possibiliter amorem, vel cessationem ab eodem odio.

Et ratio est. Nam cum ex vi illius præfiniatur v. g. amor a voluntate eliciendus, tam quoad substantiam, quam quoad modum libertatis, siquidem Deus absolute et efficaciter præfinit ut voluntas creata libere amet, oportet ut ex vi illius decreti velit Deus quod voluntas creata ita amet, ut possit non amare : et ita non erit determinatio per modum naturæ, quæ ita determinat ad unam partem ut tollat potentiam ad oppositum; sed juxta modum liberi arbitrii; siquidem præfinit unam partem præfiniendo simul potentiam ad oppositum. Unde talis prædeterminatio extrinseca tantum infert determinationem prout opponitur prædictæ indifferentiæ privativæ sive negativæ : et hoc habet pro effectu. Non vero ponit determinationem prout determinatio opponitur indifferentiæ, quæ importat potentiam ad oppositum actum : et ideo non determinat per modum naturæ.

§ II.

Enodatur secundum argumentum pro contraria sententia a n. 76 usque ad 78 adductum.

121. Ad secundum dum ex dub. quarto.

Ad secundum vero ex dub. 4 hujus disputat. relictum respondetur ex dictis, quod respectu voluntatis defectibilis, qualis est voluntas creata, impossibile est, desiderari ad *posse*, id, quod infallibiliter trahit secum *agere* ejusdem voluntatis, alioqui non esset defectibilis : et ideo quia hæc præfinitio trahit secum infallibiliter actum, non desideratur ad *posse* illius, sicut lux desideratur ad *posse* respectu oculi.

Unde optima est solutio ibidem tradita. Quia etiamsi voluntas non sit præmota a Deo præmotione extrinseca et efficaci, habet potentiam expeditam ad operandum, et auxilium sufficiens ex parte Dei, quo possit absolute et simpliciter operari : et ideo merito ei imputatur violatio legis.

Quare non est bona illa conseq. quæ in argumento innuitur, scilicet : *Præmotio ista, seu prædiffinitio efficax desideratur indispensabiliter ad* agere : *ergo sine illa voluntas non habet* posse, *seu potentiam ad agendum.* Quia non desideratur, ut dans potentiam, seu ut dans rationem principii (ut sic dicamus) habitualis ad agendum actum, secundum suam speciem consideratum, sed ut dans, seu trahens secum infallibiliter ipsum *agere*. At certum est, tum quod ad istam præmotionem, seu præfinitionem præsupponitur principium habituale et permanens sufficiens ad eliciendum actum saltim secundum suam speciem modo dicto consideratum. Tum etiam, quod hoc principium est una cum auxilio sufficienti satis ad hoc, ut verificetur, voluntatem habere *posse* in ordine ad eliciendum eumdem actum secundum omnem sui rationem sumptum. Tum denique, quod quoties negatur præmotio, seu prædiffinitio divina, datur ex parte Dei auxilium sufficiens, per quod causa secunda possit simpliciter et absolute elicere actum, secundum omnes suas rationes consideratum.

Elucidatur exemplo.

Potestque hoc explicari exemplo concursus concomitantis Dei aliquo modo distincti a concursu creaturæ, qui etsi indispensabiliter desideretur ad hoc ut creatura apponat suam partem concursus; non tamen sine illo desinit habere creatura *posse* simpliciter ad agendum. Quia concursus concomitans Dei non est de numero eorum, quæ dant *posse* simpliciter separabile ab operatione, de quo loquimur, sed de numero illorum, quæ præsupponunt hoc *posse*, et requiruntur ad ipsum *agere*, prout distincto a *posse*, isto, seu requiruntur ad illam partem concursus, quæ a creatura exhibenda est.

122. Ad impugnationes contra solutionem n. 77 adhibitam.

Et ad primam impugnationem contra solutionem ibidem n. 77 datam, dicendum est, dari medium inter hoc, quod est, esse conditionem ad operandum, et esse potentiam operativam, scilicet esse applicationem efficacem ad operandum, quæ proinde inferat infallibiliter ipsum *agere* voluntatis creatæ, sitque principium actuale illius. Unde præmotio, seu præfinitio hæc, ut efficax, et inferens infallibiliter actum, potius se tenet ex parte actus, quam ex parte potentiæ, quatenus etsi præcedat actum, attamen est de requisitis ad infallibiliter *agere*, non ad *posse* separabile ab operatione, estque applicatio ad agendum, quæ quodammodo ut unum computatur cum ipso *agere*.

Ex quo ad secundam probationem satis patet. Quia id dicitur sufficiens in ratione potentiæ ultra quod non requiritur aliud dans rationem potentiæ. At prædicta præmotio, ut modo explicuimus, non dat rationem potentiæ; sed dat, seu infert ipsum *agere* infallibiliter.

Ad ultimam probationem concedendum est antecedens, et distinguimus consequens : et si intelligatur in sensu diviso, negamus conseq. sed concedimus illam, si intelligatur in sensu composito. Nam etsi voluntas non possit conjungere actum amoris cum carentia præmotionis extrinsecæ, seu prædiffinitionis divinæ ad amandum; attamen adhuc carens prædicta præmotione potest habere actum amoris : quia habet omnia sufficientia ad illum. Sicut licet justus non possit conjungere peccatum mortale cum gratia sanctificante; nihilominus adhuc habens illam potest conjungere illud peccatum cum sua voluntate, ut explicatum est.

§ III.

Occurritur ex dictis tertio argumento adversariorum una cum sua confirmatione dub. 3 a num. 53 usque ad 55 propositum.

123. Ad tertium ex dubio 3

Ex quibus omnibus satis constat ad tertium principale argum. dub. tertio n. 53 pro contraria sententia adductum; peculiariter vero ex iis, quæ a n. 81 usque a n. 84

84 et n. 89 et 90, necnon n. 120 diximus, ut intuenti illa patebit.

Ad confirmationem ejusdem tertii.

Ad confirmationem vero ejus, n. 54 allatam, dicendum est, Angelum in primo instanti non fuisse liberum ad peccandum. Quia voluntas ejus dirigebatur a Deo speciali providentia, non qualicumque, sed quoad hoc simili illi, qua providet de rebus operantibus per modum naturæ. Nam Angelus ab intrinseco habet, ut non sit liber ad peccandum in primo instanti, ut in tract. de Angelis, q. 63 art. 5, latius cum D. Thoma dicemus : ex eo quod prima ejus operatio incipiens simul cum *esse* ejusdem Angeli debet esse talis rationis, ut tribuatur Deo, tanquam agenti particulari. Quia talis operatio est veluti corollarium naturæ Angelicæ, habens se ad instar passionis, sive perfectionis debitæ in primo instanti, et id quod habet has conditiones tribuitur, ut agenti particulari ei, qui producit *esse* et naturam ejus, cujus etiam est talis operatio, ut nostri Complut. in lib. Physic. disp. 28 a n. 23 et deinceps docent. Quomodo autem et in quo sensu illa operatio possit tribui duplici agenti particulari explicant iidem Complut. in lib. de Generat. disp. 9 n. 56.

Doct. Angelic.

Complut.

Ad illud autem de homine in statu innocentiæ constat ex iis, quæ idem Angel. Doctor in hac 1 p. q. 94 art. 4 et 1, 2, q. 89 art. 3 tradit, quomodo ex donis intrinsecis, intrinsecaque subjectione, quam in statu innocentiæ habebant omnia inferioris partis hominis supremæ parti ipsius, proveniebat, quod non posset in illo instanti peccare venialiter, nisi prius peccaret mortaliter, et per peccatum hoc prædicta dona prædictamque subjectionem et subordinationem amitteret, ut tomo 3 tract. de Peccatis dicemus.

D.Thom.

Ad id autem, quod de confirmatis in gratia ibidem additur, dicendum est, donum confirmationis addere supra gratiam sanctificantem quamdam perfectionem intrinsecam auferentem a confirmatis vertibilitatem ad malum. Quia donum hoc est quædam participatio gratiæ consummatæ beatorum. Et ita quoad hoc Deus providet de sic confirmatis, non per qualemcumque providentiam, sed per providentiam similem ei, qua providet de iis, qui operantur per modum naturæ : siquidem sic confirmati ab intrinseco habent, quod ita non peccent, ut nec possint peccare. Potestque hoc explicari exemplo fidei Summi Pontificis. Nam ei diffinienti res fidei communicatur quædam perfectio intrinseca ex participatione visionis Dei, cujus est quædam veluti participatio vicaria, et ratione hujus perfectionis convenientis prædictæ fidei, non ut est fides personæ particularis, sed ut est fides capitis et Pontificis, est indefectibilis circa diffinitionem rerum fidei.

DUBIUM VII.

Utrum Deus decreto absoluto et ex se efficaci prædiffiniat peccatum, v. g. odium Dei, deliberate exercitum quoad materiale seu fundamentum illius?

124. Quamvis titulus hujus dubii non parum quoad aliqua in eo contenta constet ex iis, quæ in hac disput. dub. 1 diximus; nihilominus ut perspicuior quoad omnia maneat, oportet amplius illum explicare.

§ I.

Explicatio tituli.

Observatio prima. Pro majori ergo intelligentia illius notandum est primo, dubium hoc peculiariter excitari in actibus intrinsece malis, qualis est odium Dei deliberate exercitum. Nam in his videtur esse potior repugnantia quoad hoc quod est esse efficaciter prædiffinitos a Deo quoad materiale malitiæ, quam afferunt. Nam cum eisdem actibus quoad materiale consideratis (modo tamen jam dicendo) sit intrinsece annexa malitia et deformitas, hoc ipso quod deliberate exerceantur; inde est, ut ex hoc capite ingerat specialem difficultatem, quod absolute et efficaciter quoad materiale deformitatis et malitiæ, quam afferunt, prædiffiniantur a Deo, quin eadem malitia sit efficaciter volita et præfinita : et ideo peculiariter dubium hoc circa prædictos actus discutiemus. Quamvis re bene inspecta, eadem sit difficultas circa alios actus non intrinsece malos, sed malos dumtaxat ratione v. g. alicujus legis positivæ illos prohibentis : siquidem ut hic et nunc et attentis omnibus circumstantiis fiunt, habent ita annexam malitiam, ut non possint non eam afferre, quamvis seclusa lege illa positiva, quæ secludi potest, non debeant illam importare.

Secunda. Secundo notandum est, consulto etiam non inquiri in titulo, an Deus prædiffiniat decreto suo ex se efficaci peccatum, v. g. odium Dei quoad suum formale? vel abso-

lute, an prædiffiniat prædictum peccatum? sed an prædiffiniat idem peccatum quoad materiale, seu fundamentum illius? Quia peccatum absolute sumptum dicit deformitatem, ut ex se constat : sicut etiam quoad suum formale exprimit eamdem deformitatem sive malitiam. Et certum est juxta fidem, Deum nec velle, nec prædiffinire peccatum quoad prædictam malitiam, ut
Psalm. 5. constat ex illo Psalm. 5 : *Non Deus volens iniquitatem tu es*, et ex Concilio Arausi-
Concilium Arausican. cano c. 25, his verbis : *Aliquos ad malum divina potestate prædestinatos esse non solum non credimus, sed etiam si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Ac tandem ex communi consensu Patrum et Theologorum, necnon ex rationibus, quas in hoc dub. adducemus. Quare solum restat quoad præsens disceptatio de peccato, v. g. de odio Dei deliberate exercito, quoad suum materiale, seu fundamentum malitiæ considerato.

125. Tertia. Ut autem melius intelligatur quid per materiale, sive fundamentum prædicti odii Dei deliberate exerciti significetur, notandum est tertio, prædictum peccatum posse considerari tripliciter. Primo quoad suam entitatem physicam, idest, nihil considerando in eo de deformitate, aut ordine, quem dicit ad regulas morus. Secundo quatenus formaliter respicit prædictas regulas, abstrahendo tamen, modo infra dicendo, an ille ordo sit conformitatis, vel difformitatis ad illas. Quia non consideratur secundum suam ultimam rationem, sed secundum quod est actus moralis ut sic, sive secundum quod est individuum genericum immediate contentum sub prædicto actu morali generice sumpto. Tertio tandem secundum quod dicit difformitatem ad regulas moris.

Esse autem has duas posteriores considerationes distinctas ab illa priori, satis constat. Tum quia est satis probabile, odium Dei deliberate exercitum non distingui specie essentiali et physica, a se ipso quando indeliberate elicitur : et tamen licet in priori eventu habeat prædictam speciem physicam una cum ordine ad regulas moris, necnon et cum difformitate ad illas ; non tamen in posteriori, ex eo quod fundamentum totius malitiæ seu deformitatis moralis debet esse libertas. Et ideo quod non elicitur libere, non dicit ordinem ad regulas morum, nec est formaliter malum, ac proinde nec dissonum prædictis regulis. Tum etiam : quia odium Dei secundum suam entitatem physicam cum præcisione considerata tantum exprimit aversionem a Deo, nihil exprimendo, ut est sub hoc conceptu explicito, de regulis morum, ac proinde nec explicite dicendo, an talis aversio sit dissona a regulis morum necne? at secundum quod formaliter respicit prædictas regulas, aut dicit ordinem difformitatis ad illas, debet necessario prædictus ordo, necnon et regulæ morum, ut terminus prædictæ habitudinis exprimi.

Cum ergo inquirimus, an Deus præfiniat 126.
peccatum odii Dei deliberate exerciti, quoad materiale seu fundamentum illius? non loquimur de eo secundum quod dicit formaliter habitudinem difformitatis ad regulas moris, quia secundum hanc rationem dicit formale ejusdem peccati (ut jam innuimus) et certum est non præfiniri secundum hanc rationem a Deo decreto absoluto et efficaciter causativo rei prædiffinitæ. Sed loquimur de eo secundum alias duas priores considerationes. Quia actus odii Dei secundum *esse* physicum quod habet, substernitur, modo infra explicando, formali illius, nempe malitiæ : sicut etiam idem actus secundum omnes rationes superiores in *esse* moris ad omnem rationem malitiæ, sive in communi sive in particulari sumptam, habet se per modum materiæ et fundamenti respectu ejusdem malitiæ. Unde nomine prædicti actus secundum quod est actus moralis intelligimus (modo tamen sequenti notabili explicando) omnes rationes communes et transcendentes, quæ modificantur, sive determinantur per quamvis rationem communem malitiæ ibidem repertam, vel per rationem illam formalissimam odii, ut est malum moraliter sua propria et peculiari malitia odii Dei.

Cæterum quia prædictum peccatum odii Dei quoad suum materiale et fundamentum malitiæ, quam intrinsece annexam affert, potest considerari adhuc dupliciter, vel quoad prælictum materiale et fundamentum reduplicative in ratione materialis et fundamenti sumpti, vel quoad idem materiale specificative sive absolute acceptum, idest, quoad id, quod alias est materiale et fundamentum malitiæ ; seu (ut alii dicunt) quia prælictum peccatum quoad materiale potest considerari, vel quoad tale materiale formaliter et in *esse* talis, vel quoad idem materialiter solummodo consideratum : propterea titulus non est intelligendus de materiali priori modo, sed de materiali secundum

cundum posteriorem rationem considerato. Tum quia materiale odii Dei in *esse* materialis et fundamenti formaliter sumptum, est intrinsece malum causaliter. Tum etiam : quia agens attingens fundamentum et materiale malitiæ, quatenus est fundamentum et materiale ipsius, ac proinde quatenus est causa ejusdem malitiæ, non potest non attingere sua causalitate eamdem malitiam : et ideo creatura odio habens Deum, non aliter attingit malitiam ejus, saltim regulariter loquendo, nisi quia attingit fundamentum et materiale illius quatenus tale. Quare cum Deus nequeat attingere, et per consequens nec præfinire prædictam malitiam, ut dictum est, neque etiam poterit materiale peccati ut materiale illius præfinire.

127. Observatio quarta. Quarto notandum est, quod aliis verbis dubium hoc excitari poterat; nempe, an Deus decreto suo absoluto et ex se efficaci præfiniat peccatum odii Dei in ratione actus? Vel an prædiffiniat efficaciter illud quoad omne id, quod malitiam in recto aut in obliquo per se non exprimit? Cæterum isti inquirendi modi cum eo, qui in titulo hujus dubii adductus est, coincidunt. Primus quidem quia nomine odii Dei in ratione actus intelligitur prædictum peccatum quoad omnes formalitates et rationes illius dicentes actualitatem et perfectionem, non vero imperfectionem difformitatis ad regulas moris adhuc initiative, ac proinde excluditur ipsemet ut formaliter dissonus prædictis regulis, vel quatenus reduplicative et formaliter hanc dissonantiam fundat : siquidem secundum has rationes exprimit prædictam imperfectionem positivam dissonantiæ et difformitatis ad regulas moris, vel formaliter vel initiative sumptam : et per consequens dum inquiritur, an Deus per prædictum decretum præfiniat peccatum in ratione actus? solummodo ibi dubitatur de peccato quoad materiale illius materialiter sumptum, idest, quoad id quod alias est materiale : siquidem solum secundum id, quod alias est materiale in illo, non exprimit prædictam imperfectionem.

Posterior vero inquirendi modus in idem redit cum eo, quo in titulo usi sumus. Quia peccatum solum quoad suum materiale materialiter sumptum, habet non exprimere per se dissonantiam ad regulas moris, sicut solum secundum suam malitiam formaliter sumptam, et ut eam fundat, exprimit per se prædictam dissonantiam sive in recto sive in obliquo. Et ideo inquirere, an peccatum quoad omnes formalitates vel rationes in illo inventas, ut quoad rationes entis, accidentis, qualitatis etc. præterquam quoad eas quæ per se exprimunt modo dicto dissonantiam ad regulas moris, præfiniatur absolute et efficaciter a Deo? in idem incidit, ac sciscitari, an præcise quoad materiale materialiter sumptum, efficaciter et modo explicato sit præfinitam ab ipso?

Quinta. Quinto notandum est, consulto etiam in titulo fieri sermonem de decreto absoluto et ex se efficaci ac præfinitivo peccati quoad suum materiale. Quia tale decretum, juxta communem loquendi modum non sumitur pro decreto permissivo, sed pro decreto, quo velit, et amet, ac præfiniat efficaciter materiale peccati materialiter acceptum; ita ut prædictum materiale sit efficaciter causatum ab eodem decreto. Et ita difficultas hujus dubii est, an Deus habeat prædictum decretum præfinitivum, absolutum, et se efficax respectu materialis peccat id materialiter sumpti, seu respectu ejus, quo alias est materiale illius? an vero solum habeat decretum permissivum respectu ejus, quo efficaciter velit non dare gratiam seu vocationem efficacem, qua tale peccatum vitandum erat?

128. Sexta. Ultimo notandum est, quod licet juxta ea, quæ in præcedentibus notabilibus dicta sunt, dubium hoc erat specialiter et ex professo discutiendum de odio Dei tam ut pertinet ad lineam physicam, quam ut spectat modo dicto ad lineam moralem, et est alias materiale respectu cujusvis rationis malitiæ, quam de formali importat; nihilominus specialius et ex professo illud controvertemus de odio Dei ut præcise spectat, adhuc secundum suam ultimam rationem differentialem, ad lineam physicam. Quia si semel secundum hanc rationem præfinitur a Deo, non est dubium quin eadem ratione præfiniatur quoad rationes illas aliquo modo morales, secundum quas diximus esse alias materiale respectu malitiæ : siquidem prædictum odium physicum libere exercitum, adhuc secundum suam rationem differentialem physicam, non habet minorem connexionem cum malitia (modo tamen infra explicando) quam secundum rationem entis moralis, aut actus moralis ut sic, vel ut est individuum genericum, aut quasi genericum immediate contentum sub ente morali, aut actu morali ut sic, ut ex dicendis constabit. Certum est autem totam rationem, propter quam poterat dubi-

tari prædictum actum quoad has rationes morales non posse efficaciter prædifiniri a Deo, tantum esse illam connexionem, quam cum malitia ejusdem o lii (modo etiam infra dicendo) habent. Et ita si secundum illam priorem rationem præfinitur, satis constabit præfiniri secundum alias : quamvis etiam aliquid quoad omnia ista in discursu hujus dubii peculiariter tangemus.

129. Animad-versio. Et licet aliqui existiment se subterfugere difficultatem hujus dubii ex eo quod dicant peccatum formaliter sumptum non consistere in aliquo positivo sed solum in privativo, quia hoc divinam causalitatem non exigit, re tamen vera difficultas ejus hac via non subterfugitur.

Tum quia licet demus peccatum odii Dei formaliter consideratum consistere in privativo; attamen fundamentum hujus privationis quatenus tale debet esse, juxta communem Theologorum sententiam, aliquid positivum : et de hoc certum est ita esse nexum cum aliis rationibus positivis odii Dei, ut libere exerciti, ut infallibiter se invicem concomitentur et rationes aliæ positivæ infallibiliter sint rationes materiales respectu ejus sic considerati. Ac proinde remanet eadem difficultas, an licet Deus nequeat præfinire prædictum actum odii, ut est fundamentum malitiæ (ut re vera non posse communiter docent Theologi, ne eo ipso sit causa malitiæ subsecutæ) nihilominus possit efficaciter præfinire eumdem actum libere exercitum quoad alias rationes positivas in eo inventas, quæ præsupponuntur ad hanc rationem formalissimam fundamenti proximi illius privationis, quæque alias infallibiliter se habent per modum materialis respectu prædictæ rationis.

Tum etiam : quia licet odii Dei malitia consisteret formaliter in privatione, nihilominus creatura licet non per se primo, tamen secundario revera sua causalitate attingit illam, hoc ipso quod libere exerceat actum odii Dei. Et ita remanet eadem difficultas circa Deum, an possit efficaciter præfinire prædictum actum quoad rationes positivas absque eo quod suo decreto efficaci causet et attingat secundario malitiam? ac proinde an possit absolute prædiffinire efficaciter prædictas rationes positivas? Nam si non potest præfinire efficaciter illas, quin eo ipso velit et causet istam; nec poterit absolute prædictas rationes positivas efficaciter præfinire, ne inde fiat prædictum decretum extrahi extra latitudinem sui objecti adæquati, ut ex dicendis in hoc dub. 149 et deinceps patebit.

§ II.

Prior sententia.

130. Partem negantem, nempe Deum decreto suo absoluto et ex se efficaci non præfinire peccatum v. g. odium Dei quoad suum materiale tuentur omnes Doctores in hac disp. n. 50 adducti. Quibus etiam opitulantur Curiel. 1, 2, q. 79 art. 2 dub. 1, Lorca ibidem dis. 30, Machin. 1 p. quæst. 22 art. 4, et alii. Curiel. Lorca. Machin.

Primum argumentum. Primum hujus sententiæ fundamentum desumitur, tum ex pluribus testimoniis Scripturæ, in quibus dicitur Deum esse justum in suis operibus, et odio habere impium et impietatem ejus, et alia his similia. Quoniam si Deus decreto suo efficaciter effectivo prædiffiniret peccatum quoad suum materiale, non posset non, saltim indirecte et secundario, velle ipsum quoad formale : siquidem formale ejus ex illo materiali efficaciter præfinito sequitur, et cum eo habet indissolubilem nexum.

Jacob. cap. 1. Tum etiam ex illo Jacobi c. 1 : *Nemo cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est.* Si autem Deus præfiniret efficaciter actum peccati quoad suum materiale, magis tentaret, quam propria concupiscentia, a qua dicitur ibidem hominem tentari : *Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua*, etc., siquidem divinum decretum magis impelleret in peccatum, quam propria concupiscentia : ex eo quod est longe efficacior illa, dum ipsa materiale peccati proponit.

Concil. Trident. Tum denique ex verbis Concilii Trident. sess. 6 can. 6, ubi sic habetur : *Si quis dixerit mala opera ita ut bona Deum operari, non permittendo solum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ quam vocatio Pauli, anathema sit.* Nam mens Concilii est diffinire veritatem oppositam errori Calvini : at Calvinus non asserebat Deum præfinire aut velle malitiam peccati, sed id execrabatur, ut patet ex verbis ipsius Calvini relatis ab Alvarez tomo de Auxiliis disp. 24. et 1, 2, disp. 167, solumque asserebat Deum causare, ac proinde velle entitatem actus, cui est conjuncta malitia seu materiale peccati : ergo Concilium tantum admittens decretum permissivum, non loquitur de decreto permissivo respectu malitiæ Alvarez.

malitiæ, sed respectu materialis et fundamenti ad eam præsuppositi, ac proinde non admittit decretum absolutum et efficax præfinitivumque respectu materialis peccati, et aliquo modo distinctum a decreto permissivo.

131. Confirmatur. Quoniam decretum permissivum tantum datur respectu ejus quod D.Thom. quis potest impedire, ut docet D. Thom. in 1, dist. 47 quæst. 1 artic. 2 in corpore et ad 3; at si Deus habet decretum absolutum et efficax præfinitivum peccati, nempe odii Dei deliberate exerciti quoad suum materiale considerati, non potest impedire malitiam ejus, ut ex se constat : ergo nequibit tunc illud permittere : ac proinde, ut possit prædictum peccatum permittere, debet non præfinire decreto absoluto et efficaci materiale illius.

132. Secundum D.Thom. Secundo probatur duplici testimonio D. Thom. primum habetur 1, 2, quæstion. 80 artic. 1 ad 3, ubi sic inquit : *Deus est universale principium interioris motus humani : sed quod determinetur ad malum consilium voluntas humana, hoc directe quidem est ex voluntate humana, a diabolo autem per modum persuadentis.* Constat autem Deum non præfinire absoluto et ex se efficaci decreto ea, quæ ab ipso non fiunt directe : siquidem tale decretum hoc ipso quod sit efficax, est directe factivum rei præfinitæ.

Secundum vero continetur in 1 distinct. 46 quæstion. 2 art. 4 ad 3, ubi sic ait : *Mala culpæ non fieri vult Deus voluntate antecedente, non autem voluntate consequente, nisi de illis quos scit mala non velle facere : quia voluntas consequens recipit conditionem creaturæ* : ergo juxta sanctum Doctorem Deus non vult materiale peccati decreto ex se efficaci prædiffinitivo, seu (quod in idem redit) decreto prædeterminativo voluntatis creatæ quoad illud materiale. Patet consequentia. Tum quia inquit, quod voluntas consequens, sive absoluta et efficax divinæ voluntatis circa hæc recipit conditionem creaturæ, ac proinde determinatur ab illa. Tum etiam : quia ait solum de illis velle efficaciter ut non peccent, quos scit non velle mala facere : ergo e converso de his tantum habebit voluntatem efficacem, qua velit eorum peccatum (intellige quoad materiale, sic enim tantummodo est a Deo volibile) de quibus scit volituros peccare : ac proinde decretum illud non erit antecedens et præfinitivum, sed subsecutum, et (ut sic dicamus) illatum et posterius ad voluntatem creatam volentem peccare.

133. Tertium. Tertio. Quoniam Deus nequit efficaciter præfinire peccatum, nempe odium Dei quoad suum materiale materialiter acceptum, quin eodem modo præfiniat illud quoad idem materiale formaliter sumptum, seu ut fundat rationem malitiæ : ergo nulla ratione poterit illud præfinire quoad tale materiale materialiter consideratum. Patet consequentia. Quia, ut dicebamus, Deus nequit velle materiale peccati, quatenus reduplicative fundat malitiam, ne eo ipso convincatur velle eamdem malitiam : ergo etc. Antecedens autem probatur. Quia hoc ipso quod præfiniat illud quoad materiale materialiter acceptum, præfinit ipsum quatenus hic et nunc est aversio libera a Deo ut ab objecto, siquidem secundum hanc rationem, et non aliter habet omnes conditiones requisitas ad materiale peccati materialiter acceptum, et insuper secundum hanc eamdem rationem pertinet ad lineam physicam, secundum quam debet (si semel præfinitur efficaciter) præfiniri a Deo : at non alia ratione habet rationem materialis formaliter in *esse* materialis sumpti seu fundamenti malitiæ, nisi quatenus hic et nunc est aversio libera a Deo; et propterea idem odium prout a voluntate creata non alia ratione fundat formaliter malitiam, nisi quia prout ab illa, est aversio libera a Deo : ergo nequibit præfiniri efficaciter a Deo quoad materiale materialiter acceptum, quin præfiniatur quoad idem materiale formaliter et in ratione fundamenti malitiæ sumptum.

134. Confirmatio Confirmatur. Nam tota ratio quia Deus præfinit efficaciter actum odii Dei quoad materiale materialiter sumptum, non potest esse alia, nisi quia tale materiale est ens positivum secundum; et ita debet esse præfinitum a primo ente : sed etiam materiale ejusdem peccati, ut formaliter materiale est, habet quod sit ens positivum secundum : ergo debet esse præfinitum a primo ente, si semel idemmet materiale materialiter sumptum, habet præfiniri efficaciter ab illo.

135. Quartum Quarto principaliter probatur eadem sententia, et simul corroboratur præcedens argumentum. Quoniam hoc ipso quod Deus prædiffiniat materiale prædictum materialiter acceptum, debet prædiffinire hanc numero portionem entis, quæ transcenditur in formalitate odii, ut est fundamentum malitiæ : nec non in positivo malitiæ, quia sicut non causatur a parte rei ratio entis ut sic, sed hæc portio entis, ita si Deus

præfinit decreto efficaci et causativo materiale peccati materialiter acceptum, ac proinde ipsummet quoad rationem entis, debet etiam præfinire illud quoad portionem illam particularem entis : ergo eo ipso præfiniet illud quoad idem materiale formaliter in *esse* materialis et fundamenti considerati. Quia portio illa entis, ut est hæc numero portio, sita est in hoc, quod petat hanc numero rationem differentialem odii Dei : et in hoc ipso consistit ratio fundamenti malitiæ ejusdem odii, ut formaliter fundamentum est.

Corroboratio prior.

Confirmatur primo. Quoniam data hac prædiffinitione, tunc voluntas creata non poterit non peccare, si faciat quod per eamdem prædiffinitionem præfinitum est : ergo signum est talem prædiffinitionem non posse terminari ad materiale peccati materialiter acceptum, quin terminetur ad idem formaliter sumptum, ac proinde non esse in Deo ponendam. Hæc ultima consequentia patet ex priori, ut intuenti constabit. Prior vero ex antecedenti. Quoniam si illa præfinitio posset terminari ad materiale peccati materialiter præcise sumptum, posset voluntas creata facere quod præfinitum est per illam, quin peccaret, quia sequi ductum præfinitionis non inclinantis ad malum formaliter, aut in ratione fundamenti malitiæ formaliter considerati, non est malum : ergo si voluntas creata hoc ipso quod faciat id, quod per prædictam diffinitionem præfinitum est, peccat, signum erit talem prædiffinitionem nonposse terminari ad materiale peccati materialiter acceptum, quin terminetur ad idem materiale formaliter in *esse* materialis sumpti. Antecedens autem probatur. Quoniam data hac prædiffinitione circa odium Dei, tunc idem erit voluntatem facere quod per eam præfinitum est, ac libere Deum odio habere : ergo sicut voluntas creata non potest non peccare, si libere Deum odit, ita si faciat quod per prædictam prædiffinitionem præfinitum est.

Explicatur vis confirmationis.

Potest autem vis hujus confirmationis aliter urgeri et explicari. Nam hæc prædiffinitio est talis, ut voluntas debeat illam abjicere ad hoc ut non peccet; siquidem nisi illem abjiciat, eique dissentiat, non poterit non peccare : ergo prædicta præfinitio nequit esse à Deo. Patet consequentia. Quia impium esset dicere, debere voluntatem se a Deo subtrahi et veluti ab ejus ducatu se separare ne peccet : hoc enim est constituere Deum peccati ducem.

136. Corroboratio secunda.

Confirmatur secundo. Quoniam si Deus consuleret alicui odium ipsius Dei libere exercitum, absque dubio ipse peccaret, vel esset peccati causa; siquidem esset causa moralis prædicti odii : et similiter si actu concurreret ad idem odium libere a voluntate creata exercitum, etiam esset peccati concausa, nam concurrere scienter et prudenter ad id, quod est intrinsece malum, est esse concausam ejusdem peccati : ergo præfinire decreto absoluto et efficaci materiale peccati, idest, actum odii Dei ut libere exercitum, erit esse causam peccati; ac proinde illa præfinitio non sistet in prædiffinitione materialis materialiter accepti, sed extendetur saltim ad materiale in *esse* fundamenti et formaliter considerati. Hæc secunda consequentia patet ex priori. Prior vero ex antecedenti. Tum quia efficacior est illa præfinitio ad hoc ut ea posita infallibiliter sequatur odium liberum Dei, ac proinde ejus deformitas, qaam consilium quo Deus absque prædiffinitione idem odium consuleret : et similiter prædicta præfinitio magis influit in idem odium, quam solus concursus concomitans ratione majoris causalitatis et efficacitatis, quam talis præfinitio efficax haberet erga voluntatem, quaque faceret ut eadem voluntas creata ejus ductum sequeretur. Tum etiam : quia hoc ipso quod Deus præfiniat prædictum odium, præfinit illud juxta naturam voluntatis creatæ, scilicet ita ut fiat libero modo, et per consequens erit causa cogitationis suadentis tale odium, quod quidem est influere consulendo prædictum odium, et simul cum voluntate media tali cogitatione illud concausare.

Posterior confirmatio.

Confirmatur tertio. Nam hæc prædiffinitio videtur esse tum contra summam Dei bonitatem, siquidem summa bonitas non debet inclinare ad id, ex quo infallibiliter sequitur malitia : tum contra viscera immensæ misericordiæ divinæ, quibus desiderat omnium salutem, quandoquidem apponere aliquid, ex quo infallibiliter sequatur nostrum peccatum, nostraque æterna damnatio, potius videtur esse signum voluntatis nostræ perditionis, quam nostræ salutis : tum denique contra justitiam, nam injustum quid videtur, quod judex damnet aliquem propter peccatum, ad quod ipse judex ita inclinavit ad materiale illius, ut ex illa inclinatione infallibiliter tale peccatum subsequatur.

137.

Quinto. Nam ex opposito fieret homi-

nem

Quintum nem odientem Deum habere satis rationabilem excusationem sui peccati, et Deum esse potiorem illius peccati causam, quæ duo satis absurda sunt, ut ex se constat. Sequela quoad priorem partem patet. Quoniam illa præfinitio impellit efficacissime et infallibiliter ad actum peccati, et ea posita infallibiliter sequitur prædictum peccatum : constat autem satis rationabiliter excusari a peccato eum, qui ita fortiter et infallibiliter ad illud præmovetur. Quoad secundam vero partem eadem sequela videtur perspicua. Nam dum quis aliqua gravi tentatione vexatur, et ex una parte cogitat ea, quæ ab illo peccato retardant, et ex alia ea, quæ ad ipsum inclinant, ac proinde est pendulus inter utramque partem, tunc si Deus prædiffinit materiale illius peccati, eo ipso inclinabitur voluntas creata ad illud patrandum : et ideo inclinabitur quia Deus illud efficaciter præfinivit : ergo potior et prior causa erit Deus mediante illa præfinitione, quam voluntas creata.

138. Confirmatio prior. Confirmatur. Nam alioqui divina præfinitio efficax ad odium ipsius Dei discerneret odientem illum a non odiente, sicut eadem præfinitio, qua amor Dei præfinitur, discernit consentientem divinæ vocationi, a non consentiente : hoc autem videtur contra Paulum : ergo etc. Sequela patet. Quoniam illa præfinitio antecederet causalitatem respectu odii libere exerciti a creatura, ita ut posita hac præfinitione sit impossibile in sensu composito non sequi tale odium : sicut posita præfinitione ad actum amoris Dei repugnat in sensu composito non sequi talem amorem. Minor autem videtur perspicua. Quia Paulus peculiariter tribuit divinæ gratiæ, ac proinde præfinitioni Dei, quod discernat consentientem a non consentiente.

139. Confirmatio secunda. Confirmatur secundo. Quia aliàs esset licitum et laudabile velle entitatem actus odii Dei, ut libere elicitam a nostra voluntate, quatenus præfinitur a Deo : hoc autem videtur absurdum : ergo etc. Sequela probatur. Quoniam etsi non sit semper licitum velle quoad volitum materiale id, quod Deus quoad idem volitum vult, est tamen elicitum et laudabile velle id, quod Deus vult nos velle : at si Deus præfinit voluntatem creatam elicere entitatem physicam odii Dei, seu materiale malitiæ illius, vult efficaciter voluntatem creatam velle illam : ergo erit licitum, et laudabile quod voluntas creata eam ut sic præfinitam velit. Minor autem videtur perspicua. Quoniam illa entitas et materiale peccati libere volita habent esse interdicta per divinam legem, et ita nequit voluntas creata licite ad ea terminari.

§ III.

Sententia Angelici Doctoris præfertur et testimoniis Scripturæ et Patrum stabilitur.

140. Conclusio. Dicendum tamen est, Deum præfinire decreto suo absoluto et ex se efficaci materiale peccati, v. g. odium ipsius Dei materialiter sumptum, seu (quod in idem redit) præfinire modo dicto idem odium secundum omnes rationes quæ aliquo modo malitiam moralem non exprimunt. Assertio hæc habetur passim in Scriptura Actorum 2 num. 23 : *Hunc* (scilicet Jesum) *definito consilio et præscientia Dei traditum per manus iniquorum affigentes interemistis*. Ubi actio alias peccaminosa affigendi Christum tribuitur divino consilio, ac proinde divinæ prædiffinitioni : siquidem consilium Dei, sicut et cujusvis agentis liberi, involvit efficax decretum suæ voluntatis : et ideo ibidem capit. 4 num. 29 ad idem propositum additur : *Sicut convenerunt Herodes et Pontius Pilatus cum gentibus et populis Israel facere, quæ manus tua et consilium tuum decreverunt fieri* : cumque Deus nequeat præfinire peccatum quoad formale aut materiale, ut fundat rationem malitiæ, consequens est, ut in hoc testimonio, ubi talis præfinitio significatur, fiat sermo de præfinitione ejus quoad materiale materialiter sumptum. Act. 2. Ibid. c. 4.

141. Suarez. Nec obest solutio Suarez in suis opusc. lib. 2 de concursu Dei capit. 5, asserentis hic non fieri sermonem de passione et crucifixione Christi, ut se tenuit ex parte Judæorum, sed ut se tenuit ex parte Christi, secundum quam rationem est optima : et propterea sacrum textum usum fuisse termino passivo, scilicet *fieri*.

Non itaque hoc obest, cum in hoc testimonio id dicatur a Deo decretum et præfinitum quod Judæi fecerunt : isti autem non fecerunt passionem Christi ut se tenet ex parte ejus, seu ut acceptata ab eo, nam ut sic est a Christo non ab illis, sed ut se tenet ex parte Judæorum, nempe ut est tam actio quam passio saltim identice ab illis causata, et alias fundans prout ab illis eamdem malitiam, quam ipsamet ut actio. Et propterea sacer text. dixit eos fecisse id, quod consilium Dei decrevit ab eisdem fieri, seu (quod in idem quoad præsens re-

dit ut ex nuper dictis constat) quod Deus decrevit ipsos facere. Et ideo locutio illa et usus verbi passivi idem significat ibidem, ac verbum activum, ut multoties in sacra Scriptura solet contingere.

Rom. 1. Deinde ad Rom. 1 dicitur Deum *tradere homines in desideria cordis eorum et in immunditiam et in passiones ignominiæ ut faciant ea, quæ non conveniunt :* et ibidem numer.28 : Deum *inducere corda hominum in malum.* Ad Corinthios 4. Deum *facere nos errare.* Agæi 22, 3 Regum 22, Job 17, *convertere ad odium et ad dolum.* 2 Regum 16, *inducere, suscitare, et confortare corda hominum ad bella injusta,* et similiter hæc eadem locutio habetur Josue 11 num. 20, Isaiæ 13 num. 17, 3 Reg. 11 num. 4 et 23, 2 Paralipom. 21 num. 16; constat autem quod si Deus sua voluntate efficaci, ac proinde præfinitione efficaciter influente, non causaret materiale peccati materialiter sumptum non essent veræ hæ locutiones : et ita nec posset dici Deum inducere aut confortare ad has actiones. Aug. Propter quod D. Augustin. lib. de gratia et libero arbitrio cap. 20 et 21, libr. contra Julian. cap. 3 commemorat et expendit ad hoc propositum omnes has locutiones, et post plura sic subjungit : *Et multa alia commemorare possemus, in quibus liquido appareat, occulto judicio Dei fieri perversitatem cordis ut non audiatur quod verum dicitur, et inde peccetur ut sit ipsum peccatum præcedentis etiam peccati pœna.* Ubi, ut vides, perversitas cordis (intellige materialiter sumpta) dicitur provenire ex occulto Dei judicio, ac proinde ex voluntate absolute illam decernente : sicut etiam unum peccatum materialiter etiam omnino acceptum, dicitur *esse pœna alterius,* et per consequens sic præfinitur a Deo, siquidem pœna ab ipso decernitur et præfinitur.

Corinth. 4. Agæi, 22. 3 Reg. 22. Job, 17. 2 Reg. 16. Josue, 11. Isaia 18. 3 Reg. 11. 2 Paralip. 21.

142. Occurrit Suarez. Nec refert id, quod ait Suarez, nempe hæc testimonia intelligenda esse de decreto præcise permissivo, non vero præfinitivo, et efficaciter effectivo respectu materialis, quod est in peccato. Non igitur hoc refert. Impugnatur primo. Tum quia etsi testimonia hæc intellecta de malitia, quæ est in actu peccati, et per consequens de peccato ipso formaliter, debeant intelligi de decreto præcise permissivo, et ita in hoc sensu quoad prædictum formale explicentur a sanctis Patribus; nihilominus intellecta (ut etiam debent intelligi, juxta ea, quæ statim dicemus) de peccato quoad suum materiale materialiter sumptum, non potest non affirmari, quod in ipsis involvatur decretum absolutum et efficax, seu efficaciter effectivum respectu illius, ne entitas illa ex se bona et pertinens ad lineam physicam desinat refundi in Deum, ut in primam causam, primumque liberum, ut statim magis expendemus.

143. Secundo Julianus Tum etiam : quia solutionem hanc de solo concursu Dei permissivo adhibebat Julianus hæreticus Pelagianus prædictis testimoniis. Et eum, solutionemque ipsius expresse D. Augustinus impugnans, sic ait : Aug. *Quæris inaniter quomodo intelligendum sit tradere Deum* etc. *multum laborans ut ostendas eum tradere deserendo.* Ubi, ut vides, reputat Augustinus inquisitionem inanem et frustraneam illam, per quam investigatur et inquiritur modus, quo Deus tradit in desideria cordis : ita ut id quod tandem invenitur, et pro quo laboratum est, tantum sit quod Deus tradit in desideria cordis præcise deserendo. Et postea ex testimonio Pauli Romanor. 9 hanc eamdem explicationem Rom. 9 redarguens, sic contra eumdem Julianum loquitur : *Quid est quod dicis cum desideriis* Julianus *suis traditi dicuntur, relicti per divinam patientiam intelligendi sunt, non per potentiam in peccata compulsi? quasi non posuerit hæc duo idem Apostolus et patientiam, et potentiam, ubi ait, sic autem volens Deus ostendere iram, et demonstrare potentiam suam attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem.* Ac tandem concludit : *Facit hoc miris et ineffabilibus modis qui novit justa judicia sua non solum in corporibus hominum, sed et in ipsis cordibus operari.*

Ubi, ut vides, admittit duplex decretum et modum operandi mediante sua voluntate, aliud correspondens suæ patientiæ, quod est decretum permissivum, aliud correspondens suæ potentiæ, quod est efficaciter effectivum per modum applicantis divinam potentiam ad operandum, quo mediante agit in cordibus hominum, et illa in peccatum ipsum quoad suum materiale materialiter sumptum inclinat, quoque ratione summæ efficaciæ, quam habet, dicitur homines compellere, quamvis hic modus compellendi non sit cum omnimoda necessitate, sed dicatur talis ratione infallibilitatis (servata tamen libertate voluntatis) qua extrinsece prædeterminat ad prædictum materiale. Constat autem hoc decretum esse præfinitivum absolutum, et efficaciter effectivum, de quo in præsenti. Unde de hoc eodem decreto de quo loquuntur testimonia Scripturæ, ait ibidem Augustin.

quod

quod eo mediante unum peccatum (intellige quoad materiale jam dictum) solet esse, pœna alterius, ac proinde intelligit prædicta testimonia non de decreto præcise permissivo, sed de decréto absoluto et effectivo efficaciter materialis peccati modo dicto considerati : atque adeo de decreto, quo sit efficaciter amatum prædictum materiale : siquidem secundum hanc rationem habet rationem pœnæ, et pœna potest, ac debet esse hoc modo volita a Deo, ex eo quod habet rationem boni, et hoc sic est volitum a Deo, ut ex dictis dubiis præcedentibus hujus disput. constat.

144. Aug. Eamdem etiam assertionem tuetur idem Augustin. libr. de grat. et lib. arbit. cap. 20, ubi loquens de pœnis, quibus Deus punit mediantibus malis, et peccaminosis hominum actionibus, et voluntatibus, ut ex exemplis de Pharaone, et aliis ibidem adductis constat, sic veritatem hanc ex Scriptura et propria authoritate confirmat dicens : *Scriptura divina si diligenter inspiciatur, ostendit non solum bonas hominum voluntates, verum etiam illas, quæ servant seculi creaturam, ita esse in Dei potestate, ut eas quo voluerit, quomodo voluerit faciat inclinari, vel ad beneficia quibusdam præstanda, vel ad pœnas quibusdam ingerendas.* Hæc autem verba satis indicant efficacem et absolutam divinæ voluntatis prædiffinitionem circa prædictas actiones secundum eam rationem, secundum quam possunt esse a Deo volitæ, scilicet quoad materiale earum materialiter sumptum. Ac tandem cap. 21 post multa Scripturæ testimonia ad rem hanc confirmandam adducta concludit : *His et talibus testimoniis satis quantum existimo manifestatur operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum, judicio utique suo aliquando aperto, aliquando occulto, semper autem justo*, etc.

145. Evasio Suarez. Et ut exploderet evasionem, quam his testimoniis adhibet Suarez asserens Augustinum non velle Deum per suum decretum efficax præfinire, ac extrinsece efficaciter tamen prædeterminare ad malum adhuc materialiter sumptum, sed ad hoc potius malum, quam ad illud, quod quidem non est malum, sed potius potest esse bonum, si malum illud, ad quod potius, quam ad aliud fit hæc prædeterminatio, sit minus, vel saltim non sit majus, quam aliud, ad quod ipsa voluntas ex se inclinabatur, ut aliquando apud nos licite id fieri contingit. Ut igitur Augustinus evasionem hanc explooderet, propterea non ponit exemplum in malis minoribus, sed in malis gravissimis : et ideo subjungit : *Sic usus est Juda tradente Christum, sic usus est Judæis crucifigentibus Christum, qui et ipso diabolo utitur pessimo.* Sicut etiam propter eamdem rationem multoties, et præcipue in dicto cap. 21 absolute et sine ulla limitatione locutus est, dum dixit, Deum operare in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona etc., sive ad mala. Eversio.

146. D.Thom. Eamdem etiam assertionem tuetur Angelicus Doctor in 2 dist. 37 quæstion. 2 art. 2 ad 3 his verbis : *Deus dicitur causa bonarum operationum non solum quantum ad essentiam actus, sed etiam quantum ad perfectionem, secundum quam bonæ dicuntur. Utrumque enim agenti influit, ut agat, et ut bene agat : sed in malis actionibus quamvis sit causa earum quantum ad essentiam; non tamen est causa quantum ad defectum.* Ubi, ut vides, solum ponit discrimen quoad modum causandi Dei operationes bonas et malas, quod harum non est causa quoad defectum, bene tamen quoad essentiam. Quare cum juxta sanctum Doctorem eorum, quorum Deus est causa, sit causa per suam voluntatem efficaciter illa præfinientem, oportet ut actiones malæ quoad essentiam, licet non quoad defectum, idest, quoad omnem earum entitatem bonam, ac proinde id, quod aliàs est materiale peccati, licet non quoad malitiam, sint a Deo efficaciter juxta eumdem sanctum Doctorem præfinitæ.

Et propterea ibidem in corpor. art. ait : *Quidquid est in actu deficiente, scilicet peccato de ratione actus, et entis, et boni totum hoc a primo agente, scilicet Deo procedit mediante voluntate*, etc. Ubi etiam expendenda est illa particula, *mediante voluntate* (scilicet creata). Nam si Deus decreto suo efficaci et præfinitivo non præfiniret peccatum quoad id, quod entitatis et perfectionis in eo est, ac proinde me lio hoc decreto non prædeterminaret extrinsece, et efficaciter prædictum actum sic sumptum, non posset dici, quod Deus media voluntate creata causat illum. Nam agens quod præcise concurrit simultanee cum alio, non dicitur medio illo operari, sed ad hoc requiritur ut in illud influat, applicando. et prædeterminando saltim per suum decretum efficax ejus virtutem ad hoc ut operetur. Unde ob

hanc causam in solutione ad secundum ejusdem articuli dixit : *Sed Deus actionis illius causa est, in qua malum consistit, eo quod influit agenti, esse, posse, et agere.* Nam verbum illud *influit agenti*, denotat quod Deus faciat, ut agens prædictum actum alias malum agat illum : hoc autem sine decreto ex se efficaci, et præfinitivo contingere nequit, ut ex dictis dubiis præcedentibus patet.

Et quæstion. de Malo articul. 2 ubi cum in quarto argumento sic sibi objecisset : *Actus peccati est actus liberi arbitrii, quod ideo dicitur liberum, quia se ipsum movet ad agendum : sed omne id cujus actio causatur ab alio, movetur ab illo, et sic non movetur a se ipso, neque est liberum : actus ergo peccati non est a Deo.* Cum igitur sic sibi objecisset, respondet : *Cum aliquid movet se ipsum, non excluditur, quin ab alio moveatur, a quo habet hoc ipsum, quod se ipsum movet : et sic non repugnat libertati, quod Deus est causa actus liberi arbitrii*, etc. Ubi ut constat loquens de actu peccati quoad id quod perfectionis est in illo, inquit Deum ad eum movere voluntatem creatam et facere ut ipsa ad eum se moveat, ac proinde per suam voluntatem divinam efficaciter præfinit, et prædeterminat extrinsece voluntatem creatam ad illum.

147. Idem Angelic. Doctor. Idem etiam docuit sanctus Doctor in hac quæstion. artic. 8 et 9 et in hac 1 part. quæstion. 62 artic. 3 et quæstion. 105 art. 5, 1, 2, quæstion. 79 artic. 1 et 2 et quæst. 109 artic. 1, 3 contra Gent. capit. 67 ratione 34, et 5 capit. 70 et 89 ratione 5, capit. 149 per totum, specialius vero ratione 1 et 2 quodlib. 12 quæstion. 4 artic. 4 et alibi sæpe. Tandem hanc eamdem assertionem tuentur omnes Patres dub. 2 hujus disput. relati, ut ex statim dicendis amplius patebit : et insuper Capreolus in 2 distinct. 37 artic. 3 ad 2 principale, Ferrara 3 contra Gent. capit. 71 circa finem. Quorum testimonia bene expendit Alvarez disput. 24 de Auxiliis numer. 25 et 26, idem tenent expresse Cano lib. 2 de locis cap. 4 ad 7, Medina 1, 2 quæstion. 79 artic. 2 et quæstion. 109 artic. 2, Bannez 1 part. quæst. 19 artic. 10 et quæstion. 19 artic. 2, Alvarez ubi supra, Navarrete in 1 part. controversia 25 et 26, Ledesma quæstion. unica de Auxiliis art. 18, Gaspar Ram Primarius Oxensis relectione 2 in solutione ad 4 Molinæ, Nazarius 1 part. quæstion. 22 artic. 4 controversia 3, Ripa 1 part. quæst. 12. artic. 8 dub. 1 capit. 12, Villegas Primarius Complutensis controversia 12 disput. 2 capit. 7 ; favet Cajetan. in comment. libr. 1 Regum capit. ultim. et ientaculo 6 ; ac tandem id tenentur fateri omnes Doctores quos in hac disput. numer. 56 retulimus. Nam ut bene notavit Suarez, hoc ipso quod dicatur Deum præfinire actus bonos per decretum prædictum, nequit consequenter affirmari, quod non habeat decretum eodem modo efficax circa peccatum quoad id, quod de materiali et materialiter sumpto affert.

Patres. Capr. Ferr. Alvarez. Cano. Medin. Bannez. Navarr. Ledesm. Ram. Nazar. Ripa Villeg. Cajet. Suarez.

§ IV.

Eadem D. Thomæ sententia ratione fulcitur.

148. Animadversio. Ut autem ratione fundamentali D. Thomæ sententiam probemus, oportebit majoris claritatis gratia in memoriam recolere id, quod in ultimo notabili hujus dubii dicebamus, scilicet dubium hoc peculiarius et ex professo controverti de materiali peccati v. g. odii Dei materialiter sumpto, ut spectat ad ordinem physicum. Quia quid dicendum de eodem materiali, ut ad lineam moralem aliquo modo spectat, satis ex hoc, quod de eo ut pertinente ad lineam physicam dicetur, constabit, ut infra dicemus.

Ratio fundamentalis pro assertione. Hoc ergo supposito ratio fundamentalis hujus assertionis quoad materiale v. g. odii Dei, ut ad ordinem sive lineam physicam spectat, desumitur ex iis, quæ ex eodem sancto Doctore in hac disput. numero 57 et deinceps dicebamus. Potestque ad hanc formam reduci. Quoniam ex ibidem dictis constat Deum suo decreto absoluto, et ex se efficaci, seu efficaciter effectivo prædiffinire omnes actus bonos ut tales, sive illi sint boni bonitate naturali simul et morali, sive tantum boni bonitate ad lineam *esse* naturalis et physici præcise pertinente : at actus peccati v. g. odii Dei libere exercitus, et consideratus præcise quoad materiale physicum materialiter sumptum, seu quoad illud *esse* physicum, quod alias fundat rationem malitiæ, est actus bonus bonitate pertinente præcise ad lineam *esse* naturalis et physici : ergo secundum hanc rationem præfinietur a Deo per prædictum decretum.

Probatio minoris. Major cum consequentia satis liquent. Minor autem etiam videtur perspicua. Tum quia sicut fundamentum relationis materialiter, non vero formaliter in ratione fundamenti sumptum, idest, quoad illud *esse* quod

quod alias fundat relationem, non spectat ad lineam relationis, licet formaliter in ratione fundamenti consideratum, seu prout reduplicative loquendo fundat relationem, spectet suo modo ad eamdem lineam relationis, nempe per modum fundamenti quatenus talis respectu illius, ita licet actus odii Dei, ut fundat malitiam odii, spectet ad lineam moralem malitiæ per modum fundamenti formaliter sumpti respectu illius, et propterea adhuc secundum hanc præcisam rationem sit causaliter et initiative quid malum; attamen idem actus quoad materiale physicum malitiæ materialiter sumptum, idest, quoad illud *esse* physicum, quod alias fundat malitiam, non spectabit ad lineam moralem, nec mali moralis, sed ad aliam lineam, nempe ad lineam *esse* naturalis et physici : cumque hæc linea, et ea quæ ad eam pertinent, sint secundum hanc rationem bona bonitate *esse* naturalis et physici, fiet inde, ut prædictus actus odii sub hac præcisione sumptus, sit actus bonus bonitate præcise spectante ad prædictam lineam. Tum etiam : quia actus odii Dei secundum illud *esse* physicum quod alias fundat rationem malitiæ, non habet formaliter esse fundamentum ejusdem malitiæ : siquidem hoc ei convenit, quatenus reduplicative loquendo est fundamentum : ergo consideratus secundum illud *esse*, quod alias est fundamentum malitiæ, habet aliam rationem formalem, quæ sit bona bonitate pertinente ad lineam *esse* naturalis.

149. Confirmatio notanda. D. Thom.

Ex quo etiam confirmatur eadem assertio ratione deprompta ex D. Thoma multis in locis, præcipue vero 3 contra Gent. cap. 162 ratione 1 et in præsenti artic. 9 necnon 1, 2 quæstion. 79 articul. 1 et 2 quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam ad omne id extenditur decretum Dei præfinitivum, absolutum, et ex se efficax, seu efficaciter effectivum, ad quod tanquam ad objectum materiale per se tale extenditur divina omnipotentia per suam causalitatem : sed divina omnipotentia extenditur per suam causalitatem ad materiale physicum peccati materialiter sumptum, seu secundum illud *esse*, quod pertinet ad lineam *esse* naturalis et physici : ergo etiam prædictum decretum præfinitivum extendetur ad prædictum materiale peccati sic sumptum. Consequentia non indiget probatione. Major vero etiam patet ex dictis in tractat. de Scientia Dei disput. 5 dub. 2 et 3. Nam cum divina potentia nihil operetur nisi applicata per decretum efficax præfinitivum divinæ voluntatis, ut ex ibidem dictis, et ex dubiis præcedentibus hujus disput. liquet, oportet ut ad omne illud extendatur prædictum decretum, ad quod extenditur divina potentia per suam causalitatem tanquam ad objectum per se materiale illius.

Suadetur minor.

Minor autem probatur. Tum quia omnipotentia, quippe universalissima causa physica, debet extendi sua causalitate tanquam ad objectum per se materiale, ad omne id, quod habet entitatem physicam, et ad omnem modum et formalitatem ad hanc lineam spectantem, atque adeo ad actum peccati ut ad hanc lineam pertinentem. Tum etiam : quia ad omne id extenditur omnipotentia per suam causalitatem tanquam ad objectum per se materiale, seu (quod in idem quoad præsens redit) tanquam ad objectum intrinsece attactum per illam, quod est ordinabile in divinam bonitatem tanquam in ultimum finem, ex eo quod primum et universalissimum efficiens, quale est divina potentia, debet per se terminari ad ea, quæ cadunt sub primo et universalissimo fine, nempe divina bonitate, ut ita causa efficiens et finalis habeant debitam proportionem; et propterea objectum adæquatum materiale per se omnipotentiæ dicitur esse quidquid est ordinabile in Deum ut in ultimum finem : at omne *esse* physicum et naturale quatenus tale, ac proinde actus peccati quoad illud *esse* secundum quod spectat ad lineam *esse* physici et naturalis, ordinatur in divinam bonitatem ut in ultimum finem, siquidem Deus, ut auctor naturæ, est primum efficiens et ultimus finis totius *esse* prædicti ut ad hanc lineam spectantis : ergo divina omnipotentia extendetur per suam causalitatem ad totum *esse* prædictum, et per consequens ad *esse* physicum et naturale actus peccati quatenus tale.

150. Corroboratur et explicatur. Angel. Doct.

Confirmatur et explicatur ratione alia, quæ in idem fere redit cum præcedenti, quamque tetigit D. Thomas in 2 distinct. 37 quæstion. 2 articul. 2. Quoniam voluntas creata quatenus libere elicit actum odii Dei, prout pertinet ad lineam physicam, et per consequens prout dicit rationem entis, actualitatisque physicæ, necnon rationes differentiales constituentes et determinantes illam rationem entis ad specialem rationem talis entis physici ut talis, non est causa secunda deficiens, idest, deficiens et devians ab ordine ad Deum ut ad ultimum finem, sed potius est causa secunda effi-

ciens et ordinans prædictum actum ad divinam bonitatem ut ad ultimum finem totius *esse* pertinentis ad lineam pure naturalem et physicam : ergo debet subordinari Deo ut primo efficienti, et ut primo ordinanti prædictum actum quoad tale materiale in se ipsum ut in ultimum finem, et per consequens talis actus debet præfiniri per decretum efficax divinæ voluntatis. Hæc ultima consequentia patet ex nuper dictis. Prima vero ex antecedenti. Quia secundum efficiens et secundum ordinans aliquid in finem, oportet ut subordinetur alteri, nempe Deo, ut primo efficienti, primoque ordinanti rem illam in prædictum finem.

Antecedens autem etiam constat. Quia licet prædictus actus ut pertinet ad lineam moralem, deficiat ab ordinatione in Deum ut in ultimum finem hujus lineæ, et propterea voluntas quatenus illum sic sumptum elicit, causet illum non efficiendo, sed deficiendo a prædicta ordinatione; attamen idem actus consideratus, adhuc secundum suam rationem atomam, ut præcise pertinet ad lineam physicam, non est malus, sed bonus bonitate hujus lineæ, ex eo quod imbibit rationem entis et actualitatis, ac perfectionis physicæ tanquam rationem transcendentem et propriam suæ lineæ physicæ : et ita si intra eamdem præcise consideretur, debet secundum suam rationem atomam habere propriam et peculiarem rationem physicam exprimentem specialem actualitatem et perfectionem, per quam contrahat, aut quasi contrahat prædictas rationes : ergo ordinabitur in Deum ut in ultimum finem totius actualitatis et perfectionis hujus lineæ, ac proinde voluntas ut illum libere elicit, non operabitur ut causa deficiens et devians a prædicta ordinatione, sed operabitur tum ut efficiens, quippe causans id, quod est perfectionis, non vero defectus in tali actu : tum etiam ut ordinans illum sic sumptum ad divinam bonitatem ut ad ultimum finem totius *esse* prædicti.

Poteritque hæc eadem probatio antecedentis explicari ex eo, quod prædictus actus ut ad lineam physicam pertinens potest conferri cum Deo vel tanquam cum objecto, vel tanquam cum fine. Etsi ergo collatus cum ipso tanquam cum objecto sit, adhuc intra lineam physicam, aversio physica ab eo ut ab objecto, quia est actus fugæ respectu illius; attamen collatus cum Deo ut fine non est fuga respectu illius, sed tendit ad illum, ex eo quod secundum hanc rationem procedit a Deo, ut a primo fonte totius actualitatis, et perfectionis physicæ, et omnium rationum per se contrahentium hanc lineam : et ideo oportet ut secundum hanc rationem sumptus tendat ad illum ut ad ultimum finem.

§ V.

Evasio adversariorum et præclusio illius.

151. Occurritur ex adversariis.

Nec refert si occurras huic rationi cum suis confirmationibus, satis esse ad hoc ut Deus nequeat decreto suo efficaciter præfinitivo præfinire actum odii Dei libere exercitum quoad suum materiale materialiter sumptum, quod sit indispensabiliter nexum cum malitia. Quia eo ipso nequit efficaciter attingere illum quoad prædictum materiale, quin attingat eumdem indirecte et secundario quoad formale. Cumque non possit ulla ratione attingere prædictum actum quoad formale, neque etiam poterit præfinire modo dicto ipsum quoad materiale jam explicatum.

152. Evertitur primo D.Thom.

Non igitur hoc refert. Nam in primis hanc solutionem optime impugnat D. Thom. in 2 distinct. 37 quæstion. 2 articul. 2 in solutione ad 5 his verbis : *Dicendum quod sicut actio, quæ peccati deformitatem habet, dicitur bona in quantum est actio, bonitate naturæ, non propterea quod aliquando inveniatur separata a deformitate, sed quia bonitas illa naturæ deformitati substat : ita etiam Deus dicitur causa illius actionis in quantum est actio, et non in quantum est deformis hoc modo, quod actionem non faciat a deformitate separatam, sed quia in actione deformitati conjuncta hoc quod est actionis facit, et quod deformitatis non facit. Etsi enim in aliquo effectu plura inseparabiliter conjuncta sint, non oportet ut quidquid est causa ejus quantum ad unum, sit etiam causa ejus quantum ad alterum,* quo nihil clarius aut elegantius contra solutionem adversariorum dici potuit.

153. Alia eversio notanda

Deinde. Quoniam quantumvis objectum adæquatum attactum ab aliqua potentia vel virtute sit identificatum cum alio, quod sit extra lineam objecti talis potentiæ vel virtutis, vel sit connexum indispensabiliter cum eo; nihilominus prædicta potentia sive virtus terminatur ad suum objectum adæquatum non attingendo quodlibet aliud ibidem inventum, quod sit extra latitudinem et lineam sui objecti adæquati : ergo cum

cum objectum adæquatum per se materiale divinæ potentiæ, et decreti Dei efficaciter præfinitivi sit quidquid est ordinabile in Deum ut in ultimum finem, non vero id, quod extra hanc ordinabilitatem fuerit, fiet inde, ut divina potentia, et ejus decreta præfinitiva efficaciter terminentur ad omnia hæc, non attingendo malitiam aliàs indispensabiliter annexam, quantumvis sit identificata cum entitate bona, et ratione differentiali physica rei ordinabilis in Deum ut in ultimum finem totius entis pertinentis ad lineam *esse* physici et naturalis.

154. Perfectio adetur ultipliciter ntecedens.

Consequentia videtur perspicua. Antecedens autem probatur. Tum quia nulla potentia aut virtus potest ferri extra latitudinem sui objecti adæquati, ex eo quod hæc duo sunt essentialiter commensurata. Tum etiam : quia propter hanc rationem voluntas non terminatur ad ens sub ratione intelligibilis, nec intellectus ad idemmet ens sub ratione amabilis sive boni, quia licet hæc duo identificentur inter se, attamen ens ut amabile, est extra latitudinem rationis formalis *sub qua* latitudinis objecti intellectus; et ens ut intelligibile, est eodem proportionali modo extra latitudinem rationis *sub qua* voluntatis. Et similiter quamvis in essentia divina sit omnino idem absque distinctione virtuali ratio speciei intelligibilis, et ratio intellectionis, necnon ipsamet ut dicit naturam divinam, et ut dicit existentiam, juxta ea, quæ in tractatibus de Visione et de Scientia Dei diximus; nihilominus divina potentia, ut efficaciter communicativa ejusdem essentiæ prout est in se, et per se ipsam creaturæ, unit illam intellectui beato in ratione speciei intelligibilis, quin possit eamdem unire prædicto intellectui in ratione intellectionis, et eamdem communicat humanitati Christi in ratione existentiæ, ut in tractat. de Incarnatione tomo 5 dicemus, quin possit eamdem essentiam divinam communicare, et unire prædictæ humanitati in ratione naturæ. Ac tandem licet essentia divina, et relatio solum virtualiter inter se distinguantur, et sit una, eadem formalitas absque distinctione actuali a parte rei; nihilominus potentia generativa Patris Æterni potest communicare suam essentiam Filio, cum tamen repugnet communicare illi relationem Paternitatis.

Et horum omnium ratio nulla est alia potior, nisi quod etsi tam essentia divina, quam relatio sint inter se satis identificata et connexa, et similiter eadem essentia ut habet rationem naturæ et existentiæ, et ut est species intelligibilis, et intellectio, sint omnino idem absque aliqua distinctione virtuali, nihilominus communicatio Paternitatis est extra latitudinem objecti adæquati potentiæ generativæ Dei, et communicatio ejusdem essentiæ in ratione naturæ, aut in ratione intellectionis respectu creaturarum, est extra latitudinem objecti adæquati omnipotentiæ.

155. Confirmatio. D. Thom.

Confirmatur exemplo, quo sæpe utitur D. Thom. ad rem hanc explicandam. Nam etsi una, et eadem claudicatio procedat a tibia curva, et a virtute progressiva animalis; attamen in ratione motus fit a virtute progressiva, recte tibiam curvam quantum est ex se movente : at quoad defectum naturalem quem habet, seu ut est claudicatio, procedit non a virtute progressiva sed a tibia curva. Idemque accideret, si pictor v. g. juxta regulas artis penicillo defectuoso, inculpabiliter tamen assumpto, depingeret. Nam tunc pictura quoad id, quod est perfectionis, et artis in ea, procederet a pictore, et quoad defectus artis, ab ipso penicillo defectuoso, recte tamen quantum est ex parte pictoris, et juxta regulas artis motu : non tamen talis defectus tribuendus esset eidem pictori. Et ratio horum omnium est. Quia defectus in claudicatione aut pictura inventi non continentur intra latitudinem objecti adæquati virtutis progressivæ aut artis recte moventis, sed potius repugnant eidem objecto. Ergo cum deformitas moralis, et fundamentum illius quatenus tale opponantur objecto adæquato divinæ causalitatis et præfinitionis efficaciter effectivæ, siquidem opponuntur ordinabilitati in Deum ut in ultimum finem, consequens erit, ut prædictum decretum et ejus causalitas possit efficaciter terminari practice ad id, quod in actu peccati continetur intra latitudinem objecti adæquati omnipotentiæ, et decretorum Dei, quin terminetur eodem modo ad malitiam moralem, aut fundamentum illius ut tale.

156. Eversio posterior

Deinde. Nam juxta communem sententiam Theologorum contra Durandum, Deus concurrit concursu simultaneo cum creaturis respectu materialis peccati materialiter sumpti, v. g. respectu odii Dei libere exerciti : et nihilominus licet hoc est indispensabiliter nexum cum eadem malitia, non ideo divina causalitas, et omnipotentia extendunt se ad eamdem malitiam, aut ejus fundamentum quatenus tale : ex eo quod

talis malitia, et ejus fundamentum formaliter in *esse* fundamenti, et materialis considerati, sunt extra latitudinem adæquatam totius objecti adæquati divinæ potentiæ : et ita si intra illam continerentur, tunc absque dubio omnipotentia ad ea se extenderet : ergo eadem ratione quod malitia sit nexa indispensabiliter cum entitate, et ratione materiali materialiter sumpta peccati, non tollit quominus divina præfinitio efficaciter effectiva Dei terminetur ad prædictum materiale, præcisivo (ut sic loquamur) modo, practico tamen, seu quin terminetur efficaciter ad alia, quæ sunt extra latitudinem sui objecti adæquati, scilicet malitiam, aut fundamentum illius quatenus tale.

157. Confirmatio prior. Confirmatur et explicatur primo. Nam si hæc solutio, quam impugnamus, est sufficiens, aperte colligitur ex ea, vel quod Deus non concurrat concursu concomitante in materiale physicum peccati materialiter sumptum, vel quod si in illud sic influit, possit etiam per suum decretum efficaciter præfinitivum prædiffinire idem materiale, ex eo quod eadem inconvenientia ex illo, et ex isto sequuntur, vel si ex illo nullum sequitur inconveniens, nec etiam ex isto. Hoc autem sic ostenditur. Quoniam vel illi actui odii Dei libere exercito, ut formaliter dicit entitatem, et actualitatem individualem, et ut pertinet, adhuc secundum suam rationem ultimam, et differentialem etiam individualem, ad lineam physicam, est intrinsece indispensabiliter ac essentialiter annexa malitia, ita ut ex vi illius ut pertinet ad hanc lineam subsequatur? vel non? Si primum dicatur, tunc sicut repugnaret Deum præfinire efficaciter prædictum actum secundum quod formaliter fundat malitiam, seu secundum eam rationem, secundum quam est ei intrinsece et essentialiter annexa malitia, ita etiam repugnabit Deum concurrere concursu simultaneo ad eumdem actum, secundum eam rationem, secundum quam est ei intrinsece annexa prædicta malitia : siquidem concurrere sive prævie, sive concomitanter, sive quovis alio modo ad actum, secundum eam rationem, secundum quam est ei intrinsece annexa malitia, est intrinsece malum, et esse indirecte causam malitiæ : ex eo quod est concurrere ad actum ut est fundamentum ejusdem malitiæ.

Si vero secundum dicatur, scilicet actui illo ut præcise pertinet ad lineam physicam, non esse ita intrinsece et essentialiter annexam malitiam, ut ex vi illius sic sumpti subsequatur, ac proinde nec ex vi illius sit ei annexa, non est cur Deo denegetur, quod possit illum, secundum hanc puram, et præcisam rationem prædiffinire, et efficaciter per hoc decretum causare. Tum quia eo ipso continetur intra objectum adæquatum omnipotentiæ. Tum etiam : quia sicut non est intrinsece dissonum rationi concurrere simultanee ad id præcise, quod non est malum, et secundum eam rationem, secundum quam non est malum, nec est ei intrinsece annexa malitia, ita etiam neque erit dissonum influere prævie prædiffinitive in hoc ipsum secundum eam puram et præcisam rationem, secundum quam non est malum, nec habet intrinsece annexam malitiam. Vel si influere hoc modo in id, quod non est malum, est malum, ex eo quod influit in id, quod alias est malum, non erit cur simultanee concurrere ad hoc ipsum non sit malum. Quia eadem lex quæ obligat ad non influendum prævie in aliquid, secundum aliquam rationem consideratum, adstringit etiam ad non influendum simultanee, aut aliquo alio modo in illud ipsum. Quæ duæ posteriores impugnationes habent adhuc majorem vim suppositis iis, quæ in tractat. de Scientia Dei disput. 10 dub. 1 et in hoc tractat. diximus contra Molinam, nempe Deum non decernere concurrere cum creaturis concursu ex se indifferenti, qui determinetur a concursu causæ secundæ, sed concursu determinato ad determinatum actum etiam in individuo.

158. Confirmatio posterior. Confirmatur tandem et explicatur. Nam adhuc melius salvatur Deum non esse causam peccati si præfiniat materiale illius materialiter sumptum, quam si præcise concurrat ad illud simultanee, et eo modo quo Molina et sequaces volunt : ergo, etc. Antecedens patet. Nam, juxta modum dicendi Molinæ et sequacium, concursus ille Dei est ex se indifferens, et determinatur a determinatione voluntatis humanæ se ad malum determinantis, ac proinde hoc ipso quod voluntas humana in genere causæ materialis determinet prædictum concursum, tunc Deus per suum concursum veluti adhæret prædictæ determinationi, et in genere causæ efficientis producit determinate illum actum quoad suam speciem, et rationem differentialem consideratum : at multo melius salvatur, Deum non esse causam peccati, si dicatur, quod præfinit ipsum secundum illud *esse*, secundum quod antecedit malitiam, et secundum quod non habet

habet illam annexam (ut nos asserimus, ex eo quod ille actus ut habet annexam malitiam, est extra lineam objecti divinæ omnipotentiæ) quam si asseratur, quod semel supposita determinatione voluntatis creatæ ad malum, et per consequens semel supposita malitia, statim Deus est pedisequus illius pravæ determinationis. Nam cum sequi alterius determinationem postquam jam depravata est, illique adhærere, habeat intrinsece rationem mali, fit inde, ut difficulter salvetur, Deum sequi hanc pravam determinationem voluntatis creatæ, illique adhærere, et non esse causam peccati.

159. Corollarium animadvertendum.

Ex quibus omnibus manet etiam probatum, quomodo Deus efficaciter prædiffiniat prædictum actum quoad materiale illius in *esse* morali et materialiter sumptum, idest, quatenus respicit formaliter regulas moris, abstrahendo tamen an ille ordo sit conformitatis vel difformitatis ab illis, quatenus non consideratur, an prædictus ordo sit conformitatis aut difformitatis cum eisdem regulis, seu (ut clarius loquamur) quatenus non concipitur secundum suam ultimam rationem odii, sed secundum quod v. g. est actus moralis, et secundum quod est individuum genericum immediate (modo tamen infra explicando) contentum sub actu morali ut sic : secundum quas rationes diximus esse etiam materiale peccati, secundum suam malitiam considerati. Ex dictis igitur constat quomodo Deus efficaciter præfiniat hoc materiale materialiter etiam sumptum, tum propter dicta numero 128 hujus dubii, nempe quod non minus intime conjungitur alias malitia cum odio libero Dei secundum suam atomam rationem in *esse* physico considerato, quam cum prædicta ratione odii, ut præcise est actus moralis, et individuum quoddam genericum immediate contentum sub actu morali ut sic, ut ex terminis ipsis constat, et ex statim dicendis magis constabit : ergo si Deus potest præfinire efficaciter illud, secundum priorem illam rationem, non præfiniendo rationem malitiæ; non est cur non possit ipsum etiam secundum posteriorem considerationem efficaciter præfinire absque eo quod similiter præfiniat eamdem malitiam, ac proinde de facto illum sic prædiffiniet : siquidem, ut ex dictis in præcedentibus dubiis constat, quidquid Deus actu causat, procedit a decreto efficaciter præfinitivo illius.

Tum etiam : quia odium Dei sub hac præcisione, et secundum hanc rationem aliquo modo moralem ejus, non est recessus a Deo ultimo fine morali, neque illi repugnat ordo ad eumdem ut ad ultimum finem moris, ex eo quod ut est sub hac præcisione, non consideratur ut dicens essentialem connexionem cum malitia odii Dei, sed ut præcise respicit rationem actus moralis ut sic, contrahendo illam per modum individui generici, nihil considerando de ordine, quem dicit ad malitiam ejusdem odii, ut numero præcedenti dicebamus, et in hoc dub. magis explicabimus : et ita non est cur prædictus actus sic sumptus non contineatur, juxta dicta, intra latitudinem adæquatam omnipotentiæ, et decreti efficacis, quo Deus ad operandum applicatur : siquidem latitudo utriusque extenditur ad omnem rationem cui non repugnat ordinari in Deum ut in ultimum finem sive lineæ physicæ sive moralis : ac proinde non erit, cur talis actus sic consideratus, hoc ipso quod de facto inveniatur in rerum natura, non cadat sub divino decreto efficaciter præfinitivo.

§ VI.

Enodatur primum argumentum oppositæ sententiæ ex authoritate petitum.

160. Ad primum pro prima sententia, quod ex duplici serie testimoniorum constat, alia quidem petita ex sacra Scriptura, alia vero ex Concilio, satis patet ex dictis, testimonia illa Scripturæ, præterquam illud ex epistola Jacobi (de quo statim), nihil contra nos urgere, sed posse Deum præfinire efficaciter materiale seu fundamentum peccati materialiter sumptum, sine eo quod velit malitiam : ex eo quod hæc est extra objectum adæquatum divinæ causalitatis et prædiffinitionis Et ita falsum est quod ibidem innuitur, scilicet malitiam moralem peccati, v. g. odii Dei, sequi ad entitatem physicam, aut ad rationem ejus differentialem, quatenus cadit sub divino decreto, sive quatenus causatur a Deo. Quia materiale illud odii Dei materialiter sumptum, et quatenus præfinitur et attingitur a Deo, non infert malitiam, quia hæc est extra objectum adæquatum Dei, nec sub hac præcisione et reduplicatione consideratum habet infallibilem nexum cum illa ex vi hujus capitis, sed potius quantum est ex se ei quodammodo opponitur et adversatur : siquidem illa præfinitio tendit ad ordinandum illum actum ut pertinet ad lineam physicam

in ratione actus physici in Deum ut in ultimum finem lineæ physicæ : et ut prædictus actus in ratione actus moralis ut sic, et ut individuum genericum ejus spectat ad lineam moralem, ordinatur etiam in Deum ut in ultimum finem moris, per illam prædiffinitionem. Quia in hunc finem non solum ordinatur per prædiffinitionem id quod est bonum moraliter, sed quidquid secundum aliquam sui rationem pertinet aliquo modo ad lineam moralem, et non consideratur quantum est ex se ut incapax bonitatis moralis, habet secundum illam cum præcisione sumptam ordinari in Deum ut in ultimum finem moris : ex eo quod secundum hanc rationem est volitum, et amatum a Deo in ordine ad fines extrinsecos optimos in esse moris. Cæterum prædictus actus ut infert malitiam, habet etiam inferre aversionem ab ipso Deo ut ab ultimo fine lineæ moralis, et eidem actui sic sumpto repugnat ordinatio in Deum ut est ultimus finis prædictæ lineæ.

161. Ad testimonium ex Jacobo.

Ad testimonium vero ex epist. Jacobi adductum patet etiam ex dictis. Quoniam licet concupiscentia secundum suam speciem essentialem, secundum quam est ejusdem rationis atomæ cum concupiscentiis brutorum, nequeat extendi ad concupiscendum id quod objective, seu quantum est ex parte objecti, est peccatum et vetitum quatenus tale; bene tamen concupiscentia hominis ut habet quamdam speciem modalem superadditam ex conjunctione ad hominem, et voluntatem ejus, quamvis quoties talis concupiscentia fertur necessario et per modum naturæ ad prædictum peccatum, non sit formaliter peccatum ex defectu libertatis, non vero ex defectu objecti concupiti. Et ideo quia intra latitudinem sui objecti materialis ut sic sumptæ continetur peccatum objective sumptum ut tale, seu objectum vetitum, propterea quoties per modum naturæ tendit in illud dicitur tentare hominem quia impellit ad peccatum objective tale, seu ad id, quod quantum est ex parte objecti, refunderet in prædictam concupiscentiam rationem peccati, si libero modo ad ipsum tenderet. Unde cum divina præfinitio efficaciter causativa non extendatur ad peccatum objective tale et formaliter sumptum, nec ad ejus fundamentum quatenus fundamentum, sed hæc sint extra latitudinem objecti materialis adæquati prædicti decreti, propterea optime dixit Jacobus, Deum neminem tentare.

162. Potestque hæc solutio elucidari, tum ex illo verbo Apostoli : *a concupiscentia sua*. Deleo enim consulto addidit ly *sua*, ut denotaret quomodo etsi concupiscentia quia concupiscentia non tentat, quia malum morale est extra latitudinem ejus sic sumptæ; bene tamen concupiscentia sua, idest, ut est ejus qui tentatur, et ut ratione conjunctionis ad illum, et voluntatem ejus accipit quamdam speciem modalem, per quam extenditur ad prædictum objectum. Tum etiam, quia concupiscentia habet subordinari voluntati nostræ ut habet rationem naturæ, et ut habet rationem libertatis. Quia sicut ex conjunctione ad voluntatem ut liberam participat quamdam speciem modalem, per quam libere, libertate alibi explicanda, et una cum voluntate tendit secundario in bonum sensibile ut vetitum, ita ut subordinatur et conjungitur voluntati ut natura est, recipit inde speciem modalem, per quam per modum etiam naturæ, et necessario extenditur secundario ad idem objectum vetitum : atque adeo secundum id, quod ex parte objecti (ut sic dicamus), quasi in *esse* rei desiderabatur, ad hoc ut talis tendentia concupiscentiæ ad illud, sortiretur rationem peccati. Diximus : *Ex parte objecti quasi in esse rei*, ad denotandum quod illud objectum, licet quia vetitum, habeat aliquid pertinens ad lineam objecti moralis : tamen quia a concupiscentia, ut per modum naturæ operante, non attingitur cum libertate, ideo non habet omne id, quod ad rationem objecti moralis formaliter in *esse* objecti desideratur : et ita ex defectu hujus modi attingendi cum libertate, remanet intra rationem objecti, quasi in *esse* rei sumpti. Et hoc pacto motus primo primi concupiscentiæ objecti sensibilis vetiti, tendunt per modum actus secundi in illud, et ipsa concupiscentia seu appetitus sensitivus in actu primo consideratus habet etiam in actu primo respicere ipsum. Ac tandem secundum hanc rationem de ea, sive in actu primo, sive in actu secundo dicitur, quod unusquisque tentatur a concupiscentia sua, ita ut hæc tentatio fiat in actu primo ab appetitu sensitivo, ab ipso vero una cum motibus prædictis, sive ab ipsis motibus primo primis in actu secundo.

163. Ad testimonium ex Trident. Hieron. Aug.

Ad testimonium vero ex Concilio ibidem adductum respondetur, familiare esse hæreticis uti verbis ambiguis ad suos errores palliandos, ut recte notavit Hieron. Epist. ad Pammachium et Aug. lib. de gratia Christi contra Pelagium cap. 37 et ita Calvinus

vinus et ejus sequaces prædictis verbis utentes dicebant quoad verborum sonum, Deum non esse causam peccati, re tamen vera ei veram rationem prædictæ causæ tribuebant. Quia licet senserint Deum directe, et ex intentione peccandi non causare malitiam, sicut nec voluntas humana
Dionys. sic illam solet causare, juxta illud Dionys. 4 de divin. nomin. : *Nemo intendens ad malum operatur*; attamen existimabant eum indirecte et ex consequenti causare peccatum : sicut et hac ratione a voluntate creata causatur, quamvis non ob id Deus peccet, secus tamen voluntas creata : quia ista operatur ut subdita legi, non vero ille. Quæ omnia satis constant ex testimoniis eorum-
Alvarez. dem hæreticorum relatis ab Alvarez tomo de Auxiliis disp. 14 et 1, 2 disp. 167.

164. Unde quia ad hoc ut peccatum absolute sumptum ac proinde etiam quoad malitiam, sit absolute et simpliciter volitum et causatum, satis est esse sic indirecte, et quasi præter intentionem volitum, ut nuper innuebamus, quamvis idem modus volendi non sit satis ad volitionem et causalitatem simpliciter talem respectu boni, propterea volens Concilium damnare hunc errorem, nimirum Deum causare hoc modo, nempe indirecte et ex consequenti, peccatum seu (quod in idem quoad præsens redit) esse absolute, et simpliciter causam illius, absolute et simpliciter sumpti, ac proinde æquiparari proditionem Judæ, et vocationem Pauli quoad hoc quod est non minus esse simpliciter, et absolute volitam, et causatam a Deo illam, quam hanc, usum est verbis illis in argumento relatis.

Et ita Concilium ex diametro opponitur errori Calvini volentis Deum indirecte, et ex consequenti causare peccatum absolute, et simpliciter sumptum : siquidem idem est causare sic ipsum, ac simpliciter, et absolute velle, et causare illud : et in idem redit causare ac velle illud absolute et simpliciter, ac æquiparare quoad hoc proditionem Judæ et vocationem Pauli. Non tamen prædictum Concilium nostræ sententiæ opponitur : siquidem nos non asserimus Deum velle, et causare peccatum absolute et simpliciter sumptum. Nam in peccato hoc modo accepto includitur etiam ipsa malitia, et agens non attingens illam indirecte, qualiter eam attingi a Deo negamus, nec attingit peccatum sic sumptum. Sed loquimur cum præcisione, et limitatione jam dicta, nempe Deum velle et causare peccatum præcise quoad materiale, seu fundamentum : et hoc adhuc cum restrictione, nempe ita ut non causet aut velit illud quoad materiale formaliter in *esse* fundamenti consideratum, ac proinde nec etiam indirecte quoad malitiam; sed tantum quoad materiale materialiter acceptum, idest, quoad illud, quod alias habet rationem materialis et fundamenti. Et ita una cum eodem Concilio fatemur, quod respectu fundamenti ut talis, necnon et potiori ratione respectu malitiæ, habet se Deus solum permissive, non vero efficaciter præfinitive. Circa quod videatur duplex elegans testimonium divi Thomæ quod in hoc dub. num. 176 et numero 189 adducemus, necnon et aliud ejusdem sanct. Doct. optimum testimonium numero 152 allatum.

Potestque elucidari hæc solutio ex eisdem verbis Concilii in hoc argumento relatis. Nam dum ibi anathematizatur qui dixerit esse non minus proprium opus Dei proditionem Judæ, quam vocationem Pauli, illud comparativum *non minus*, supponit suum positivum : et ita innuit, quod Deus aliquid causat in peccato, scilicet materiale jam dictum, sicut causat aliquid in opere bono; cum dispariate tamen nuper exp icata, scilicet ita ut peccatum absolute sumptum, non sit simpliciter et absolute volitum a Deo, bene tamen opus bonum. Et ratio est. Nam ex qua parte aliquid peccati debet esse volitum sive amatum et causatum a Deo oportet ut causet materiale illius materialiter sumptum : et ex qua parte non debet ipsum peccatum absolute, seu etiam quoad malitiam esse volitum absolute et simpliciter a Deo, nequit fundamentum in *esse* fundamenti formaliter sumptum, aut ipsam malitiam adhuc indirecte velle et causare, ut ex dictis patet.

165. Elucidatio præcedentis solutionis.

§ VII.

Solutio confirmationis primi argumenti.

166. Ad confirmationem.

Ad confirmationem respondetur concedendo majorem, et distinguendo minorem : *Non potest impedire malitiam* in sensu composito, et ex suppositione decreti præfinientis actum odii Dei quoad materiale jam dictum, concedi poterit : in sensu diviso, negari debet. Quia etsi hæc duo nequeant simul poni, nimirum quod Deus præfiniat materiale peccati, et per consequens illud libere a creatura ponatur, et ex defectu ejus-

dem creaturæ subsequatur malitia, et tandem quod prædicta malitia non subsequatur siquidem hoc esset simul ponere duo sibi contradicentia, nempe subsecutionem, et non subsecutionem malitiæ; attamen sicut adhuc posito decreto efficaci Dei circa materiale jam explicatum peccati, manet voluntas libera in sensu diviso circa idem materiale, necnon circa formale, scilicet malitiam, ita adhuc posito eodem decreto potest in eodem sensu diviso Deus impedire eamdem malitiam. Sed circa veram intelligentiam hujus sensus divisi, et compositi videantur ea, quæ in hac disp. dub. 5 dicebamus.

Potestque hæc solutio explicari in sententia communi Theologorum contra Durandum, admittente concursum simultaneum Dei circa materiale peccati jam dictum una cum permissione malitiæ ipsius, cum tamen posito prædicto concursu concomitante Dei nequeat in sensu composito non poni malitia; bene tamen in sensu diviso.

167. Objectio Suarez. Nec refert si cum Suarez objicias, quod hoc ipso quod Concilium admittat decretum permissivum circa peccatum et ejus malitiam, ibi eum negat decretum efficaciter præfinitivum circa materiale illius jam dictum. Tum quia talis voluntas seu decretum permissivum esset superfluum : siquidem semel posito decreto efficaciter præfinitivo materialis peccati odii libere exerciti, nequit in sensu composito non subsequi talis malitia, alioqui posset creatura libere elicere materiale odii Dei, et non peccare, quod est contra nuper dicta. Tum etiam : quia prædictum decretum, esset titulus sine re, et ex hac etiam parte inane et frustraneum : sicut si diceres eum, qui aquam ad ignem applicat, permittere ut aqua frigiditatem amittat. Nam magis indispensabiliter ex decreto isto præfinitivo efficaciter effectivo materialis, et fundamenti peccati sequitur ipsum peccatum quoad suam malitiam, quam ex applicatione ignis ad aquam expulsio frigiditatis : siquidem expulsio frigiditatis potest impediri per divinam potentiam etiamsi ignis applicetur aquæ, et illam calefaciat : cum tamen deformitas peccati nequeat separari a materiali odii Dei libere exercito.

168. Enodatio Non itaque hoc refert. Nam negato antecedenti, debet ad primam ejus probationem responderi, quod etsi posito decreto illo efficaciter præfinitivo materialis peccati odii Dei, non possit non in sensu composito, et ex defectu voluntatis creatæ subsequi ipsum peccatum, et malitia ejus, non tamen sine prædicto decreto permissivo. Et ideo in sensu composito quod Deus per suum decretum efficaciter effectivum præfiniat materiale odii Dei libere exercitum, non potest non habere decretum permissivum respectu malitiæ, quam idem odium habet : et ita si non haberet tale decretum, non subsequeretur prædicta malitia, quia hæc supponit prædictum decretum : et simul subsequeretur ex eo quod non stat actus odii Dei libere exercitus quoad suum materiale, quin talis actus sit peccatum.

Ratio autem propter quam dicimus requiri indispensabiliter decretum permissivum ad hoc ut voluntas creata eliciat prædictum actum peccaminosum, est. Quia cum tam ea, quæ spectant ad ordinem, et lineam physicam, quam ea, quæ pertinent ad lineam moralem, debeant immediate cadere, modo sibi debito, sub divina providentia, et per consequens etiam peccata suo modo cadant sub illa; oportet ut aliquo modo cadant etiam immediate sub divina voluntate : siquidem quod aliquo modo non cadit sub ista, habet eodem modo non cadere sub providentia Dei. Cumque non cadat immediate sub decreto efficaciter præfinitivo, seu decreto efficaciter effectivo malitiæ peccati, necesse est, ut cadat sub decreto permissivo : ut ita quidquid actu, et immediate ac efficaciter fit a creaturis, totum illud actu immediate ac efficaciter cadat sub divina providentia : et divina voluntas absque imperfectionis nota, et absque causalitate in malitiam, necnon et divina providentia possint modo debito ad eam extendi.

169. Adde, quod si semel peccatum non cadit immediate, modo nuper explicato, scilicet permissive, sub divina voluntate, et providentia, neque etiam cadet sub illis adhuc mediate, ac proinde nec ullo modo cadet Et ratio est Quoniam sub decreto Dei efficaciter prædiffinitivo, et causativo rei prædiffinitæ, et per consequens sub providentia eodem modo causativa certum est non cadere peccatum immediate, siquidem ab eis immediate non causatur : nec etiam cadere mediate, quandoquidem non sequitur ad entitatem et materiale ejus ut præfinita, et causata per divinum decretum et providentiam.

170. Ad secundam vero probationem ejusdem antecedentis dicendum est, eam nobis potius

Ad secundam probationem objectionis Suaresii.

tius prodesse quam obesse. Nam ideo qui applicat ignem ad aquam non dicitur permittere expulsionem frigiditatis, quia illa applicatio revera est per modum applicationis causa illius expulsionis : ex eo quod in suo ordine efficaciter in illam influit, et illam causat. Cæterum malitia peccati aut fundamentum illius, quatenus tale non sequitur, aut causatur ex vi decreti efficaciter præfinitivi, et causativi rei præfinitæ. Et ideo oportet ad hoc ut suo modo cadat sub divina providentia, non quidem tanquam quid ab illa causatum, sed ut quid permissum, quod detur in Deo decretum efficax permissivum, quo peccata permittantur, seu (quod in idem redit) quo Deus efficaciter velit denegationem auxilii efficacis, quo talia peccata vitanda erant. Nam ex hoc decreto, permissive solum, non vero causative prædicta peccata sequuntur.

171. Animadversio ad elucidationem præcedentium.

Ut autem melius capiatur, quomodo sub decreto Dei efficaciter præfinitivo, et causativo non cadat malitia moralis peccati aut fundamentum illius quatenus tale, ac proinde sit necessarium decretum permissivum, quo præcise permittatur a Deo peccatum, et clarius argumenta alia solvantur, recolendum est id, quod supra dicebamus, scilicet in peccato v. g. odii Dei esse distinguendam duplicem lineam duplicemque ordinem, nempe lineam et ordinem physicum, necnon lineam et ordinem moralem : de quibus in quo consistant, sufficienter quoad præsens patet ex iis, quæ loco citato asseruimus. Unusquisque autem ex his ordinibus, et lineis constat suis rationibus transcendentalibus, et communibus, necnon et suis rationibus ultimis et atomis : et propterea prædictus actus odii ut ad lineam physicam pertinet, habet intime imbibere rationem entis et accidentis physici. Complut. Et quia (ut bene nostri Complutens. in libris de Anima disput 21 quæstion. 1 notarunt, et nos etiam in tract. de Visione Dei disput. 2 numero 207 diximus) actiones immanentes voluntatis creatæ spectant ad præ icamentum qualitatis, licet sint vere operationes, idcirco datur in eodem odio vera ratio generica qualitatis physicæ, necnon ratio passionis sive passibilis qualitatis, et ratio operationis vitalis et immanentis, ac tandem peculiaris et propria ratio talis operationis, nempe quod sit per modum illius specialis fugæ et recessus a Deo, quæ constituit odium Dei in *esse* talis ut ad ordinem physicum spectat.

Et similiter in prædicto odio, ut spectat ad lineam moralem, invenitur inter alia ratio entis moralis ut sic, et ratio actus moralis dicentis ordinem ad regulas moris, abstrahendo tamen, an hic ordo sit difformitatis vel conformitatis ad prædictas regulas? ac tandem peculiaris ordo difformitatis cum eisdem regulis, qui est proprius prædicti actus.

Et deinde, quia idem actus odii, ut spectat ad ordinem moralem, fundatur supra se ipsum ut pertinet ad lineam physicam, ideo potest considerari, ut ibidem insinuabamus, vel reduplicative ut fundat malitiam, vel secundum quod spectat præcise ad lineam physicam, licet alias sit fundamentum malitiæ, secundum quam rationem nuncupatur, ut sæpe asseruimus, materiale peccati materialiter sumptum. Et similiter ratio entis moralis, aut actus similiter moralis, adhuc secundum illam portionem peculiarem, quæ contrahitur in speciali per rationem specificam et individualem odii Dei, moraliter sumptas, possunt considerari, vel reduplicative quatenus dicunt ordinem sive connexionem infallibilem, aut identificationem cum ratione differentiali et individuali odii Dei ut mali moraliter, vel secundum se, idest, secundum illud munus quod alias dicit prædictum ordinem, aliasque identificatur. 172.*

Diximus : *Adhuc secundum illam portionem peculiarem, quæ contrahitur in speciali per rationem specificam et individualem odii Dei moraliter sumptas*, quia in præsenti loquimur de rationibus generalibus entis et actus moralis, ut sic fundamentaliter sumptis : et non utcunque, sed eo modo quo attingi possunt per causalitatem suæ causæ, atque adeo ut ultra hoc quod est dicere prædictam rationem entis aut actus moralis, habent saltim rationem individui generici aut quasi generici, alias identificati cum rationibus differentialibus, et moralibus v. g. odii Dei.

173. Elucidatio notanda præcedentium.

Cum igitur hæc omnia reperiantur in actu odii Dei, debent (ut fiat debita respectu divinorum decretorum distributio) sic distribui, ita nimirum, ut Deus per suum decretum præfinitivum efficaciter effectivum plurium ex his rationibus, quæ sunt in peccato, attingat efficaciter actum peccati odii quoad id, quod spectat ad lineam physicam ut talem, quod est attingere prædictum actum secundum illud *esse*, quod alias fundat malitiam, seu attingere materiale malitiæ materialiter solummodo sumptum, ut sæpe diximus. Et deinde idem

actus, adhuc ut spectat ad lineam moralem, attingitur etiam a prædicto decreto tanquam a vera causa illius. Non quidem ita ut prædictus actus odii quatenus est constitutus intra hanc lineam in sua specie atoma et morali, aut in sua individuatione ei correspondente, vel quatenus reduplicative loquendo est ens, aut actus moralis dicens habitudinem et connexionem specialem in *esse* rei cum ratione differentiali et individuali deformitatis moralis ejusdem actus, procedat a tali decreto, quia non dicit hanc specialem habitudinem aut connexionem ut procedit ab illo, sed præcise ut procedit secundum prædictam rationem actus moralis a voluntate creata et deficiente; sed ita ut habeat procedere ab eodem decreto, quatenus prædictus actus fundat rationes, v. g. actus aut entis moralis ut sic, et ut dicit easdem rationes actus aut entis moralis in particulari per modum individui generici, aut quasi generici, et modo statim dicendo, quæ habent alias exprimere ordinem et connexionem indispensabilem in *esse* rei, cum propria malitia ejusdem odii, identificanturque alias cum illa.

174. Nam prædictus actus ut fundat rationem entis aut actus moralis ut sic, non exprimit malitiam, sed ab illa abstrahit, ac proinde potest attingi a Deo : et similiter in illamet ratione portionis actus moralis in particulari, quæ consideratur per modum individui generici, sunt duo munera inadæquata. Primum quidem (quod rationem quodammodo materialis peccati in *esse* materialis sumpti exprimit), est dicere ordinem ad rationem differentialem, et moralem odii Dei ut talis. Secundum vero (quod rationem quodammodo materialis respectu peccati non quidem reduplicative ut materialis, sed illius quod alias est materiale exprimit), est esse rationem particularem, et individuam per modum individui generici exprimentem præcise in *esse* rei hoc quod est contrahere per modum talis individui rationem actus moralis ut sic, nihil exprimendo de ordine quem in *esse* rei dicit ad differentiam specificam vel individualem odii Dei quatenus talis, sed solum habitudinem quam dicit ad suum superius, quamvis istæ duæ rationes sint alias inseparabiles. Et ita ratio hæc posterior attingitur a Deo. Quia secundum se præscindit a malitia quatenus per hanc præcisionem significatur, quod ut est sub illo conceptu, et ex vi prælicti muneris secundum se, et in *esse* rei sumpti. non agitur de conformitate aut difformitate ejus ad legem, nec consideratur ut capax aut incapax in *esse* rei alicujus ex his rationibus determinate sumptæ, et convenientis ei secundum quod in *esse* rei respicit rationes differentiales odii Dei ut talis : et ideo prædicta ratio potest explicari, per hoc quod trahat rationem illam actus moralis ut sic ad esse individuam individuatione generica aut quasi generica, quæ sit talis conditionis, ut alias sit conjuncta et identificata cum priori illa ratione nuper dicta, necnon et cum aliis rationibus differentialibus odii Dei.

Quia igitur actus odii Dei potest sic diversimode consideratus exprimere has distinctas rationes, et secundum quasdam ex ipsis jam explicatas potest attingi a decreto efficaciter præfinitivo et causativo rei præfinitæ, ex eo quod continentur intra latitudinem objecti adæquati divinæ omnipotentiæ, ad quod solummodo decretum hoc extenditur : et deinde ad eumdem actum, secundum alias rationes expressas jam dictas, non extenditur prædictum decretum etiam tanquam ad rationes *quas*, formaliter attactas, ex eo quod prædictæ rationes in peccato inventæ habent secundum conceptum expressum, quem afferunt, licet non secundum rationes alias transcendentales ibidem intime imbibitas, esse extra latitudinem objecti adæquati divinæ omnipotentiæ, ut explicatum est; propterea oportet dari aliud decretum non quidem causativum prædictarum rationum, et munerum expressorum, quæ jam retulimus, sed efficaciter permissivum earum ut exprimunt prædicta munera, seu quoad talia munera expressa : ex eo quod licet sit contra bonitatem divinam causare peccatum aut prædictas rationes, non tamen est contra illam, sed potius ei valde consonum, permittere illud et rationes ad illud spectantes, quas jam retulimus.

175. Anima versio

Diximus non extendi divinum decretum efficaciter præfinitivum, et causativum rei præfinitæ ad prælictas rationes, etiam tanquam ad rationes *quas*, formaliter attactas, quia licet re vera causet illas secundum omnem rationem entis et actualitatis jam dictæ intime in eis imbibitam; attamen respectu illarum quatenus præcise exprimunt malitiam, aut fundamentum illius, ut tale, ita se habet quoad hoc quod est revera causare illas, ac si non essent identificatæ cum aliis rationibus, nec essent ibi : sicut

decretum

decretum communicandi beato essentiam divinam per modum speciei intelligibilis ita (ut supra dicebamus) se habet quoad hoc quod est communicare illi eamdem essentiam in ratione intellectionis, ac si essentia divina ut est species intelligibilis, et ut est ipsa intellectio non identificarentur summo illo identificationis modo excludente distinctionem virtualem, necnon ac si ibidem ratio intellectionis divinæ non esset : ex eo quod communicatio divinæ essentiæ in ratione intellectionis, non minus est extra latitudinem objecti divinæ omnipotentiæ, quam prædictæ rationes malitiæ et fundamenti illius ut talis. Sed circa hoc iterum infra in hoc dub. in solutione ad confirmationem tertii sermo recidet.

Addidimus autem aliquoties in toto hoc discursu particulam illam *in esse rei* propter illa quæ a num. 199 usque ad num. 202 adducemus.

§ VIII.

Diluitur secundum argumentum.

176. Ad primum testimonium secundi argumenti.

Ad secundum principale argumentum ex testimoniis D. Thomæ petitum respondetur, sanctum Doctorem in priori ex illis testimoniis, solum velle quod determinatio ad peccatum absolute et simpliciter sumptum, sit a voluntate creata ut ab efficiente et modo infra explicando, et a Diabolo ut a persuadente. Quoniam nomine peccati absolute et simpliciter sumpti intelligitur etiam ejus malitia, necnon et materiale illius ut materiale est. Deus autem hæc non præfinit per prædictum decretum præfinitivum, et efficaciter causativum harum rationum. Quia licet positivæ sint, attamen quatenus positivæ sunt positivitate jam dicta, scilicet exprimente prædicta munera, explicant rationem defectus et malitiæ sive fundamentalis ut talis, sive formaliter talis : et ita voluntas creata quoad has rationes est prima causa deficiens, et non subordinata Deo ut efficienti. Quamvis cum hoc stet, ut ad alias rationes ibidem inventas Deus influat efficaciter præfiniendo, et causando illas, ut ad rationem actus et actualitatis, et ad cæteras jam explicatas. Quam solutionem tradit D.Thom. in 2 distinct. 37 quæstion. 2 artic. 2 in fine corporis his verbis : *Quodcunque nomen deformitatem simul cum actu significat sive in generali sive in speciali, non potest dici quod sit a Deo simpliciter. Unde non potest dici absolute, quod peccatum sit a Deo, ut homicidium aut aliquid hujusmodi, nisi cum hac additione, in quantum actus est, et in quantum est ens :* idest in quantum exprimit id, quod perfectionis, non vero id quod imperfectionis et defectus jam dicti est in illo.

D.Thom.

177. Ad secundum testimonium illius.

Ad secundum vero testimonium in eodem argumento adductum, dicendum est, ibi non loqui D. Thom. de prædiffinitione materialis peccati, sed de volitione respectu non peccati, seu de nolitione illius, quæ optima est, et Deo tribuenda, ut patet. Unde concesso antecedenti, neganda est consequentia. Et ad primam probationem illius, dicendum est, quod etsi Deus præfiniens Petrum non peccare, prædeterminet prædeterminatione efficaci et extrinseca illud non peccatum, sive actum bonum, et victoriam, et ita in genere causæ efficientis et simpliciter loquendo sit prior illa prædeterminatio, et prædiffinitio ex parte ipsius Dei ; attamen in alio genere causæ res præfinita determinat aliquo modo divinum decretum quoad suam terminationem passivam. Et propterea dixit D. Thomas quod : *Voluntas consequens Dei recipit conditionem creaturæ* Quamvis (ut dicebamus) hæc determinatio ex parte creaturæ, quoad id secundum quod cadit sub prædicto decreto, infallibiliter et in genere causæ efficientis subsequatur ex efficacitate divini decreti prædiffinientis, quod est simpliciter prius.

Ad secundam vero probationem concesso antecedenti, et prima consequentia neganda est secunda. Quia Deus non cognoscit aliquos non velle mala facere nisi mediante suo decreto præfinitivo, ac proinde inferente infallibiliter in genere causæ efficientis et in eodem signo *in quo*, adhuc secundum rationem, tum illam non volitionem mali in voluntate creata, sive victoriam ejus contra malum : tum etiam quod res prædiffinita prædeterminet in alio genere causæ determinationem ejusdem decreti quoad suam terminationem passivam. Et propterea quod Deus non habeat decretum illud sive illam voluntatem consequentem nisi de iis, quos scit non velle peccare, ex eo quod voluntas consequens Dei recipit conditionem creaturæ, seu determinatur quoad suam determinationem passivam (modo tamen supra in hoc eodem tractat. de voluntate Dei insinuato) a creatura sive a re præfinita, non tollit sed potius ponit in Deo decretum præfinitivum, quod sit causa horum omnium, in quoque hæc cognoscat. Quod idem cum propor-

tione de decreto prædiffinitivo et causativo materialis jam dicti, quod est in peccato, dicimus.

§ IX.

Solvitur tertium argumentum juxta cujusdam junioris sententiam et ejus solutio rejicitur.

178. Solutio Curielis ad tertium principale.

Ad tertium responderi potest ex doctrina Curielis loco citato, Deum præfinientem materiale peccati materialiter sumptum ideo non præfinire illud decreto præfinitivo jam dicto, quod efficaciter causet idem materiale formaliter in *esse* materialis sumptum, ac proinde nec velle ejus malitiam quia licet causet physice quidquid est in actu peccati, nihilominus actus peccati secundum has duas ultimas considerationes acceptus, est effectus moralis, qui proinde exigit ex parte causæ concursum moralem, et non sufficit physicus in illas. Cumque Deus non concurrat ad prædictum actum peccati morali concursu, siquidem nec cum subjectione ad regulas morum, nec medio consilio, præcepto, aut exhortatione concurrere potest, sed solum influxu naturali, sive ad ordinem et lineam physicam præcise spectante, inde est, ut actus peccati nequeat per comparationem ad divinam causalitatem et decretum habere deformitatem moralem, aut rationem fundamenti illius formaliter et in *esse* fundamenti sumpti; sed solum per comparationem ad voluntatem creatam, quæ cum subjectione ad regulas morum, et per consequens moraliter operatur. Et ita decretum illud præfinitivum materialis peccati materialiter sumpti non est efficaciter effectivum ejus dem materialis, ut materialis, nec malitiæ illius.

179. Impugnatur primo.

Cæterum hic modus salvandi, quomodo Deus præfiniens materiale peccati materialiter sumptum non prædiffiniat illud formaliter in *esse* materialis acceptum, nec ut malum formaliter, non placet. Tum quia D. Thomas non assignat modum istum, sed illum quem nos innuimus, quemque statim magis elucidabimus. Tum etiam: quia etsi demus, quod hac via explicetur quomodo Deus non operetur moraliter defectuose, ac proinde nec imputabiliter ad culpam quoties concurrit cum voluntate creata ad actum peccati, et præfinit illud quoad idem materiale, non tamen quod non sit alio modo, nempe per modum causæ physicæ causa ejusdem materialis, ut materiale est, et totius deformitatis ibidem inventæ, et per consequens nec salvatur quod ejus decretum efficax efficaciter causativum rei prædiffinitæ non causet eodem modo hæc omnia: at nequit concedi causalitatem Dei et sui decreti extendi ad prædicta causanda, adhuc per modum causalitatis naturalis, sive ad lineam physicam spectantis: ergo juxta hunc dicendi modum non salvatur, ut salvari debet, Deum non esse causam materialis peccati ut materiale illius est, nec etiam deformitatis in illo inventæ. D. Thom.

Consequentia non indiget probatione. Minor vero videtur perspicua, et ideo eam docuit Nazianzenus oratione 2 in Julianum ante medium his verbis: *Deus nullo modo est causa mali quippe natura bonus, vitiumque ejus est qui eligit.* Ubi illa particula *nullo modo*, omnem modum causalitatis Dei erga malum ut tale (de quo ibi loquitur Nazianzenus) excludit. Idque ratio ab eodem insinuata, et a nobis supra tacta convincit. Nempe Deum esse natura bonum, seu non posse deficere ab ordine ad bonum, et per consequens nec posse operari nisi ordinando id, circa quod operatur, ad se tanquam ad ultimum finem: ex eo quod hoc ipso quod oppositum faceret, non esset natura sua essentialiter bonus; cumque (ut jam diximus) materiale peccati ut materiale illius, nec non et malitia ipsius sint inordinabilia in Deum, ut in ultimum finem, inde est, ut nequeat ulla ratione divina causalitas physica, et naturalis ad illa extendi. Nazianz

Major autem probatur duplici exemplo. Etenim etsi Deus non causet visionem corpoream, vitali modo et per modum videntis per illam, quia tamen nihil est in illa visione, quod ab eo non procedat alio modo, seu tanquam a causa prima, propterea licet illud prius sit sanis ad hoc ut Deus non videat per prædictam visionem, non tamen ad hoc ut per modum causæ primæ non sit causa ejusdem quoad omnes formalitates quas habet. Et similiter licet Deus non causet nostrum meritum per modum causæ moralis meritoriæ, quia tamen causat illud alio modo, nempe per modum primæ, et universalissimæ causæ; propterea licet illud prius non sufficiat ad hoc ut Deus causet nostrum meritum morali illo modo, et meritorie, ac proinde ad hoc ut mereatur rationem prædictæ causalitatis; attamen sufficit ad hoc ut per modum causæ primæ sit causa omnium formalitatum

tum, et rationum ibidem inventarum : ergo pari ratione quod Deus non causet morali modo, et per modum causæ subjectæ legi materiale peccati ut tale, necnon malitiam ejus, sufficiet ad hoc ut moraliter defectuose et imputabiliter ad culpam non causet ista per suum decretum præfinitivum efficaciter causativum rei præfinitæ; non tamen sufficiet ad hoc ut non sit alio modo, nempe per modum causæ physicæ causa horum omnium, si illa eodem modo, nempe per modum primæ causæ naturalis, et physicæ causaverit, ut in hac solutione, quam impugnamus, admittitur.

180. Alia impugnatio.

Deinde. Nam ad hoc ut Deus causet omnem bonitatem moralem, quæ est in actu bono, non requiritur in sententia hujus junioris, quod operetur per modum causæ moralis subditæ legi, quia hoc putat derogare summæ perfectioni supremi entis : ergo ex hoc quod Deus non præfiniat actum peccati quoad suum materiale, ut tale, per modum præfinientis subditi legi (si tamen causalitas hujus decreti pertingit aliquo modo usque ad prædictum materiale in *esse* talis consideratum) non erit cur non sit vera causa talis materialis, et consequenter malitiæ, quam, ut materiale est, fundat.

Confirmatur, et simul excluditur tacita quædam solutio, quæ hic poterat adhiberi, supponendo tamen id, quod est ex se satis perspicuum, nempe quod licet Deus ad actum bonum moraliter influat suadendo et præcipiendo illum; attamen totum hoc est quid antecedens ad influxum, quem postea immediate in genere causæ efficientis physicæ præstat, et influxus ille est distinctus ab isto.

Confirmatur.

Hinc ergo sequens confirmatio deducitur. Quoniam Deus non solum est causa bonitatis moralis actus boni medio illo influxu consulendi, et præcipiendi, sed adhuc præcise et formaliter per hunc posteriorem concursum physice effectivum est causa bonitatis moralis illius, alioqui talis bonitas non esset reducenda in Deum nisi præcise ut in consulentem, aut præcipientem, non tamen ut in primam causam physicam : et tamen ut operatur per istum influxum physicum, non operatur ut subditur regulis, ut supponitur, neque ut consulens vel præcipiens, quia hic modus influendi præsupponitur ad influxum physicum Dei, non vero pertinet ad illum : ergo pari ratione ad hoc ut esset causa quoad materiale peccati, ut tale, et quoad deformitatem ipsius, satis esset, quod re vera attingeret sua causalitate omnia ista, licet non attingeret ea consulendo, præcipiendo, aut per modum præfinientis subditi regulis moris.

181. Eadem solutio alia ratione refellitur.

Tandem. Quia si re vera causalitas physica Dei, et sui decreti præfinitivi extenditur ad causandum physice materiale peccati, ut tale, et per consequens malitiam ejus, non est cur excludatur ab hoc, quod morali modo ea causet, ex eo quod non operetur per modum agentis moralis, idest, per modum agentis subditi regulis morum : ergo etc. Antecedens videtur perspicuum. Nam etsi Deus non sit subditus legibus alterius sibi superioris, nec obligetur per obligationem involventem imperfectionem, est tamen subditus, seclusis imperfectionibus, legi suæ sapientiæ dictanti quid sit intrinsece bonum, quidve intrinsece malum : ita ut non possit magis ab ea deflectere, quam si esset obligatus, et subditus cum subjectione involvente inferioritatem, et supponente alium ut sibi superiorem : propter quod dixit Paulus 2 ad Timoth. 2, Deus negare se ipsum non potest : et similiter ob eamdem rationem in divinis actibus liberis moralis bonitas reperitur, et in eis moralis deformitas ut mendacium etc. inveniri nequit : ergo cum ad operandum per modum causæ moralis primæ, sive morali modo conveniente primo enti, non requiratur ut operetur per modum subditi legibus cum admixtione imperfectionis, sed satis sit operari cum subjectione libera ab imperfectionibus subjectionis, non erit cur Deo causanti (juxta hanc solutionem, quam impugnamus) physice omnia, quæ sunt in peccato, denegetur quod causet illa moraliter et morali modo, ex eo quod non operetur cuncta ista per modum subditi legibus.

2 Ad Timot. 2.

§ X.

Vera solutio tertii argumenti.

182. Vera Solutio tertii.

Hac igitur omissa solutione, aliter ad argumentum istud (quod una cum suis confirmationibus æque militat ut intuenti constabit, contra communem sententiam Theologorum, admittentium adversus Durandum concursum simultaneum Dei in materiale peccati materialiter sumptum, seu in id quod alias est materiale illius, non tamen in idem materiale formaliter

in *esse* materialis accepti) respondendum est, nempe negando antecedens. Et ad probationem distingue da est major : *Præfinit ipsum quatenus hic et nunc est aversio libera a Deo ut ab objecto*, in ordine et linea physica præcise sumpta, concedenda est : in ordine et linea morali initiative et radicaliter tali respectu malitiæ, negari debet. Et eodem proportionali modo distinguenda est minor : *Non alia ratione habet rationem materialis in esse materialis formaliter sumpti nisi quatenus hic et nunc est aversio libera a Deo*, in ordine et linea physica præcise, neganda est : in ordine et linea morali initiativa et radicali ut tali, respectu malitiæ, concedenda erit.

Nec contra hoc vim habet probatio ibidem adjuncta. Quia odium Dei ut a voluntate creata libere exercitum propterea habet formaliter rationem fundamenti ut talis respectu malitiæ, quia procedit ab illa, ut est aversio libera a Deo, non solum in ordine physico præcise sumpto, sed etiam intra ordinem et lineam moralem initiativam, et radicalem respectu malitiæ ibidem inventæ.

183. Elucidatio. Explicatur hoc ex dictis. Etenim illa aversio libera a Deo ut ab objecto hic et nunc exercita habet duo munera inadæquata ad distinctos ordines et lineas spectantia, nimirum pertinere tum ad ordinem physicum præcise, qui alias fundat malitiam, tum etiam ad ordinem moralem, et esse formaliter id quod habet rationem fundamenti, ut talis respectu malitiæ. Et secundum priorem illam rationem solum exprimit aversionem physicam a Deo ut ab objecto, non tamen ut a fine ordinis moralis, sed ab hoc præscindit quatenus per hanc præcisionem significatur, quod ut est sub hoc conceptu, non agitur de conformitate, aut difformitate ejus ad legem, nec de ordinatione aut de ordinatione illius ad Deum, ut ad ultimum finem lineæ moralis, quamvis involvat ordinem ad eum ut ad ultimum finem lineæ naturalis et physicæ. Quia secundum omnia, quæ habet ut spectat præcise ad lineam physicam, est actus bonus, bonitate naturali et physica cum præcisione sumpta. At secundum posteriorem rationem exprimit quod fundet defectum conformitatis cum directione regulæ rationis sive difformitatem cum illa, et sit radix aversionis a Deo ut ab ultimo fine lineæ moralis.

Esse autem has duas rationes aliquo modo inter se distinctas patet ex iis quæ initio hujus dubii, numero 125 innuimus, et amplius ex illis, quæ infra numero 189 colligentes ea, quæ sparsim tradidimus, dicemus. Hac autem distinctione supposita, tunc istæ duæ rationes ita se habent, ut causa quæ attigerit hic et nunc libere unam, attingat aliam quando utraque est intra latitudinem objecti materialis talis causæ. Nam cum hæ duæ rationes sint inter se identificatæ et sint alias inseparabiles, oportet ut causa attingens libere unam ex illis nempe priorem et prævidens posteriorem esse inseparabilem ab illa priori, velit saltim indirecte hanc posteriorem, si utraque sit intra latitudinem sui objecti adæquati : secus vero quando prior illa ad ordinem physicum spectans, est intra latitudinem objecti adæquati alicujus causæ, cum tamen posterior sit extra talem latitudinem : siquidem nulla causa potest ferri extra suum objectum adæquatum quantumvis id quod est extra talem latitudinem, sit identificatum cum eo, quod est intra illam, ut explicatum est.

Quia igitur voluntas creata attingit priorem illam rationem ordinis Dei ut est libera aversio a Deo, ut ab objecto, quatenus totum hoc pertinet ad lineam physicam pure intra suam lineam considerata, et ratio alia ad lineam moralem spectans ibidem inventa, est etiam simul cum illa priori intra latitudinem objecti materialis adæquati voluntatis creatæ, et prævidetur esse inseparabilem, saltim hic et nunc ab ea; propterea voluntas attingens aversionem liberam a Deo hic et nunc ut spectat ad ordinem physicum, attingit etiam, et vult, saltim indirecte, eam ut spectat ad ordinem moralem jam dictum. 184.

Quia vero intra latitudinem objecti adæquati divini decreti est prædicta aversio libera hîc et nunc exercita, ut ad ordinem physicum spectat, ex eo quod ordinatur ad illum ut ad ultimum finem hujus lineæ, e contra vero eadem aversio est extra latitudinem objecti adæquati divinæ causalitatis et decreti, ut ad ordinem, et lineam moralem radicaliter initiativam malitiæ spectat, ex eo quod objectum adæquatum illius, ut operantis entia moralia, est quidquid ad ipsum ut ad ultimum finem lineæ moralis est ordinabile; idcirco licet divina causalitas aversionem illam liberam attingat secundum priorem rationem, non ideo attingit eam secundum hanc posteriorem.

Unde voluntas creata non ea præcisa ratione ponit eamdem aversionem, ut pertinet

ad ordinem moralem modo dicto, quia attingit eamdem libere, et hic et nunc præcise, ut spectat ad ordinem physicum pure intra suum ordinem consideratum; sed quia continetur secundum posteriorem rationem intra suum objectum materiale, et prævidet esse inseparabilem, saltim hic et nunc a se ipsa, ut spectat ad ordinem naturalem et physicum : seu (quod in idem quoad præsens redit) non ideo voluntas creata attingit prædictam aversionem ut initiativam malitiæ moralis, quia attingit ipsam quoad illud *esse* physicum, quod alias est identificatum cum hac ratione morali; sed quia attingit eam ut identificatam, et ut petit aversionem a Deo ut ab ultimo fine morali.

185. Eadem solutio sub alia forma traditur.

Potestque hæc eadem solutio sub alia forma rem hanc non parum explicare tradi, negando nimirum ante edens, et ad probationem respondetur distinguendo majorem : *Præfinit ipsum qualenus hic et nunc est aversio libera a Deo ut ab objecto*, quoad id, quod perfectionis, et actualitatis ac ordinabilitatis in Deum ut in ultimum finem, est in prædicta aversione, concedi poterit : quoad id, quod est in ea imperfectionis, et defectus ordinabilitatis in Deum ut in ultimum finem, seu quoad id, quod hoc modo est inordinabile in Deum, et per consequens quoad id, quod est in ea contra directionem regulæ rationis, et legis divinæ, negari debet.

Et eodem proportionali modo distinguenda est minor. Et ad probationem ibidem adjunctam dicendum est, non ideo præcise (si formaliter loquamur) odium Dei prout a voluntate creata habere rationem fundamenti ut talis malitiæ, quia, prout ab illa, est aversio libera a Deo hic et nunc; sed quia, prout sic ab illa procedit, connotat et petit, quod procedat ab eadem quoad id, quod est imperfectionis, et defectus positivæ ordinabilitatis in Deum ut in ultimum finem, et subjectionis ad directionem regulæ rationis, et legis divinæ, seu quia connotat ut procedat ab illa non solum ut a causa efficiente; sed etiam ut a causa deficiente positive in sua operatione ab ordinatione in Deum ut in ultimum finem, elicitque eam ut est aversio ab eodem fine, et contra directionem regulæ rationis. Unde quia Deus per suum decretum præfinitivum efficaciter causativum rei prælimitæ non attingit aversionem illam liberam odii Dei, nisi tantum quoad id, quod perfectionis est, non vero quoad inordinabilitatem illam, et defectum subjectionis, nec præfinit efficaciter effective voluntatem creatam operari illam aversionem liberam, ut est causa deficiens modo dicto, nec per præ lictum decretum efficax prædeterminat illam præ le-termination extrinseca ut est causa sic deficiens, sed præcise ut est efficiens, ac proinde ut attingens præcise id, quod est perfectionis actualitatis, et ordinabilitatis in Deum, ut in ultimum finem : propterea Deus non præfinit, nec causat aversionem illam liberam, ut est fundamentum malitiæ, licet ipsa voluntas eam hoc modo attingat, et causet.

Desum turque hæc solutio utroque modo explicata ex D. Thom. tom. 1, 2 quæst. 79 art. 2 in corp. et ad secundum, et in 2 dist. 37 quæst. 2 art. 2 ad secundum, his verbis : *Illud dicitur ad malum cooperari, quod inclinat ad actionem secundum quod actio deformitati substat, unde mala est. Hoc autem Deo non convenit : et ideo non oportet ut ad malum cooperari dicatur, quamvis actionis illius causa sit, in qua malum consistit, secundum quod influit agenti* esse, posse, et agere, *et quidquid perfectionis in agente est.* Ubi, ut vides, denegat Deo influxum in actionem, ut substat deformitati, seu ut est fundamentum prædictæ deformitatis, quia influit in illam præcise quoad id, quod est perfectionis, et actualitatis in ea, ac proinde præcise secundum id, quod habet ordinabilitatis in Deum, ut in ultimum finem. Tum etiam, et non parum persp cue desumitur prædicta solutio ex eodem Angelico Doct. in 2 dist. 37 q. 2 art. 2 ad quintum, cujus verba omnino videnda sunt ad rem hanc melius capiendam, consultoque a nobis hic non apponuntur, quia in hoc dub. num. 176 adducta sunt. 186. D.Thom. Idem

Ex quo etiam fit, nullius esse roboris si objicias, in hac solutione committi nugationem. Nam idem est in aversione illa libera hic et nunc exercita esse materiale deformitatis ut tale, et pertinere ad lineam moralem ut initium, et radix ejusdem deformitatis, sicut etiam hæc duo in idem redeunt cum hoc quod est, quod illa aversio libera hic et nunc exercita connotet, quod procedat a voluntate ut a deficiente a directione regulæ rationis, et ordinatione in Deum ut in ultimum finem lineæ moralis : ergo dicere quod voluntas creata causet prædictam aversionem, ut fundamentum malitiæ, quia causat illam ut pertinet ad lineam moralem, et est initium deformitatis 187.

moralis, erit dicere quod causat eamdem malitiam ut fundamentum, quia causat illam, ut fundamentum : et similiter dicere Deum per suum decretum non causare illam, ut fundamentum, quia non causat ipsam prædictis modis, erit asserere non esse causam ejusdem tanquam fundamenti deformitatis, quia non causat illam sic.

Enodatio Ex dictis igitur constat, rationem fundamenti malitiæ, ut talis non habere aliam rationem priorem, quæ per modum quasi naturalis resultantiæ causet, aut inferat eam, sed ipsam esse primam, non illatam in genere causæ quasi efficientis ab alia priori ratione prius attacta. Et ita sicut si Petrus in quantum homo, verbi gratia, non attingeretur a sua causa efficiente, mediante alia ratione priori in eo inventa et prius attacta, tunc optime explicaretur suam causam attingere illum ut hominem, quia attingit ipsum ut est animal rationale, ex eo quod hæc est ejus diffinitio, et Petrus ut attactus quatenus homo non habet aliam rationem priorem, ita quia esse primam radicem malitiæ non supponit in eodem actu aliam rationem prius attactam, quæ quasi per modum naturalis resultantiæ, et quasi in genere causæ efficientis inferat resultative eam, propterea hoc quod est causam secundam attingere prædictam aversionem, ut fundamentum deformitatis, explicandum est non per aliam rationem priorem, sed per ejus diffinitionem, aut quasi diffinitionem : sive per ipsammet ut clarius se ipsam exprimentem, ut in præsenti contingit : et propterea nulla committitur nugatio. Quia in eo eventu debet explicari id, quod est implicitum, per se ipsum ut magis explicitum, ut in prædicto exemplo cernere licet.

188. Alia replica. Nec etiam obest si urgeas, *esse* naturale, et physicum prædictæ aversionis liberæ cum omnimoda præcisione sumptum, esse subjectum, et causam materialem sui ipsius ut fundamenti malitiæ : quia prius est linea physica quam moralis, et linea moralis cadit supra lineam physicam, eam necessario præsupponens : ergo ex linea physica potest reddi ratio lineæ moralis, et per consequens poterit reddi ratio aversionis liberæ Dei, ut fundamenti malitiæ ex se ipsa, ut est in linea naturali et physica, seu quia attingitur ut ad hanc lineam pertinet.

Solutio. Respondetur enim, aversionem illam liberam, ut spectat ad lineam physicam, non habere esse subjectum, et causam materialem ut talem respectu malitiæ, aut alicujus pertinentis ad *esse* moris; sed solum esse id, quod alias supponitur, et quasi recipit supra se genus et lineam moris. Nam hoc ipso quod concipiatur ut subjectum alicujus *esse* moralis reduplicative loquendo, concipitur ut pertinens ad lineam moris, non vero ut sistens præcise in linea, et ordine physico : et ita prædicta linea physica, ut talis et cum præcisione considerata non habet inferre lineam moralem, neque ex hoc quod quis attingat lineam physicam præcise quia talem, potest reddi ratio quare attingat lineam moralem, seu ipsammet lineam physicam, quatenus reduplicative, et formaliter loquendo fundat lineam moralem, et deformitatem ad regulas moris.

189. Corollarium. Ex quibus omnibus manet adhuc perspicuius id, quod nuper num. 183 dicebamus. Nimirum quod etsi in aversione libera, quæ est in odio Dei, sint alias inseparabiliter hæ duæ rationes, nempe quod pertineat ad lineam physicam cum præcisione sumptam, et simul etiam ad lineam moralem, tam ut est mala formaliter, quam ut reduplicative loquendo est fundamentum, seu initium ejusdem malitiæ; nihilominus hæc duo munera sunt aliquo modo distincta. Tum quia ut modo dicebamus, et supra etiam insinuavimus hæ duæ rationes sive munera pertinent ad distinctas lineas, ac proinde debent esse aliquo modo distincta.

Tum etiam : quia hæc aversio libera, ut præcise spectat ad ordinem physicum, habet respicere tanquam causam sui proximam, voluntatem creatam ut efficientem præcise, non vero formaliter ut deficientem. At ut pertinet ad lineam moralem, et ut initiat et fundat malitiam, respicit tanquam causam proximam sui, eamdem voluntatem ut deficientem, alioqui nequiret esse causa hujus initii, et fundamenti malitiæ. Et ita secundum priorem illam considerationem habet inspicere illam tanquam causam secundam, ac proinde ut subordinatam Deo ut primo efficienti. Cæterum secundum hanc posteriorem considerationem dicit habitudinem ad prædictam voluntatem, ut ad causam primam in ratione deficientis, et per consequens ut ad causam non subordinatam Deo in hoc ordine.

190. Tum deinde : quia (ut supra initio hujus dubii tetigimus, et ex nuper dictis colligitur) aversio illa libera odii Dei, ut pertinet ad lineam physicam cum præcisione acceptam, non exprimit, nec per se requirit,

quantum

quantum est ex vi suæ lineæ sic sumptæ, ordinem ad regulas moris, nec ordinem istum, aut prædictas regulas per se, et ex vi prædictæ lineæ connotat : secus vero si consideretur ut fundat et initiat malitiam. Nam secundum hanc considerationem indispensabiliter, et ex vi sua connotat prædictum ordinem et regulas.

190. Tum denique : quia (ut supra etiam innuimus) prædicta aversio libera, ut pertinet præcise ad lineam physicam, importat ordinem ad Deum ut ad ultimum finem hujus lineæ, quia est bona bonitate præcise naturali et physica; non tamen dicit, nec connotat ex vi suæ lineæ præcise ordinem accessus, vel recessus a Deo, ut est finis lineæ moralis, licet alias hæc duo sint inter se connexa. Cæterum ut fundat, et initiat malitiam, saltim connotat ex vi hujus conceptus prædictum ordinem recessus formalis, et dicit in recto recessum initiativum, et fundamentalem a Deo, ut ab ultimo fine morum.

§ XI.

Solutio confirmationis tertii argumenti.

191. Ad confirmationem tertii. Ad primam confirmationem tertii argumenti distinguenda est major : *Nisi quia tale materiale est ens positivum secundum*, nihil exprimens, secundum aliquem sui conceptum cum præcisione sumptum, aversionis a Deo ut ab ultimo fine totius lineæ moralis, concedenda est : *Nisi quia tale materiale est ens positivum secundum*, cum expressione tamen secundum aliquem sui conceptum aversionis a Deo ut ab ultimo fine entis moralis, neganda est. Quia materiale peccati materialiter sumptum, nihil exprimit, ut est sub hoc conceptu, de aversione prædicta a Deo ut ab ultimo fine : et deinde eodem proportionali modo distinguenda est minor. Nam materiale peccati ut formaliter est materiale illius, est ens positivum secundum, cum expressione tamen, saltim in obliquo, aversionis prædictæ : et ita negari debet consequentia quoad prædictum materiale ut tale, et secundum id, quod exprimit. ut reduplicative loquendo, est fundamentum malitiæ. Nam sicut voluntas creata est prima causa deficiens, et non subordinatur Deo ut deficienti. ita sub hac consideratione influit in peccatum; et prædictum materiale exprimens initiative hanc deficientiam respicit illam per modum primæ causæ deficientis, et non subordinatæ Deo, ut influenti per suum decretum efficaciter effectivum rei præfinitæ. Quamvis idemmet materiale quoad id, quod implicite dicit, scilicet quoad rationes non exprimentes malitiam et defectum, efficaciter sit a Deo præfinitum : ex eo quod secundum istas rationes non operatur voluntas creata, ut deficiens ab ordine ad Deum ut ultimum finem ; sed ut efficiens, et ordinans id, quod efficit in eumdem ut in ultimum finem saltim lineæ physicæ, et naturalis.

§ XII.

Respondetur quarto argumento adversariorum.

192. Ad quartum. Ad quartum negandum est antecedens, et ad probationem patet ex dictis distinguendum esse antecedens : *Debet etiam prædiffinire illud quoad portionem illam particularem entis*, prout spectat ad lineam physicam cum præcisione sumptam, concedendum est : prout pertinet ad lineam moralem, et non utcumque, sed per modum initii malitiæ moralis repertæ in odio Dei, negandum est. Et deinde neganda est consequentia Nam portio illa entis, ut est hæc numero portio pertinens ad lineam physicam, ad summum petit rationem differentialem odii, ut spectat ad eamdem lineam : cum tamen ratio fundamenti malitiæ, ut talis, consistat in hoc, quod exigat diffrentiam propriam odii, ut est mala moraliter, et pertinet ad lineam moralem.

193. Replica notanda. Nec refert si urgeas, Deum non solum præfinire portionem illam entis ut est hæc numero, et est quasi individuum (ut sic dicamus) quasi genericum, sive analogum immediate contentum sub ente, ut spectante ad lineam physicam, sed etiam ut est eodem proportionali modo hæc numero portio entis moralis, ut pertinentis ad lineam moralem, ut ex dictis num. 173 videtur constare : sicut etiam prædiffinit eumdem actum ut est actus moralis, et individuum genericum in genere moris immediate contentum sub actu morali ut sic, ut ex dictis etiam patet : ergo prædiffinit etiam ipsum ut dicit materiale peccati quatenus tale. Patet consequentia. Quia essentia prædicti individui generici et moralis, nempe illius numero portionis, quæ contrahitur per hanc numero differentiam odii, sita esse videtur in hoc, quod exigat prædictam numero differentiam odii : et in hoc

ipso videtur consistere ratio ejusdem portionis ut est suo modo fundamentum, et initium malitiæ.

194. Enodatur. Respondetur enim ex dictis, distinguendo antecedens Et si sensus illius sit, quod Deus prædiffinit hanc numero portionem entis moralis inclusam in actu odii secundum omne id, quod importat ut spectat ad lineam moralem, negari debet : secus vero si sensus illius sit, quod prædiffiniat prædictam portionem secundum aliquod munus, quod habet ut spectat ad prædictam lineam : sicut etiam prædiffinit rationem actus moralis, et hujus numero portionis actus moralis, ut est in tali tuum genericum immediate contentum sub actu morali ut sic, non quidem adæquate sumptum quoad omnia, quæ habet ut spectat ad lineam moralem, sed secundum aliquod ex muneribus, quod intra talem lineam exercet. Deinde neganda est consequentia. Et ad probationem negandum est rationem illius numero portionis entis moralis, aut actus moralis prædiffinitam a Deo, sitam esse in hoc, quod exigat illam numero rationem differentialem odii Dei, de qua ibi fit sermo, nempe illam numero malitiam odii Quia prædicta portio quoad id, quod cadit sub prædiffinitione efficaci Dei, præscindit ab omni morali malitia.

195. Elucidatio recolenda. Explicatur hoc. Etenim sicut adæquata ratio animalis non est esse contrahibilem per suas differentias, vel dicere ordinem ad illas, quamvis hoc alias spectet ad ipsum, et propterea animal potest concipi sub conceptu animalis, nempe sub conceptu viventis sensibilis, quin concipiatur sub illo munere contrahibilitatis per suas differentias, et animal ut est in homine, verbi gratia, concipitur, ut est vivens sensibile, quin ut ibidem est, possit concipi per modum contrahibilis per alias differentias, præterquam per differentias proprias hominis : et similiter licet portio animalitatis, quæ est in homine, vel Petro identificetur cum rationalitate, et Petreitate ipsius, non tamen adæquata ratio talis portionis est, quod identificetur cum prædictis differentiis, aut quod exigat illas tanquam id cum quo identificatur : et idcirco prædicta portio potest concipi non concipiendo aliquid de hoc munere, de hacque identificatione, et exigentia, licet alias talis portio concepta quoad omnia munera, quæ habet, debeat concipi cum prædicta identificatione, et exigentia illius : et ita in illo priori antequam intelligatur identificari cum rationalitate aut Petreitate, vel exigere hanc identificationem, habet rationem individui generici immediate contenti sub animali ut sic, non consistentis ut est sub hac præcisione in hoc quod identificetur cum hac numero rationalitate, aut in hoc quod exigat illam, sed in alio priori munere, quod potest explicari per hoc, quod dicat rationem individui quasi generici, et inadæquati adhuc intra rationem individui generici, quæ sit talis conditionis ut alias identificetur cum hac numero rationalitate, aliasque exigat illam : non secus proportione servata, ac idem animal potest considerari secundum se præcise, et ut præit se ipsum ut identificabile cum suis differentiis, necnon quatenus est identificabile cum illis, et contrahibile per eas : et secundum priorem considerationem non dicit illas adhuc in obliquo et in confuso, sed dicit formalitatem quamdam talis conditionis ut alias dicat ipsas, secus vero secundum posteriorem.

196. Ita etiam, proportione servata, illa numero portio entis moralis, quæ imbibitur in actu odii Dei, necnon et illa numero portio actus moralis, quæ contrahitur per hanc numero rationem odii, non consistunt adæquate in hoc quod illa imbibatur in hoc numero actu odii, et exigat ejus rationem specificam individuatam tanquam aliquid cum quo identificetur, hæc vero contrahatur per malitiam moralem ipsius cum eaque identificetur et illam exigat, licet alias hæc omnia sint ibidem inseparabiliter conjuncta; sed præter hoc munus illa numero portio entis moralis, ut est hæc numero portio, et similiter illa numero portio actus moralis, ut etiam est hæc numero portio, habet aliud munus sibi inadæquatum, quod potest explicari per hoc, quod sit portio talis conditionis, ut alias exigat identificari et contrahi per hanc numero malitiam odii : quod tamen non habet, nec habere potest hæc numero, verbi gratia portio entis, quæ imbibitur in actu amoris Dei, nec alia numero portio ejusdem entis, quæ imbibitur in alio numero actu odii. Nam illa non potest identificari cum aliqua ex differentiis propriis odii, nec hæc cum ratione specifica odii, individuata tamen per illam numero differentiam individualem, per quam individuatur odium Dei, in quo prior illa portio entis imbibebatur : quamvis possit imbibi in eodem odio secundum speciem, individuato tamen per aliam rationem individualem odii.

Unde

Unde hæc numero portio entis, aut hæc numero portio actus moralis non cadit sub divina prædiffinitione efficaciter causativa rei prædiffinitæ, secundum omnia hæc munera, licet alias sint inseparabiliter nexa, et identificata : quia unum ex illis dicens rationem fundamenti malitiæ, ut fundamentum illius est, habet esse extra latitudinem objecti adæquati materialis divini decreti, ut ex supra dictis constat; sed quoad munus jam explicatum, nempe ut dicit rationem inadæquatam sui, ut est individuum genericum, aut quasi genericum : quæ potest explicari per hoc quod sit talis conditionis ut alias exigat rationem illam differentialem, et individuam odii, licet ex vi prædicti muneris eam non exigat, sed ab ea modo supra dicto præscindat.

197. Alia explicatio præcedentium.

Possetque hæc solutio sub aliis verbis non parum rem hanc elucidantibus tradi, nempe distinguendo antecedens. Et si sensus illius sit, quod prædiffiniat hanc numero portionem entis moralis, ut formaliter et reduplicative transcendit hanc numero rationem individualem odii contrahentem ejus specificam, et atomam rationem, vel quatenus transcendit alias rationes formaliter, vel fundamentaliter malas ut tales, negandum est. Quia transcendens, ut reduplicative transcendens, exigit id, in quo transcenditur, ac proinde illa numero portio entis sub conceptu transcendentis in prædictis rationibus exiget illas, eritque, juxta dicta, quodammodo fundamentum earum ut tale. Si vero sensus sit, quod Deus prædiffiniat prædictam numero portionem, non ut formaliter, et reduplicative transcendentem in his numero rationibus, sed materialiter, id est, illam quæ alias est transcendens, concedendum est. Quia (ut dicebamus) sicut in ente in sua amplitudine sunt duo munera inadæquata, scilicet et sua propria ratio exprimens *esse*, et simul esse transcendibile in omnibus differentiis, ita in hac numero portione entis, ut est individuum quasi genericum, sive analogum immediate contentum sub ente, seu non mediante differentia specifica, sunt duo munera inadæquata, scilicet esse formaliter transcendentem in illis peculiaribus rationibus hujus numero odii Dei ut mali, sive formaliter, sive initiative, et fundamentaliter; et esse id, quod alias transcenditur in illis. Et secundum illam priorem considerationem infert, et connotat malitiam, exigitque illam, et propterea non præfinitur a Deo; secus vero secundum posteriorem. Sicut etiam præfinitur ab ipso quævis numero portio entis transcendens alias rationes, nec formaliter, nec initiative malas, etiamsi talis portio per modum transcendentis consideretur.

198. Alia replica.

Nec tandem refert si ulterius urgeas, tum quod agens perfectissimum, et perfectissimo modo operans pertingit usque ad ultimas differentias rei, alioqui non versaretur perfectissime circa talem rem : ergo si semel Deus (qui est agens perfectissimum, et perfectissimo modo operans) efficaciter prædiffinit actum odii, secundum rationem generalem entis, aut actus moralis, et secundum quod est inadæquate individuum genericum, aut quasi genericum immediate contentum sub his rationibus, pertinget etiam ad alias rationes ulteriores, et differentiales ejusdem odii, quæque sunt ejusdem lineæ moralis. Tum etiam : quia si illa ratio inadæquata, quam Deus efficaciter per suum decretum attingit, est talis conditionis ut alias petat nexum cum malitia, et sit de ejus conceptu exigere alias malitiam quatenus cadit sub divina prædiffinitione : ergo prædiffinitur ut alias exigit eamdem malitiam : et per consequens saltim remote erit volita a Deo eadem malitia, quod videtur inconveniens.

199. Diluitur quoad primam impugnationem

Respondetur enim ad primam ex his impugnationibus, distinguendo antecedens : *Ad ultimas differentias rei* in *esse* entis consideratæ, negandum est, quoties sunt extra latitudinem ejusdem, ut habet rationem termini respectu causalitatis sui agentis, *Ad ultimas differentias rei* in *esse* termini consideratæ, concedendum est. Et deinde neganda est consequentia. Quia ratio illa individui generici, aut quasi generici immediate contenti sub ente morali ut sic, habet esse rationem omnino ultimam intra lineam termini, et effectus divini decreti efficaciter causativi, licet non intra lineam entis ut est ens. Et ita quia rationes aliæ ultimiores intra lineam entis, quæ dicunt, vel connotant malitiam, sunt extra latitudinem ejusdem ut est terminus, vel objectum divinæ causalitatis, propterea licet Deus sit agens perfectissimum, et perfectissimo modo operans, non debet rationes has attingere, sed potius ob hanc rationem perfectissimi agentis jam dicti, oppositum ei competet.

200.

Ex quo etiam intelligitur id, quod in hunc locum remisimus, nempe cur dum numero 174 diximus, individuum genericum, aut quasi genericum immediate con-

tentum sub ente, aut actu morali ut sic, et repertum alias in actu o lii Dei, si sumatur secundum illud munus inadæquatum ibidem insinuatum præscindere a malitia, tunc ibidem rationem hujus reddentes addidimus particulam illam *in esse rei*, et asseruimus, quod circa prædictum individuum, ut est sub illo conceptu, et ex vi prædicti muneris secundum se, et in *esse* rei sumpti, non agitur de conformitate, aut difformitate ad legem, nec consideratur ut capax, aut incapax in *esse* rei alicujus his rationibus determinate sumptæ.

Ex nuper igitur dictis intelligitur, cur hoc loquendi modo usi sumus. Nam ratio illa entis, aut actus moralis, ut est individuum genericum, aut quasi genericum, contentum immediate sub ente, aut actu morali, et modo ibidem dicto sumpta, aliter præscindit considerata in *esse* rei a conformitate, aut difformitate a lege, et aliter in *esse* termini divinæ causalitatis, et prædiffinitionis. Nam in *esse* rei concepta præscindit, ut supra dicebamus, ab istis : quia ut est sub illo conceptu et numero, non agitur de eis, nec consideratur ut capax, aut incapax illarum, ac proinde non negatur ei capacitas ad prædictam difformitatem, aut conformitatem, nec ei conceditur : et ita in *esse* rei potest, et debet in sequenti signo, et ex vi alterius muneris habere difformitatem ad legem. Cæterum ut est terminus divinæ causalitatis, et prædiffinitionis, præscindit hoc modo a conformitate, et difformitate, quatenus prædicta ratio individui generici attingitur a Deo quoad hoc munus sic præscindendi in *esse* rei in illo priori signo : et insuper habet quod in *esse* termini divinæ causalitatis negetur ei capacitas ad difformitatem respectu legis. Quia licet in *esse* rei ratio hæc individui generici non sit ratio ultima, sed ulterius contrahibilis, sive determinabilis, et ita in sequenti signo, et ratione alterius muneris contrahitur, sive determinatur in *esse* rei per capacitatem, et necessitatem ad difformitatem cum lege, nec non per ipsam difformitatem; attamen in *esse* termini divinæ prædiffinitionis, et causalitatis illa est ratio ultima non ulterius contrahibilis per rationes subsequentes capacitatis, et necessitatis ad difformitatem cum lege, vel per difformitatem ipsam : et ita in *esse* termini, ita præscindit ab iis, ut cuncta hæc illi denegentur, eique repugnent. Quamvis concedi, vel admitti possit, quod in illo eodem signo termini, et effectus divinæ prædiffinitionis formaliter sumpti, habeat si adæquate concipiatur, quod per illationem bonæ consequentiæ, et modo in sequenti numero explicando, deducatur defectus, et malitia, a sola voluntate creata in vi causalitatis infallibiliter ponenda.

201. Solvitur quoad secundam.

Ad secundam vero impugnationem distinguendum est antecedens : ita ut illa ratio individui generici immediate contenti sub actu morali habeat intrinsece, quatenus cadit sub divina prædiffinitione, exigere alias malitiam per exigentiam bonæ consequentiæ aliunde ex vi causalitatis, seu ex vi alterius causæ deductæ, transeat : per exigentiam causalitatis divini decreti, negetur. Idest, licet demus, quod sit de conceptu illius individui generici immediate contenti sub actu morali ut sic, quod quatenus cadit sub divino decreto, exigit ut debeat deduci per infallibilem consequentiam conjunctio alias illius cum malitia : non tamen debet, aut potest hæc infallibilis consequentia fundari in vi causalitatis ortæ ex divina prædiffinitione, sed in alia causa, et causalitate illius nempe in voluntate creata, et ejus influxu, qui alias et non ex vi divini decreti efficaciter causativi rei prædiffinitæ; sed ex vi defectibilitatis ejusdem voluntatis connotando tamen decretum permissivum Dei de malitia, infallibiliter ponetur.

Et deinde debet eodem proportionali modo distingui consequens primæ consequentiæ, et negari secunda consequentia. Vel poterit negari utraque consequentia. Prima quidem, quoniam Deum prædiffinire ut illud individuum genericum immediate contentum sub actu morali ut sic alias exigat malitiam, denotat quod prædiffinitio Dei sit causa, quod aliunde, idest, ex parte voluntatis creatæ conjungatur malitia, quod tamen non est admittendum. Secunda vero consequentia etiam est neganda. Quia ad hoc ut saltim remote esset volita a Deo malitia, desiderabatur, quod illa ratio individui generici quatenus cadit sub divina prædiffinitione exigeret per exigentiam causalitatis divini decreti, et non per solam exigentiam bonæ consequentiæ, aliunde ut ex causa malitiæ, et conjunctionis cum illa deductam, quod alias conjungatur cum eadem malitia. Per quæ etiam, et per illa quæ numero præcedenti diximus (debite tamen applicata) fiunt nota ea, quæ in hunc etiam locum num. 175 remisimus.

§ XIII.

§ XIII.

Satisfit tribus confirmationibus quarti argumenti.

202. Ad primam confirmationem quarti. Ad primam confirmationem quarti argumenti distinguendum est antecedens : *Si faciat quod per eamdem præfinitionem præfinitum est,* et sistendo in eo quod per eam præfinitum est, negari debet : non sistendo in eo quod per eam præfinitum est, ut re vera non sistit, concedendum est. Et ad probationem in contrarium debet distingui antecedens : *Data hac prædiffinitione idem erit voluntatem facere quod per eam præfinitum est, ac libere Deum odio habere,* ut odium pertinet ad lineam physicam, concedendum est antecedens de voluntate sistente in eo quod præfinitum est : ut odium pertinet ad lineam moralem et est formaliter malum, aut habet rationem fundamenti ut talis respectu malitiæ, negari debet de eadem voluntate ut tali, seu sistente in eo quod a Deo prædefinitum est. Et deinde neganda est consequentia. Quia voluntas creata non peccat dum libere Deum odit, quia elicit illud odium ut pertinet ad lineam physicam, et secundum eam rationem, qua præfinitum est per prædictum decretum ; sed quia elicit illud, ut spectat ad lineam moralem, et habet deformitatem ad legem, et recessum a Deo ut ultimo fine.

Elcuidatio. Explicatur hoc. Etenim Deus efficaciter præfinit per suum decretum odium sui, prout est intra lineam physicam præcise, et quoad rationes aliquo modo morales jam dictas : non vero ut exprimit deformitatem, aut fundamentum illius ut tale : et ideo si voluntas creata præcise vellet id ad quod Deus prædiffinit, non peccaret : quod si peccat ideo est, quia ultra se extendit, nempe quia elicit illud odium, ut est dissonum legi, et ut est aversio a Deo ut ultimo fine lineæ moralis. Nam hoc ipso quod tale odium sic sumptum, sit intra lineam sui objecti, saltim materialis extensivi, non vero intra lineam objecti materialis extensivi Dei, et prævideat illud secundum hanc rationem subsequi ad illam entitatem, prout ab eadem voluntate creata factam, vult indirecte ipsum ut malum, et quatenus est aversio a Deo ut ultimo fine, et hoc quidem sua culpa : siquidem decretum illud præfinitivum non tollit libertatem prædictæ voluntatis creatæ, ut in hac disputatione a numero 78 usque ad numerum 124 ostendimus : nec talis aversio, et malitia sequitur, aut est nexa cum eodem odio ex vi decreti ; quippe quæ sunt extra latitudinem objecti adæquati illius. Et ita quod voluntas creata, tunc eliciat odium Dei ut malum, provenit ab ipsa libere discedente per excessum a decreto præfinitivo, quo Deus idem odium intra lineam physicam sumptum, et ut præscindit a malitia etiam initiative præfinivit. Sed de hoc iterum in hoc eodem dub. sermo redibit.

203. Ad aliam formam in eadem confirmatione adductam. Ex quo ad aliam formam, qua hæc eadem prima confirmatio urgetur, dicendum est, quod licet voluntas creata debeat non sequi divinam prædiffinitionem ad materiale odii materialiter sumptum, et ut pertinet ad lineam physicam, ad hoc ut non peccet, quia in sensu composito quod sequatur illam, nequit non excedere ab ea, ut explicatum est; nihilominus hoc non provenit ex eo quod illa prædiffinitio sit ad malum, vel ad fundamentum illius ut tale, sed quia voluntas propter sui defectibilitatem nequit in sensu composito quod sectetur talem prædiffinitionem quoad id, ad quod inclinat, sequi illam (ut sic dicamus) ad unguem, quin simul sua culpa aliquid defectuosum apponat ut explicatum est : et ita talis culpa, aut fundamentum illius ut tale non debent refundi in Deum. Videantur tamen circa hæc omnia quæ in explicatione sensus compositi, et divisi dubio quinto hujus disputat. diximus.

Explicatur exemplo. Potestque hoc explicari exemplo alicujus invisentis fœminam ægrotantem. Nam si sæpius experimento cognovisset se ex tali visitatione, alias bona, in peccatum incidisse ; tunc licet non incitaretur ad eadem fœmina ad malum, sed potius ad bonum, deberet non invisere illam, non quidem ob defectum fœminæ, aut quia illa visitatio ut bona ex se inclinet ad malum ; sed quia ipse in sensu composito quod visitet illam, est in periculo morali excedendi, et moraliter loquendo excedet.

204. Ad secundam confirmationem. Ad secundam confirmationem ejusdem quarti argumenti, concedendum est antecedens quoad priorem partem, nempe quod si Deus consuleret efficaciter elici materiale odii Dei materialiter sumptum, vel præciperet, aut lege permissiva ipsum permitteret, peccaret : non tamem inde sequitur eum peccaturum, aut esse peccati causam, ex eo quod per modum causæ universalis, et primæ, ac proinde per suum decretum efficaciter præfinitivum causet materiale illius materialiter consideratum. Et ratio

disparitatis est. Quoniam agens morale, et ad lineam moralem spectans per modum consulentis, aut præcipientis, vel modo dicto permittentis aliquid efficaciter fieri, debet in suo consilio, præcepto, aut permissione attendere ad omnia, quæ infallibiliter sequuntur ad actionem illam efficacem, et eam inseparabiliter concomitantur, ex quibus vitiari possit, ut ex communi Theologorum sententia constat. Et propterea Deus nunquam consuluit, aut præcepit aliquid efficaciter fieri, quod attentis omnibus esset absolute, et simpliciter malum. Et ita si Deus ut agens ad lineam moralem spectans per modum consulentis consuleret efficaciter elici, aut diligi materiale odii adhuc materialiter sumptum, peccaret : quia illi actui, ut efficaciter elicito, conjuncta est inseparabiliter malitia. Cæterum ut prima causa physica, tantum debet attendere ad lineam physicam, et ad ea, quæ sunt hujus lineæ, nempe ad rationem entis physici per participationem. Et ita potest præfinire actum peccati quoad materiale physice sumptum, licet alias sit ei aliunde, nempe ex parte voluntatis creatæ annexa malitia. Unde etsi hæc prædiffinitio efficax Dei sit efficacior, quam purum consilium, aut præceptum; non tamen ejus efficacitas se extendit ad odium, ut malum moraliter, aut est fundamentum malitiæ, propter rationes datas : secus tamen consilium, ut explicatum est.

205. Ad id vero, quod in secunda parte antecedentis dicitur, satis constat ex dictis, quomodo etsi Deus concurrat ad materiale peccati materialiter sumptum, non ideo influit concursu simultaneo ad illud, ut materiale. Ad illud autem, quod ibidem asseritur, nempe quod hoc ipso, quod Deus præfiniat actum odii quoad materiale, est causa cogitationis suadentis tale odium, et per consequens influit consulendo, dicendum est, Deum causare illam cogitationem præcise quoad materiale materialiter sumptum, idest, non prout est causa illius pravæ voluntatis : et ita non causare illam consulendo, sed eo proportionali modo, quo causat idem odium : et ita licet causet consilium quo quis sibi malum consiliatur; non tamen causat illud consiliando, sed alio modo.

Elucidatio. Possuntque solutiones confirmationum hujus quarti argumenti elucidari exemplo concursus concomitantis ad materiale peccati jam dictum, quem tamen certum est Deum exhibere absque eo quod sit causa peccati, et tamen confirmationes istæ etiam militant contra hunc concursum, et non alio modo possunt solvi (saltim denegata scientia media, quam tamen denegandam esse constat ex dictis in tractatu de Scientia Dei) nisi eo, quem nos diximus, debita tamen proportione ad illas tunc applicato.

206. Ad tertiam confirmationem. Ad tertiam confirmationem patet ex dictis, hanc prædiffinitionem nec esse contra Dei bonitatem, nec contra viscera suæ misericordiæ, nec tandem contra justitiam. Non quidem contra Dei bonitatem : siquidem non est respectu peccati, ut talis, nec respectu materialis ejusdem peccati, ut fundat malitiam, aut secundum quod habet illam infallibiliter annexam; sed respectu materialis, quod alias illam fundat, cuique alias malitia annectitur. Sic autem prædiffinire materiale peccati non est contra summam Dei bonitatem; sed potius ad primam, et universalissimam voluntatem primi entis spectat, ut ex dictis dubiis præced. constat. Sicut nec influere per concursum concomitantem in prædictum materiale sic sumptum eamdem bonitatem dedecet.

Et similiter nec hic modus prædiffiniendi materiale peccati est contra viscera misericordiæ Dei, quibus expetit salutem omnium. Quia voluntas illa, qua Deus desiderat omnium salutem, tantum est voluntas antecedens, saltim involvens tantummodo voluntatem dandi auxilia sufficientia, et non denegandi ea, quæ sunt debita : at licet Deus præfiniat, modo dicto, materiale peccati, habet simul voluntatem dandi auxilia sufficientia, nec denegat aliquod debitum. Quia (ut ex dictis, et ex dicendis in hoc dubio patebit) præfinitio efficax ad vitandum peccatum, quæ tunc non datur, nec est de numero eorum, quæ requiruntur ad danda auxilia sufficientia, nec est debita hîc et nunc. Sicut licet Deus non influat actu, et in exercitio concomitanter ad actus bonos cadentes sub præcepto, non ideo non habet voluntatem antecedentem observationis illorum præceptorum, aut salutis omnium, quia præstat auxilia sufficientia ad illam observationem, et ille concursus non requiritur ad hoc, ut dentur prædicta auxilia sufficientia; nec est hic et nunc debitus.

Nec tandem prædicta prædiffinitio est contra justitiam : siquidem nec inclinat ad malum, ut tale, nec ex vi ejus sequitur infallibiliter malitia, licet alias aliunde subsequatur, nec tandem tollit libertatem, ut ex dictis

dictis in dubiis præcedentibus constat. Unde sicut optime componitur, quod Deus ex justitia remunerativa (modo tamen alibi tangendo) conferat æternam beatitudinem justis propter bona opera, quæ patraverunt media prædiffinitione efficaci ad illa, non obstante quod talia opera infallibiliter concomitata sunt talem prædiffinitionem, et non utcumque, sed ita ut ex ea infallibiliter sequantur in vi causalitatis; non vero præcise aliunde; et hoc non ob aliud nisi, quia cum hac prædiffinitione salvatur libertas, et *posse* ad illa opera non patranda; ita potiori ratione non erit contra justitiam punitivam punire reprobum propter peccata, quæ infallibiliter concomitata sunt prædiffinitionem ad materiale illorum peccatorum materialiter sumptum : siquidem peccata non subsequuntur ad prædiffinitionem ex vi illius, et in vi causalitatis, sed aliunde, et ex defectu voluntatis, et hæc manet libera : ac proinde cum adhuc posita prædiffinitione possit non peccare, ad idque teneatur, et nihilominus peccet, merito punitur.

Maxime quia (ut infra dicemus) cum Deus sit universalis provisor voluntatis creatæ ex se defectibilis, debet, nisi velit uti superabundanti sua misericordia (qua tamen non semper uti videtur valde conveniens ad plures, et valde honestos fines) concurrere cum eadem voluntate ad materiale peccati, et hoc ipso quod nequeat concurrere nisi præeundo sua voluntate efficaci ad concursum creaturæ, ex eo quod hoc ad rationem primæ, et universalissimæ voluntatis requiritur, ut ex dictis patet, debet quandoque præire prædiffiniendo materiale peccati materialiter sumptum. Et ideo sicut quia ad providentiam humani judicis multoties spectat permittere peccata; propterea licet moraliter loquendo sit certum ex ea permissione subsequenda esse; nihilominus non ideo injuste illa punit : ita in præsenti proportione servata philosophandum est.

§ XIV.

Fit obviam reliquis argumentis oppositæ sententiæ.

207. Ad quintum quoad probationem prioris partis sequelæ

Ad quintum neganda est sequela quoad utramque partem. Et ad probationem prioris dicendum est, quod etsi Deus prædiffiniat efficaciter materiale peccati materialiter sumptum; nihilominus homo non habet rationabilem excusationem sui peccati : quia quod peccatum illud infallibiliter fiat, non provenit ex divina prædiffinitione : siquidem est extra objectum illius adæquatum, ut ostensum est; sed aliunde, nimirum ex ipsa voluntate creata, quæ propter sui defectibilitatem non facit præcise id, ad quod per hanc prædiffinitionem inclinatur, sed ulterius se extendit volendo indirecte malitiam adjunctam materiali peccati materialiter sumpto, quod a Deo prædiffinitur.

Unde etsi posito decreto efficaci Dei, sit infallibile voluntatem peccaturam; nihilominus hæc infallibilitas non est infallibilitas (ut aiunt) consequentis, idest, causalitatis divini decreti in ipsum peccatum; sed est infallibilitas consequentiæ, hoc est, ideo futurum est infallibiliter peccatum, quia per legitimam consequentiam sequitur, hæc duo conjungenda esse, nimirum decretum efficax Dei de materiali peccati materialiter sumpto, et peccatum ejusdem voluntatis, licet bonitas infallibilis hujus consequentiæ aliunde proveniat, nimirum ex natura ipsius voluntatis creatæ, quæ (ut nuper dicebamus) propter sui defectibilitatem nunquam sequetur ductum divini decreti, quin ex se ipsa habeat, quod ultra se extendat ad volendum indirecte peccatum, licet possit ad illud volendum non se extendere.

208. Explicatur.

Potestque hoc explicari ex eo quod hæc rationabilis excusatio peccati posito decreto prædiffinitivo Dei ad materiale jam dictum, solum posset admitti, vel ex eo quod decretum istud tolleret libertatem voluntatis creatæ, vel quia decretum oppositum, et incomposibile cum isto, quo Deus efficaciter prædiffiniret victoriam illius tentationis, esset debitum voluntati creatæ in ea tentatione constitutæ, vel tandem quia decretum prædiffinitivum respectu materialis, quod est in peccato, haberet ex se vim causativam respectu ejusdem peccati : at non primum, ut constat ex iis, quæ a numero 78 usque ad num. 124 diximus : nec etiam secundum, siquidem voluntati defectibili, et multoties peccanti, qualis est voluntas creata, non est semper debitum decretum efficaciter prædiffinitivum victoriæ tentationum, nam hoc decretum trahit secum infallibiliter talem victoriam, et ideo si hoc semper ei esset debitum, nunquam peccaret, neque esset voluntas defectibilis : nec tandem tertium, propter illa, quæ nuper diximus : et ita non est unde hæc ra-

tionabilis excusatio peccati, posito prædicto decreto efficaci, desumatur.

209. Major elucidatio. Potest autem hoc ipsum adhuc magis elucidari, si admittatur doctrina quædam satis probabilis, nempe Deum efficaciter prædiffinientem materiale peccati materialiter sumptum habere prius prioritate *a quo*, licet non *in quo* (modo tamen alibi insinuato) decretum permittendi peccatum, seu denegandi gratiam efficacem, per quam vitandum erat : posito autem hoc decreto sequitur infallibiliter infallibilitate consequentiæ, non consequentis, quod voluntas creata peccet, ex eo quod nunquam hæc duo, ex defectu tamen voluntatis creatæ conjungentur, nempe, quod Deus nolit tribuere gratiam efficacem ad vitandum peccatum, et nihilominus vitetur : et ita ipsum peccatum ut infallibiliter futurum infallibilitate consequentiæ præcedit in aliquo genere causæ decretum, quo efficaciter prædiffinitur materiale illius jam dictum : siquidem aliquo modo disponit ex parte objecti ad idem decretum : et propterea licet Deus habeat decretum efficax præfinitivum respectu illius materialis, non excusabitur rationabiliter voluntas creata à peccato, quod committit : ex eo quod tale peccatum fuit aliquo modo causa, et occasio in genere causæ materialis respectu illius decreti quoad suam terminationem passivam considerati. Et licet respectu primæ permissionis, seu decreti permissivi ejusdem peccati, non concurreret eodem modo ad illud voluntas, nempe in genere causæ materialis, et dispositivæ respectu terminationis passivæ illius; nihilominus non idcirco voluntas haberet rationabilem excusationem sui peccati posito hoc decreto permissivo : siquidem (ut dicebamus) gratia efficax, quæ per hoc decretum denegatur, non est debita; et voluntas eo posito manet libera, et cum omnibus requisitis ex parte actus primi ad non peccandum.

Utrum autem, et quomodo prædictum peccatum possit in aliquo genere causæ materialis, licet non meritorie præcedere primam permissionem sui? necne? constat ex iis quæ in tractatu de Prædestinatione disp. 8 dubio secundo dicemus. Ratio autem, ob quam asserimus decretum permissivum esse (modo insinuato) priusquam decretum prædiffinitivum materialis peccati potest reddi ex eo quod Deus prædiffinit materiale istud, ut appareat quomodo sua gratia efficax non sit debita, et ad hunc finem proximius accedit denegatio ipsius per modum indebiti beneficii, in quo decretum permissivum consistit.

210. Additamentum. Accedit tandem quod hæc est natura decreti efficacis divini adhuc respectu materialis peccati (sicut, et cujuslibet alterius decreti efficacis præfinientis operationem voluntatis creatæ) quod ita sit connexum cum re prædiffinita, verbi gratia, cum illo materiali peccati prædiffinito, ut licet prædictum decretum de hoc materiali habeat præsupponi ad illud in genere causæ efficientis infallibiliter inferentis illud; attamen materiale hoc supponatur in genere causæ materialis ad illud decretum, ex eo quod quidquid ex parte objecti tollit aliquid incomposibile cum decreto materialis peccati, quodammodo ex parte objecti disponit ad ipsum decretum, ac proinde materiale peccati, quod ex parte objecti tollit oppositum decretum, nempe decretum efficax dandi victoriam contra illud (alioqui dato decreto isto præfinitivo efficaciter materialis peccati necnon peccato ipso, tunc simul daretur peccatum, et victoria ab illo) oportet ut quodammodo disponat ex parte objecti ad decretum prædiffinitivum respectu materialis, quod est in peccato.

211. Ad probationem secundæ partis ejusdem sequelæ. Per quæ omnia satis patet ad probationem secundæ partis sequelæ hujus quinti argumenti. Nam etsi Deus voluntatem tentatam a Dæmone, et pendulam inter bonum et malum, efficaciter præmoveat per hanc extrinsecam præmotionem; nihilominus non inclinat illam ad malum formaliter, neque ad fundamentum illius ut tale, sed ad id, quod alias est fundamentum, quodque quantum est ex vi decreti non est infallibiliter nexum cum malitia, sed aliunde nexus iste provenit, ut ostensum est : et propterea Deus non est auctor prædictæ malitiæ. Neque inconvenit Deum hoc modo inclinare voluntatem. Quia hoc oritur ex natura primi entis, et primi liberi, et ex natura voluntatis, quæ est secundum ens, et secundum liberum, quæ nihil vult nisi Deo præfiniente id, quod est bonum in sua volitione : et quia ad primum liberum, nec non et ad secundum, quod potest velle tam materiale peccati, quam oppositam bonitatem materialem actus boni, pertinet, ut nisi Deus velit uti superabundanti misericordia sua, aliquando prædiffiniat in ea quod eliciat hoc materiale, et aliquando oppositum actum.

212. Ad primam confirmationem. Ad primam confirmationem neganda est sequela. Et ad probationem dicendum est, ex ea ad summum colligi Deum præfinientem

tem materiale mendacii materialiter sumptum, discernere volentem illud materiale quoad materiale præcise, et materialiter acceptum, a non mentiente, sed verum dicente. Quia illa prædiffinitio solum habet causalitatem in illud materiale nuper dictum, non vero in formale mendacii, aut in ipsum materiale ut tale. Sicut ideo per suum decretum discernit hominem consentientem piæ vocationi à non consentiente, quia illud decretum habet causalitatem in illum pium consensum ut talem.

213. Ad secundam confirmationem. Ad secundam confirmationem respondetur negando absolute sequelam, intellectam saltim de volitione efficaci entitatis odii Dei ut libere eliciti a nostra voluntate quatenus præfinita, et extrinsece prædeterminata per divinum decretum efficax. Et ad probationem distinguenda est major : *Licitum est, et laudabile velle quod Deus vult nos velle*, quod Deus vult voluntate signi, consilii, aut præcepti, vel legis permissivæ, concedendum est : *Quod Deus vult nos velle*, voluntate præcise orta ex generali ratione primæ causæ, neganda est. Et eodem proportionali modo distinguenda est minor : et concedenda de voluntate orta ex generali ratione primæ causæ, non vero de voluntate signi, consilii, aut præcepti, aut legis permissivæ, et deinde neganda est consequentia.

214. Explicatio. D. Thom. Explicatur hoc. Etenim ut ex communi Theologorum doctrina cum D. Thom. prima secundæ quæst. 9 art. 4 et quæst. 92 articulo 2 constat, eatenus aliqua voluntas est licita vel illicita, quatenus est conformis alicui legi, sive consiliativæ, sive præceptivæ, sive permissivæ : unde istæ denominationes *liciti*, vel *illiciti* nequeunt convenire alicui actioni secundum eam rationem, secundum quam non respicit legem, et ita quia voluntas creata, ut præcise præfinita a Deo ad materiale peccati materialiter sumptum per voluntatem illam præfinitivam, ortam ex ratione generali primæ causæ, seu ut præcise elicit illud materiale ut spectans ad lineam physicam, non respicit in suo actu voluntatem divinam ut consiliantem, vel ut præcipientem, licet absolute loquendo respiciat illam ut prohibentem, ideo ut consideratur sub illa præcisione, non operatur licite vel illicite, sed præscindit ab utroque, et operatur bene intra lineam physicam, quamvis (si absolute loquamur) eliciendo efficaciter illam actionem peccet, ex eo quod prædicta actio absolute, et simpliciter loquendo est prohibita.

Diximus, negandam esse absolute sequelam, intellectam saltim de volitione efficaci entitatis odii Dei, ut libere eliciti a nostra voluntate, quatenus extrinsece prædiffinita, et prædeterminata per prædictum decretum efficax, ut innueremus non esse absolute loquendo illicitum velle actu inefficaci, et per quamdam velleitatem eamdem entitatem actus odii Dei quatenus elicitur a voluntate creata ut præcise sequitur ductum divinæ prædiffinitionis, seu quoad illam præcisam rationem, secundum quam prædiffinitur, dummodo apponatur aliquis finis honestus. Nam licet Deus prohibeat prædictam entitatem efficaciter diligi a creatura, quia eo ipso esset ab ea volita quoad malitiam, et aversionem ab ipso ut ab ultimo fine; non tamen prohibet, quod modo dicto sit volita per actum inefficacem, qui tantummodo de facto terminetur ad illam entitatem odii sub prædicta præcisione, ut si quis diceret : Vellem, si possibile esset, elicere entitatem actus obii Dei quoad id, quod est in ea perfectionis, et actualitatis præcise, ut in ea sic sumpta splenderet actualitas, et perfectio Dei quoad id, quod de illa in prædicto actu participatur.

Secundo respondetur, negando iterum absolute sequelam. Et ad probationem distinguatur major, intellecta (ut debet intelligi) de objectis absolute et simpliciter prohibitis : et si sensus illius sit, quod licitum est et laudabile velle in his objectis, per modum causæ efficientis præcise, quod Deus vult nos velle per modum prædictæ causæ, transeat : si vero sensus fuerit, licitum esse, et laudabile velle per modum causæ efficientis, et deficientis simul quod Deus præcise vult nos in his objectis velle per modum causæ efficientis, neganda est, et eodem proportionali modo distinguatur minor. Nam hoc ipso quod Deus efficaciter præfiniat actum peccati quoad suum materiale præcise, vult voluntatem sic præfinitam efficaciter velle per modum causæ efficientis præcise prædictum materiale. Nam secundum hanc præcisam rationem subordinatur Deo, non vero ut est causa deficiens. Et deinde negetur consequentia.

215. Alia solutio ejusdem confirmationis. Itaque Deus præfiniendo materiale peccati operatur per modum primæ causæ efficientis, non vero deficientis : et ita vult voluntatem creatam, verbi gratia, Petri operari illud materiale per modum causæ efficientis; non vero vult quatenus sic præ-

diffinit quod idem Petrus operetur prædictum materiale deficienter, licet permittat ut illud sic operetur. Quia vero voluntas creata ob sui defectibilitatem non sistit ibi, sed operatur illud deficiendo ab ordinatione ad Deum, ut ad ultimum finem, et per consequens deficienter; idcirco licet ut est sub illa præcisione operandi per modum causæ efficientis præcise, non peccet; attamen absolute loquendo peccat. Quoniam ita operatur absolute loquendo efficienter circa hoc objectum, ut misceat cum illo modo effectivo ratione cujus subordinatur Deo, modum operandi defectivum, qui a Deo prohibitus est, licet ille prior cum præcisione sumptus prohibitus non sit.

Replica. Nec refert si urgeas, quod si Deus vult nos velle materiale peccati per modum causæ efficientis, non est cur non possimus illud sic velle efficiendo absque admixtione deficientiæ : ergo licitum erit et laudabile absolute illud velle.

Respondetur enim negando antecedens in sensu composito quod velimus illud materiale per modum causæ efficientis, ut patet ex dictis, licet absolute possimus non velle illud materiale efficiendo, idest, per modum causæ efficientis, ac proinde possimus etiam non deficere.

§ XV.

Corollarium notatu dignum.

216. Ex dictis in toto hoc dubio sequitur corollarium quoddam notatu dignum contra Gonzalez Magistrum Gonzalez, quod consulto hucusque distulimus. Quia doctrina, quæ in eo continetur, et impugnatio sententiæ hujus authoris multo melius capietur supposítis iis, quæ in discursu hujus dubii asseruimus.

Ex dictis igitur in hoc dub. constat, non ita recte dixisse Gonzalez, Deum non posse efficaciter prædiffinire materiale peccati, quin sit causa illius, si se solo præmoveat postea in executione ad illud; secus vero si media aliqua causa creata ad ipsum præmoverit : vel si solum positive se habendo præfiniat efficaciter prædictum materiale; e contra vero si partim positive, partim permissive se habendo ipsum prædiffinierit. Putat enim, tum quod Deus efficaciter præfinit materiale peccati, tum etiam, quod antecedenter ad actum malum Deus præmovet ad illum in particulari non se solo, sed cooperando alicui causæ creatæ partim permissive, et partim positive. Permissive quidem, quatenus ut universalis provisor (ad quem teste D. Thom. prima parte quæstione vigesima secunda, articulo secundo pertinet permittere aliquos defectus) permittit in tempore, et ab æterno decrevit permittere quosdam defectus in cogitatione, et affectione præcedentibus actum liberum malum, nempe aliquem errorem, vel inconsiderationem mali in cogitatione, et saltim in appetitu sensitivo affectionem ad illud malum materialiter sumptum ex nostra defectibilitate, vel ex suggestione Diaboli provenientem. Positive vero præfinit et præmovet, quatenus ut universalis motor vult, et movet ad omnem entitatem, et actualitatem illius cogitationis, et affectionis non in particulari, sed secundum rationem transcendentalem actus, et entitatis. D.Thom.

Unde quia juxta ejus sententiam hæ cogitationes, et affectiones sunt physicæ prædeterminationes ad actum malum, et materiale illius, inde est, ut ipsæ cogitationes, et affectiones prout sunt a Deo præcise, moveant positive ad rationem actus, et entitatis secundum rationem transcendentalem entis, et actualitatis, quia præcise secundum istam rationem, sunt positive a Deo : at vero prout a causa creata, movent ad peculiarem entitatem, et actualitatem actus mali, quia movent ad illam quatenus habent suam peculiarem, et propriam rationem entis, et actus defectuosam. Et quia Deus solum permissive se habet ad hos actus sub hac consideratione, ideo ipse solum permissive causat eos secundum illam, et causa creata positive, et ita tribuuntur voluntati deficienti, eos sic causanti, et Diabolo instiganti, vel excæcanti. 217.

Ex dictis igitur constat Doctorem hunc, alias sapientissimum, non ita recte quoad hoc dixisse. Ejus tamen dicendi modum non ideo rejicimus, quia mens nostra sit nunc discutere aut decidere, an Deus efficaciter præmoveat in executione voluntatem creatam per intrinsecam, et infallibilem prædeterminationem, aut sine illa? vel an hæc præmotio, et prædeterminatio fiat a solo Deo, vel simul ab aliqua alia causa creata, nempe mediis prædictis cogitationibus, et affectionibus (ut ita ex omni capite decreto Sanctissimi Domini nostri, ut sæpe innuimus, pareamus) sed quia eædem difficultates militantes adversus doctrinam Thomisticam, et antiquam, admittentem decretum efficacitèr præfinitivum, et pure positivum 218. Refutatur Gonzalez

positivum respectu ejus, quod alias habet rationem materialis peccati, quibusque probari ab adversariis intenditur, sequi ex ea Deum esse causam peccati, urgent etiam contra istum modum, quo Gonzalez hanc efficacem Dei præfinitionem adstruit, et insuper quia si semel Deus efficaciter præfinit materiale peccati oportet ut præfiniat illud quoad rationem entitatis transcendentalem, et quoad peculiarem illam portionem entis, sive physicam, sive moralem jam dictam hic et nunc in eo inventam, nec non quoad rationem differentialem specificam, et individualem talis actus, ut ad lineam physicam spectat.

219. Hoc ultimum satis constat ex dictis pro nostra assertione, necnon ex iis, quæ in solutionibus argumentorum late asseruimus, illudque communiter Thomistæ docent : et ita singulariter Magister Gonzalez a via antiqua quoad hoc recessit. Primum vero illud etiam ex dictis liquet. Etenim potissima ratio propter quam ex antiqua prædiffinitione pure positiva respectu materialis peccati (sive ex illa sequatur præmotio physica in executione, sive non, de quo nihil modo) dicitur ab adversariis colligi Deum esse causam peccati, est : Quoniam voluntas creata non potest hic et nunc se conformare huic præfinitioni, et illi subdi, quin hic et nunc, et absolute loquendo peccet; et ita ipse Magister Gonzalez ab antiqua prædiffinitione propter hanc rationem recedit : sed etiam voluntas creata nequit hîc et nunc se conformare prædiffinitioni illi efficaci ab hoc authore statutæ quoad rationem entis, et actualitatis transcendentaliter imbibitam in ipso actu peccati, quin absolute, attentisque omnibus hîc et nunc peccet : ergo eadem difficultas quoad hoc in hac nova prædiffinitione, et in illa antiqua pure positiva quoad materiale peccati urget : vel si in hac nova prædiffinitione salvatur, Deum non esse causam peccati, ex eo quod talis prædiffinitio quoad modum causandi positive non extenditur, nisi ad id, quod est bonum, non vero ad actum illum ut habet annexam malitiam; eadem ratione in antiqua illa prædiffinitione hoc ipsum salvabitur : siquidem non ponitur circa materiale odii Dei, ut infert malitiam, sed circa illud secundum quod alias secundum suam rationem ultimam, et physicam, verbi gratia, est bonum naturale, et ad Deum ut ultimum finem ordinatur : ex eo quod prædictum odium secundum alias rationes inferentes malitiam ut tales, est extra latitudinem objecti adæquati divinæ potentiæ, et decreti efficaciter causativi, et prædiffinitivi : ergo non est cur a prædicta prædiffinitione antiqua, et communiter nunc a discipulis divi Thomæ admissa recedatur : maxime suppositis iis, quæ diximus, nempe actum odii Dei secundum suam rationem ultimam, physicam tamen, non posse non cadere sub objecto adæquato omnipotentiæ, ex eo quod secundum hanc rationem est quid intrinsece bonum bonitate præcise naturali, et physica : et per consequens non posse Deum permissive circa illud sic sumptum, et ejus causas, ac media, quibus causandus est, se habere.

220. Confirmatur. Confirmatur. Quoniam vel illa ratio transcendentalis entis prout Deus eam hîc et nunc prædiffinit efficaciter positive (prout ly *positive* distinguitur a decreto permissivo, etsi alias sit positivum) est absolute loquendo indispensabiliter nexa cum rationibus differentialibus odii intrinsece malis, vel non? sed præcise quatenus procedit a voluntate defectibili creata? Primum dici non potest. Quia istæ rationes sunt extra latitudinem objecti materialis per se, et adæquati divini decreti : et ita licet alias sint nexæ ex aliis capitibus cum illa ratione entis prædiffinita a Deo ; non tamen prout prædiffinita : siquidem ex vi prædiffinitionis non possunt subsequi ea, quæ sunt extra latitudinem objecti adæquati ejusdem prædiffinitionis : ergo necessario debet dici secundum : ergo quantumvis Deus præfiniat materiale illius peccati purè positive, non erit causa malitiæ : siquidem illa malitia non sequitur ad illum actum nisi quatenus procedit a voluntate creata defectibili ab ordine in ipsum Deum, et Deus non prædiffinit ipsum positiva prædiffinitione, idest, efficaciter, et positive causativa illius, nisi secundum illud *esse* secundum quod procedit ab ipso, et a voluntate creata non ut deficienti, sed ut præcise efficienti. Quoniam secundum hanc puram rationem subordinatur Deo ut primo efficienti , non vero ut est causa deficiens et defectibilis, secundum quam considerationem est prima causa in ordine defectivo : et ita ille actus præfinitus pure positive quoad suum materiale, erit absolute malus non ratione prædiffinitionis, sed quia absolute loquendo semper procedit alias ab eadem voluntate creata ut defectibili.

221. Confirmatur amplius. Confirmatur, et explicatur, simulque excluditur disparitas quædam, quæ hîc po-

terat adduci, nempe, quod prædiffinitio partim positiva, partim permissiva adhuc respectu materialis peccati, quam ipse ponit, et quæ est mandanda executioni media illa cogitatione et affectione, habet aliam causam creatam in quam malitia refundi possit, absque eo quod refundatur in Deum, nempe ipsam cogitationem, et affectionem præcedentes actum liberum, et consideratas secundum eam rationem secundum quam non sunt a Deo : secus vero prædiffinitio pure positiva, et quæ mandanda est executioni per prædeterminationem physicam, quæ solum fit à Deo secundum omne quod in ea est.

Effugium præcluditur primo.

Confirmatur igitur, et explicatur, simulque prædicta disparitas rejicitur. Tum quia Gonzalez non ideo inquit ex prædiffinitione illa pure positiva præcise quoad materiale peccati, seu ex prædiffinitione illa absolute et efficaciter, ac positive causante materiale peccati, sequi, Deum fore causam ejusdem peccati quoad malitiam, quia nulla omnino causa creata interveniat quoad executionem ejusdem prædiffinitionis, in quam illa malitia refundenda sit ; sed quia illa malitia hîc et nunc est indispensabiliter nexa cum materiali ejusdem peccati hîc et nunc, et secundum individuales circumstantias sumpto. Quam tamen rationem æque procedere in prædiffinitione illa, quam ipse constituit, jam ostendimus, necnon et quod si juxta suam prædiffinitionem Deus liberatur a causalitate peccati, etiam juxta antiquam, et adhuc nunc communiter usitatam Thomistarum prædiffinitionem, ab eadem causalitate in peccatum ut tale, immunis erit.

222. Secundo

Tum etiam : quoniam etsi Deus pure positive prædiffiniat materiale peccati materialiter sumptum, seu omne id, quod alias est materiale in ipso, ac proinde et ipsum odium Dei, ut verbi gratia, præcise ad lineam physicam spectat ; nihilominus semper quoad executionem intervenit aliqua causa creata, sive in actu primo, sive in actu secundo, in quam illa malitia refundi debeat, in quamque ipse Gonzalez eam refundit, nempe voluntatem creatam ut defectibilem in actu primo a directione rationis, et ab ordine in Deum, ut in ultimum finem, et eamdem voluntatem, ut in actu secundo ab omnibus istis deficientem. Maxime quia voluntas creata secundum hanc rationem, ut formalissime sumptam, non minus habet non esse à Deo quam illæ cogitationes, et affectiones ut inclinant ad malum. Et ita ob defectum causæ creatæ, in quam malitia illius actus refundatur, non est cur ad cogitationes, et affectiones illas, partim permissive, partim positive a Deo provenientes, necnon et ad prædiffinitionem illam partim positivam, partim vero permissivam recurratur.

Ultimo.

Tum denique : quia illi actus subiti, et indeliberati voluntatis, non sunt formaliter mali, nec pertinent formaliter ad lineam moralem : et ita non est cur secundum omnem entitatem physicam, quam afferunt, non procedant a Deo quoad id, quod alias influit in peccatum : ac proinde non est cur Deus ex hac parte sit magis immunis a causalitate in peccatum, quam si pure positive prædiffiniat materiale peccati materialiter sumptum, aut se solo præmoveret efficaciter ad idem materiale. Quomodo autem, et qua ratione voluntas ut deficiens, non sit formaliter loquendo a Deo, sed hæc ratio quasi ex conditione materiæ in illa, ex eo quod est facta ex nihilo, oriatur, in tract. de Peccatis tom. 5 dicetur.

§ XVI.

Occurritur quarto argumento ex dub. 3 hujus disp. relicto.

223.

Ad quartum ergo argumentum dubii tertii hujus disputationis numero 55 adductum (quo probari intendebatur, Deum esse causam peccati, si semel præfinit materiale ejus, ex eo quod materiale, et formale illius non distinguuntur realiter, et propterea agens quod a parte rei causat unum debet causare aliud) respondetur ex dictis, satis esse, quod peccatum et suum materiale distinguantur virtualiter, aut quod illa formalitas sit forma eminens quoad hoc quod est exercere plura munia, nempe et munus formalis, et munus materialis jam dicti respectu peccati, et quod materiale materialiter sumptum, sit intra lineam objecti adæquati divini decreti, non vero formale illius, aut materiale ut materiale. Sed de his videatur insignis locus D. Thom. quem n. 152 adduximus. Utrum autem materiale peccati materialiter sumptum distinguatur ex natura rei, et secluso intellectu a formali illius vel semper, vel aliquando, ex alibi latius dicendis colligetur.

ARTICULUS X.

Utrum Deus habeat liberum arbitrium?

Ad decimum sic proceditur. Videtur quod Deus non habeat liberum arbitrium. Dicit enim Hieronym in homilia * de filio prodigo : Solus Deus est, in quem peccatum non cadit, nec cadere potest : cætera cum sint liberi arbitrii, in utramque partem flecti possunt.

2 Præterea, liberum arbitrium est facultas rationis et voluntatis, qua bonum et malum eligitur : sed Deus non vult malum, ut dictum est † : ergo liberum arbitrium non est in Deo.

Sed contra est, quod dicit Ambros. in lib. de fide * Spiritus Sanctus dividit singulis prout vult, idest, libero voluntatis arbitrio, non necessitatis obsequio.

Respondeo dicendum, quod liberum arbitrium habemus respectu eorum, quæ non necessario volumus, vel naturali instinctu. Non enim ad liberum arbitrium pertinet, quod volumus esse felices, sed ad naturalem instinctum. Unde et alia animalia, quæ naturali instinctu moventur ad aliquid, non dicuntur libero arbitrio moveri. Cum igitur Deus ex necessitate suam bonitatem velit, alia vero non ex necessitate (ut supra ostensum est †) respectu illorum, quæ non ex necessitate vult, liberum arbitrium habet.

Ad primum ergo dicendum, quod Hieronym. videtur excludere à Deo liberum arbitrium non simpliciter, sed solum quantum ad hoc quod est deflecti in peccatum.

Ad secundum dicendum, quod cum malum culpæ dicatur per aversionem a bonitate divina, per quam Deus omnia vult (ut supra ostensum est †) manifestum est, quod impossibile est, eum malum culpæ velle; et tamen ad opposita se habet, in quantum velle potest hoc esse, vel non esse : sicut et nos non peccando possumus velle sedere, et non velle sedere.

Conclusio est affirmativa.

De qua plura diximus art. 2 et 3.

ARTICULUS XI.

Utrum sit distinguenda in Deo voluntas signi?

Ad undecimum sic proceditur. Videtur, quod non sit distinguenda in Deo voluntas signi. Sicut enim voluntas Dei est causa rerum, ita et scientia : sed non assignantur aliqua signa ex parte divinæ scientiæ : ergo neque debent assignari aliqua signa ex parte divinæ voluntatis.

2 Præterea, omne signum, quod non concordat ei, cujus est signum, est falsum : si igitur signa, quæ assignantur circa voluntatem divinam non concordant divinæ voluntati, sunt falsa : si autem concordant, superflue assignantur : non igitur sunt aliqua signa circa voluntatem divinam assignanda.

Sed contra est, quod voluntas Dei est una, cum ipsa sit Dei essentia : quandoque autem pluraliter significatur, ut cum dicitur : Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus : ergo oportet, quod aliquando signum voluntatis pro voluntate accipiatur.

Respondeo dicendum, quod in Deo quædam dicuntur proprie et quædam secundum metaphoram, ut ex supra dictis patet *. Cum autem aliquæ passiones humanæ in divinam prædicationem metaphorice assumuntur, hoc fit secundum similitudinem effectus. Unde illud quod est signum talis passionis in nobis, in Deo nomine illius passionis metaphorice significatur, sicut apud nos irati punire consueverunt. Unde ipsa punitio est signum iræ : et propter hoc ipsa punitio nomine iræ significatur, cum Deo attribuitur. Similiter id, quod solet esse in nobis signum voluntatis, quandoque metaphorice in Deo voluntas dicitur. Sicut cum aliquis præcipit aliquid signum est, quod velit illud fieri. Unde præceptum divinum quandoque metaphorice voluntas Dei dicitur, secundum illud Matth. 6 : Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra. Sed hoc distat inter voluntatem et iram : quia ira de Deo nunquam proprie dicitur, cum in suo principali intellectu includat passionem : voluntas autem proprie de Deo dicitur : et ideo in Deo distinguitur voluntas proprie, et metaphorice dicta. Voluntas enim proprie dicta vocatur voluntas beneplaciti ; voluntas autem metaphorice dicta est voluntas signi : eo quod ipsum signum voluntatis voluntas dicitur.

Ad primum ergo dicendum, quod scientia non est causa eorum, quæ fiunt, nisi per voluntatem. Non enim quæ scimus, facimus, nisi velimus : et ideo signum non attribuitur scientiæ, sicut attribuitur voluntati.

Ad secundum dicendum, quod signa voluntatis dicuntur voluntates divinæ, non quia sint signa, quod Deus velit, sed quia ea, quæ in nobis solent esse signa volendi, in Deo divinæ voluntates dicuntur. Sicut punitio non est signum, quod in Deo sit ira, sed punitio ex eo ipso, quod in nobis est signum iræ, in Deo dicitur ira.

Conclusio est affirmativa.

ARTICULUS XII.

Utrum convenienter circa divinam voluntatem ponantur quinque signa?

Ad duodecimum sic proceditur. Videtur, quod inconvenienter circa divinam voluntatem ponantur quinque signa, scilicet, prohibitio, præceptum, consilium, operatio, et permissio. Nam eadem, quæ nobis præcipit Deus, vel consulit, in nobis quandoque operatur : et eadem, quæ prohibet, quandoque permittit : ergo non debent ex opposito dividi. 1 dist. 45, art. 4, et verit. q. 23, art. 3.

2 Præterea, nihil Deus operatur nisi volens, ut dicitur Sapient. 11, sed voluntas signi distinguitur a voluntate beneplaciti : ergo operatio sub voluntate signi comprehendi non debet.

3 Præterea, operatio et permissio communiter ad omnes creaturas pertinent : quia in omnibus Deus operatur, et in omnibus aliquid fieri permittit : sed præceptum, consilium, et prohibitio pertinent ad solam rationalem creaturam : ergo non veniunt convenienter in unam divisionem, cum non sint unius ordinis.

4 Præterea, malum pluribus modis contingit, quam bonum : quia bonum contingit uno modo, sed malum omni fariam, ut patet per Philosoph. in 2 Ethic. † et per Dionys. * in 4 c. de divin. nomin.; inconvenienter igitur respectu mali assignatur unum signum tantum, scilicet prohibitio, respectu vero boni duo signa, scilicet consilium et præceptum. † 2 Ethic. a med. tom. 5. * Dionys. c. 4, p. 4, aliquantulum a medio.

Respondeo dicendum, quod hujusmodi signa voluntatis dicuntur ea, quibus consuevimus demonstrare nos aliquid velle. Potest autem aliquis declarare se velle aliquid, vel per se ipsum, vel per alium. Per se ipsum quidem, in quantum facit aliquid vel directe, vel indirecte, et per accidens. Directe quidem, cum per se aliquid operatur : et quantum ad hoc dicitur esse signum operatio. Indirecte autem in quantum non impedit operationem. Nam removens prohibens dicitur movens per accidens, ut dicitur in 8 Phys. † et quantum ad hoc dicitur signum permissio. Per alium autem declarat, se aliquid velle, in quantum ordinat alium ad aliquid faciendum, vel necessaria inductione, quod fit præcipiendo, quod quis vult : et prohibendo contrarium, vel aliqua persuasoria inductione, quod pertinet ad consilium. Quia igitur his modis declaratur, aliquem velle aliquid, propter hoc ista quinque nominantur interdum nomine voluntatis divinæ, tanquam signa voluntatis. Quod enim præceptum, consilium, et prohibitio dicantur Dei voluntas, patet per id, quod dicitur Matth. 6 : Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra. Quod autem permissio, vel operatio dicantur Dei voluntas, patet per August. qui dicit in Enchir. † Nihil fit, nisi omnipotens fieri velit : vel sinendo ut fiat, vel faciendo. Vel potest dici, quod permissio, et operatio referuntur ad præsens. Permissio quidem ad malum, operatio vero ad bonum. Ad futurum vero prohibitio respectu mali, respectu vero boni necessarii præceptum, respectu vero superabundantis boni consilium. † Lib. 8 Phys. text. 32 tom. 2. † Enchiri. c. 95, in fine tom. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod nihil prohibet, circa eamdem rem aliquem diversimode declarare, se aliquid velle : sicut inveniuntur multa nomina idem significantia. Unde nihil prohibet, idem subjacere præcepto et consilio, et operationi, et prohibitioni, vel permissioni.

Ad secundum dicendum, quod sicut Deus potest significari metaphorice velle id, quod non vult voluntate proprie accepta, ita potest metaphorice significari velle id, quod proprie vult. Unde nihil prohibet de eodem esse voluntatem beneplaciti, et voluntatem signi. Sed operatio semper est eadem cum voluntate beneplaciti, non autem præceptum, vel consilium. Tum quia hæc est de præsenti, illud de

futuro. Tum quia hæc per se est effectus voluntatis, illud autem per alium, ut dictum est.

Ad tertium dicendum, quod creatura rationalis est domina sui actus : et ideo circa ipsam specialia quædam signa divinæ voluntatis assignantur, in quantum rationalem creaturam Deus ordinat ad agendum voluntarie et per se. Sed aliæ creaturæ non agunt nisi motæ ex operatione divina : et ideo circa alias non habent locum nisi operatio et permissio.

Ad quartum dicendum, quod omne malum culpæ, licet multipliciter contingat, tamen in hoc convenit, quod discordat a voluntate divina : et ideo unum signum respectu malorum assignatur, scilicet prohibitio, sed diversimode bona se habent ad bonitatem divinam : quia quædam sunt, sine quibus fruitionem divinæ bonitatis consequi non possumus, et respectu horum est præceptum : quædam vero sunt, quibus perfectius consequimur, et respectu horum est consilium. Vel dicendum, quod consilium est non solum de melioribus bonis assequendis, sed etiam de minoribus malis vitandis.

Conclusio est affirmativa.

Videatur tamen D. Thom. qui satis perspicue illam explicat.

TRACTATUS QUINTUS.

DE

PRÆDESTINATIONE & REPROBATIONE

IN QUÆSTIONEM XXIII PRIMÆ PARTIS

D. THOMÆ

1. Prædestinationis prouditas ex Scriptura tenditur. Thom. num. 11.

Tractatus iste, ineffabile, excelsum, et valde profundum divinæ prædestinationis, ac reprobationis sacramentum continet. Quanta autem sit ejus celsitudo, et ineffabilitas, altaque (ut loquitur D. Thom.) profunditas, non obscure indicavit Paulus Roman. 11, ubi postquam de electione Gentium, et obcæcatione Judæorum egit, exclamavit dicens : *O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei : quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Nam hæc altitudo divitiarum divinæ sapientiæ, et scientiæ, atque hæc judicia, et viæ investigabiles, et incomprehensibiles illius potissime in mysterio, ac sacramento isto divinæ prædestinationis, et reprobationis splendent : quatenus, ut idem Paulus Roman. 9 loquens de prædestinatis et reprobis sub duorum fratrum, Jacob scilicet et Esau typo præmiserat : *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali (ut secundum electionem, propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei : quia major serviet minori. Sicut scriptum est : Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Hinc ergo incomprehensibilia Dei judicia, hinc inscrutabiles viæ Dei. Quia, ut ipsemet Paulus ibidem loquitur : *Cujus vult miseretur, et quem vult indurat,* et ut *luti figulus potestatem habet ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem,* prædestinando ipsum in æternam salutem, *aliud vero in contumeliam,* reprobando illud : et ita de facto quædam vasa in honorem, alia vero in contumeliam, ob occultissima sui judicia ex eodem luto finxit.

Ad Rom. 9.

2. Id ipsum testimon. Aug. corroboratur.

Hanc autem divinorum, ac ita disparium decretorum inaccessibilem rationem expendens Augustin. cap. 28 soliloquiorum tomo 9 in Append. expavescit, ad illamque se non posse accedere pleno ore, et cum Deo loquens, his verbis fatetur : *Mundas autem de nobis filiis hominum eos, in quibus tibi complacuit habitare : quos ab inaccessibilibus, profundis, secretis judiciorum incomprehensibilium sapientiæ tuæ, semper justorum licet occultorum, sine eorum meritis prædestinati ante mundum, vocasti de mundo, justificasti in mundo, et magnificas eos post mundum : non omnibus autem hoc facis : quod admirantur tabescentes omnes sapientes terræ : et ego, Domine, hoc considerans expavesco, et obstupesco de altitudine divitiarum sapientiæ, et scientiæ tuæ, ad quam ego non pertingo, et incomprehensibilia judicia justitiæ tuæ : quoniam ex eodem luto alia quidem facis vasa in honorem, alia vero in contumeliam sempiternam.*

3.

Quapropter in dubium verti nequit, quin in summam amentiam incideret is, qui propriis viribus hæc, et alia divinæ mentis arcana rimari se valere præsumeret. Nam ut Paulus 1 ad Corinth. 2 inquit : *Quæ Dei sunt, nemo cognovit nisi spiritus Dei,* et Sapiens, loquens cap. 9 cum Deo, sic ait : *Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis?*

1 Cor. 2. Sapient. 9.

Hunc igitur divinum Spiritum si ducem habuerimus, si fide et Theologia simus

Fundamenta quibus tract. hic innititur.

muniti, poterimus, cum timore tamen et tremore, arcana divinæ mentis rimari. Cæterum quia divinus Spiritus mediis sacris Scripturis, et Conciliis, et christiana Theologia nobis alloquitur, et veram Scripturarum, ac Conciliorum intelligentiam, veramque Theologiam sanctis Patribus communicavit, propterea nos vanis hominum cogitationibus abjectis; proprio sensui, et viribus minime innixi, sed solum divinæ Scripturæ testimoniis, sacrorum Conciliorum diffinitionibus, et sanctorum Patrum vestigiis; præcipue vero Augustin. et Angelici Doctoris, quorum in his tractatibus immensum est authoritatis pondus, inhærendo, tractatum istum, adeo investigabile sacramentum continentem, delineare utcumque conabimur.

QUÆSTIO XXIII

De prædestinatione.

PROOEMIUM

D. Thomæ.

Post considerationem divinæ providentiæ agendum est de prædestinatione et de lib. vitæ. Et circa prædestinationem quæruntur octo.

Annotatio.

Quia prædestinatio est pars divinæ providentiæ, ut in art. 1 hujus quæst. S. Thomas docet, propterea postquam in quæst. præcedenti egit de providentia, statim in hac, de prædestinatione sermonem instituit : ut ita juxta Peripateticam disciplinam, a communioribus, ad minus communia descendat. Hanc autem quæstionem in tres dividit partes. In prima explicat quæstionem, *An sit in Deo prædestinatio?* et eam in 1 art. absolvit. In secunda vero discutit quæstionem, *Quid sit, et propter quid sit?* et hoc tam in 1 art. quam in quatuor articulis sequentibus præstat. In tertia vero, scilicet in tribus ultimis articulis, explicat, *Qualis sit prædestinatio?* et quia reprobatio est veluti opposita prædestinationi, propterea in hac eadem quæst. de ea sermonem instituit.

ARTICULUS I.

Utrum homines prædestinentur a Deo?

1 dist. 40, q. 2, a. unic. et 3 cont. cap. ult. ✝ Cap. 20. in princip.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod homines non prædestinentur a Deo Dicit enim Damas. in 2 lib. ✝ Oportet cognoscere quod omnia quidem præcognoscit Deus : non autem omnia prædeterminat. Præcognoscit enim ea, quæ in nobis sunt : non autem prædeterminat ea : sed merita, et demerita humana sunt in nobis, in quantum sumus nostrorum actuum domini per liberum arbitrium. Ea ergo quæ pertinent ad meritum, vel demeritum non prædestinantur a Deo. Et sic hominum prædestinatio tollitur.

2 Præterea, omnes creaturæ ordinantur ad suos fines per divinam providentiam, ut supra ✝ dictum est : sed aliæ creaturæ non dicuntur prædestinari a Deo : ergo nec homines.

3 Præterea, angeli sunt capaces beatitudinis, sicut et homines : sed Angelis non competit prædestinari, ut videtur, cum in eis nunquam fuerit miseria : prædestinatio autem est propositum miserendi, ut dicit August. ✝ : ergo homines non prædestinantur.

4 Præterea, beneficia hominibus a Deo collata, per Spiritum Sanctum viris sanctis revelantur, secundum illud Apost. 1 Corint. 2 : Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus : sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis. Si ergo homines prædestinarentur a Deo, cum prædestinatio sit Dei beneficium, esset prædestinatis nota sua prædestinatio : quod patet esse falsum.

Sed contra est, quod dicitur Rom. 8 : Quos prædestinavit, hos et vocavit.

Respondeo dicendum, quod Deo conveniens est homines prædestinare. Omnia enim divinæ providentiæ subjacent, ut supra ✝ ostensum est. Ad providentiam autem pertinet res in finem ordinare, ut dictum est *. Finis autem ad quem res creatæ ordinantur a Deo est duplex. Unus, qui excedit proportionem naturæ creatæ, et facultatem, et hic finis est vita æterna, quæ in divina visione consistit, quæ est supra naturam cujuslibet creaturæ, ut supra ✝ habitum est. Alius autem finis est naturæ creatæ proportionatus, quem scilicet res creata potest attingere secundum virtutem suæ naturæ. Ad illud autem, ad quod non potest aliquid virtute suæ naturæ pervenire, oportet quod ab alio transmittatur, sicut sagitta a sagittante mittitur ad signum. Unde proprie loquendo, rationalis creatura, quæ est capax vitæ æternæ perducitur in ipsam quasi a Deo transmissa : cujus quidem transmissionis ratio in Deo præexistit, sicut et in eo est ratio ordinis omnium in finem, quam diximus esse providentiam. Ratio autem alicujus fiendi in mente actoris existens, est quædam præexistentia rei fiendæ in eo. Unde ratio prædictæ transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ prædestinatio nominatur : nam destinare est mittere. Et sic patet, quod prædestinatio quantum ad objecta, est quædam pars providentiæ.

Ad primum ergo dicendum, quod Damasc. nominat prædeterminationem impositionem necessitatis : sicut est in rebus naturalibus, quæ sunt prædeterminatæ ad unum. Quod patet ex eo quod subdit, non enim vult malitiam, neque compellit virtutem : unde prædestinatio non excluditur.

Ad secundum dicendum, quod creaturæ irrationales non sunt capaces illius finis, qui facultatem humanæ naturæ excedit. Unde non proprie dicuntur prædestinari, etsi aliquando abusive prædestinatio nominetur respectu cujuscumque alterius finis.

Ad tertium dicendum, quod prædestinari convenit Angelis, sicut et hominibus : licet numquam fuerint miseri. Nam motus non accipit speciem a termino a quo, sed a termino ad quem. Nihil enim refert quantum ad rationem dealbationis, utrum ille, qui dealbatur fuerit niger, aut pallidus, vel rubeus. Et similiter nihil refert ad rationem

prædestinationis,

✝ Q præce a. 1 et

✝ Unt simil habet de præde Sanc cap. 10 t.

✝ (præc art. 1 2. * Q præc art. ✝ Q 12, a.

prædestinationis, utrum aliquis prædestinetur in vitam æternam a statu miseriæ, vel non. Quamvis dici possit quod omnis collatio boni supra debitum ejus, cui confertur, ad misericordiam pertineat, ut supra dictum est *.

Q. 21, t. 3 et 4.

Ad quartum dicendum, quod etiam si aliquibus ex speciali privilegio sua prædestinatio reveletur, non tamen convenit, ut reveletur omnibus : quia sic illi, qui non sunt prædestinati, desperarent, et securitas in prædestinatis negligentiam pareret.

Prima conclusio : Homines prædestinantur a Deo.

Secunda conclusio : Prædestinatio est ratio transmissionis creaturæ intellectualis in finem vitæ æternæ.

Tertia conclusio : Prædestinatio quantum ad objecta est quædam pars providentiæ.

DISPUTATIO I.

De prædestinatione quoad nomen, convenientiam, et an est? *ipsius.*

1. Quia quæstio *an est?* cæteras alias quæstiones ordine doctrinæ præcedit, propterea primo loco disputationem de *an est?* prædestinationis præmittimus. Sed quoniam tam ad notitiam existentiæ prædestinationis, quam ad cætera alia, quæ in toto hoc tractatu dicenda sunt, non parum interest explicare *quid nominis* prædestinationis, propterea in 1 dub. hujus disp. de hoc agemus.

DUBIUM I.

In quo sensu sumatur in præsenti nomen Prædestinationis?

2. tabile imum. Pro tituli intelligentia notandum est primo, quod hoc verbum *prædestino*, a quo nomen *prædestinationis* derivatur, compositum est ex particula *præ*, et ex verbo *destino*. Verbum autem hoc plura significat, tum in sacra Scriptura, tum etiam apud priscos latinos. Primo enim, et satis frequenter accipitur prout significat idem ac verbum *statuo*, seu *diffinio*, ut 2 Machab. 6 : *Destinavit non admittere illicita propter vitæ amorem*, et 2 ad Corinth. 9 : *Unusquisque prout destinavit in corde suo.* Item Cæsar lib. 1 de bello civili : *Infectis iis, quæ agere destinaverat.* Secundo sumitur pro eo quod est *designare*, aut *deputare*, ut 1 Machab. 14 : *Successorem sibi destinasse*, idest, *designasse*, ut vertunt 70 et 1 Corinth. 4 : *Nos Apostolos novissimos ostendit tanquam morti destinatos*, et Cicero in 1 Tusculana : *Alteri præsto fuit ad horam morti destinatam.* Tertio sumitur pro eo quod est *mittere*, seu *dirigere*, ut 1 Machab. 1 : *Destinavit aliquos de populo, et abierunt ad Regem.* Et Suetonius in Galba cap. 16 : *Prætorianos cum mandatis ad Imperatorem destinavit.* Quarto, pro hoc quod est *parare*, ut Ecclesiastici 17 : *Destinavit illis sortem*, idest, *paravit.* Et Paulus ad Philip. 3 præmium paratum vocat *bravium destinatum.*

ariæ minis eptio- es. lach. 6. or. 9. esar. Mac. 4. orint. 4. ero. lach. 1. ton

Eccles. 17. Philip. 3.

3. Secundum notabile. Secundo notandum est, illam particulam *præ*, ex qua componitur verbum *prædestinare*, quæque prioritatem aliquam significat, tria posse denotare, nempe vel prioritatem durationis, vel prioritatem dignitatis, vel prioritatem causalitatis. Quare sensus tituli est, in quanam ex his significationibus sumantur nomen *destinatio*, et illa particula *præ*, quæ a verbo *prædestino* derivantur, ac proinde quid significet, quoad præsens, *prædestinatio*, quæ ex utroque coalescit, et componitur.

§ I.

Juxta Angelici Doctoris mentem, dubium decidilur.

4. Prima conclusio. Dicendum est primo, *Prædestinationem*, secundum quod importat *destinationem*, sumi in tertia acceptione, prout significat *transmissionem*, seu *directionem*; ac proinde quoad præsens attinet, prout denotat transmissionem, seu directionem in vitam æternam. Assertio hæc est D. Thom. in hoc art. et in quæst. 6 de Veritate artic. 1, ubi ait : *Destinatio, unde nomen prædestinationis assumitur, importat directionem alicujus in finem. Unde aliquis dicitur nuntium destinare, qui eum dirigit ad aliquid faciendum.* Et ita in eodem articulo concludit, prædestinationem, quoad præsens attinet, denotare directionem, seu ordinem in vitam æternam. Et in 1 distinct. 40 quæst. 2 art. 1, ubi loquens de significato, in quo in præsenti sumitur *prædestinatio*, sic inquit : *Nomine prædestinationis conjungitur actus destinationis cum hac præpositione* præ, *per compositionem advenientem. Destinare autem significat directionem alicujus in aliquid, sicut nuntii. Illud autem proprie dicitur dirigi in aliquid quod non habet in se, unde in illud vadat : et ideo proprie in illa dicitur prædestinatio, quæ homo ex naturalibus suis consequi non potest, scilicet gratiam et gloriam.* Unde sanctum Doctorem sequuntur Durandus in 1 dist 40 q. 1, Driedo cap. 1 de concordia, et communiter Thomistæ.

D. Thom. Durand. Driedo.

5. D. Thom. Rationem autem assertionis hujus innuit D. Thom. locis citatis, quæ potest ad hanc formam reduci. Quoniam omnes significa-

Ratio assertionis.

tiones recensitæ includuntur in hac tertia, et omnia significata illarum quodammodo includuntur in significato prædestinationis : ergo commodius nomen prædestinationis sumitur in præsenti in tertia significatione jam dicta, ac proinde in ea debet accipi. Prima consequentia ex antecedenti patet. Secunda vero ex prima. Antecedens autem

Probatio antecedentis quoad primam partem.

quoad primam partem constat. Quoniam hoc ipso quod significetur directio seu transmissio alicujus in aliquem finem, nempe in vitam æternam, ibidem involvitur, et denotatur voluntas, seu prædiffinitio dirigendi, sive perducendi ipsum in eumdem finem, deputatio seu designatio in talem finem, ac tandem quod prædictus finis rei directæ paretur.

6. Quoad secundam.

Quoad secundam vero partem etiam liquet. Nam propterea prædestinati dicuntur aliquando prædiffiniti, aliquando designati, et deputati, aliquando directi, et transmissi in vitam æternam, et quod hæc sit illis ab

Chrysost Hieronym. Damasc. August. D.Thom.

æterno parata, ut patet apud Chrysostom. in epistolam ad Roman. Hieronym. ad Ephes. 1, Damascen. lib. 1 fidei cap. 3, Augustin. lib. 6, Hypognosticon, D. Thom. locis citatis, et alios Patres.

Confirmatur ratione ex D.Thom.

Confirmatur ratione ejusdem D. Thom.; nam, ut disp. seq. num. 49 et sequentibus dicemus, prædestinatio consistit in illa directione, et transmissione, qua per imperium divini intellectus creatura intellectualis dirigitur, et transmittitur in vitam æternam : ergo nomen prædestinationis, secundum quod dicit destinationem jam dictam, commodius sumitur secundum quod significat hanc transmissionem, seu directionem. Patet consequentia. Quia nomen hoc prout dicit destinationem commodius accipitur in illa significatione, quæ ipsam prædestinationem secundum sua essentialia, et indispensabilia significat : ergo cum destinatio inter alia significet directionem, et transmissionem, et hæc directio, et transmissio sit ipsa essentia prædestinationis, involvatque omnia indispensabilia in ordine ad illam, consequens est, ut prædictum nomen prout dicit destinationem explicatam, commodius sumatur in illa tertia significatione, quæ hanc transmissionem, et directionem denotat, ac proinde quod in illa debeat accipi.

7. Secunda conclusio.

Dicendum est secundo, prædestinationem ratione illius particulæ *præ* denotare triplicem illam prioritatem supra relatam, nempe prioritatem durationis, causalitatis, et dignitatis. Assertionem hanc quoad priorem partem tuetur D. Thom. quæst. 6 de Veritate art. 1, ubi sic inquit : *Hæc præpositio* præ, *quæ adjungitur, adjungit ordinem ad futurum. Unde, cum destinare non sit, nisi ejus quod est; prædestinare potest esse etiam ejus, quod non est :* ac proinde præcedet ordine durationis rem, quæ prædestinatur. Et in 1 dist. 40 quæst. 2 artic. 1, ubi loquens de hac particula *præ* inventa in prædestinatione, sic inquit : *Sed hæc præpositio* præ *importat antecessionem, quæ diversimode diversis convenit. Invenitur enim in prædestinatione hominis antecessio æternitatis, etc.* et in solutione ad primum asserit : *Illi qui non sunt, nec erunt, non prædestinantur, sed illi, qui erunt, quamvis non sint.* Idem etiam docet Origen. in illud ad Roman. 1 his verbis : *Prædestinantur ea quæ non sunt; destinantur vero ea quæ sunt.* August. in lib. de Prædestinatione Sanctorum, et dono perseverantiæ, inquiens prædestinationem esse præparationem quamdam æternam ejus, quod in tempore faciendum est, et communiter Patres ac Theologi.

Probatio quoad primam partem ex Patribus. D.Thom. Origen. Aug.

8. Quoad secundam.

Quoad secundam vero partem, scilicet, quoad prioritatem causalitatis, seu quoad hoc quod est prædestinationem inferre actualem consecutionem ejus, ad quod dirigit, nempe vitæ æternæ, docuit eam Angelicus Doctor art. et quæst. de Veritate nuper citatis. Ubi constituens discrimen inter providentiam generalem, et providentiam specialem, scilicet prædestinationem, sic inquit : *In qualibet enim ordinatione ad finem est duo considerare, scilicet ipsum ordinem, et exitum, vel eventum ordinis : non enim omnia, quæ ad finem ordinantur, finem consequuntur. Unde per Dei providentiam omnes homines ad beatitudinem ordinantur : sed prædestinatio respicit etiam exitum, vel eventum ordinis. Unde non est nisi eorum, qui gloriam consequuntur.* Quod etiam docent communiter sancti Patres.

Quoad secun dam. D.Thom.

Quoad ultimam vero partem, eam tenet idem Angelicus Doctor in epistola ad Romanos, et communiter Patres : qui propter hanc rationem pluribus, iisque honorificentissimis titulis prædestinatos insigniunt.

Quoad ultim

Ex quibus locis sequens pro assertione deducitur ratio. Quoniam prædestinatio habet omnes has prioritates : ergo non est cur particula *præ*, quæ omnes illas denotare potest, restringatur ad unam tantum denotandam; sed omnes illas significabit, ut ita nomen habens vim ad omnes illas innuendas, cum re significata commensuretur.

Ratio secundæ assertionis

§ II.

§ II.

Objectiones contra dicta, et enodatio earum.

9 Prima objectio August. D.Thom.

Sed objicies primo, quod nomen prædestinationis sumitur in præsenti in ea significatione, in qua August. et D. Thomæ agentes de prædestinatione multoties asserunt, ipsam gloriam, et quævis alia bona opera nostra, esse a Deo prædestinata, ut constat ex iis quæ art. 13 q. 14 diximus : ergo falso dictum est, nomen prædestinationis sumi secundum quod denotat transmissionem, et directionem in vitam æternam. Consequentia patet. Quoniam licet creatura intellectualis, ut homo, vel Angelus, dirigatur in vitam æternam, non tamen ipsa vita æterna.

Solvitur ex D.Thom.

Respondetur ex D. Thoma in 1 dist. 40 quæst. 2 art. 1, ubi sic ait : *Dicendum, quod prædestinatio dicitur esse aliquorum dupliciter : vel sicut finis, et conferentium ad finem : et sic dicitur esse gratiæ et gloriæ. Vel eorum qui finem consequuntur; et sic est omnium qui gloriam per Dei gratiam adipiscuntur. Utrumque autem ex nomine prædestinationis accipi potest, in quo conjungitur actus destinationis cum hac præpositione* præ *per compositionem advenientem. Destinare autem significat directionem alicujus in aliquid.* Ubi, ut vides, hoc ipso quod prædestinatio significet directionem alicujus in vitam æternam, significat etiam ipsam vitam æternam tanquam aliquid prædestinatum per modum finis hujus transmissionis. Unde quod vita æterna dicatur prædestinata hoc modo, non tollit, quinimo ponit quod prædestinatio sumatur quatenus denotat transmissionem, et directionem creaturæ intellectualis in eamdem æternam vitam.

10. Secunda

Secundo objicies. Nam homines, vel Angeli dicuntur apud Patres, agentes de prædestinatione et reprobatione, prædestinati ad gehennam : ergo prædestinatio non sumitur in præsenti prout denotat transmissionem, seu directionem alicujus in æternam vitam. Consequentia videtur perspicua. Antecedens autem probatur. Quoniam ita loquitur Concilium Valentinum sub Lothario Imperatore cap. 3 et August. lib. 15 de Civit. cap. 1 et lib. 21 cap. 24 et lib. 6. Hypognosticon, Fulgentius lib. 1 ad Monimum cap. 13, 14, 27 et 30 et Prosper responsione 14 et 15 ad cap. Gallorum.

Conc. Val. August. Fulgent. Prosper.

Respondetur, quod hic non loquimur de prædestinatione utcumque, sed de prædestinatione absolute, et simpliciter sumpta : prædestinatio autem hoc modo accepta semper sumitur in bonam partem. Quamvis cum hoc stet, quod *prædestinatio*, seu *prædestinare*, sumpta cum addito, ut cum aliquis dicitur prædestinari in gehennam, possit sumi in malam partem, ac proinde non prout dicit directionem in felicitatem æternam.

Diluitur.

11. Tertia.

Tertio objicies. Omnes creaturæ ordinantur ad suos fines per divinam providentiam, et tamen non propterea prædestinationis nomen sumitur ad denotandam hanc ordinationem, seu directionem in prædictos fines : ergo nec etiam sumetur in ea significatione, in qua denotet directionem creaturæ intellectualis in suum finem.

Enervatur ex D.Thom.

Respondetur ex D. Thom. in solutione ad secundum his verbis : *Creaturæ irrationales non sunt capaces illius finis, qui facultatem humanæ naturæ excedit. Unde non proprie dicuntur prædestinari, etsi aliquando abusive prædestinatio nominetur, respectu cujuscumque alterius finis.* Et rationem in corpore articuli reddidit, dicens, quod ad illud proprie aliquid dirigitur, et transmittitur ab alio, ad quod virtute suæ naturæ, et eorum, quæ sunt illi debita, pervenire non potest.

12. Ultima. Catherin

Ultimo cum Catherino lib. 1 de Prædestinatione cap. 1 objicies contra expositionem illius particulæ, *præ*, quatenus diximus denotare prioritatem durationis respectu effectuum ejusdem prædestinationis, v. g. vocationis, et justificationis. Nam multi sunt prædestinati qui nondum vocati, et justificati sunt : ergo ut vera sit Pauli sententia ad Rom. 8 : *Quos prædestinavit, hos et vocavit, justificavit, etc.* oportet sumere vocationem, et justificationem pro æterna Dei dispositione vocandi et justificandi : ergo cum hæc sit ita æterna sicut ipsa prædestinatio, consequens erit, ut illa particula *præ* adjuncta prædestinationi, non significet prioritatem durationis respectu vocationis et justificationis, etc.

Roman. 8.

Respondetur sensum illorum verborum Pauli esse, quod illos quos ab æterno Deus destinavit ad gloriam, ipsosmet in tempore vocavit, justificavit, et glorificavit : alioqui in verbis illis fieret circulus inutilis, et nugatorius, si sensus esset : quos ab æterno destinavit ad gloriam, hos ab æterno disposuisse vocare, justificare, et glorificare : siquidem idem est ab æterno destinare ad

gloriam, et ab æterno disponere glorificationem per prædicta media. Sumuntur autem præterita illa, *vocavit, justificavit, etc.*, pro futuris. Qui modus loquendi est frequens in sacra Scriptura, ad denotandam infallibilitatem eorum, quæ a Deo ordinata sunt, ut Isaiæ 9 : *Parvulus datus est nobis.* Adde, posse etiam verba Pauli exponi de illis, qui jam in tempore vocati erant; quamvis ab æterno prædestinati fuissent, ut plures Doctores explicant.

Isaiæ 9.

Additamentum.

DUBIUM II.

An conveniens fuerit dari prædestinationem hominum?

13. Convenientia rei valde prodest ad *an est?* ipsius, maxime quando a Deo res illa præstanda, aut decernenda, et volenda est : quandoquidem Deus non nisi ea, quæ satis congrua et convenientia sunt, decernit. Et ideo ad *an est?* prædestinationis, merito dubium hoc de convenientia illius præmittimus.

§ I.

Sententia hæreticorum.

D. Aug. Prosper. Primum fundamentum pro sententia hæreticorum.

Partem negantem tuentur aliqui hæretici, quos referunt August. lib. 2 de dono persever. cap. 14, Prosper cap. 2 ad objectiones Gallorum. Probatur primo. Quia non est conveniens tolli necessitatem, aut utilitatem orationis, prædicationis, et salutarium admonitionum, ut ex terminis ipsis constare videtur : at si in Deo sit prædestinatio hominum, tolluntur ista : ergo non est conveniens eam in Deo esse. Consequentia patet. Minor autem probatur. Quia cum prædestinatio, qua Deus homines prædestinaret, habeat maximam certitudinem, efficaciam, et infallibilitatem, ita erit quoad effectum, sicut Deus prædestinavit, et non aliter, sive orationes adhibeantur, sive non, et sive adsit prædicatio, et exhortatio salutaris, sive non : ac proinde necessitas horum omnium tolleretur.

14. Secundum. August.

Secundo probatur ratione, qua Augustin. lib. 2 de dono persever. cap. 15 refert monachum quemdam sui monasterii, ita convictum fuisse, ut apostataret. Quia si daretur prædestinatio hominum, esset occasio vel summæ negligentiæ, vel summæ desperationis : at non videtur conveniens dari hanc occasionem hominibus : ergo, etc. Major, in qua est difficultas, probatur. Nam cuivis est notum, decretum de prædestinatione esse infallibile, et certissimum, et ita quilibet dicere posset : Vel sum prædestinatus? vel non? si sum prædestinatus, quomodocumque in decursu vitæ operer, tandem convertar, et salvabor : et sic tribuetur occasio summæ negligentiæ. Si vero non sum prædestinatus quomodocumque operer in vita, tandem deficiam, et damnabor : et sic parabitur occasio summæ desperationi : ergo, etc.

Confirmatur. Quia saltim hominibus sanctis, et prædestinatis tribueretur occasio negligentiæ : hoc autem est inconveniens : ergo, etc. Probatur major. Nam si homines a Deo prædestinarentur, tunc sanctis prædestinatis sua prædestinatio esset nota : siquidem beneficia hominibus sanctis a Deo collata, inter quæ prædestinatio est potissimum, revelantur ipsis, juxta illud Pauli 1 ad Corinth. 2 : *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.* Constat autem quod hoc semel ab eis scito, pararetur eis occasio negligentiæ, propter rationem nuper factam.

Confirmatur.

1 Corinth. 2.

§ II.

Communis et omnino certa Catholicorum sententia, et ejus fundamentum.

15. Conclusio.

Dicendum tamen est conveniens fuisse, Deum homines prædestinare. Assertio hæc est de fide, ut constabit ex locis Scripturæ, quæ dub. sequenti adducemus. Et ita eam tenent D. Thomas in hoc art. his verbis : *Respondeo dicendum, quod Deo conveniens est homines prædestinare,* et cuncti alii Patres et Theologi.

D.Thom.

Ratio fundamentalis hujus assertionis aliqualiter innuitur a D. Thoma 3 p. q. 1 art. 1 potestque ad hanc formam reduci. Quoniam convenientissimum est Deo se summo modo intellectuali communicare creaturis : ergo etiam convenientissimum fuit ei beatificare homines : ergo et illos prædestinare. Antecedens probatur. Nam cum Deus sit summum, et perfectissimum bonum, est convenientissimum ei, seu (quod in idem redit) valde consonum, et congruum suæ naturæ, se summo modo intra omnem lineam creaturis communicare : siquidem sicut est proprium boni se aliis communicare, juxta illud Dionys. : *Bonum est*

Ratio assertionis ex D.Thom.

Dionys.

est diffusivum sui, ita summi boni, et intra omnem lineam talis, se summo modo et intra omnem lineam communicare.

Prima vero consequentia ex antecedenti patet. Quoniam Deus beatificando homines se summo modo secundum speciem communicat creaturis intra lineam intelligibilem. Nam sicut per unionem hypostaticam communicat se summo, et perfectissimo modo secundum speciem intra ordinem naturalem, entitativum, prout ordo iste distinguitur ab ordine intelligibili, ex eo quod communicatur ipsamet persona Verbi, ita etiam beatificando homines communicatur Deus summo, et perfectissimo modo secundum speciem communicationis intra ordinem intelligibilem : ex eo quod eo ipso communicatur, et unitur intellectui beato ipsamet essentia divina, ut habet rationem formæ intelligibilis, ut in tract. de Visione Dei, disp. 2 num. 35 et deinceps diximus.

Secunda vero consequentia ex hac priori satis constat. Quoniam ad hoc ut homines de facto perducantur ad beatitudinem, debet in Deo poni prædestinatio, qua disponat, et dirigat eos in illam ; ex eo quod beatitudo est effectus proprius prædestinationis, ut ex dicendis disp. 4 n. 11 et deinceps constabit.

16. Confirmatur. Roman. 9. D.Thom. Confirmatur ratione, quam insinuant D. Paulus ad Roman. 9 et Angelicus Doctor ibidem lect. 4. Quoniam convenientissimum est manifestari divitias gloriæ, et bonitatis Dei : sed per prædestinationem hominum valde divitiæ istæ manifestantur : ergo convenientissimum fuit eos a Deo prædestinari. Major cum consequentia sunt satis perspicuæ. Minor vero probatur. Nam per prædestinationem hominum magnopere manifestantur divina misericordia, liberalitas, magnificentia, bonitas, providentia, justitia, et cæteræ aliæ perfectiones Dei : siquidem omnes illæ valde splendent in hoc quod Deus hominibus adeo eximium bonum præparaverit, adeoque immensum præmium, et coronam donaverit : maxime cum cæteræ aliæ communicationes, quibus Deus se ad extra communicavit, huc tenderint, ut nimirum prædestinati gloriam consequantur, ac proinde in hac unica communicatione, quæ per prædestinationem fit, omnis manifestatio bonitatis Dei, et divitiæ gloriæ ipsius mirifice splendet.

§ III.

Objectiones contra rationem assertionis, et ejus confirmationem.

17. Prima objectio Sed objicies primo contra rationem hanc, et ejus confirmationem, ex ea ad summum sequi, esse convenientissimum, quod Deus aliquem ex hominibus, vel Angelis prædestinaverit, non vero quod plures tam ex hominibus, quam ex Angelis, aut semel istis prædestinatis, homines etiam prædestinaverit : ergo, etc. Antecedens probatur. Nam sicut ex eo quod ratione summæ bonitatis divinæ fuerit convenientissimum, Deum se summo modo in ordine entitativo communicare creaturis, nimirum per unionem hypostaticam, et in ea summe suam bonitatem in hoc ordine manifestare, non sequitur fuisse conveniens ut illa communicatio, et manifestatio fieret nisi in unica tantum natura in singulari, nimirum in humanitate Christi Domini : ita ex hoc quod ratione ejusdem summæ bonitatis divinæ sit convenientissimum, Deum se summo modo secundum speciem communicationis communicare creaturis intra ordinem intelligibilem, ac proinde summe in hac communicatione splendere divitias gloriæ, et bonitatis ipsius ; non tamen idcirco erit conveniens ut hæc communicatio, hæcque manifestatio fiat, nisi in unico tantum individuo naturæ intellectualis, et per consequens cum hæc summa communicatio intra ordinem intelligibilem, et manifestatio divitiarum divinæ bonitatis, facta fuerit in Angelis, non erit conveniens, ut etiam fiat in hominibus : quinimo cum Christus prædestinatus fuerit, non est cur sit conveniens aliquem alium ex Angelis, aut hominibus prædestinari.

18. Secunda. Secundo objicies contra confirmationem, falsum esse quod in ea dicitur, scilicet cæteras alias communicationes, et manifestationes Dei, huc tendere, ut nimirum prædestinati gloriam consequantur, et in hac prædestinatione, et consecutione gloriæ, divina bonitas eluceat. Nam aliæ res naturales, tantum tendunt in suos proprios, et peculiares fines naturales : ergo non eo tendunt ut prædestinati æternam salutem consequantur ; sed hoc per accidens respectu illarum se habebit.

Additamentum. Accedit, quod cum inter communicationes Dei numeretur unio hypostatica, et hæc sit excellentissima omnium, ac proinde non ordinetur ad communicationem infe-

rioris rationis, jam ex hac saltim parte erit falsum quod cæteræ aliæ communicationes huc tendant, ut nimirum prædestinati æternam vitam adipiscantur.

§ IV.

Enodatio harum objectionum.

19. Solvitur prior objectio. Respondetur ad primam negando antecedens. Et ad probationem, concesso antecedenti, neganda est consequentia. Ratio autem disparitatis est. Quoniam unio hypostatica non est proprius, ac peculiaris finis creaturæ intellectualis, aut cujusvis alterius creaturæ : sicut visio Dei per essentiam est proprius, ac peculiaris finis, quamvis superexcedens, respectu creaturæ intellectualis. Et ideo licet fuerit convenientissimum divinæ bonitati, quod se summo modo per unionem hypostaticam communicaret, ut ita summa ejus bonitas in communicatione, quæ sit summa intensive respectu creaturarum splenderet, non tamen propterea conveniens fuit, ut se hoc modo pluribus naturis creatis communicaret : siquidem in unica dumtaxat communicatione, tota species, et perfectio intensiva illius summæ communicationis manifestatur, et reperitur : et alias communicatio hæc non est peculiaris finis alicujus naturæ creatæ.

Cæterum communicatio summa, et perfectissima secundum speciem intra ordinem intelligibilem est finis peculiaris creaturæ intellectualis, superexcedens tamen, et supernaturalis, ac divini ordinis. Unde sicut propter hanc rationem fuit valde conveniens, ut prædictæ creaturæ intellectuales essent ordinatæ gratuite a Deo in hunc finem superexcedentem, ita etiam fuit convenientissimum, ut non solum aliqua una, et singularis creatura intellectualis finem hunc adipisceretur, sed quod plures ex illis a Deo in eum transmitterentur. Non secus (proportione tamen servata) ac hoc ipso quod homines, aut aliæ creaturæ sensitivæ, sint ex natura sua ordinatæ in suos fines naturales, conveniens est, ut, saltim plures ex illis, prædictos fines consequantur.

20. Additamentum primum. Adde, quod si loquamur de prædestinatione Christi Domini non sequitur ex hoc quod ipse prædestinatus fuerit, non fuisse conveniens aliquem alium prædestinari. Tum quia prædestinatio Christi fuit diversa a prædestinatione nostra : siquidem ipse prædestinatus est ad hoc ut esset Filius Dei naturalis; secus vero nos, aut Angeli; quamvis ex illa prædestinatione Christi Domini resultaverit, quod ad debitum ornatum gratiæ unionis, concessa fuerit ipsi visio beatifica, et alia dona supernaturalia. Tum etiam : quia valde fuit congruum ut Christo, quippe vero Filio Dei naturali, tribueretur gratia capitis, ratione cujus esset pater futuri sæculi : ad hanc autem spectat ut gratiam tam viæ quam patriæ communicet suis membris, filiis, ac fratribus, ut ita ipse sit primogenitus in multis fratribus.

Si vero fiat sermo præcise de prædestinatione nostra, et Angelorum, tunc licet Deus prædestinaverit ordine (alibi dicendo) Angelos, non sequitur non fuisse conveniens, ut simul etiam prædestinaret homines : imo in prædestinatione hominum peculiaris, et maxima convenientia apparet. Quia sicut convenientissimum fuit unionem hypostaticam fuisse factam in natura humana : quoniam communicata persona divina huic naturæ, quodammodo communicatur omni creaturæ; ex eo quod homo habet aliquid de omni creatura, ut docet D. Thom. in epistolam ad Romanos cap. 8 lect. 4 his verbis : *Dicitur humana natura (omnis creatura) quia participat cum omni creatura : cum spirituali quidem quantum ad intellectum, cum animali quantum ad corporis animationem, cum corporali quantum ad corpus.* Et propterea Marci ultimo dicitur : *Prædicate Evangelium omni creaturæ*, idest, homini, ut exponit D. Gregor. et ad Roman. 8 : *Omnis creatura ingemiscit*, hoc est, homo, ut explicant D. Augustin. lib. 83 quæstionum quæst. 67, Hieronym., Cajetan. et alii. Et in eodem sensu Sapientiæ 1 homo vocatur illud, quod continet omnia, et capite 10 dicitur quod Deus dedit illi virtutem continendi omnia. Et similiter eadem ratione vocatur ibidem pater orbis terrarum : quia cum omni re creata in aliquo convenit, ut docent Glossa, Hugo, Lyra et alii. Ita etiam propter eamdem rationem fuit etiam convenientissimum, ut summa Dei communicatio intra ordinem intelligibilem fieret etiam per se primo homini. Unde quemadmodum si daremus peculiarem aliquam convenientiam, ratione cujus fuisset convenientissimum, ut unio hypostatica fieret in natura Angelica; nihilominus non ob id tolleretur, propter rationem nuper factam, quominus fieret etiam in natura humana : ita fuit convenientissimum

D.Thom. Marc. ult. Gregor. Roman. 8. August. Hieron. Cajetan. Sapient. 1 et 10. Glossa. Hugo. Lyra.

nientissimum ut summa communicatio intra ordinem intelligibilem, licet simul sit facta in natura Angelica ob rationem supra tactam; nihilominus tam propter eamdem, quam propter rationem modo adductam fieret etiam in natura humana.

21. Additamentum secundum

Adde secundo, quod adhuc loquendo de prædestinatione nostra, et Angelorum in æternam vitam, tunc licet divinæ perfectiones, ut libertas, misericordia, sapientia etc. manifestentur per prædestinationem Angelorum bonorum, et reprobationem malorum; nihilominus magis splendent in prædestinatione aliquorum hominum, et reprobatione aliorum : libertas quidem, quia per talem prædestinationem ostendit Deus, quod sicut figulus ex eadem massa luti potest facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam : ita ipse ex eadem massa hominum potest quosdam prædestinare, et alios reprobare, ut dicitur Ecclesiastic. 33 et ad Rom. 9. Hoc autem non ita patefieret, si solum prædestinaret Angelos, et reprobaret homines : vel solum prædestinaret, et reprobaret Angelos. Quia cum illi sint diversarum specierum, posset aliquis suspicari prædestinationem aliquorum ex illis, et reprobationem aliorum non esse reducendam in meram Dei libertatem; sed in aliquam naturalem conditionem eorum.

Eccles. 33. Roman. 9.

Misericordia autem similiter erga prædestinatos in hoc magis ostenditur : siquidem elegit illos, reprobatis aliis ejusdem naturæ, et reprobatis multis Angelis perfectioris conditionis. Hæc autem est major misericordia, quam si omne shomines, vel Angelos prædestinasset. Nam etsi illa prædestinatio omnium esset major misericordia extensive; attamen prædestinatio peculiaris aliquorum hominum, et reprobatio aliorum, est major misericordia intensive respectu hominis prædestinati. Maxime quia cum omnes homines sint ejusdem speciei, et omnes miseri, censetur moraliter major misericordia erga homines prædestinatos, quod cum omnes sint æqualiter miseri, et ejusdem speciei; nihilominus, pluribus aliis pereuntibus, ipsi specialiter per divinam misericordiam liberentur ab illa miseria, et transmittantur in beatitudinem.

Sapientia denique in eo magis demonstratur, quod ex hominibus ejusdem speciei, quosdam taliter gubernet, ut per occultas et investigabiles vias eos perducat ad exequenda media, per quæ in vitam æternam efficaciter perducantur : alios vero quoad naturalia non inferiores, imo præstantiores, permittat propter sua incomprehensibilia judicia ab illius consecutione deficere. Cujus sapientiæ altitudinem considerans Paulus ad Rom. 11 exclamat : *O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus!* Roman. 11.

Nec refert si urgeas, tum quod etiam homines in statu innocentiæ fuerunt elevati ad finem supernaturalem, et ratione hujus elevationis erant (ut sic dicamus) proxime capaces æternæ beatitudinis : et nihilominus non ob id fuit conveniens, ut quatenus præcise erant in eo statu, a Deo prædestinarentur : ergo male in solutione data intulimus, ex hoc quod vita æterna sit peculiaris finis creaturæ intellectualis, et ad illam fuerit elevata, fuisse convenientissimum, quod plures ex hominibus prædestinarentur. 22. Impugnatio prima traditæ solutionis.

Tum etiam, quod in quavis specie Angelica continentur virtute plura individua : siquidem tota natura est veluti collecta id unico individuo, et unica illa individuatio satiat totam speciem : et tamen licet omnes species Angelicæ elevatæ fuerint ad finem supernaturalem; nihilominus non ob id fuit inconveniens, ut tota una species, in qua tot virtute continebantur individua, periret, et non prædestinaretur; sed oppositum hujus fuit valde conveniens, et a Deo præstitum : ergo non est cur colligamus fuisse convenientissimum plures ex hominibus a Deo prædestinari, ex eo quod species humanæ naturæ, in qua plura individua continebantur, fuerit à Deo elevata in finem supernaturalem, peculiarem creaturæ intellectuali. Secunda.

Tum denique : quia licet daremus, res naturales ordinari in unionem hypostaticam ut in finem superexcedentem (ut multi satis probabiliter volunt, de quo infra) nihilominus non ob id colligeretur fuisse conveniens plures ex substantiis ordinis naturalis fuisse prædestinatas ad unionem hypostaticam : ergo ex eo quod Deus clare visus, sit finis superexcedens creaturæ intellectualis, non debuit colligi fuisse conveniens plures ex hominibus, aut ex aliis creaturis intellectualibus fuisse prædestinatos ad Deum videndum. Tertia.

Respondetur enim ad primam ex his impugnationibus, concedendo majorem, et minorem, negando tamen consequentiam. Nam cum status ille non fuerit perpetuus, 23. Infringitur prior impugnatio.

Additamentum.

non fuit conveniens homines prout in illo, prædestinari, vel reprobari. Accedit quod in illo statu nullus ex iis, qui in illo existebat, esset miser : et ita licet prædestinatio in illo ex parte termini *ad quem*, modo alibi tangendo sumpti, æqualiter atque modo exaltaret divinam misericordiam; non tamen exaltaret illam per exclusionem termini *a quo*, scilicet miseriæ, et ita oportuit Deum prædestinare homines, quando erant in statu peccati, ut omnibus istis modis ostenderetur maxime Dei misericordia erga prædestinatos.

24. Solutio quædam secundæ impugnationis.

Ad secundam vero impugnationem occurrit junior quidam, quod licet Angeli in *esse* naturæ distinguantur specie, in *esse* tamen elevabilium ad finem ordinis supernaturalis, et divini, non sic distinguuntur : quia sunt elevabiles ob rationem generalem creaturæ intellectualis. Et propterea judicandum est in hoc ordine de illis quoad convenientiam prædestinationis plurium ex eisdem, ac si solo numero in *esse* naturæ multiplicarentur.

Non satisfacit.

Cæterum hæc solutio licet veram contineat doctrinam; nihilominus nisi ei aliquid superaddatur, non satisfacit. Quoniam ex ea sequeretur, quod elevatis a Deo in finem supernaturalem beatitudinis tam hominibus quam Angelis, non debuisset prædestinare homines prædestinatis Angelis, ad hoc ut satisfaceret debito connaturalitatis, quod quodammodo contraxit ad perducendos in suum finem aliquos ex illis, quos ad prædictum ordinem elevavit : hoc autem, ut ex se constat, nequit admitti : ergo etc. Sequela probatur. Nam sicut prædestinatis aliquibus ex hominibus juxta numerum a divina providentia suaviter taxatum, satisfacit huic debito, ex eo quod omnes homines sunt ejusdem speciei; ita etiam prædestinatis Angelis absque prædestinatione hominum, eidem debito satisfaceret : siquidem in ratione elevabilium sunt ejusdem speciei, et diversitas in natura de materiali, et per accidens ibidem invenitur.

Vera solutio.

Quare addendum est, quod admissa majori, et minori, debet negari consequentia. Ratio autem disparitatis in eadem impugnatione quodammodo innuitur, nimirum in hoc quod in unica specie Angelica solum inveniuntur plura individua (ut sic dicamus) virtualiter multiplicata; in specie vero humana plura individua formaliter plura inveniuntur. Nam congruum erat, ut ita provideret Deus de creaturis intellectualibus elevatis in finem supernaturalem, quod permitteret aliquas ex illis, juxta numerum a sua providentia suaviter taxandum, deficere a consecutione ejusdem finis : ex eo quod ipsæ sunt defectibiles ab illo, et est congruum divinæ providentiæ ut dirigat res in suos fines juxta earum naturam. Unde cum in specie humana sunt plura individua formaliter plura, potuit providere juxta hunc modum de individuis illius, ita ut aliquos ex hominibus prædestinaret, et aliquos permitteret a consecutione beatitudinis deficere : at in quavis specie Angelica, verbi gratia, in specie Gabrielis, tantum est unicum individuum, licet ibidem plura virtute quodammodo contineantur : ex eo quod unicum illud individuum non minus satiat totam suam speciem, quam plura individua humana suam. Et ideo non potest Deus juxta modum insinuatum, nimirum permittendo, ut aliqui ex illis a suo fine supernaturali deficiant, de Angelis providere, nisi sinendo totam aliquam speciem, in qua unicum tantum individuum formaliter tale invenitur, ab eodem supernaturali fine deficere.

25. Diluitur tertia impugnatio.

Ad tertiam autem impugnationem respondetur, aliter Incarnationem esse finem supernaturalem, et excedentem respectu substantiarum naturalium, et aliter Deum clare visum esse finem superexcedentem creaturæ intellectualis. Nam unio hypostatica est finis illarum non ut adipiscendus, sed ut quodammodo inspectus, ut infra disputatione quinta numero decimo septimo et deinceps explicabimus. At vero Deus clare visus, est finis creaturæ intellectualis, ut etiam adipiscendus. Et propterea oportuit aliquos ex hominibus in vitam æternam prædestinari, ut ita finem hunc consequerentur, et satis fuit unicum Christum in Filium Dei naturalem fuisse prædestinatum, ad hoc ut res naturales quodammodo ad illum, et ad unionem Verbi cum humanitate ejusdem Christi Domini ordinarentur, ipsumque quodammodo respicerent.

26. Secunda objectio enervatur.

Ex quo etiam ad secundam objectionem respondetur, quod licet res naturales ordinentur in suos naturales fines, nihilominus omnes illæ sive ex primaria intentione, sive ex accidentali ordinatione Dei superveniente ad decretum de illarum productione, ordinantur ad visionem beatam prædestinatorum. Unde ad Roman. 8 dicitur : *Ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei : scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, etc.* Quæ verba D. Thomas, et Ambrosius ibidem

Roman. 8.

D.Thom. Ambros.

Chrysost. ibidem, et epistola 21, et Chrysostomus homilia 14, super eumdem locum explicant de omnibus creaturis naturalibus etiam insensibilibus : et dicunt sensum Pauli esse, quod illæ glorificato homine, suo modo glorificabuntur, et renovabuntur in illo.

Deuter. 4. Psalm. 8. Nam cum omnes illæ, ut dicitur Deuteronom. 4 et Psalm. 8, ordinentur ad hominem, qui ad visionem beatam, ut ad finem ordinatur, inde est, ut illæ habeant consequenter, et quodammodo esse ordinatas ad eamdem visionem beatam : non quidem ut sibi consequendam, sed deserviendo homini ad hoc ut ipsam adipiscatur. In quo sensu

Corinth. 3. dixit divus Paulus ad Corinth. 3 : *Omnia vestra sunt, etc.. sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura :* quia omnia deserviunt homini ut ad beatitudinem perveniat,

27. Additamentum. Ad illud autem de Incarnatione dicendum est, quod licet Incarnatio non ordinetur ad nostram visionem beatam tanquam ad finem principalem *propter quem :* bene tamen ut ad finem *cui* ex ipsa Incarnatione provenit utilitas, sive tanquam ad finem effectum. Nam ex ea proveniunt nobis auxilia, et dona supernaturalia, eaque abundantissima, ut per illa non solum simpliciter, sed facile perveniamus ad visionem bea

D.Thom. August. Origen. tam, ut docent ac explicant D. Thom. tertia parte quæst. 24 art. 4, D. Augustin. lib. 9 de Civitate Dei cap. 15, Origen. ad Roman. 11 in fine, et lib. 3, Periarchon cap.

Ephes. 1. 2 et patet ex illo ad Ephes. 1 : *Prædestinavit nos per Jesum Christum, etc.* Cui consonat

Psalm. 71. illud Psalm. 71 : *Ante solem permanet nomen ejus :* nam in Hebræo legitur : *Ante*

Galatin. *solem filiavit.* Quem locum Galatinus lib. 3 de arcanis capit. 15 et lib. 12 cap. 3 et alii explicant de Christo, quatenus per illum efficimur filii, et hæreditamus beatitudinem.

§ V.

Respondetur argumentis hæreticorum initio adductis.

28. Ad primum fundamentum. Ad primum respondetur, per prædestinationem disponi, quod homo consequatur æternam beatitudinem, non utcumque, sed per certa, et determinata media, ut verbi gratia mediis orationibus, salutaribus admonitionibus, ac prædicatione, et aliis operibus similibus. Unde tantum abest, quod per prædestinationem tollatur horum necessitas, quod potius ponitur, et firmatur.

August. Unde August. lib. 2 de dono perseverantiæ cap. 14 ostendit certitudinem prædestinationis non tollere, sed potius ponere necessitatem prædicationis, et aliorum bonorum operum, propter rationem nuper dictam : et hoc ipsum confirmat, ex eo quod divus Paulus, qui toties ad Roman. 8 et 9 aliisque locis commendavit prædestinationem, hortabatur gentes ad bene operandum. Et Christus Dominus, qui hujus mysterii ita conscius erat, et Joan. 6 dixit, neminem posse ad eum venire, nisi illum quem Pater traxerit, nempe media prædestinatione ; nihilominus excitabat homines ut in eum crederent, et ad ipsum venirent.

Roman. 8 et 9. Joan. 6.

29. Ad secundum. Ex quo ad secundum respondetur, cum Augustin. ubi supra, negando majorem, et ad probationem, quod ille cui est notum decretum de prædestinatione eo modo, quo in Deo est, ita ut simul sciat per illud decerni bonam cooperationem nostram, et perseverantiam in gratia, tanquam media necessaria in ordine ad consecutionem vitæ æternæ, non potest cordate sumere occasionem, vel negligentiæ desistendo a bonis operationibus, vel desperationis tradendo se vitiis, et peccatis. Nam certo scit, quod si prædestinatus est, non adipiscetur æternam felicitatem nisi mediis bonis operibus, libere tamen ab eo exhibitis. Et similiter qui judicaverit se esse reprobum, judicabit se non fore damnandum nisi propter sua peccata libere facta, et non alio modo. Hoc autem tantum abest ut præbeat occasionem ad negligentiam, vel desperationem, quod potius ad bonum valde invitet, et a malo magnopere retrahat.

30. Hujus secundi argumenti fallacia aliquibus instantiis demonstratur. Potestque tam hoc, quam præcedens argumentum aperte instari, et eorum fallacitas aperiri sequentibus instantiis Nam decretum Dei de fructibus colligendis, vel de cibo sumendo, non præbet occasionem hominibus cordatis ad desistendum ab agricultura, vel a non adhibendo diligentiam necessariam ad sumendum cibum : ex eo quod si Deus decrevit collectionem fructuum, aut sumptionem cibi, tandem fructus colligentur, et cibus sumetur; si vero neutrum decrevit, sed oppositum utriusque, tandem nec fructus colligentur, nec cibus accipietur. Et similiter ex eo quod Deus præsciat, vel determinate, et in particulari fructus colligendos esse, vel determinate et in particulari non esse colligendos, tunc, quamvis daremus posse hoc præscire absque decreto ex se efficaci divinæ voluntatis, non posset sumi occasio a desistendo ab eadem agricultura, ex eo quod si præscivit

colligendos, infallibiliter colligentur, sicut ipse præscivit.

Et tandem quamvis per impossibile daremus Deum non habere prædictam præscientiam ; nihilominus pro mense Augusti futurum est, vel quod determinate, et in particulari colligantur fructus, vel quod determinate, et in particulari non colligantur : et tamen ex eo quod si re vera futurum est in particulari, et determinate, quod fructus colligendi sunt, tunc re vera tandem colligendi erunt; secus vero si oppositum re vera futurum est, non præbetur occasio ad abstinendum ab agricultura, et a seminando, vel ad desperationem metendi eosdem fructus, ut ex se constat. Et ratio est eadem tam in his casibus, quam in prædestinatione, et reprobatione. Quia nec decernuntur, nec prævidentur, nec sunt futuri prædicti effectus, nisi per certa illa, et determinata media.

31. Unde sicut si quis ex vi prædicti argumenti, et discursus desisteret ab agricultura; signum esset non esse a Deo determinatum, nec scitum ipsum messurum fructus, nec messionem illam esse futuram, ita signum esset aliquem non esse prædestinatum sed reprobum, si propter simile argumentum, et discursum ab operando desisteret, et vitiis se traderet. Sicut etiam signum esset prædestinationis, si attendens quis ad modum, quo Deus prædestinavit, nimirum mediantibus bonis operibus, modo infra dicendo, ex prædeterminatione illatis, bene quantum posset operaretur : ac proinde ratione prædicti discursus duci ad tradendum se vitiis, summæ dementiæ est; e contra vero ab illo excitari ad bene operandum, summæ sapientiæ erit.

Quod si omnia hæc alicui videantur difficultatem hanc plene non dissolvere, advertat cum August. lib. de dono persever. cap. 14 certitudinem prædestinationis, quam scimus esse veram, non esse negandam, quia nesciamus nodum aliquarum difficultatum, quæ contra ipsam pugnare videntur, omnino dissolvere : ad hoc tamen unum, prædestinatio divina, et certitudo ejus valde conducet, ut qui salutem æternam consequi studuerint, et bonis operationibus se tradere decreverint, hi cum timore, et tremore, ut Spiritus Sanctus sæpe monet, salutem suam operentur.

August.

32. Ad confirmationem secuudi fundamenti. Psalm. 2.

Ad confirmationem neganda est major. Nam (ut nuper dicebamus) admonemur ut cum timore, et tremore salutem nostram operemur, ne pereamus, ut patet Psalm. 2 ad Roman. 11, 1 Corinth. 10, Apocalyps. 3 et alibi sæpe. At si prædestinati essent certi de sua beatitudine, nequirent timere, ne illam acquirerent; quinimo, dum Spiritus Sanctus eos ad prædictum timorem excitat, excitatio ista esset ad infidelitatem, et impietatem. Nam timor de veritate illius, quod Deus revelavit, est infidelitas, et impietas : et ita qui timeret, ne forte Deus non esset trinus, cum tamen id nobis sit revelatum, convinceretur esse impium, et infidelem. Et ad probationem majoris respondetur cum D. Thom. in hoc articulo in solutione ad ultimum, ex illo testimonio ad summum colligi, esse aliquibus revelatum (ut Apostolis) suam prædestinationem, non tamen omnibus justis, et Sanctis.

Roman. 11. 1 Corinth. 10. Apocal. 3.

D.Thom.

Nec obstant quæ contra hanc veritatem objiciunt hæretici. Primo quidem, quod fideles petunt in orationibus perseverantiam in gratia, et suam beatitudinem : ergo sunt certi de assecutione horum, ac proinde de sua prædestinatione : siquidem Marci 11 dicitur : *Omnia quæcumque orantes petitis credite quia accipietis.* Secundo vero, quia 1 Joan. 5 asseritur : *Sciatis quoniam vitam habetis æternam qui creditis.* Ultimo autem, quia vocati ad fidem magnificantur a Deo, et beatificantur, ut dicitur ad Rom. 8, at fideles sunt certi de sua vocatione et fide : ergo, etc.

33. Objectiones hæreticorum contra solutionem traditam. Marc. 11. 1 Joan. 5. Roman. 8.

Non itaque hæc obstant. Nam ad primum concesso antecedenti, neganda est consequentia, si intelligatur de certitudine omnimoda. Et ad probationem dicendum est, testimonium illud, et similia intelligenda esse de oratione ferventi, et perseveranti, et cum debitis circumstantiis : non est autem omnino certum fideles sic suam beatitudinem petere. Ad secundum vero respondetur, testimonium illud, solum velle quod justi dummodo perseverent in fide viva, habent vitam æternam in spe : nam ideo ad Hebræos 3 dicitur : *Participes Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ ejus* (idest fidem vivam) *usque ad finem firmum retineamus.* Et in secunda Canonica Joan. dicitur : *Videte vosmetipsos, ne perdatis, quæ operati estis.* Quare cum fideles non sint omnino certi de sua perseverantia, et fide viva, nec etiam certi erunt de sua prædestinatione. Ad ultimum vero testimonium respondetur non intelligi de omnibus vocatis ad fidem : nam Math. 22 dictum est : *Multi enim vocati, pauci vero electi;* sed de vocatis secundum propositum prædestinationis : non est autem omnino certum

Diluuntur. Hebr. 3. Joan. epist. 2. Matt. 22.

certum cuilibet fideli, et justo se sic vocatum fuisse : et ita nec erit omnino certus de sua prædestinatione.

imad- rsio. Diximus non esse omnino certum : quia in præsenti loquimur de omnimoda certitudine divinæ revelationis, cui non possit subesse falsum. Nam fatemur posse esse plura et diversa judicia probabiliter suadentia prædestinationem respectu hujus, vel illius in particulari, qualia sunt diligere inimicos, audire libenter verbum Dei, patientia, et humilitas, etc. De quibus videatur Vega lib. 12 in Concil. Trident. cap. 12 et sequentibus. ega.

DUBIUM III.

Utrum Deus aliquos homines, de facto prædestinaverit?

Semel explicata convenientia prædestinationis hominum, merito ad ejus existentiam declarandam accedimus : quia convenientia ad hoc ut Deus prædestinet aliquos homines præcedit actualem prædestinationem eorumdem.

§ I.

Opinio negans.

34. Partem negantem tuentur aliqui hæretici. Ita Wicleff, ut referunt Prateolus ephan. verbo Calvinistæ, et Stephanus in Apologia de concordia Lutheranorum, et alii relati ab Aug. et Prospero locis dub. præcedenti rimum adductis. Quæ sententia potest probari umen- primo. Quoniam si Deus prædestinaret ho- tum pro mines, auferret ab eis libertatem peccandi, itentia etiam si non haberent donum confirmatio- ereti- nis in gratia : hoc autem dici nequit, ut ex rum. se constat. Sequela probatur ex illo 1 Joan. 3. Joan. 3, ubi dicitur : *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare : quoniam ex Deo natus est.* Quæ verba exponuntur a nard. Bernard. serm. 1 de Septuagesima, et de gratia et libero arbitrio, de prædestinatis : et inquit eos non posse peccare : quia semen Dei, idest, prædestinatio in illis manet.

nfir- atur. Confirmatur. Nam prædestinatio non est in potestate nostri arbitrii, sed antecedit omnem usum libertatis illius : at ex se est efficacissima, et infallibiliter nexa cum effectu : ergo suppositio prædestinationis, est suppositio omnino antecedens, et non subdita nostræ libertati, ac proinde tollet eamdem libertatem.

35. Secundo. Quia alioqui, Deus magis diligeret hominem peccatorem, aut minus justum, qui sit prædestinatus, quam alium longe justiorem, sed non prædestinatum : hoc autem videtur inconveniens : ergo, etc. Sequela probatur. Quoniam diligere magis aliquem est velle illi majus bonum : at Deus homini peccatori, aut minus justo, prædestinato tamen, vult majus bonum, scilicet æternam beatitudinem, quam alio longe justiori, non tamen prædestinato : siquidem huic tantum vult ampliorem gratiam viæ, non tamen æternam vitam : ergo magis diligit illum, quam istum. Falsitas autem consequentis etiam constat. Quia hoc esset contra rectitudinem divinæ voluntatis, quæ hoc ipso quod rectissima est, diligit unumquodque pro meritis suis : ac proinde magis diligit justum, quam peccatorem, ac justiorem, quam minus justum. Secundum.

36. Tertio. Quia alias Deus prius voluisset beatitudinem supernaturalem hominum, quam ipsos homines : hoc autem videtur inconveniens : ergo, etc. Sequela videtur perspicua. Nam quoties est volitus finis ultimus, ad quem aliqua res ordinatur, debet esse prius volitus, quam res ad ipsum ordinata; siquidem volitio finis, est causa volitionis eorum, quæ ad illum ordinantur : at certum est beatitudinem supernaturalem esse ultimum finem hominis : ergo si homines a Deo prædestinantur, ac proinde est illis a Deo efficaciter volitus hic ultimus finis, consequens erit, ut prius sit volita a Deo æterna hominum beatitudo, quam ipsi homines; imo prius quam omnes res naturales : siquidem omnes illæ (ut infra dicemus) ordinantur ad hominem, qui ad eamdem beatitudinem, ut ad ultimum finem est ordinatus. Tertium.

Falsitas autem consequentis probatur. Tum quia beatitudo supernaturalis est volita homini prædestinato amore concupiscentiæ; nihil autem potest alicui sic esse volitum, quin præcedat volitio ejus, cui sic concupiscitur : quia ex amore illius volumus ipsi prædictum bonum. Tum etiam (et est confirmatio præcedentis probationis), nam D. Thom. in 4 dist. 49 q. 1 art. 2 quæstiuncula 1 ad 3 ait nihil volitum amore concupiscentiæ posse esse ultimum dilectum (intellige ordine executionis) quia refertur ad eum, cui illud concupiscimus : et ideo ait, beatitudinem creatam diligi amore concupiscentiæ, quia referimus illam D. Thom

ad nos : ergo nihil sic volitum, quale est beatitudo supernaturalis, potest esse prius volitum, quam ipse homo, ad quem refertur. Patet consequentia. Quoniam id, quod non potest esse ultimo volitum ordine executionis, nequit esse primo volitum ordine intentionis : et per consequens nec esse absolute, et simpliciter prius volitum. Tum denique : quia repugnat intelligere beatitudinem supernaturalem hominis sine ipso homine, siquidem est accidens illius, quod quidem nequit intelligi sine suo subjecto : ac proinde nequibit esse prius volita, quam ipse homo.

§ II.

Catholica veritas.

37. Conclusio. Ad Rom. 8. Ephes. 1. Lucæ 12 Roman. 11. Eccles. 33. Dicendum est tamen Deum homines prædestinasse. Assertio ista est de fide ut patet ex illo ad Roman. 8 : *Quos prædestinavit, hos glorificavit*, ad Ephes. 1 : *Qui prædestinavit nos, etc.*, Lucæ 12 : *Nolite timere, pusillus grex : quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*, ad Roman. 11 : *Reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt*, Ecclesiast. 33 : *Quare dies diem superat, etc. ex ipsis benedixit, et exaltavit, et ex ipsis sanctificavit, et ad se applicavit, et ex ipsis maledixit, et humiliavit, et convertit illos a separatione ipsorum. Quasi lutum figuli in manu ipsius, etc.* Quæ verba Glos. et Aug. q. 2 ad Simplicianum explicant de prædestinatione et reprobatione facta a Deo pro sua voluntate exemplo figuli, quod Paulus ad Roman. 9 ex isto loco desumpsit. Unde veritas hæc habetur frequenter in sacris Conciliis, præsertim in Milevitano, et Arausicano Secundo, Trident. ses. 6 cap. 12 et can. 15 et 16 et id confitetur communis sensus Ecclesiæ et Sanctorum.

Glossa. D. August. Roman. 9. Conc. Milev. Araus. 2. Trident.

Pro ratione assertionis ex D. Thom. efformanda. Ratio autem fundamentalis hujus assertionis tradita est a D. Thom. 3 contra Gent. cap. ult. et in 1 dist. 40 de Verit. quæst. 6 art. 1 et tandem in hoc art. Vis autem illius pendet ex duplici propositione, quam tradidit in præsenti Angelicus Doctor nimirum, quod *ratio alicujus fiendi existens in mente actoris, est quædam præexistentia rei fiendæ in eo*, et quod *ratio ista debet præexistere in mente actoris.*

38. Primum notabile. Ut autem hæc melius capiantur, et tota structura rationis, quæ in eis innititur, melius intelligatur, supponendum est primo ex eodem D. Thoma q. 5 de Veritat. art. 1 ad 1 rem fiendam posse duobus modis sumi. Primo quidem speculative secundum suam essentiam, quatenus per speciem, ideam, vel verbum est in mente actoris. Nam cum species v. g. sit ipsamet ratio, et essentia rei, sive virtualiter, sive formaliter, sub alio tamen modo essendi, ut in tract. de Visione Dei disp. 2 n. 132 et deinceps, et in tract. de Scientia disp. 2 num. 14 et sequentibus diximus : consequens est, quod si illa est in mente actoris, antequam res fiat in se ipsa, tunc talis ratio existens in mente ejus, sit quædam præexistentia, sive formalis, sive virtualis rei fiendæ in eo.

Secundo autem res fienda, seu ratio ejus existens in mente actoris potest considerari practice : et tunc ratio illius est imperium, et sufficiens determinatio agentis, ratione cujus executive ordinatur in suum finem, et habet complete esse futuram. Sic autem re fienda considerata, optime etiam verificatur propositio D. Thomæ, nimirum quod ratio illius existens in mente actoris, est quædam præexistentia ipsius in eo.

Et ratio est. Quia res fienda, et ejus ratio tunc dicitur esse practice in mente actoris, quando habet in eo esse complete futuram, ac proinde quando actor est ultimate determinatus ad ejus productionem : siquidem, ut in tract. de Scient. Dei disp. 7 n. 32 et deinceps diximus, res non est futura nisi ratione determinationis suarum causarum in ordine ad ejus productionem : sed actor per intellectum non est determinatus ultimate ad productionem rei usquedum habeat imperium efficax de productione illius : et hoc ipso quod illud habeat, est ultimate determinatus ad illius productionem, ut disp. sequenti, n. 55, 65, 69 et 70 dicemus : ergo res fienda ratione prædicti imperii, per quod actor est ultimate determinatus ad agendum, est practice in mente actoris : et per consequens ratio rei fiendæ practice sumpta, in mente actoris existens, erit quædam præexistentia virtualis rei fiendæ in eo : siquidem ratio ejus sic considerata, est prædictum imperium, et in hoc imperio res fienda virtualiter præexistit.

39 Secundum notab. Secundo notandum est, utrumque modum existendi rei fiendæ in mente actoris conducere ad intentum Angelici Doctoris quamvis posterior modus existendi in mente illius, directe et formaliter ad illud conducat. Quoniam cum Deus sit agens per intellectum, dirigatque per illum homines in suam beatitudinem, nec qui adipiscuntur illam, habeant se ipsis, et absque di-

vina

vina directione eam consequi, oportet ut ratio istius directionis, et transmissionis sit in mente illius speculative per speciem, ideam, vel verbum, practice vero per prædictum imperium : quia hoc ultimum nequit dari sine illo priori, sed illud indispensabiliter præsupponit : ac proinde debebit etiam esse in illo prædestinatio, quæ consistit in ratione practica istius transmissionis hominum in vitam æternam, ut ex iis quæ in sequenti disp. num. 54 et deinceps dicemus, constabit.

rma- ratio hom. ro ser- ne.

Unde ratio D. Thom. potest ex iis, quæ in his duobus notabilibus diximus, ad hanc formam reduci. Nam in agente per intellectum, oportet ut ratio rei fiendæ, quæ sit quædam præexistentia rei in illo, existat in mente ejus; speculative quidem per ideam, speciem et verbum; practice autem, et executive per imperium, quo ordinatur, et dirigitur in suum finem : sed Deus transmittit homines in finem supernaturalem, glorificando illos; et ut eos sic transmittit, est agens per intellectum : ergo ratio hujus transmissionis, quæ sit quædam præexistentia rei in illo, debet considerata speculative, et secundum essentiam, existere in illo per ideam, speciem, vel verbum; considerata vero practice, debet etiam præexistere in eodem, ratione imperii : ergo etiam oportebit ut in illo sit prædestinatio. Patet consequentia. Quia (ut loco citato dicemus) prædestinatio nihil est aliud quam ratio hujus transmissionis in mente divina existens, practice sumpta, quæ est quædam præexistentia rei fiendæ in ea, quæque præsupponit præexistentiam ejusdem transmissionis, et effectus speculativam, in mente Dei existentem per speciem, ideam vel verbum.

o. ectio

Nec refert si objicias, quod si hæc ratio aliquid probaret, convinceret utique, quod etiam anima Christi saltim instrumentaliter physice prædestinet nos, sicut etiam hoc modo dicitur causare gratiam, et cætera alia dona supernaturalia, quæ sunt in nobis : siquidem cum causet hæc per intellectum, habebit in eo rationem, per quam instrumentaliter transmittamur ad beatitudinem supernaturalem, et producantur in nobis omnia dona ad hanc consecutionem necessaria.

tur. iom.

Respondetur enim negando antecedens. Nam ut bene notavit D. Thom. 3 cont. Gent. cap. ultimo, ad hoc ut aliquid prædestinaret nos instrumentaliter physice, ac proinde esset hoc modo nostræ prædestinationis causa, oportebat ut instrumentaliter physice esset causa omnium effectuum illius : hoc autem non potest tribui animæ Christi Domini : quia non potuit physice instrumentaliter causare concursum, quo Deus concurrit cum illa ad merendam nostram prædestinationem : qui tamen concursus est etiam effectus illius, utpote etiam volitus ratione ejusdem prædestinationis. Et ita licet Christus Dominus fuerit causa meritoria ejus, quia per suum meritum potuit moraliter movere voluntatem Dei, ut terminetur ad omnes effectus illius; non tamen potuit ipsum instrumentaliter physice causare. Maxime quia ad hoc etiam requirebatur ut instrumentaliter physice faceret, quod voluntas divina terminaretur ad omnes effectus nostræ prædestinationis : et hoc supponit quod per propriam virtutem physicam aliquid operaretur in ipso actu increato divinæ voluntatis et providentiæ. Hoc autem, ut constat, apertam implicat contradictionem.

§ III.

Fit satis argumentis hæreticorum.

41. Ad primum, pro sententia hæretico rum. D. Thom.

Ad primum neganda est sequela. Et ad probationem respondet D. Thom. explicans ibidem illum locum, in hæc verba : *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, scilicet mortale, quod est contrarium generationi spirituali, et intelligendum est cum reduplicatione, in quantum scilicet ex Deo natus est, vel intelligendum est conjunctim quandiu natus, idest nativitatis gratiam custodit, peccatum inquam non facit, scilicet mortale : vel loquitur de eo qui natus est ex Deo, non solum per præsentem justitiam, sed et per prædestinationem æternam, et talis peccatum non facit finaliter : quia tale peccatum repugnat prædestinationi.* Quo etiam sensu loquitur Bernardus loco ibidem citato. Bernard.

Ad confirmationem constat ex iis, quæ in tract. de Scientia Dei disp. 8 n. 17, 23 et 33 et in tract. de Volunt. Dei disp. 10 per totam diximus.

42. Ad secun-. dum. D. Thom

Ad secundum concedenda est sequela cum D. Thom. in 3 dist. 32 q. 1 art. 5 quæstiuncula 1, si absolute et simpliciter intelligatur. Nam ut bene notavit ibidem S. Doct. Deus plus diligit reprobum justum pro tempore, pro quo est justus, quam peccatorem prædestinatum pro tempore, pro quo est peccator; ita tamen ut hæc de-

terminatio pro illo tempore, teneat se utrobique ex parte objecti, non tamen ex parte actus dilectionis, quæ est æterna et invariabilis, et semper vult prædestinato, quantumvis peccatori, ut suo tempore consequatur majus bonum : atque adeo absolute, et simpliciter loquendo magis diligit peccatorem prædestinatum, quam justum reprobum.

Et deinde neganda est minor. Et ad probationem dicendum est, quod licet sit contra rectitudinem divinæ voluntatis quod magis diligat peccatorem prædestinatum pro tempore pro quo est peccator, quam justum reprobum pro tempore, pro quo est justus; non tamen quod absolute, et simpliciter loquendo, magis diligat illum, quam istum : quia ad hoc satis est, ut licet utrumque diligat pro tempore, pro quo est dignus dilectione, et utrumque odio habeat pro tempore, pro quo dignus est odio ; nihilominus facta collatione inter bonum, quod peccatori prædestinato vult, pro tempore, pro quo illum diligit, sit majus, quam bonum illud, quod justo reprobo impertitur pro tempore, pro quo illum amore prosequitur. Constat autem Deum velle majus bonum peccatori prædestinato pro tempore, pro quo eum diligit, quam justo reprobo pro eodem tempore : siquidem illi vult gratiam, et perseverantiam in illa, ac tandem gloriam; secus vero isti, quem ad hoc ut esset vas in perpetuam contumeliam propter sua peccata (in sensu tamen infra explicando) deputavit.

43. Explicatur magis solutio. Possuntque hæc magis explicari, si distinguamus in Deo quasi duplicem amorem, alium electivum, alium vero executivum. Ad secundum requiritur quod actu Deus impertiatur aliquod bonum rei dilectæ; ad primum vero quod eligat rem dilectam ad aliquod bonum, licet actu et in executione prædictum bonum ei non largiatur. Hinc ergo licet Deus amore executivo plus diligat justum reprobum pro tempore, pro quo est justus, quam prædestinatum peccatorem pro tempore, pro quo est peccator; nihilominus adhuc tunc plus diligit amore electivo prædestinatum peccatorem, quam justum reprobum : siquidem istum (modo alibi explicando) deputat ad summum malum; et illum eligit ad bonum adeo eximium, nempe ad vitam æternam : cumque amare aliquem prædicto amore electivo longe majori, sit amare illum simpliciter magis; ideo absolute et sine distinctionibus istis loquendo, dicendum est Deum amare magis simpliciter peccatorem prædestinatum, quam justum reprobum.

Ad tertium respondetur distinguendo sequelam, et negando eam de prioritate *in quo* seu de prioritate subsistendi consequentia, ita ut sensus illius sit, quod Deus voluerit beatitudinem supernaturalem hominum, quin simul voluerit eosdem homines; concedendo vero eam si intelligatur de prioritate causalitatis, seu de prioritate *a quo*, quatenus hoc ipso quod beatitudo supernaturalis hominis sit ultimus finis ejus, habet esse prius volitam in genere causæ finalis; atque adeo simpliciter prius, quam id quod ad illam ordinatur : ut optime expendunt nostri Complut. in lib. Physic. disp. 15 n. 15 et deinceps. 44. Ad tertiu Comp

Et deinde neganda est minor. Et ad primam probationem dicendum est, beatitudinem supernaturalem non concupisci, utcumque homini, sed ut ultimum finem ejus : id autem quod si alicui concupiscitur, est absolute, et simpliciter loquendo prius volitum, quam id cui concupiscitur : siquidem ultimus finis, et volitio ejus est ratio absolute, et simpliciter prior volendi cætera, quæ ad illum ordinantur. Unde quod ex amore ejus cui ultimum finem desideramus, velimus illi prædictum finem, solum probat, quod finis *cui* sit aliquo modo prior, quam finis ultimus *cujus gratia*, non vero absolute, et simpliciter. Quia facta collatione inter hos duos fines, sive rationes finales, est prior absolute, et simpliciter finis *cujus gratia*, quam finis *cui* : siquidem iste ad illum ordinatur ut ad finem ultimum, et ordinatione absoluta, et simpliciter tali : et eatenus ultimus finis concupiscitur fini *cui*, quatenus concupiscitur illi quod ordinetur ultimate ad finem *cujus gratia*, et de facto ad illum per illam volitionem ordinatur : quamvis quia illa volitio non possit esse sine fine *cui* ; propterea quodammodo finis ille ultimus pendeat ab isto. Ad prim proba nec mino

Contra quod nihil obest, quod hæc dependentia sit in eodem genere causæ, nempe in genere causæ finalis : quia intra latitudinem hujus generis sunt multæ, et diversæ species, aut quasi species, et licet in eadem specie, aut quasi specie atoma contenta sub hoc genere, non possit esse mutua dependentia, bene tamen in diversis. Sicut quia sub genere causæ materialis continentur causa dispositiva, et causa pure receptiva, propterea accidentia possunt in ordine ad receptionem formæ substantialis esse Occu tu laci cuid repli

esse priora prioritate secundum quid, nempe in genere causæ materialis dispositivæ, quam materia prima : e contra vero materia prima potest esse prior in genere causæ materialis pure receptivæ; atque adeo potest etiam esse absolute, et simpliciter prior quam prædicta accidentia. Sed de his videantur nostri Complut. in lib. de Generat. disp. 2 n. 111.

uplut.

Ad secundam probationem respondetur, verba illa D. Thom. ut ex contextu constat, esse intelligenda de ultimo dilecto, quatenus importat, quod non ordinetur, aut quasi ordinetur ad aliud tanquam ad finem *cui*. Nam in hoc sensu verissimum est, quod id quod amatur amore concupiscentiæ, non potest esse hoc modo ultimum dilectum : quia hoc ipso quod ametur amore concupiscentiæ concupiscitur alicui, et ordinatur, aut quasi ordinatur ad illud ut ad finem *cui*. Non tamen negat sanctus Doctor, quod id quod concupiscitur amore concupiscentiæ, possit esse ultimum concupitum, et propter se quæsitum, et desideratum, ita ut sit finis ultimus, sive *cujus gratia*, ut in beatitudine supernaturali contingit, ac proinde nec negat, quod sit absolute, et simpliciter prius volitum, quam finis *cui*.

15. Ad cuulam batioem.

Unde sanctus Doctor ibidem sic concludit : *Beatitudo ergo creata, quæ in nobis est, non diligitur nisi amore concupiscentiæ. Unde ejus dilectionem referimus ad nos, et per consequens referimus eam in Deum, cum et nos in Deum referre debeamus : et ita non potest esse ultimum dilectum : est tamen ultimum concupitum ex hoc ipso quod est maximum bonum, quod nobis ex conjunctione ad Deum provenit : et ideo dicitur esse propter se quæsitum, vel desideratum. Utrumque enim importat aliquid ultimum in iis quæ diliguntur amore concupiscentiæ : etsi enim Deus concupiscatur, tamen idem est concupiscere Deum, et maximum bonorum quod nobis ex Deo provenit.*

'hom.

Ad tertiam probationem patet ex dictis, ad summum convincere beatitudinem supernaturalem hominis esse volitam simul cum homine : et per consequens non esse volitam prius prioritate subsistendi consequentia, quam ille, non tamen non esse volitam prius prioritate causalitatis in genere causæ finalis, et modo explicato.

Ad rtiam.

DISPUTATIO II.

De prædestinatione quoad quid est? *illius.*

Quia quæstio *quid est?* post quæstionem *an est?* recto ordine subsequitur, ideo merito post præcedentem disputationem de *an est?* prædestinationis, hanc ad ejus quidditatem explicandam movemus. 1.

DUBIUM I.

Utrum prædestinatio essentialiter consistat in actu divini intellectus, vel in actu suæ voluntatis, vel in utroque simul?

Prædestinationem debere esse actum, vel intellectus, vel voluntatis Dei, aut utriusque simul, communiter recipitur ab universis Theologis ; quamvis dissensus sit inter illos, in quonam ex istis actibus in particulari, vel an in utroque simul consistat : et propterea hoc in præsenti dub. explicandum suscipimus, et merito huic difficultati primum dubium præsentis disputationis damus : quoniam cuncta quæ de prædestinationis essentia dicenda sunt, ex hujus decisione pendent. Status quætionis.

§ I.

Refertur duplex sententia.

Prima sententia affirmat, prædestinationem consistere essentialiter in actu voluntatis divinæ. Pro hac refertur D. Bonavent. in 1 dist. 40 art. 1 quæst. 2, Scotus, Gregor. et Gabriel quæst. 1, Aureol. q. 4, Echius cent. 1 de Prædestinatione a n. 1 usque ad 18, Vazquez disp. 87 cap. 3, Suarez lib. 1 de essentia prædestinationis capite 17 num. 15, Lessius disp. de prædest. hominum et Angelor. sect. 1. 2. Bonavent. Scotus. Gregor. Gabriel. Aureolus Echius. Vazquez. Suarez. Lessius.

Probatur primo. Quia in Scriptura prædestinatio vocatur electio, juxta illud ad Ephes. 1 : *Elegit nos in ipso*, et prædestinati dicuntur electi, ut Matth. 22 : *Multi sunt vocati pauci vero electi*, et ad Roman. 8 et similiter eadem prædest. dicitur dilectio, ut ad Rom. 9 et Malach. 1 : *Jacob dilexi*, idest, prædestinavi. Et tandem prædestinatio multoties nuncupatur propositum seu decretum, ut ad Ephes. 1 : *Prædestinati secundum propositum ejus*, et Actor. 4 : *Quæ manus tua, et consilium tuum decreverunt fieri :* ubi Græce habetur verbum quoddam significans idem, ac *prædestinari :* sicque legit Prosper ad capita Gallorum Primum argumentum, ex Script. Ephes. 1. Matt. 22. Ad Rom. 8. Ad Rom. 9. Malach. 1. Ephes. 1. Actor. 4. Prosper.

responsione 13. Constat autem quod *electio* et *dilectio* sunt actus voluntatis, ut communiter docent Philosophi, et Theologi, sicut etiam *propositum* pertinet ad voluntatem ut
Aristotel. actus ejus : et propterea Arist. 6, Ethic. cap. 12 actus voluntatis, qui sunt electio, et intentio finis, vocat propositum. Et si-
Esther. 13. militer Esther 13 postquam dictum fuit : *Non est qui possit resistere voluntati tuæ*, additur : *Si decreveris salvare Israel*, ut ostendatur decretum, seu (quod idem est) propositum Dei esse voluntatem illam, cui
Isaiæ 14. nemo potest resistere. Et Isaiæ 14, ubi nos legimus : *Dominus exercituum decrevit, et quis poterit infirmare?* in Græco habetur : *Dominus voluit :* ergo, etc.

3. Confirmatur. Nam hoc ipsum videntur
Confirmatur ex Patribus Damasc. sentire Damascen. lib. 2 de fide cap. 29, ubi agens de providentia, sub qua prædestinatio continetur, ut infra num 18, 50 et 71 dicemus, inquit : *Providentia est voluntas Dei, per quam res apte congrueque gubernantur;* Nyssænus apud sanct. Thom. 3
Nyssæn. contra Gent. cap. 73 ratione 3 : *Providentia* (ait) *divina, est voluntas Dei*; Boetius 4 de
Boet. consolatione prosa 7, ubi inquit : *Deus sua bonitate gubernat mundum.* Quare sicut bonitas ad voluntatem pertinet, ita etiam
Fulgent. providentia, qua cuncta gubernat. Fulgentius lib. 1 ad Monimum capit. 7 et 12,
Prosper. D.Thom. Prosper cap. 8 ad Gallos, et D. Thom. in opusculo de prædestinatione; idque probant hi tres ultimi Patres, ex eo quod nu-
Ephes. 1. per dicebamus, nimirum quia ad Ephes. 1 dicitur : *Prædestinavit nos secundum propositum voluntatis suæ :* propositum autem ad voluntatem spectat.

4. Secundo probatur. Quoniam si Deus ef-
Secundum argumentum ex ratione ficaciter velit tribuere gloriam Petro, tunc eo ipso Petrus illam tempore stabilito consequetur : ergo talis volitio est prædestinatio : et per consequens prædestinatio in actu voluntatis consistet. Hæc ultima consequentia ex priori liquet. Prima vero ex antecedenti. Quoniam cum consecutio gloriæ sit effectus prædestinationis, non potest non prædestinatio, quæ est causa illius, consistere in illo actu Dei, quo posito, est eo ipso infallibilis talis consecutio. Antecedens autem probatur. Quia non stat Deum efficaciter velle alicui gloriam, quin eo ipso suo tempore eam non consequatur : alioqui efficax decretum divinæ voluntatis maneret frustratum, et ejus efficacia non esset summe perfecta.

5. Confirmatur primo. Quia posito quocumque actu intellectus, et secluso actu voluntatis non salvaretur Petrus de facto : ergo cum posito actu efficaci divinæ voluntatis respectu salutis æternæ Petri, infallibiliter subsequatur talis salus (ut modo dicebamus) signum erit prædestinationem consistere in actu voluntatis, non vero intellectus. Consequentia videtur legitima. Antecedens autem probatur. Quia nullus actu salvatur, nisi Deo volente : unde prædestinatio non est actus necessarius Dei (alioqui creaturæ intellectuales de necessitate salvarentur) sed omnino liber.

Confir matur primo.

Confirmatur secundo. Nam prædestinatio, et providentia supernaturalis, ac generalis, per quam omnes homines etiam reprobi ordinantur per auxilia sufficientia ad vitam æternam, in hoc distinguuntur, quod illa includit efficacem ordinem, et voluntatem absolutam salvandi electos; secus vero ista, secundum se, et præcise considerata : et propterea circa reprobos circa quos est in Deo prædicta providentia generalis, non ponitur in illo hæc voluntas absoluta, et efficax, sed solum conditionata, et secundum quid : ergo prædestinatio formaliter consistet in illo actu absoluto, et efficaci divinæ voluntatis. Patet consequentia. Tum quia idem est principium distinctivum essentialiter, et constitutivum. Tum etiam : quia tota efficacia divinæ ordinationis, quæ est potissimum in prædestinatione, quaque prædestinati diriguntur in beatitudinem, provenit ex voluntate : siquidem intellectus non habet efficaciam in causando, et operando, nisi ex motione ejusdem voluntatis.

Confir matur secundo.

Tertio. Nam providentia, cujus pars est prædestinatio, consistit in cura quadam, et sollicitudine, seu studio futurorum secundum rectam dispositionem : ergo consistet in actu voluntatis tam ipsa, quam prædestinatio, quæ est ejus pars. Antecedens est Boetii lib. 5 de consolatione prosa ult. Consequentia vero probatur. Tum quia D. Thom. 2, 2, q. 166 ait, studiositatem esse virtutem residentem in voluntate, quia est virtus moralis, cujus actus, scilicet studium, est operatio voluntatis : ergo sentit, studium esse actum voluntatis. Tum etiam : quia hæc cura, et sollicitudo, tantum potest consistere in hoc quod est curare, ut media efficaciter fiant propter finem intentum, scilicet beatitudinem : hoc autem dicit actum voluntatis, siquidem fit per electionem, et ex vi intentionis præcedentis : ergo, etc.

6. Tertio.

Boet.

D.Tho.

Confirmatur. Nam illos, qui sciunt facere,

Conf matu

cere, et tamen nolunt, non dicimus providos : ergo providentia magis respicit volitionem, quam cognitionem, et in illa, non vero in ista consistet : et per consequens hoc ipsum erit de prædestinatione dicendum. Hæc ultima consequentia ex priori satis liquet : siquidem (ut jam diximus) prædestinatio est pars providentiæ. Prima vero ex antecedenti patet. Antecedens autem ex communi usu, et consensu sapientum constat.

7. Quartum

Quarto. Nam prædestinatio, et reprobatio sunt actus ejusdem potentiæ, cum unus sit alteri oppositus, sicut *velle* et *nolle* : at reprobatio non est essentialiter actus intellectus, sed voluntatis : ergo idem dicendum erit de prædestinatione. Consequentia cum majori videntur perspicuæ. Minor autem probatur. Tum quia ad voluntatem spectat approbare vel reprobare; et ita ea, quæ voluntati placent, approbantur, et ea, quæ ei displicent, reprobantur. Tum etiam : quia reprobatio, ut nomen præ se fert, et aperte ostendit Paulus ad Rom. 9 dum inquit : *Ex vocante dictum est, Jacob dilexi, Esau autem odio habui;* nihil aliud videtur esse, quam odium, quo Deus prosequitur præscitos, et eos vult a suo regno repellere : odium autem est actus voluntatis : ergo, etc.

Ad Rom. 9.

8. Secunda sententia

Secunda sententia asserit, prædestinationem consistere formaliter, et essentialiter in utroque actu intellectus, et voluntatis divinæ, ita Marsil. in 1 dist. 41 art. 1 notabili 2, Tarantasius in 1 dist. 40 q. 2, Molina in præsenti disp. 2, Becanus 1 tom. summæ Theologiæ c. 14 q. 2, Arrubal in hac 1 p. q. 22 art. 2 disput. 63 c. 5.

Marsil. Tarant. Molina. Becan. Arrub.

Primum argumentum. ex Scriptura.

Probatur primo. Nam Scriptura aliquando explicat prædestinationem nomine *dilectionis*, *electionis*, et *propositi*, ut in locis pro præcedenti sententia relatis : aliquando nomine *consilii*, quod est actus intellectus, ut ad Ephes. 1 : *Prædestinavit nos secundum consilium;* et nomine *præscientia*, ut ad Rom. 11 : *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit*, idest, *prædestinavit*, ut explicat Aug. de Dono perseverant. c. 18 : ergo juxta Scripturam uterque actus pertinebit ad ejus essentiam.

Ephes. 1. Roman. 11. Aug.

Confirmatur ex Augustin.

Confirmatur. Tum ex Augustin. loco infra, numer. 11 et 137 referendo, ubi definit prædestinationem tam per *præscientiam*, quam per *præparationem* beneficiorum Dei, quibus certissime salvantur ii, qui salvandi sunt : constat autem *præscientiam* dicere actum intellectus, et *præparationem* actum voluntatis : quia Deus non est peculiariter paratus ad tribuenda prædicta beneficia prædestinatis nisi ratione sui decreti, quod statuit, ea illis conferre. Tum etiam ex D. Thom. in hac q. art. 2 ad 2, ubi ait : *Id dicimur destinare, quod mente firmiter proponimus :* at *proponere*, ad voluntatem spectat, ut nuper dicebamus; *destinare* vero, cum sit ordinare, ad intellectum pertinet : ergo, etc.

Et ex D.Thom.

9. Secundum argumentum ex ratione.

Secundo. Quoniam hic urget confirmatio illa posterior secundi argumenti in favorem primæ sententiæ adducti : quia ordinatio illa, quæ est de ratione prædestinationis, debet esse ordinatio efficax : ergo non solum debet esse excogitata per intellectum, sed etiam stabilita per voluntatem : ergo erit actus utriusque facultatis, scilicet intellectus, et voluntatis. Antecedens patet ex ibidem dictis. Consequentia vero etiam constat. Quoniam (ut loco citato dicebamus) actus intellectus, non accedente actu voluntatis, nequit esse efficax in operando, aut efficaciter dirigendo.

§ II.

Vera D. Thom. sententia proponitur, et quoad primam ejus partem probatur.

10. Conclusio.

Dicendum tamen est, prædestinationem indispensabiliter involvere, sive connotare actum voluntatis, formaliter tamen, et in recto solum consistere essentialiter in actu intellectus. Ita D. Thom. in hoc art. ubi (ut disp. præcedenti diximus) definit prædestinationem per hoc, quod sit ratio transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ in mente Dei existens. Idem etiam docet q. 6 de Verit. art. 1 his verbis : *Sicut de providentia supra dictum est quod consistit in actu rationis, sicut et prudentia, cujus est pars, eo quod solius rationis est dirigere, vel ordinare, ita etiam, et prædestinatio in actu rationis consistit dirigentis, vel ordinantis in finem : sed ad directionem in finem præexigitur voluntas finis. Nullus enim aliquid in finem ordinat, quod non vult, etc., et ideo prædestinatio præsupponit electionem, per quam Deus vult salutem alicujus.* Et q. 5 de Verit. art. 1 ad 8, ubi explicans illud dictum Boetii 4 de consolatione dicentis : *Quod providentia est illa divina ratio in summo omnium principe constituta*, sic ait : *Dicendum quod ratio illa in summo principe constituta non dicitur providentia nisi adjuncto ordine ad*

D.Thom.

Probatur ex Patribus

finem, ad quem præsupponitur voluntas finis. Unde licet essentialiter ad cognitionem pertineat, tamen voluntatem aliquo modo includit.

Et art. 4 hujus quæstionis his verbis : *Dicendum quod prædestinatio secundum rationem præsupponit electionem, et electio dilectionem. Cujus ratio est. Quia prædestinatio est pars providentiæ : providentia autem sicut, et prudentia, est ratio in intellectu existens præceptiva ordinationis aliquorum in finem, ut supra dictum est. Non autem præcipitur aliquid ordinandum in finem, nisi præexistente voluntate finis. Unde prædestinatio aliquorum in salutem æternam, præsupponit secundum rationem, quod Deus illorum velit salutem : ad quod pertinet electio, et dilectio.* Ubi ut vides, prædestinatio in solo actu intellectus consistere dicitur : et quod solum affert actum voluntatis tanquam quid necessario prærequisitum seu tanquam connotatum indispensabile, quamvis prævium prioritate *a quo :* quod etiam docuit idem sanctus Doctor q. 22 hujus 1 p. art. 1 ad 3.

11. D. Aug. Eamdem sententiam tuetur Aug. lib. de Dono persever. c. 14 ubi inquit : Prædestinationem esse præscientiam, et cap. 17, Nihil aliud esse quam in præscientia disponere futura, et c. 18 subdit : *Aliquando eadem prædestinatio significatur, etiam nomine præscientiæ, sicut ait Apostolus. Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit hoc quod ait, præscivit, non recte intelligitur, nisi prædestinavit.* In quibus verbis ut explicaret quomodo prædestinatio formaliter, in recto, et essentialiter, solum consistit in actu intellectus, propterea solum meminit præscientiæ : et ut denotaret quomodo in prædestinatione involvitur aliquo modo actus voluntatis, idcirco definiens illam c. 14 nuper citato, inquit : *Prædestinatio Sanctorum nihil est aliud quam præscientia, et præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur.* Constat autem quod actus divini intellectus habens nexum infallibilem cum effectu futuro non potest non connotare efficax decretum divinæ voluntatis.

Boet. Idem etiam docet Boetius lib. 4 de prædestinatione prosa 5, inquiens : *Providentia est ipsa divina ratio in summo omnium principe constituta, quæ cuncta disponit.* D.Thom. Quæ verba (ut ex D. Thom. nuper vidimus) denotant providentiam, ac proinde prædestinationem, quæ est ipsius pars, consistere formaliter in actu intellectus, et aliquo modo includere actum voluntatis : Damascenus lib. 2 de providentia c. 29. Quos sequuntur Capreolus, Hispalensis, Durandus, Ricardus, Gabriel, et alii in 1 dist. 40 : Alensis 1 p. q. 28 membro 1 artic. 1 et 2 ad 3 ; Cajet. in præsenti, Ferrara 3 contra Gent. c. 64, Bannez art. sequenti dub. 1, Valentia puncto 2, Zumel. q. præced. art. 1 q. 2, Nazar., Ripa, Gonzalez, Machin, Granado, Petrus Cornejo in hoc art., Alvarez lib. 5 de Auxiliis disp. 35, Bellarmin. tom. 3 lib. 2 de gratia, et libero arb. c. 9, Cartagena discursu 2 de prædestinatione, et alii plures.

Damasc. Capr. Hispal. Durand. Ricard. Gabriel. Alens. Cajet. Ferrara. Bannez. Valent. Zumel. Nazar. Ripa. Gonzalez Machin. Granado Cornejo. Alvarez. Bellarm. Cartag.

Assertio hæc quoad primam partem, nempe actum voluntatis indispensabiliter involvi, sive connotari a prædestinatione, aperte sequitur ex posteriori ejusdem assertionis parte, breviterque, et efficaciter potest ratione, quam insinuat D. Thom. locis citatis, ostendi. Quoniam hoc ipso quod prædestinatio consistat in actu divini intellectus, seu (quod in idem quoad præsens redit, ut ex statim dicendis constabit) in efficaci ordinatione mediorum ad consequendum finem vitæ æternæ, oportet ut ibidem indispensabiliter involvatur, sive connotetur actus voluntatis : siquidem non potest dari efficax ordinatio in finem, quin præcedat efficax voluntas finis, ut ex se patet.

12. Ratio assertionis quoad primam partem. D.Thom.

Confirmatur primo ratione ejusdem sancti Doctoris de Verit. q. 5 art. 1 et supra q. præcedenti art. 1 ad 3. Nam in nobis prudentia sive providentia, quæ est pars prudentiæ, habet se ad instar cujusdam ratiocinantis, cujus principia sunt fines, et volitiones eorum, et ita necessario prærequirit, tanquam aliquid ad ipsam præsup positum, voluntatem finis : ergo etiam in Deo prudentia, et per consequens providentia sive prædestinatio, quæ est ejus pars, ut infra dicemus, hoc ipsum seclusis imperfectionibus habebit : et sic licet non includat essentialiter, et in recto actum voluntatis, indispensabiliter tamen illum prærequiret, et connotabit.

13. Confirmatur primo ratione. D.Thom

Antecedens explicatur, et probatur a D. Thom. loco citato : ubi postquam dixit providentiam, atque adeo prædestinationem, esse partem prudentiæ, et eis convenire id quod convenit prudentiæ, addidit : *Patet ergo, quod prudentiæ est, aliqua ordinate ad finem disponere. Et quia ista dispositio eorum, quæ sunt ad finem, in finem per prudentiam, est per modum cujusdam ratiocinationis, cujus principia sunt fines (ex eis enim*

trahitur

trahitur tota ratio ordinis prædicti in omnibus operabilibus, sicut manifeste apparet in artificiatis) ideo ad hoc quod quis sit prudens, requiritur quod bene se habeat circa ipsos fines : non enim potest esse recta ratio, nisi principia rationis salventur, et ideo ad prudentiam requiruntur, et intellectus finium, et virtutes morales, quibus affectus recte collocatur in fine ; et propter hoc oportet omnem prudentem esse virtuosum , ut in 6 Ethic. dicitur. In omnibus autem virtutibus, et actibus animæ ordinatis, hoc est commune, quod virtus primi salvatur in omnibus sequentibus. Et ideo in prudentia quodammodo includitur, et voluntas, quæ est de fine, et cognitio finis.

Consequentia vero ex paritate rationis videtur perspicua. Et ita ex antecedenti posito eam intulit idem S. Doctor ibidem sic : *Ex dictis igitur patet quomodo providentia se habet ad alia, quæ de Deo dicuntur : pertinet enim tantum ad cognitionem eorum, quæ sunt ad finem, secundum quod ordinantur in finem, et ideo providentia includit, et scientiam, et voluntatem ; sed tamen essentialiter in cognitione manet : non quidem speculativa sed practica.*

14. Confirmatur secundo ratione jusdem S. Doctoris.

Confirmatur secundo ratione quam insinuat S. Doctor 1, 2 q. 13 ar. 1. Quia repugnat duos actus duarum potentiarum, quales sunt intellectus, et voluntas divina, pertinere essentialiter, et ex æquo ad unam, et eamdem formalissimam rationem, qualis est prædestinatio, constituendam : ergo cum prædestinatio consistat formaliter, et in recto in actu intellectus (ut statim dicemus) et debeat etiam includere actum voluntatis, ut ex dictis tam pro nostra, quam pro prima, et secunda sententia constat, oportet ut actus voluntatis solum in obliquo, et pro connotato ab ea importetur. Consequentia videtur legitima. Antecedens autem probatur. Quia unica formalissima ratio ad unicam lineam tantummodo debet formaliter, et in recto pertinere : et ita non debet formaliter, et in recto importare actus intellectus, et voluntatis, qui ad duplicem lineam spectant : et propterea S. Doctor loquens loco citato de electione, quæ est appetitus præconsiliati, ac proinde quodammodo includit actum intellectus, et voluntatis, inquit non posse propter rationem datam concurrere ex æquo ad constituendam electionem ; sed unum eorum, nempe consilium, importari in obliquo, et per modum connotati prærequisiti, alium vero, nempe actum voluntatis, in recto.

15. Objectio. Prior probatio. Præceptor Angel.

Nec refert si objicias, hanc ultimam confirmationem non videri efficacem. Tum quia D. Thom. q. præced. art. 1 ad 3, postquam dixit providentiam, ac proinde prædestinationem, esse in intellectu, præsupponere tamen voluntatem finis, addidit : *Et tamen si providentia ex æquali respiceret voluntatem, et intellectum divinum, hoc esset absque detrimento divinæ simplicitatis, cum voluntas, et intellectus sint idem in Deo, ut supra dictum est :* ergo sentit non ideo providentiam, et prædestinationem consistere in actu intellectus connotando voluntatem, quia si æqualiter in utroque consisteret, tunc prædestinatio non diceret unam simplicissimam rationem : et per consequens confirmatio ista, quæ in hoc innititur, non erit efficax.

Secunda probatio.

Tum etiam : quia non est inconveniens ut ea, quæ in uno ordine sive genere pertinent ad diversas lineas, possint secundum aliam rationem ad eamdem lineam in recto pertinere, eamque in recto constituere ; ita ut materialiter, et per acciden se habeat, quod in illo ordine ad prædictas lineas spectent : ergo divina prædestinatio, ut habet rationem peculiaris providentiæ, poterit ex æquo dicere actum intellectus, et voluntatis, qui secundum hanc rationem constituant unicam, et eamdem lineam, quamvis intra ordinem, et genus spiritualitatis , sub quo continentur, pertineant alias ad diversas lineas, scilicet ad lineas intellectus, et voluntatis. Consequentia videtur perspicua. Antecedens autem probatur, et explicatur in numero v. g. senario, qui continetur intra genus numeri, et intra illud constat in recto ex unico numero binario, et ex alio quaternario constituentibus unicam, et eamdem lineam numeri senarii, cum tamen prædicti numeri ad distinctas species, sive lineas numeri binarii, et quaternarii sub numero prædicamentali ut sic contentas, spectent.

16. Diluitur objectio quoad primam probationem.

Respondetur enim negando antecedens Et ad primam probationem dicendum est, S. Doctorem intelligendum esse de detrimento divinæ simplicitatis prout opponitur compositioni, et unioni plurium inter se ex natura rei secluso intellectu distinctorum : et propterea pro ratione adduxit, quod voluntas, et intellectus in Deo sunt idem, idest, actu inter se realiter identificata, quamvis virtualiter distinguantur, et ad distinctas lineas spectent. Quoniam ex hoc aperte sequitur, quod licet prædestinatio ex æquo pertineret ad intellectum, et voluntatem

divinam; nihilominus non ideo esset in eo aliquis defectus simplicitatis, seu aliqua compositio realis, sed identitas, et simplicitas opposita prædictæ compositioni, et distinctioni. Non tamen intelligendus est S. Doctor de detrimento simplicitatis prout opponitur multiplicitati virtuali, et dicit unam, et eamdem rationem non solum formaliter, sed formalissime unam, et ad unicam lineam, secundum id quod formalissime, et in recto dicit, spectantem : quo pacto quævis ratio in Deo reperta, si cum præcisione, et formalissime sumatur, debet habere simplicitatem, idest, ita secundum ea, quæ in recto, et essentialiter importat, pertinere ad unam lineam, quod secundum prædicta non pertineat ad aliam, ut inductione facta in aliis rationibus formalibus existentibus in Deo, et cum præcisione sumptis cernere licet.

17. [Et] quoad secundam. Ad secundam vero probationem respondetur, quod licet in creatis possit id contingere, non tamen in divinis. Et ratio est. Quia in creatis potest aliquid secundum unam rationem esse completum, et perfectum, et secundum aliam incompletum, et imperfectum. Unde numerus senarius v. g. non constat ex binario, et quaternario ut talibus, ac proinde ut uterque est quid completum, sicut nec etiam constat ex duplici ternario ut tali, juxta illud Arist. : *Bis tria non sunt sex, sed semel sex* : sed ex sex unitatibus, ut possunt ordinari in modum senarii : ac proinde secundum quod sunt in se incompletum, et imperfectum quid : at quævis linea, et ratio divina, qualis est ratio intellectus, et voluntatis, est ratio perfectissima, et completa secundum suam essentiam actualem, ita ut nequeat in ordine essentiæ esse quid incompletum, et imperfectum : et ideo ex utraque in recto nequit resultare unica essentia actualis, quæ formalissime loquendo, et non solum identice sit una, et eadem simplicissima et per se una formalitas : quamvis quia sola divina essentia affert per se, et ratione sui propriam existentiam, secus vero aliæ formalitates divinæ, propterea omnes illæ possunt uniri in unico, et eodem tertio quoad existendum, et ex eis unum per se existens, quod in hoc ordine existendi sit formalissime unum, et singularissimum, quasi resultare.

Arist.

§ III.

Eadem D. Thom. sententia duplici ratione quoad posteriorem ejus partem stabilitur.

18 Prima ratio quoad posteriorem assertionis partem. Deinde quoad aliam partem, nempe prædestinationem formaliter, et in recto solum consistere essentialiter in actu divini intellectus (quam partem consulto ultimo loco proposuimus, quia ejus probatio fusior quam præcedens erit) sic suadetur assertio, ratione desumpta ex D.Thom. in hoc art. et q. 5 de Verit. art. 1 et q. 6 art. etiam 1 quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam prædestinatio formaliter, et in recto est perfectissima, et peculiarissima quædam providentia, qua Deus de prædestinatis providet : sed providentia formaliter, et in recto considerata consistit in actu intellectus tantummodo : ergo etiam prædestinatio. Consequentia aperte sequitur ex utraque præmissa.

D.Thom.

Major vero patet. Tum ex se, et ex communi Theologorum consensu, et ita Deus formaliter ut prædestinans, dicitur peculiarissime curare, et providere de prædestinatis præparando, et providendo eis efficacia media, quibus æternam salutem consequantur. Tum etiam : quia prædestinatio formaliter, et in recto est præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur : constat autem quod peculiarissima providentia, quam Deus erga prædestinatos habet, consistit in hac præparatione prædictorum beneficiorum. Et ita in eadem peculiarissima providentia formaliter, et in recto prædestinatio consistet.

Minor autem probatur ex eo quod providentia hæc, sive prædestinatio, est pars prudentiæ, sicut, et in nobis providentia est præcipua prudentiæ pars, ad quam duæ aliæ partes ordinantur, nempe memoria præteritorum, et intelligentia præsentium, prout ex præteritis memoratis, et præsentibus intellectis conjectamur de futuris providendis : sed prudentia pertinet ad intellectum, et ejus actus formaliter, et in recto est actus intellectus, non vero voluntatis, ut ostendit D. Th. 2, 2, q. 47 art. 1 et 2, et 1, 2 q. 61 art. 2 et q. 85 art. 3 de Malo q. 4 art. 5 ad 4 de Virtutibus q. 1 art. 6, et docet Philosoph. 6 Ethic. et cum eo communiter Theologi Morales. Et propterea idem Philosophus ibidem definiens nostram prudentiam, inquit, quod est recta ratio agibilium : sicut etiam propter hanc rationem

D.Thom

Arist.

nem munus prudentiæ est dijudicare, et præscribere ea, quæ attentis omnibus circumstantiis facienda sunt, sive a nobis sive ab illis, qui sub nostra potestate sunt.

19. Secunda ratio. D.Thom. Posterior ratio assertionis quoad hanc eamdem partem, per quam præcedens ratio elucidatur, sumitur ex eodem Angelico Doctore locis citatis, potestque ad hanc formam reduci. Nam prædestinatio formaliter, et in recto nihil est aliud quam peculiaris actus Dei, quo per certa et efficacia media ordinat, et dirigit prædestinatos in æternam salutem : sed hæc ordinatio seu directio formaliter, et in recto, solum consistit essentialiter in actu intellectus, non vero in actu voluntatis : ergo etc. Major patet : tum ex ipsa nominis significatione, quam disp. præcedenti n. 4 explicuimus.

Probatur major tripliciter. Tum etiam : nam propterea D. Thom. in præsenti, et satis communiter Theologi una cum eo inferunt necessitatem prædestinationis secundum suam essentiam, et secundum id quod in recto affert consideratæ in ordine ad consequendam vitam æternam, quia finis hic est superexcedens naturæ rationali, et ita indiget aliquo a quo transmittatur, dirigatur, et ordinetur in talem finem, ac proinde prædestinatione, in hac activa ordinatione consistente : sicut sagitta, quæ ex se ipsa nequit tendere ad aliquem scopum, indiget aliquo transmittente, ordinante, et dirigente eam in illum. Sicut etiam ob hanc eamdem rationem idem Angelicus Doctor in præsenti inquit, quod prædestinatio est ratio hujus transmissionis seu ordinationis in finem, non qualemcumque, sed superexcedentem et ultimum, nempe vitæ æternæ, ut disp. præcedenti tetigimus.

20. Tum denique : quia id ipsum importat formaliter, et in recto prædestinatio circa prædestinatos, quod providentia generalis circa quamcumque aliam rem, quæ a Deo provisa est : siquidem (ut dicebamus) prædestinatio est specialissima quædam cura, et providentia Dei erga prædestinatos : sed providentia generalis Dei formaliter, et in recto, dicit ordinationem omnium rerum in suos fines, seu est ratio ordinationis earum in illos : et propterea Deus est valde providus, quia optime res omnes in suos fines ordinat, et dirigit, estque in eo prædicta ratio ordinationis : sicut et inter homines ille censetur satis providus, qui satis bene scit disponere seu ordinare media in ordine ad consecutionem finis intenti : ergo etiam prædestinatio debet formaliter, et in recto dicere hanc eamdem ordinationem, seu actum Dei quo ordinat prædestinatos in vitam æternam : quamvis ob suam maximam perfectionem, qua superat providentiam generalem, debeat indispensabiliter afferre efficacem transmissionem in finem vitæ æternæ.

Probatur minor quadrupliciter. Minor autem probatur. Tum quia ordinare secundum id, quod de formali, et in recto dicit, proprium est sapientis, ut dicitur in proœmio Metaphysicæ, et refert D. Thom. in principio primi libri contra Gen. Tum etiam : quia ordinare secundum id, quod de formali essentialiter, et in recto affert, necessario includit hoc quod est conferre unum cum alio : et ita qui non potuerit unum alteri conferre, nequibit ea inter se ordinare, aut unum eorum ad aliud dirigere, seu ordinare : constat autem collationem hanc dicere, modo sæpe repetito, actum intellectus, non vero voluntatis : ergo, etc. D.Thom.

Tum deinde : quia opus naturæ secundum id, quod in recto, et essentialiter importat, specialiter habet esse opus ordinatissimum : et propterea dicitur esse opus intelligentiæ, quia proprium est operantis per intellectum ordinare, disponere, et dirigere unum ad aliud.

Tum denique : quia licet voluntas velit media propter finem ; nihilominus talis volitio mediorum non est ordinatio eorum ad finem, sed solum est volitio talis ordinationis, et rei antecedenter ordinatæ ab intellectu cognoscente proportionem mediorum ad finem, et conferente prædicta media cum eodem fine. Unde voluntas eligens, et utens tendit in res secundum ordinationem ratiocinationis veræ vel falsæ, formaliter vel virtualiter dirigentis hæc in illa : et ita si intellectus proponit aliquid voluntati sine aliqua ordinatione, voluntas fertur in illud absolute, et non potest velle unum propter aliud : ut si bonum proponitur voluntati absolute sine aliqua ordinatione ad alterum, tunc voluntas appetet illud per actum intentionis, vel volitionis, ita ut tunc nequeat velle ordinationem unius in aliud.

21. Prima objectio. Aureol. Nec refert si cum Aureolo in 1 dist. 40 ar. 2 objicias, non posse inter se cohærere ea, quæ in hac ratione dicta sunt, nimirum ex una parte prædestinationem esse actum divini intellectus, quo Deus peculiari ratione ordinat prædestinatos in finem vitæ æternæ, et ex alia esse rationem hujus ordinis sive ordinationis, et transmissionis in

eumdem finem. Quoniam ratio alicujus in intellectu existens, potius habet rationem objecti, quam actus : propter quod idea, quia est ratio rei in intellectu Dei existens, non habet rationem actus, sed potius objecti : ergo si prædestinatio est actus divini intellectus, non erit ratio prædictæ ordinationis, transmissionis, seu directionis in finem vitæ æternæ : vel si hoc habuerit, nequibit simul rationem actus sortiri.

Solutio. Respondetur enim negando antecedens, et ad probationem fere constat ex iis, quæ disp. præced. n. 38 et deinceps diximus. Addendum tamen, prædestinationem utrumque munus actus scilicet, et rationis, seu exemplaris, ac objecti existentis in mente

D.Thom. Dei habere. Et ita D. Th. de Verit. q. 6 art. 1 ad 8 et art. 2 fatetur eam esse actum.

Boet. Et in 1 dist. 40 q. 1 ar. 1 ad 1 et Boetius lib. de consolatione pros. ult. ait, illam esse cognitionem : et idem Angelicus Doctor in hoc art. et ipse Boetius lib. 4 pros. 6 dicunt, illam esse rationem existentem in mente Dei, ac proinde habere rationem exemplaris, et formæ excogitatæ.

Capreol. Unde optime Capreolus in 1 dist. 40 q. 1 art. 1 ad 2 primo loco contra tres primas conclusiones, ait, quod quando prædestinatio diffinitur per rationem ordinis, etc., tunc *ratio* ibi significat utrumque scilicet actum, quo ordinat, et transmittit hominem in finem supernaturalem, et etiam formam excogitatam a Deo, quæ est exemplar illius transmissionis, quæ est in mente Dei, sicut hæc nomina *conceptio* et *notitia*, non tantum significant actum intelligendi, sed etiam terminum productum per illum :

Aug. et propterea Augustinus dicit Verbum esse notitiam.

22. Explicatur exemplo. Potestque hoc exemplicari exemplo divini *intelligere* constitutivi Dei. Nam sicut hoc ob suam summam eminentiam, et infinitatem identificat sibi absque distinctione virtuali tam actum intelligendi, quam rationem qua intelligit, necnon rationem ipsam per se primo intellectam, ita etiam proportione servata, quia prædestinatio est efficax, ac practica directio, et ordinatio creaturæ intellectualis in suos fines per certa, et efficacia media, et est infinita intra suam lineam, oportet ut modo sibi proprio identificet sibi absque distinctione virtuali tam ipsum actum ordinandi, quam formam ipsam excogitatam, et habentem se per modum exemplaris respectu hujus ordinationis, et directionis in æternam vitam. Utrum autem hæc forma excogitata seu ipsamet prædestinatio, ut habet rationem objecti, et exemplaris, sit objectum formalissimum, quasi specificans prædestinationem ut talem? an vero ratio quasi specificans eam, quatenus talem, sit divina essentia, modo alibi insinuato, ex supra dictis tract. de Scientia Dei constare potest.

23. Replica. Nec etiam refert si hinc urgeas, quod si prædestinatio dicit tum rationem actus, tum etiam rationem exemplaris, et formæ excogitatæ, coincidit cum idea, et sic non distinguetur adhuc virtualiter ab idea, quod tamen contra communem Theologorum, et D. Thom. sententiam est.

Diluitur. Respondetur enim negando antecedens. Nam licet prædestinatio identificet sibi absque distinctione virtuali formam illam excogitatam, secundum quam per eamdem prædestinationem transmittuntur, ordinantur, et diriguntur homines in finem vitæ æternæ; nihilominus distinguitur ab idea juxta doctrinam D. Th. de Verit. q. 5 art. 1 ad 8, quia ad ideam non desideratur indispensabiliter adjunctus actus voluntatis respectu productionis illius rei, cujus est idea, nec respectu ordinationis ejusdem in suum finem. At providentia, et prædestinatio est illa ratio existens in mente Dei ut habet adjunctam voluntatem finis, et ut dicit ordinationem ad illum. Unde D. Thom. in prædicta solutione ad 8 inquit : *Dicendum, quod ratio illa in summo principe constituta non dicitur providentia, nisi adjuncto ordine ad finem, ad quem præsupponitur voluntas finis. Unde licet essentialiter ad cognitionem pertineat, tamen voluntatem aliquo modo includit.* Et loquens in eodem art. in solutione ad 1 de hoc ipso, inquit : *In re creata duo possunt considerari, scilicet ipsa species ejus absolute, et ordo ejus ad finem; et utriusque forma præcessit in Deo. Forma ergo exemplaris rei secundum suam speciem absolute, est idea : sed forma rei secundum quod est ordinata in finem, est providentia.*

Doct. Angel.

Primum discrimen inter ideam et prædestinationem.

Ex quo etiam sequitur aliud discrimen ex eodem sancto Doctore desumptum, nimirum, quod cum providentia seu prædestinatio sit ratio ordinis rerum in finem jam dictum, et ad hunc ordinem supponatur voluntas talis finis, consequens est ut providentia, et prædestinatio, ac proinde prædicta ratio ordinis ut terminata per prædestinationem ad creaturas, libere Deo conveniat : idea vero cum sit ratio rei secundum suam speciem absolute sumptam, nullum

Secundum discrimen.

nullum supponit actum voluntatis divinæ, et ita necessario Deo competit. Et licet idea practice sumpta afferat etiam actum voluntatis; hic tamen actus ut ab idea affertur, non est respectu ordinationis rei in finem, sed respectu productionis ejus absolute, nec præsupponitur, sed subsequitur ad illam; nec hoc quod est esse practicam, et afferre prædictum actum de productione rei, pertinet ad rationem ideæ, sed (ut sic dicamus) per accidens cum illa conjungitur. Quorum oppositum in prædestinatione ut est ratio, et forma rei, secundum quod est ordinata in finem, contingit.

24. Secunda objectio principalis. D.Thom.

Nec tandem refert si secundo principaliter objicias cum D. Thom. contra posteriorem hanc rationem pro assertione, quod ordinare res non pertinet ad prædestinationem, quia hoc ad virtutem quamdam intellectualem, nempe dispositionem spectat : ergo non bene colligitur prædestinationem in recto, et formaliter, solum consistere essentialiter in actu intellectus, ex eo quod proprium est prædestinationis ordinare.

Enervatur ex Angel. Doct.

Respondetur enim ex eodem sancto Doctore q. 5 de Verit. art. 1 ad 9 his verbis : *Dicendum, quod in rebus potest considerari duplex ordo; unus secundum quod egrediuntur a principio, alius secundum quod ordinantur ad finem. Dispositio ergo pertinet ad illum ordinem, quo res progrediuntur a principio. Dicuntur enim aliqua disponi secundum quod in diversis gradibus collocantur a Deo, sicut artifex diversimode collocat partes sui artificii : unde dispositio ad artem pertinere videtur : sed providentia importat illum ordinem, qui est ad finem, et sic providentia differt ab arte divina, et dispositione : quia ars divina dicitur respectu productionis rerum, seu dispositio respectu ordinis productorum, providentia autem dicit ordinem in finem artificiati. Sed quia ex fine artificii colligitur quidquid est in artificiato; ordo autem ad finem est fini propinquior, quam ordo partium ad invicem et quodammodo causa ejus, ideo providentia quodammodo est dispositionis causa, et propter hoc dispositionis actus frequenter providentiæ attribuitur : quamvis ergo providentia nec sit ars, quæ respicit productionem rerum, nec dispositio, quæ respicit rerum ordinem ad invicem; non tamen sequitur quod non pertineat ad practicam cognitionem.*

§ IV.

Respondetur argumentis utriusque sententiæ initio adductis.

25. Ad primum primæ sententiæ.

Ad primum primæ sententiæ respondetur, ex Scriptura tantum haberi, requiri ad prædestinationem tam actum voluntatis, quam intellectus divini : et propterea aliquando prædestinatio explicatur nominibus pertinentibus ad intellectum, aliquando vero spectantibus ad voluntatem. Quare an prædestinatio formaliter, et in recto consistat essentialiter præcise in actu intellectus connotando actum voluntatis, vel e contra? non est decidendum ex Scriptura, sed ex discursu Theologico, et ex principiis Philosophiæ moralis, ex quibus constat prædestinationem esse partem prudentiæ, et ordinationem mediorum in finem, et per consequens consistere in actu intellectus connotando actum voluntatis, ut explicatum est : et ita nos ad ostendendum prædestinationem consistere modo dicto in actu intellectus potius, quam in actu voluntatis, non usi sumus testimoniis Scripturæ, in quibus denotatur prædestinationem importare actum intellectus, sed ad alia principia confugimus, ut intuenti patebit.

26. Ad confirmationem.

Ad confirmationem ex plribus testimoniis Patrum coalescentem, respondetur, ideo Patres (unico excepto Angelico Doctore de quo statim) explicasse prædestinationem per actum voluntatis, quia ad illam indispensabiliter, et modo dicto desideratur. Quæ solutio desumitur ex D. Thoma q. 5 de Verit. art. 1 in solutione ad 1 ex iis, quæ secundo loco proposuit : ubi peculiariter loquens de testimonio ex Damasceno adducto, sic inquit : *Ad primum vero quod de voluntate objicitur, dicendum, quod pro tanto Damascenus dicit providentiam esse voluntatem, quia voluntatem includit et præsupponit, ut dictum est*, nempe per modum connotati, ex eo quod præsupponit volitionem finis. Unde explicans testimonium illud Boetii 4 de consolatione pros. 69 quod tertio loco in hac confirmatione adducitur, inquit : *Dicendum, quod Deus dicitur gubernare per bonitatem, non quasi bonitas sit ipsa providentia, sed quia est providentiæ principium, cum habeat rationem finis :* et per consequens sicut volitio finis, ad providentiam, et prædestinationem præsupponitur, ita et finis ipse. D.Thom.

Et tandem propter hanc eamdem rationem idem S. Doctor 2, 2, q. 88 art. 1 et in D.Thom

1 dist. 40 q. 1 art. 2 ad 2 explicat illud testimonium ad Ephes. 1, nempe, quod Deus *prædestinavit nos secundum propositum* etc., ita ut faciat hunc sensum, nimirum quod ut prædestinaret, præcessit propositum, quod est actus voluntatis deliberatæ supponentis cognitionem finis in quem tendat.

Ad illud autem, quod ex D. Thoma opusculo illo adducitur, dicendum est, vel prædictum opusculum, non esse ab eo compositum, cujus signum est quod inter sancti Doctoris opuscula insertum habetur; vel quod in hoc art. sententiam illam mutavit.

27 Ad secundum. Ad secundum distinguendum est antecedens : *Tunc eo ipso Petrus illam tempore stabilito consequeretur*, idest, præcise ex vi hujus volitionis tanquam causæ adæquatæ, negandum est : ex vi illius voluntatis initiative, et tanquam causæ remotæ, et radicalis, concedendum est. Et deinde negari debet utraque consequentia. Quoniam prædestinatio habet se per modum causæ proximæ, sive directivæ, sive immediate executivæ (de quo alibi) respectu consecutionis gloriæ pro tempore stabilito. Ad probationem autem antecedentis quatenus potest retorqueri contra dicta, dicendum est, ideo non stare, Deum efficaciter velle alicui gloriam, quin eo ipso suo tempore ipsam consequatur, quia ex vi illius volitionis efficacis tanquam ex prima radice sequitur actus ille intellectus, in quo consistit prædestinatio, quique est efficax ordinatio mediorum in finem vitæ æternæ. Unde si hic non subsequeretur nullus consequeretur vitam æternam : et per consequens ille actus divinæ voluntatis esset, et non esset per modum radicis, infinite efficax.

28. Ad primam confirmationem. Per quod etiam ad primam confirmationem satis patet. Nam ex ea solum sequitur prædestinationem indispensabiliter connotare actum voluntatis efficacem : et quod prædictus actus habet indispensabilem nexum cum ipsa prædestinatione. Propter quod docent communiter Thomistæ, quod ex vi prædictæ intentionis efficacis dandi gloriam v. g. D. Petro, manet idem D. Petrus initiative prædestinatus, non quidem quia hoc initium pertineat formaliter, et in recto ad essentiam prædestinationis, sed quia est connotatum indispensabile antecedens illam, et talis conditionis, ut eo posito non possint non in sensu composito subsequi ea, in quibus prædestinationis essentia, formaliter, et in recto consistit.

29. Ad secundam confirmationem patet ex dictis, prædestinationem non distingui a providentia generali ordinis supernaturalis, per actum voluntatis efficacis tanquam per aliquid in recto importatum, sed tanquam per aliquid, quod in obliquo, et per modum connotati ab ea affertur. An vero providentia generalis ordinis supernaturalis et prædestinatio secundum ea, quæ essentialiter, et in recto important, distinguantur vel non? et alia huc spectantia, constabunt ex iis, quæ dubio tertio hujus disput. dicemus, dum explicuerimus, an prædestinatio sit pars subjectiva, vel tantum objectiva providentiæ?

Ad secundam confirmationem.

Ex quo etiam ad tertium dicendum est, providentiam dicere curam, et studium in obliquo, et præsuppositive : quia prædicta providentia denotat actum intellectus ordinantis aliquid in finem, ad quod requiritur, ut intellectus applicetur ad illud ordinandum; et hæc applicatio activa intellectus nuncupatur cura, et studium. Ita Angelicus Doctor 2, 2, q. 166 art. 1. Unde in hoc sensu Boetius inquit, providentiam designare curam, et studium.

30. Ad tertium. Doct. Angel. Boet.

Adde, quod etiam cura, et sollicitudo potest in alia acceptione sumi, ita ut significet actum intellectus, consistentem in imperio, et præcepto ejusdem intellectus : ut fatetur D. Thom. 2, 2 quæst. 47 art. 9 dicens, hanc sollicitudinem esse partem prudentiæ, quæ in intellectu residet Et in solutione ad 1 cum sibi opposuisset sollicitudinem importare quamdam inquietudinem, et ita cum motio pertineat ad voluntatem, etiam sollicitudo ad eam spectabit, et per consequens non ad prudentiam in intellectu residentem, sic prædicto argumento occurrit : *Dicendum, quod motus quidem pertinet ad vim appetitivam, sicut ad principium movens, tamen secundum præceptum, et directionem rationis, in quo consistit ratio sollicitudinis.* Unde tam voluntas quam intellectus habent suam curam et sollicitudinem, quamvis diverso modo : et ita ratione utriusque potest prædestinatio importare curam et sollicitudinem.

Additamentum. D.Thom.

Ad confirmationem respondet D. Thom. q. 5 de Verit. art. 1 ad 2 ex iis, quæ secundo loco proposita sunt, his verbis : *Dicendum, quod secundum Philosophum in 6 Ethic. nullus potest esse prudens, nisi virtutes morales habeat, per quas recte sit dispositus circa fines : sicut nullus potest bene demonstrare, nisi recte se habeat circa demonstrationis principia : et propter hoc etiam nullus*

31. Ad confirmationem respondetur ex D.Thom.

nullus dicitur providus, nisi habeat rectam voluntatem, non quia providentia sit in voluntate.

32 Ad ultimum. Ad ultimum respondetur, quod (ut docet sanctus Thom. art. 3 hujus quæstionis) reprobatio est pars providentiæ sicut prædestinatio : et ita debet consistere in actu intellectus connotando tamen voluntatem. Quare ad formam argumenti neganda est minor. Et ad primam probationem respondetur, quod approbatio est actus intellectus, cum sit quædam examinatio simul cum judicio rationis, ut patet ex illo 2 Corint. 3 : *Vos ipsos tentate si estis in fide, ipsi vos probate*, et 1 Corint. 11 : *Probet autem se ipsum homo : et sic de pane illo edat et de calice bibat*. Unde D. Thom. quæstion. 5 de Verit. art. 4 in corpore duplicem distinguit Dei providentiam, alteram approbationis, alteram concessionis. Primam docet esse bonorum tantum, secundam vero malorum. Ad secundam vero probationem negandum est antecedens, si intelligatur de eo, quod reprobatio formaliter, et in recto considerata dicit essentialiter.

2 Corinth. 3. 1 Corinth. 11. D.Thom.

33. Ad primm secundæ sententiæ. Ad primum secundæ sententiæ patet ex dictis, quomodo difficultas hæc non est decidenda ex iis præcise, quæ in Scriptura habentur : siquidem in ea solum habetur, utrumque actum requiri ad prædestinationem? non tamen explicatur an uterque in recto, vel unus in recto, et alius in obliquo ad ipsam desideretur?

Ad confirmationem. Ad confirmationem, quod August. nomine præparationis beneficiorum Dei intelligit etiam actum intellectus, connotando tamen actum voluntatis ut constabit ex iis, quæ infra num. 144 dicemus : et explicat optime D. Thom. artic. 2 hujus q. in solutione ad 3.

Angel. Præceptor.

Ad secundum. Per quod etiam patet tum ad id, quod ibidem ex D. Thom. adducitur. Tum etiam ad secundum argumentum hujus secundæ sententiæ : quia ex eis solum sequitur prædestinationem indispensabiliter connotare actum efficacem divinæ voluntatis. Sed de his iterum infra dubio sequenti specialiter vero n. 73 redibit sermo : ubi explicabimus quid efficacitatis habeat prædestinatio ratione ejus, quod in recto importat, quidve ratione actus voluntatis efficacis ab illa connotati.

DUBIUM II.

In quo actu intellectus consistat essentialiter, et in recto prædestinatio?

Postquam explicuimus, prædestinationem in recto, et essentialiter consideratam consistere in actu intellectus, statim pulsat animum inquirere, quisnam sit intellectus actus, in quo consistit? 34.

§ I.

Explicatio tituli.

Dubium hoc alii aliis verbis excitant, nimirum, an prædestinatio consistat in judicio, quo intellectus Dei proponit suæ voluntati certa et determinata media, efficaciter conducentia ad hoc ut electi consequantur æternam beatitudinem? an vero in actu imperii, quo intellectus divinus efficaciter imperat, quod prædicta media suo tempore executioni mandentur?

Cæterum uterque inquirendi modus in idem coïncidit. Quod ut melius intelligatur, et simul capiatur quinam actus intercedant, præsupponantur, et concomitentur nostram prædestinationem (quod quidem ad hoc dubium et alia ad prædestinationem spectantia melius, et clarius concipienda, non parum conducet) notandum est primo. Quod in nobis antequam efficaciter intendamus aliquem finem, præcedit primo cognitio multarum aliarum rerum, et inter eas cognitio finis intendendi. Deinde subsequitur actus intentionis, qui collatus cum illo fine secundum se sumpto vocatur dilectio, et volitio illius, et collatus cum eodem, ut præ aliis volito, nuncupatur electio. Tertio semel intento prædicto fine datur actus consilii de mediis eligendis. Quarto actus judicii, seu sententiæ, quo judicatur quænam sint media utilia, quæve inutilia. Quinto per alium actum hæc eadem media judicata utilia, vel aliqua ex illis proponuntur voluntati, ut eligat, quæ maluerit in ordine ad consecutionem finis. Sexto voluntas eligit media, quæ sibi magis placent. Septimo juxta opinionem Arist. et D. Thom. quos communiter Thomistæ et alii plures sequuntur, datur imperium rationis, quo intellectus efficaciter imperat executionem operis. Octavo subsequitur actus voluntatis qui vocatur usus, per quem voluntas applicat potentias executivas. Nono executio ipsa finis per media executioni

Notabile primum. Arist. D.Thom.

mandata. De quibus actibus, et de pluribus aliis, qui concurrunt cum intendimus, et executioni mandamus aliquem finem, quosque consulto omittimus, quia ad rem hanc explicandam sufficiunt jam enumerati,

Cajet. videri potest Cajet. 1, 2 quæst. 16 art. 4.

35. Secundum. Secundo notandum est, quod licet in Deo non sit multiplicitas actuum intellectus et voluntatis, qui ex natura rei et secluso intellectu distinguantur, sed tantum sit in eo unicus et simplicissimus actus intelligendi, et volendi, cum essentia divina, absque aliqua distinctione ex natura rei, identificatus; nihilominus quia actus intellectus et voluntatis divinæ concipimus ad instar nostrorum actuum, propterea secundum nostrum modum concipiendi distinguimus in Deo actus intellectus ab actibus voluntatis, et rursus unum actum intellectus, ab altero, et similiter unum actum voluntatis ab alio ejusdem voluntatis actu : ita tamen ut licet actus intellectus semper distinguamus secundum nostrum modum concipiendi, non utcumque, sed fundatum in ipso objecto cognito ab actibus voluntatis, non tamen hoc modo, sed secundum nostrum modum concipiendi res divinas ad instar rerum creatarum, multoties distinguimus unam intellectionem ab altera, aut unam volitionem ab alia : quia actus intellectus non semper inter se virtualiter distinguuntur, nec actus voluntatis inter se collati habent semper prædictam distinctionem : ex eo quod multoties ad unam et eamdem lineam pertinent, ut constat ex dictis in tract. de Scientia, et voluntate Dei : ubi regulam tradidimus ad dignoscendum quomodo una volitio, v. g. distinguatur ratione ab alia cum fundamento in re, seu distinctione virtuali, et per consequens quomodo ad unam et eamdem lineam spectent, vel non.

Unde sicut in nobis dantur prædicti actus, ita in Deo fere omnes reperiuntur : et sicut in nobis sunt realiter distincti, ita in Deo ratione nostra sunt diversi; sive hæc distinctio rationis sit secundum modum concipiendi fundatum in ipso Deo, vel sine prædicto fundamento, et ex parte solius nostri modi concipiendi jam explicati.

Explicatur magis. Quare actus illos majoris claritatis gratia possumus quoad præsens sic ordinare. Nam in primis Deus prius scientia simplicis intelligentiæ cognovit omnia possibilia, et inter ea tres ordines rerum, naturæ, et gratiæ, et unionis hypostaticæ, secundum quos potest se creaturis communicare : et insuper habuit etiam certam scientiam omnium mediorum possibilium, quibus proprius finis istorum ordinum potest obtineri : ac inter alia certo cognovit efficaciam suæ voluntatis, et infallibilem connexionem, quam sine læsione libertatis creatæ habet cum actibus liberis creatis, si ab eadem divina voluntate efficaciter prædiffiniantur.

Deinde, præsupposita ista cognitione, 36.
intelligitur Deum voluisse ostensionem suæ bonitatis secundum communicationem illius triplicis ordinis inter se tamen ordinatam : ita quod inter eas prius voluerit Incarnationem, seu Christum ut Redemptorem tanquam finem omnium, ut 3 part. tract. de mysterio Incarnationis, magis explicabimus : ac inter alia pro gloria Christi voluit beatificare aliquas creaturas rationales : ita tamen ut licet beatitudinem istam voluerit tanquam medium respectu gloriæ Christi, illam tamen voluerit ut finem respectu utriusque ordinis, naturæ scilicet et gratiæ, atque adeo etiam voluit res naturales. Sicut quia prædictam beatitudinem decrevit efficaciter tribuere aliquibus creaturis rationalibus, et non aliis, et hoc est eligere et diligere, prout electio et dilectio terminantur ad personas electas, et dilectas, ut ex nuper dictis constat, et amplius art. 4 explicabimus, ideo tunc intelligitur prædictas creaturas dilexisse et elegisse ad beatitudinem, et ut ex dictis, ex statimque dicendis patebit, tunc intelligitur initiative eas prædestinasse.

Tertio divinus intellectus ex hac intentione finis quasi motus, judicavit hæc, et illa media esse satis utilia ad hoc ut creaturæ rationales jam ad beatitudinem electæ eam consequerentur. Quarto hæc eadem media ut utilia et convenientia, suæ voluntati proposuit. Quinto voluntas divina elegit quæ maluit. Sexto adfuit actus imperii, quo efficaciter intellectus Dei imperavit, executionem prædictorum mediorum, certo et determinato tempore faciendam. Septimo subsequitur actus divinæ voluntatis quodammodo correspondens actui usus nostræ voluntatis, ut infra num. 99 dicetur : quo ab æterno voluit ut potentia sua executiva ab æterno imperaret, quod suo tempore talia media executioni mandarentur. Octavo subsequitur in tempore, a divino imperio, et voluntate Dei præfinito, et juxta dicta in tract. de Scientia Dei art. 8 dub. ult. talis executio.

Hinc ergo satis constat, quomodo uter- 37.
que inquirendi modus in idem coïncidat,

ac

ac proinde quinam ex actibus enumeratis, et ad prædestinationem concurrentibus, sint illi, de quibus merito, et suppositis jam dictis, dubitari possit, an in eis prædestinatio in recto, et formaliter considerata, essentialiter consistat? Nam quando inquirimus, in quonam actu intellectus prædestinatio modo dicto consistat? non loquimur de actu intellectus speculativi; siquidem ut ex dictis dub. præcedenti n. 13 et 18 constat, prædestinatio est ordinatio practica mediorum in finem; sed de actu intellectus practici, qui tantum est quadruplex, ut ex actibus recensitis con-

D Thom. stat, et docet D. Thom. q. 15 de Malo art. 4 his verbis : *Sunt autem quatuor actus rationis secundum quod dirigit humanos actus. Quorum primus est intellectus quidam quo aliquis recte existimat de fine, qui est sicut principium in operativis, ut Philosophus dicit in 2 Physic. Secundus actus est consilium de agendis. Tertius est judicium de illis. Quartus actus est præceptum de agendo.*

Quare cum certum sit prædestinationem non posse consistere essentialiter, et in recto in primo illo actu, qui vocatur intellectus, seu recta existimatio finis, quia hic nihil aliud est, quam recta apprehensio finis intendendi, per quam finis ipse apprehenditur ut conveniens, ut constat ex iis,

Idem. quæ idem sanctus Doctor 1, 2 q. 15 docet : et hæc nec est ex se efficax, nec habet esse ordinationem mediorum ad finem, quæ tamen duo ad prædestinationem essentialiter requiri, dubio præcedenti diximus : cumque consilium prout distinguitur a judicio, seu sententia de agendis, dicat essentialiter imperfectionem, quia importat genus quoddam inquisitionis, dubietatis, et ignorantiæ, planum est non posse reperiri formaliter in Deo, nec posse in eo prædestinationem consistere.

38. In quo consistat difficultas.

Et ita solum potest manere difficultas de duobus aliis actibus, qui supersunt nimirum de judicio, quo Deus judicat conveniens esse dirigere prædestinatum ad æternam beatitudinem per media judicata efficacia in ordine ad consecutionem illius : vel de actu imperii ab hoc judicio distincto, per quem efficaciter imperat, et ordinat, quod executioni mandentur certa, et determinata media in ordine ad hanc consecutionem, seu per quem efficaciter imperat, et ordinat creaturam intellectualem duci per prædicta media in finem æternæ vitæ. Et sic in idem redibit inquirere in quonam actu intellectus essentialiter, et in recto prædestinatio consistat? ac quærere an essentialiter, et in recto consistat in judicio, quo intellectus Dei proponit suæ voluntati certa, et determinata media, efficaciter conducentia ad hoc ut electi consequantur æternam beatitudinem? an vero in actu imperii, quo intellectus divinus efficaciter imperat, quod prædicta media suo tempore executioni mandentur? Ac propterea ex iis, quæ in prædictis notabilibus diximus, satis colligitur, quinam sint illi actus de quibus, suppositis iis quæ diximus, dubitari potest, an in eis prædestinatio essentialiter, et in recto consistat?

Explicatur ratio imperii de quo est difficultas.

Hoc autem imperium in præsenti (ut ita etiam ex hac parte titulus maneat clarior) non sumitur pro imperio secundum primævam significationem, secundum quam accipitur pro actu, quo superior imperat subdito ut aliquid executioni mandet : nec etiam sumitur generali quadam ratione, secundum quam denotat quemlibet actum voluntatis, aut rationis, ex quo alius actus humanus sequitur : in quo sensu judicium præcedens electionem solet imperium nuncupari, et similiter quicumque actus voluntatis ex cujus impulsu actus alius elicitur, et ita solet dici unam virtutem imperare alteri, ut dum ex actu charitatis, aut religionis movemur ad exercendum actum abstinentiæ : sicut etiam in eodem sensu dicitur voluntas imperare aliis potentiis, quia eas applicat ad operandum. Sed imperium in præsenti sumitur in alia acceptione speciali, nempe pro quodam actu intellectus practici, qui (ut jam dicemus) sequitur electionem mediorum, et proprie explicatur per verbum imperativi modi, nempe *fiat hoc* : quo actu homo v. g. dicitur sibi ipsi cum intimatione quadam imperare, quoque imperative ordinat media efficacia, certa, et determinata, per quæ finis acquirendus est : ac proinde efficaciter ad eorum executionem movet.

§ II.

Refertur prior opinio.

39. Prima sententia asserit, actum intellectus, in quo consistit essentialiter, et in recto prædestinatio, non esse actum imperii, sed judicium illud quo Deus postquam elegit aliquem ad beatitudinem supernaturalem, judicavit bonum esse, illum perducere ad beatitudinem infallibiliter per effi-

cacia, et determinata media, connotando quod illud judicium sit propositum voluntati, et acceptatum approbatumque ab illa.

Molina. Ita Molina in præsenti disp. 2, Suarez lib.
Suarez. 1 de Prædestinatione c. 16, Arrubal 1
Arrubal. tom. in 1 p. q. 22 disp. 63 c. 5, cum quibus
Vazquez consentit Vazquez quoad hoc quod est prædestinationem non posse consistere in actu intellectus, qui sit imperium, ut constat ex iis, quæ docet 1, 2 disput. 49 c. 4 inquiens. Imperium nullius necessitatis, utilitatis, aut efficacitatis esse ad efficienciendas proprias operationes, et in hac 1 p. tomo 1 disp. 87 c. 3 idem asserit : et addit, quod licet in nobis esset hujusmodi imperium, nulla tamen ratione concedi deberet in Deo. Pro qua sententia referri
Valentia. possunt Valentia 1, 2 disp. 7 q. 1, Salas
Salas. tract. 14 de legibus sect. 6 disp. 1, Azor
Azor. lib. 1 instit. moral. c. 2 quæst. 1.

40. Probatur prior opinio quoad secundam partem.

Sententia hæc quoad secundam partem aperte videtur sequi ex priori suppositis iis, quæ dub. præcedenti diximus, nempe prædestinationem consistere in recto, et essentialiter in actu intellectus, per quem ordinantur certa, determinata, ac efficacia media ad hoc ut prædestinati consequantur æternam vitam. Nam hic actus intellectus, ut in explicatione tituli num. 38 dicebamus, et ex se patet, solum potest consistere vel in judicio, quo Deus judicat bonum esse perducere prædestinatum ad beatitudinem infallibiliter per certa, et determinata media; vel in actu imperii, quo efficaciter movet ad hoc ut per prædicta media infallibiliter in illam perducatur : ergo si non consistit in imperio, non poterit non in prædicto judicio consistere : et per consequens consistet in illo ut connotat, quod sit propositum voluntati, et acceptatum approbatumque ab illa : siquidem nisi voluntas acceptet media proposita, nunquam judicium de convenientia illorum est efficax, nec media judicata utilia in ordine ad consecutionem finis, conducunt infallibiliter, et cum efficacia ad illum : si autem voluntas ea acceptet, tunc eo ipso judicium illud erit efficax ordinatio mediorum in finem.

41. Probatur quoad primam partem, primo.

Prima vero ejusdem sententiæ pars, nempe prædestinationem non posse consistere in imperio divini intellectus probatur primo. Quia in nobis non datur prædictus actus imperii : ergo nec in Deo : et per consequens nequibit in illo prædestinatio consistere. Hæc ultima consequentia ex priori aperte sequitur. Prior vero ex antecedenti. Quia actus divini intellectus colligimus ex iis, quos in nostro intellectu experimur : ergo si in nobis non reperitur talis actus, nec etiam in Deo invenietur.

Antecedens autem probatur. Tum quia imperium non movet voluntatem vel cæteras potentias quoad exercitium; siquidem ut ostendit sanctus Doctor 1, 2 q. 9 art. 1 D.Thom. et cum eo communiter Theologi, proprium est voluntatis movere, tam se, quam cæteras alias potentias quoad exercitium : nec etiam prædictum imperium movet quoad specificationem; quoniam judicium de convenientia boni prosequendi, sufficienter dirigit, et movet voluntatem ut illud prosequatur : ergo prædictum imperium non reperietur in nobis. Patet consequentia. Quia si reperiretur, non posset ad aliud deservire, nisi ad hoc ut moveret voluntatem, et cæteras potentias vel quoad exercitium, vel quoad specificationem.

Tum etiam : quia in brutis, supposito judicio sensus, et actu appetitus sensitivi, non est necessarius ad executionem alius actus diversus imperii : ergo nec etiam in nobis. Maxime quia quo agentia sunt superiora, eo paucioribus indigent ad executionem suorum operum.

Tum præterea : quia non datur donum Spiritus Sancti, quod sit donum imperii ad operandum ea, quæ fides dictat : siquidem non numeratur inter septem dona, quæ capit. 11 Isaiæ referuntur : ergo non requi- Isaiæ 11. ritur in intellectu actus imperii ad inclinandam voluntatem ut bene operetur. Nam ut docet D. Thom. 2, 2, q. 8 art. 2 pro D.Thom. cæteris actibus necessariis ad perfectionem speculativam, et practicam fidei dantur specialia dona.

Tum denique : quia ad electionem mediorum, et volitionem finis, quæ sæpe libera est, non requiritur imperium, siquidem imperium est post prædictam volitionem finis, et electionem mediorum, ut docet D. Thom. Idem. 1 q. 17 artic. 3 : ergo nec etiam ad alios actus voluntatis; sed sufficiet judicium illud, quo judicatur conveniens illos elicere : quia in hoc non apparet disparitatis ratio.

42. Confirmatio prior.

Confirmatur primo. Nam semel posito imperio intellectus, quo effficaciter moveatur voluntas ad actum studiosum, tollitur tum libertas voluntatis, tum necessitas ponendi virtutes, a quibus eliciantur electiones rectæ, tum meritum earum, et tandem ponitur necessitas abeundi in infinitum in actibus imperantibus, et imperatis : ergo nequit in nobis poni, ac proinde neque in Deo.

Consequentiæ

Consequentiæ non indigent probatione. Antecedens vero quoad primam partem constare videtur. Quia posito prædicto imperio efficaci non potest non poni actus imperatus; alioqui tale imperium non esset infallibilit erefficax : ergo eo ipso tolletur libertas voluntatis in ordine ad eliciendos actus imperatos.

Quoad secundam vero partem etiam constat. Quoniam ad hoc ut eliciatur actus exterior, non ponitur in membris exterioribus aliqua virtus, quia prædictus actus necessario sequitur ad actum interiorem : et similiter nec ad actum gaudii, quia iste necessario sequitur ad actum charitatis : ergo si ad actum imperii intellectus, respectu cujuslibet actus liberi, necessario sequitur executio illius, consequens erit, ut omnis virtus tantum debeat poni in intellectu ad eliciendum imperium, non vero in voluntate, aut appetitu ad eliciendas electiones.

Ex quo etiam tertia pars ejusdem antecedentis patet. Quoniam hoc ipso quod posito tali imperio, necessario sequatur ad illud actus imperatus, fiet inde, ut in prædicto actu imperato non sit nova libertas ; atque adeo nec novum meritum, quod sine libertate proportionali esse nequit.

Quarta tandem ejusdem antecedentis pars suadetur. Nam si aliquis actus voluntatis imperetur per rationem, omnes utique imperabuntur : at si omnes imperantur, necesse erit in infinitum procedere, quia actus voluntatis efficaciter eligentis præcedit actum imperii, ut ex dicendis n. 52 et deinceps patebit ; et ita si hic actus voluntatis imperatur, ad illud etiam imperium præcedet aliud, ad imperandam aliam priorem electionem, et sic in infinitum.

42. Confirmatur secundo. Quoniam imperium istud nec est apprehensio intellectus, nec compositio, aut divisio, nec tandem argumentatio : ergo nec est actus intellectus nostri : ac proinde nec poterit esse actus divini intellectus, nec in illo consistere prædestinatio. Hæc ultima consequentia ex priori (ut jam diximus) sequitur. Prior vero est perspicua : quia actus intellectus adæquate dividitur in istos tres.

Antecedens autem probatur. Tum quia per prædictum imperium distinctum a judicio practico nihil apprehenditur, aut judicatur, sive per judicium consistens in compositione, aut divisione, sive per judicium consistens in argumentatione; sed tantum habet rationem cujusdam impulsus, et motionis explicatæ per vocem hanc : *Fac hoc*. Tum etiam : quia imperium non potest esse sola apprehensio, siquidem hæc supponitur ad intentionem finis, et electionem mediorum; imperium vero subsequitur tam ad intentionem, quam ad electionem. Nec etiam potest esse compositio, divisio, aut argumentatio : quoniam in his datur affirmatio aut negatio; secus vero in imperio.

41. Confirmatur tertio. Confirmatur tertio. Quoniam imperium istud nec est aliquis conceptus non ultimatus, nec ultimatus : ergo nequit esse actus intellectus. Consequentia patet. Antecedens autem, quoad primam partem probatur : quoniam imperium ponitur ad movendam voluntatem ad executionem operis, et adeptionem finis, ut ex dicendis num. 54 et sequentibus constabit : ad hoc autem non satis est quod sit conceptus non ultimatus, seu conceptus vocum significativarum; sed requiritur ut sit conceptus ipsarum rerum.

Quoad secundam vero partem suadetur. Quia cum quis sibi interius imperat dicendo : *Fac hoc, ama Deum*, tunc solum supponitur voluntas aliqua amandi, et insuper additur conceptus non ultimatus, quo videlicet percipiuntur illæ externæ voces, quibus idipsum dicere solemus. Cujus evidens signum est (inquit Suarez cap. citato num. 8) quia nemo exercet hunc interiorem actum, nisi per verba mentalia illius idiomatis, quod novit, scilicet Latini, Hispani etc. conceptus autem ultimatus ad nullum particulare idioma spectat, cum in conceptibus (ut manifestum est) nulla sit linguarum distinctio. Suarez.

45. Secundum principale argumentum pro priori parte ejusdem sententiæ. Secundo principaliter probatur hæc sententia. Quoniam licet daremus reperiri in nobis hunc actum imperii, non tamen esset admittendus in Deo : ergo nequibit in eo prædestinatio consistere. Consequentia est perspicua. Antecedens autem probatur. Tum : quia imperium est ad alterum, et superioris ad inferiorem : at licet in nobis detur distinctio potentiarum, et superioritas, ac inferioritas inter illas, non tamen in Deo, in quo omnes virtutes activæ sunt una, et simplex formalitas, et sunt ipse Deus : ac proinde inter eas nequit esse inferioritas, aut superioritas. Unde sicut propter hanc rationem Deus non potest orare se ipsum, quia oratio est ad alterum, et ad superiorem, ita nec poterit sibi ipsi imperare.

Tum etiam : quia ideo in nobis præter actum judicii, et electionis datur imperium, quia in executione mediorum potest esse nova

difficultas : at respectu Dei, et executionis ab ipso præstandæ, nulla est difficultas, quæ possit illum retardare ab executione ejus, quod semel elegit : ergo non debet in eo prædictum imperium poni ; maxime, quia hoc ipso quod Deus eligat aliqua media, non potest ab illa electione desistere : ex eo quod ejus voluntas est immutabilis : cumque talis electio sit infinite efficax, nulla erit difficultas, quæ ab ipsa vinci non possit. Et ita imperium nec propter difficultatem operis, nec propter permanentiam electionis efficacis desiderabitur : et per consequens nec ex aliquo alio capite, quia in nobis ex his tantum capitibus requiritur.

46. Tertium per quod confirmatur secundum.

Tertio, et simul confirmatur præcedens argumentum. Quoniam prædestinatio non potest consistere in imperio, quod immediate dirigatur ad prædestinatos, nec potest immediate dirigi ad ipsum Deum ; ergo non poterit ulla ratione consistere in imperio. Consequentia videtur legitima. Quoniam prædictum imperium non potest non dirigi, vel ad Deum, vel ad ipsos prædestinatos. Antecedens autem quoad primam partem probatur. Tum : quia prædestinati non sunt capaces imperii passivi antequam fiant ; et tamen antequam fiant ordinantur a Deo, siquidem prædestinatio est ab æterno, non tamen actualis productio eorum. Tum etiam : quia providentia pariformiter extenditur ad rationales et irrationales creaturas : quia de omnibus verificatur : *Ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt* : cum tamen creaturæ irrationales, sicut non sunt capaces cognitionis, ita nec imperii passivi.

Quoad secundam vero partem idem antecedens etiam videtur constare. Quia si imperium dirigeretur ad Deum, dirigeretur utique ad ejus voluntatem : ista autem sicut est expers cognitionis, ita et imperii, quod ad sola cognoscentia dirigitur.

47. Confirmatio tertii.

Confirmatur. Nam prædestinatio non est imperium obligans prædestinatos ad actus, quibus consequantur beatitudinem : nec est præceptum productivum aliquorum effectuum : nec tandem est imperium terminatum ad actus immanentes Dei : ergo nulla ratione erit imperium. Consequentia videtur perspicua. Quia non apparet aliquid aliud, ad quod prædictum imperium possit terminari, nec aliquod aliud munus, quod possit exercere præter ea, quæ in antecedenti referuntur.

Antecedens autem quoad primam partem constat. Quoniam eædem leges sunt impositæ a Deo prædestinatis, et reprobis : quare cum prædestinatio non sit imperium per modum legis obligans reprobos ad aliquem actum exercendum, ut ex se constat, nec etiam id habebit respectu prædestinatorum. Quoad secundam vero partem etiam liquet. Quia imperium productivum rerum, est operatio efficax potentiæ executivæ Dei : prædestinatio autem non est actus correspondens prædictæ potentiæ, sed prudentiæ, sive providentiæ divinæ.

Quoad ultimam vero partem idem antecedens probatur. Tum : quia imperium ea sola ratione potest terminari ad actus immanentes imperantis, ut determinet illum ad operandum : at Deus, si qua indiget determinatione ad operandum, ut in actibus liberis tantummodo contingit, tunc a sola sua voluntate determinatur, quippe quæ in hoc distinguitur a voluntate creata, quod ista, quia est libera per modum potentiæ, non possit se ipsam determinare, sed indiget alio, a quo determinetur prius quam ipsa se determinet ; cum tamen voluntas divina, quia est libera per modum actus purissimi, possit quoad primum actum se per se ipsam determinare, et quoad secundum mediante primo, et sic de aliis : ac proinde non indigebit imperio illam determinante. Maxime, quia si prædictum imperium est necessarium, determinabit necessario : et ita tollet libertatem divinæ voluntatis : si autem est liberum, prærequiret alium actum ejusdem voluntatis divinæ, et sic in infinitum.

48. Ultimo.

Ultimo, et confirmantur simul præcedentia argumenta. Quoniam prædestinatio nequit esse imperium, quo Deus formaliter ordinet suos actus, quibus perducit hominem in beatitudinem : ergo cum nequeat esse imperium, quod dirigatur ad prædestinatos, ut in præcedenti argumento ostensum est, fiet inde, ut nulla ratione possit habere rationem imperii. Consequentia patet ex dictis. Antecedens autem probatur. Tum : quia imperium est respectu illius, quod ordinatur ad aliquem finem, ut ostendit D. Thom. 1, 2 q. 17 art. 1 et propterea tunc actus dicitur imperari ab aliqua virtute, quando ordinatur ad ejus finem : at actus Dei non ordinatur in aliquem finem : ex eo quod quilibet actus Dei est Deus et ultimus finis omnium. D. Thom.

Tum etiam : quia imperium in nobis ponitur ad usum, et applicationem potentiæ executivæ : propter quod est posterius consensu, et electione, ut docet D. Thom. 1, 2 q. Idem.

2 q. 16 art. 4 ad 3, sed Deus non potest habere usum alicujus potentiæ suæ : quia illa est Deus, et Deo nullus recte potest uti, ut ostendit August. lib. 83 quæst. q. 30 et lib. 1 de doctrin. Christi. c. 33 et 34. Tum deinde : nam D. Thom. in præsenti art. 2 ad 3 docet prædestinationem esse rationem operis faciendi, et nos disp. præcedenti n. 39 asseruimus, rationem istam esse imperium Dei : ergo prædestinatio non erit imperium de eliciendo actu divino, sed de faciendo opere, per quod creatura rationalis in æternam beatitudinem transmittatur.

Aug.

Angelic. Doct.

Tum denique : quia D. Thom. 1, 2, q. 93 art. 4 ad 1 docet voluntatem divinam secundum se, ut tenet se ex parte Dei, non subdi legi æternæ; bene autem subdi ei quantum ad ea, quæ vult circa creaturas : ergo actus divinæ voluntatis secundum se non cadit sub imperio, quod est prædestinatio, sed sub illo solum cadunt ea, quæ Deus vult circa creaturas beatificandas. Patet consequentia. Quia idem sanctus Doctor de Verit. q. 5 art. 1 ad 6 docet; quod lex æterna est veluti principium, ex quo colligitur ratio providentia : sicut nos ex principiis practicis naturaliter notis colligimus præcepta prudentiæ : sed conclusio non se extendit, nisi ad id quod continetur n principiis : ergo si lex æterna non se extendit ad actus divinos, ut tenens se ex parte Dei, ad illos non se extendet providentia Dei, nec prædestinatio, quæ est pars objectiva illius, ut statim dicetur.

§ III.

Vera D. Thomæ sententia.

49. Conclusio.

Dicendum tamen est, prædestinationem in recto, et formaliter consideratam consistere essentialiter in actu intellectus, qui est imperium : quamvis connotet quasi proximius, et immediatius, et ut aliquid prærequisitum, electionem efficacem illorum mediorum in particulari, et determinate, per quæ prædestinatus postea in executione vitam æternam consequitur. Ita D. Thom. art. 4 hujus q., ubi sic inquit : *Respondeo dicendum, quod prædestinatio secundum rationem præsupponit electionem. Cujus ratio est. Quia prædestinatio, ut dictum est, est pars providentiæ. Providentia autem sicut, et prudentia, est ratio in intellectu existens præceptiva ordinationis aliquorum in finem, ut supra dictum est.*

Proba-tur estimo-niis. D.Thom.

Et quæst. præcedenti art. 1 ad 1 loquens de providentia, cujus prædestinatio est pars, inquit : *Dicendum, quod secundum Philosophum in 6 Ethic. prudentia proprie est præceptiva eorum, de quibus Eubulia recte consiliatur : et Synesis recte judicat. Unde licet consiliari non competat Deo, secundum quod consilium est inquisitio de rebus dubiis, tamen præcipere de ordinandis in finem, quorum rectam rationem habet, competit Deo, secundum Psal. præceptum posuit, et non præteribit, et secundum hoc competit Deo ratio providentiæ, et prudentiæ.* Ubi, ut vides providentia, cujus prædestinatio est pars, ponitur in actu intellectus, in quo consistit prudentia, nimirum in præcepto, et imperio, et hoc ipso quod præsupponat Synesim, et ejus actum, nempe judiciam de mediis eligendis, ut sanctus Doctor in hoc testimonio fatetur, ibidem etiam involvitur, quod præsupponat actum voluntatis, nempe electionem mediorum : siquidem post prædictum judicium, supposita intentione efficaci finis, immediate subsequitur electio eorum, ut idem sanctus Doctor 1, 2 q. 17 art. 1 et 3 ad 1 fatetur, dicens : *Post determinationem consilii, quæ est judicium rationis, voluntas eligit, et post electionem ratio imperat ei, per quod agendum est, quod eligitur.*

50. Idem.

Idem etiam docet Angelicus Doctor q. 22 art. 1 nuper citato in solutione ad 3 his verbis : *Dicendum, quod providentia est in intellectu, sed præsupponit voluntatem finis. Nullus enim præcipit de agendis propter finem, nisi velit finem. Unde præsupponit et prudentia virtutes morales, per quas appetitus se habet ad bonum, ut dicitur in 6 Ethic.* Ubi, ut constat, ponitur providentia in actu intellectus præsupponente voluntatem finis. Et ratio hujus redditur, ex eo quod nullus præcipit de agendis propter finem, nisi volito fine : si autem providentia non esset præceptiva, ac proinde in tali præcepto consisteret, non redderetur a D. Thoma sufficiens ratio ejus, quod dixerat, nimirum providentiam esse in intellectu, atque adeo essentialiter esse actum intellectus præsupponentem voluntatem finis : cumque in sententia ejusdem sancti Doctoris (ut nuper vidimus) providentia non solum præsupponat voluntatem finis, sed etiam Synesim, et electionem, consequens erit, ut juxta ipsius mentem prædestinatio consistat in actu intellectus, qui est imperium præsupponens, et connotans quasi remote voluntatem finis, et quasi proxime electionem mediorum.

Cajet. Nazar. Unde sanctum Doctorem sequuntur ejus discipuli, Cajet. in hac q. art. 4, Nazarius art. 1 controversia 1 qui bene inquit, hoc modo esse intelligendum Cajetanum dum art. 1 hujus q. dixit, non ordinem excogitatum, sed ordinem statutum in ipsa actoris mente, prædestinationis nomine significari : et rationem reddit. Quia statuitur ordo practice, ac firmatur per actum imperii, quo res per media excogitata electa, et approbata ordinatur efficaciter in finem, ordinatione in suo tempore exequenda. Gonz. disp. 69 sect. 3, Corn. ad hunc art. disp. unic. dub. 3 et 4 et alii quam plurimi ex junioribus Thomistis : et peculiariter fere omnes illi, qui 1, 2 q. 17 asserunt, hoc imperium esse necessario dandum in intellectu creato : vel in speciali agentes de actibus divinis docent, illud in mente divina esse constituendum. Ut Capreolus in 1 dist. 1 q. 2 conclusione 9, Navarrete tomo 2 Controversiarum controversia 10, Medina, Conrado, Martinez et alii loco cit. ex 1, 2 quibus etiam accedunt Montesinos, et Lorca ibidem. Eamdem sententiam tuentur Bellarm. lib. 2 de gratia, et lib. arb. c. 9 in fine, Cartagena tractat. de Prædestin. discursu 1 n. 4 et 5, Granado tom. 1 in 1 p. tract. 5 disp. 3 sect. 1, 2 et 3, ubi totis viribus conatur ostendere, prædestinationem in actu divini imperii essentialiter consistere, et alii plures.

Gonzal. Cornejo. Capreol. Navarrete. Medina. Conrado. Martinez Montes. Lorca. Bellarm. Cartagena. Granado.

51. Assertio probatur quoad secundam partem. Assertio hæc quoad secundam partem, nimirum prædestinationem in obliquo, et pro connotato quasi proximiori afferre indispensabiliter electionem divinæ voluntatis, præcedentem secundum rationem actum imperii, seu prædestinationem ipsam, constabit aperte ex iis, quæ pro priori parte assertionis dicemus. Diximus autem : *Pro connotato quasi proximiori*, tum ut denotaremus prædictam electionem non esse secluso intellectu distinctam ab intentione, quæ est connotatum quasi remotius. Tum etiam, ut loquendo adhuc de proximitate virtuali, abstineremus pro nunc ab illa q. an intentio, et electio vel semper, vel aliquando distinguantur virtualiter? an vero solum ex parte nostri modi concipiendi absque fundamento in re? ex eo quod actus intentionis, et electionis vel universaliter, vel multoties ad eamdem lineam pertineant.

§ IV.

Eadem D. Thomæ sententia ratione priori et fundamentali stabilitur.

52. Prima et fundamentalis ratio pro priori assertionis parte. Quoad primam vero partem eadem assertio probatur ratione desumpta ex D. Thom. 1, 2 q. 17 art. 1 et 2, 2 q. 47 art. 8 q. 49 art. 6 in corpore, ad 1 et ad 3 q. 51 art. 2 in corpore, et ad 1 et 2 et art. 3 ad 3, nec non 6 Ethic. lect. 8 et 9 et in hac 1 p. q. 22 et q. præsenti, quæ potest ad hanc formam reduci. Quoniam in nobis post actum judicii de convenientia mediorum, et electione eorumdem, datur actus imperii : ergo etiam in Deo : ergo prædestinatio in recto, et formaliter considerata, consistet essentialiter in prædicto imperio. Hæc secunda consequentia ex priori aperte constat. Quoniam prædestinatio debet consistere (ut dubio præced. ostendimus) in actu efficaci divini intellectus, quo efficaciter ordinantur, et disponuntur illamet media efficacia, determinate, et in particulari sumpta, per quæ postea suo tempore prædestinatus consecuturus est finem vitæ æternæ : at si semel datur in divino intellectu actus imperii subsecutus ad electionem, non potest non prædictum imperium, hoc habere : siquidem ejus essentia in nullo alio ponitur præterquam in hoc, quod Deus per illum efficaciter ordinet, et imperet, ut suo tempore executioni mandentur prædicta media, per quæ prædestinati transmittendi sunt in æternam vitam : et propterea imperium istud subsequitur ad electionem efficacem eorum tantum mediorum, per quæ prædestinatus suo tempore transmittendus est in finem vitæ æternæ, ut ita prædictum imperium habeat infallibilem efficacitatem respectu talium mediorum. Prima vero consequentia etiam constat. Quoniam actus, qui in nobis reperiuntur, debent etiam poni in Deo, dummodo non involvant imperfectionem : at actus imperii non involvit imperfectionem ullam, ut ex solutionibus argumentorum aperte constabit : ergo etc.

Antecedens probatur autoritate. Cicero. Antecedens autem probatur. Tum authoritate, tum etiam ratione. Authoritate quidem. Nam in primis illud docet Cicero lib. 1 de legib. his verbis : *Lex est ratio summa, quæ jubet ea quæ facienda sunt, prohibetque contraria.* Et oratione 11 Philippica : *Est enim lex nihil aliud nisi recta, et a numine Deorum tracta ratio imperans honesta, prohibens contraria.* Aristot. 6 Ethic.

Arist.

Ethic. ubi a capit. 8 usque ad 12 admittit in intellectu ultra prudentiam, triplicem aliam virtutem ei annexam, et ad proprium ejus actum ordinatam. Primam quam Græci appellant *Eubuliam*, seu (ut Argiropolus vertit) *bonam consultationem*, quæ ordinatur ad inquirendum, vel consultandum de mediis; duas vero alias ad recte judicandum de mediis inventis per consultationem, nempe *synesim*, seu *sagacitatem*, quæ deservit ad recte judicandum secundum communes regulas, aut leges, et alteram quam Græci appellant *Gnome*, seu *sententiam*, quæ deservit ad recte judicandum de eisdem agibilibus secundum altiora alia principia, et in iis, quæ a legibus prætermissa sunt : quibus in voluntate correspondent *justitia legalis*, et *Epicheia* ut docet D. Thom. 2, 2 q. 51 et 120.

Argiropolus.

D Thom.

53. Philosoph.

Et deinde, ut idem Philosophus explicaret differentiam, quæ est inter prudentiam, et synesim seu sagacitatem, ac proinde inter eamdem prudentiam et Gnome, addidit : *Non est autem idem sagacitas, et prudentia. Prudentia namque præceptiva est : finis enim ipsius est, quidnam sit agendum, aut non agendum, præcipere. Sagacitas autem, vis est judicandi dumtaxat.* Quæ verba explicat D. Thom. ibidem lect. 9 his verbis : *Dicit ergo primo, quod quamvis synesis, et prudentia sint circa eadem, non tamen sunt omnino idem. Ad cujus evidentiam considerandum, quod in speculativis, in quibus non est actio, est solum duplex opus rationis, scilicet invenire inquirendo, et de inventis judicare : et hæc quidem duo opera sunt rationis practicæ, cujus inquisitio est consilium, quod pertinet ad Eubuliam, judicium autem de consultatis pertinet ad synesim : illi enim dicuntur sensati, qui possunt bene judicare de agendis; non autem stat hic ratio practica, sed ulterius procedit ad agendum : et ideo necessarium est tertium opus quasi finale, et completivum, scilicet præcipere, per quod procedatur ad actum : et hoc proprie pertinet ad prudentiam. Unde dicit quod prudentia est præceptiva, sed synesis est solum judicativa.*

D.Thom.

Aug.

Idem etiam docuit August. lib. de Genesi contra Manich. c. 20. lib. 14 de Civit. Dei cap. 19 et lib. 15 c. 7, lib. 1 de libero arbit. c. 8 et 10 et alibi sæpe. D. Thom. 1, 2 q. 17 art. 1 ubi sic ait : *Imperare autem est quidem essentialiter actus rationis : imperans enim ordinat eum, cui imperat, ad aliquid agendum, intimando, vel denuntiando. Sic autem ordinare per modum cujusdam intimationis, est rationis.*

D.Thom.

Quod etiam docuit sanctus Doctor 1, 2 q. 58 art. 2 et q. 60 art. 1, de Veritate q. 22 art. 12 ad 4 quodlib. 9 art. 12, et 1, 2 q. 57 art. 6 in corpore his verbis : *In omnibus potentiis ordinatis illa est principalior, quæ ad principaliorem actum ordinatur : circa agibilia autem humana, tres actus rationis inveniuntur, quorum primus est consiliari : secundus judicare : tertius est præcipere. Primi autem duo respondent actibus intellectus speculativi, qui sunt inquirere, et judicare : nam consilium inquisitio quædam est, sed tertius actus est proprie practici intellectus, in quantum est operativus. Non enim ratio habet præcipere ea, quæ per hominem fieri non possunt. Manifestum est autem, quod in iis, quæ per hominem fiunt, principalis actus est præcipere, ad quem alii ordinantur : et ideo virtuti, quæ est bene præceptiva, scilicet prudentiæ, tanquam principaliori adjunguntur tanquam secundariæ eubulia, quæ est bene consiliativa, et synesis, et Gnome, quæ sunt partes judicativæ.*

Ipsemet.

Deinde idem antecedens probatur ratione. Tum quia usus, est actus voluntatis distinctus ab electione : quia electio potest separari ab executione, seu actuali applicatione potentiæ executivæ ad medium electum, secus vero actus voluntatis, qui est usus : quia consistit in illa actuali applicatione, qua voluntas efficaciter applicat potentiam executricem ad exequendum prædictum medium, in ordine ad assequendum finem intentum : ergo ultra illud judicium, quod præcessit ad electionem, debet dari alius actus rationis practicæ, quo voluntas dirigatur, et ordinetur ad talem usum, quique habeat rationem imperii.

54. Probatur idem antecedens ratione primo.

Patet consequentia. Nam ad quemlibet actum voluntatis debet præcedere actus rationis practicus intimans quid sit agendum : et hoc ipso quod talis actus rationis subsequatur ad electionem efficacem, non potest non habere in virtute ejus vim movendi, et impellendi ad executionem, et ratione sui intimare quid sit agendum, atque adeo non potest non esse intimatio cum motione quadam ad id quod est faciendum, in quo ratio imperii consistit, ut docet D. Th. art. 5 q. 17 nuper citatæ, inquiens : *Respondeo dicendum quod sicut dictum est, imperium nihil aliud est quam actus rationis ordinantis cum quadam motione aliquid ad agendum. Manifestum est autem quod ratio potest ordinare de actu voluntatis. Sicut enim*

D.Thom.

potest judicare quod bonum sit aliquid velle. ita potest ordinare imperando, quod aliquid velit. Sed de his videantur ea, quæ n. 69, 73 et deinceps dicemus.

Secundo. Tum etiam : nam licet ratio practica habeat judicium dictans convenientiam electionis mediorum; nihilominus D. Thom. 1, 2 quæstion. 57 art. 6 jam citato, et alibi sæpe, istud judicium appellat speculativum : ex eo quod licet sit de re operabili; nihilominus est verum, vel falsum per conformitatem ad rem : judicium autem omnino practicum est verum per conformitatem ad appetitum rectum, juxta illud Aristot. 6 Ethicorum cap. 2 : *Activæ mentis veritas est consentanea appetitui recto;* ergo oportet ut ultra prædictum judicium detur alius actus rationis subsequens ad electionem mediorum, quem nomine imperii insignimus. Patet consequentia. Quia cum nullus actus rationis præsupponat appetitum rectum, seu electionem, nullus alius potest esse verus per conformitatem ad illum : ergo si debet dari in ratione practica actus rationis, qui sit verus per conformitatem ad appetitum rectum, oportebit dari prædictum actum imperii.

Idem.

Arist.

55. Tertio. Tum deinde : nam sicut in Principe est imperium respectu subditorum, quo voluntates eorum ad operandum secundum legem movet, ita quia respectu ejusdem hominis ratio est quasi princeps respectu aliarum potentiarum, debet esse in illa imperium ratione cujus possit imperare aliis potentiis sibi subditis, et imperii capacibus. Maxime quia sicut in Principe est prudentia regalis, ita quivis homo operans secundum rectam rationem habet prudentiam monasticam, cujus objectum est bonum proprium, et particulare operantis : ac proinde erit in homine respectu suarum virium inferiorum proprium imperium monasticum, sicut est in Principe in ordine ad suos subditos imperium regale. Unde D. Thom. 2, 2 q. 83 artic. 1 inquit : *Ad rationem pertinet imperare non solum potentiis inferioribus, atque membris corporis, sed etiam hominibus subjectis.*

Doct. Angel.

Ultimo. Tum denique : nam ratio practica, et speculativa conveniunt in hoc, ut bene notavit D. Thom. 6 Ethic. lect. 9 jam citata, quod utraque est inquisitiva et judicativa : ergo cum ultra hoc ratio practica habeat esse principium agendi, oportet ut sicut est efficax ad inquirendum, et judicandum, ita etiam habeat alium actum rationis, qui sit principium efficax agendi : et per consequens subsequatur ad electionem, habeatque rationem imperii. seu actus efficaciter moventis quoad exercitium, et executionem mediorum ordinatorum cum intimatione quadam.

Ipsemet.

§ V.

Evasiones adversariorum.

56. Evasio. Vazquez. Verum hæc ratio non videtur efficax Gabrieli Vazquez 1, 2 disp. 4 cap. 4 et 5 et aliis : et ideo aliquibus ex probationibus in ea contentis occurrunt. In primis ergo Vazquez sentiens in nobis non dari prædictum actum imperii, licet admittat quod secundum doctrinam Angelici Doctoris sit ponendus, negat illum esse de mente Aristot. et ita respondet testimonio a nobis ex 6 Ethic. allato. Tum quod Aristoteles nomine præcepti, tantum intelligit judicium antecedens electionem. Tum quod tantum vult, prudentiam esse præceptivam in ordine ad alios, non vero in ordine ad se ipsum, seu in ordine ad vires inferiores. Tum denique, quod licet nec prudentia, nec sagacitas habeant actum imperii distinctum a judicio, sed utraque tantum habeat judicare practice ante electionem; nihilominus judicium prudentiæ est talis rationis, ut quodammodo habeat rationem imperii. Nam prudentia de mediis inventis per consilium, judicat directè quænam eorum eligenda sint determinate. Et propterea ejus actus dicitur quodammodo imperium, quo voluntati prædicta media eligenda præscribuntur. Sagacitas vero judicat reflexe talem actum præceptivum prudentiæ habuisse debitam rectitudinem : et sic non habet quodammodo rationem imperii. Nam per illud non præscribitur voluntati quid eligere debeat, sicut per actum prudentiæ præscribebatur.

Evasio prima quoad testimonium Aristotelis. Secunda. Tertia.

57. Evasio quoad primam probationem ex ratione. Et ad primam probationem ex ratione petitam, qua probabatur dandum esse alium actum rationis practicæ subsecutum ad electionem, ex eo quod usus, est actus voluntatis distinctus ab eadem electione, negat dari prædictum actum usus : et alii admisso tali actu distincto ab electione, negant inde colligi necessitatem novi actus rationis, sed sufficere judicium antecedens electionem, et continuatum usque ad ipsum usum.

Quoad secundam. Ad secundam vero probationem dicunt, judicium antecedens electionem esse verum per conformitatem ad appetitum rectum; quippe quod versatur circa electionem mediorum,

diorum, et supponit rectam intentionem finis.

Quoad tertiam. Ad tertiam vero posset consequenter ad eorum doctrinam responderi, esse disparem rationem inter prudentiam, quæ est in Rege, et eam, quæ est in unoquoque respectu sui. Nam cum Rex habeat vim coactivam respectu subditorum, potest eis imperare per prædictam prudentiam : at cum unusquisque respectu sui non habeat vim coactivam, nequit sibi ipsi proprie, et in rigore per prudentiam monasticam imperare.

Quoad ultimam. Et tandem ad ultimam occurrunt, satis esse quod judicium antecedens electionem connotet ut aliquid subsecutum, eamdem electionem approbantem prædictum judicium, ad hoc ut sit efficaciter directivum, et ordinativum, seu (quod in idem quoad præsens redit) sit principium agendi practicum.

§ VI.

Præcluduntur prædictæ evasiones.

58. Præcluditur prior evasio ad testimonium. Cæterum omnes istæ evasiones deficiunt. Nam in primis prior evasio, qua Vazquez subterfugit testimonium Aristot. non satisfacit : quia Philosophus ibidem distinguit sagacitatem a prudentia, in hoc quod sagacitatis solum sit judicare; prudentia vero principaliter habet esse præceptivam : ergo apud Aristotelem, præcipere distinctus actus est a judicio antecedente electionem : alioqui non distingueretur prudentia a sagacitate in hoc quod prudentia est præceptiva.

Arist.

Præcluditur secunda. Deinde secunda evasio etiam corruit. Quoniam Aristotel. ibidem sermonem texebat de prudentia monastica, seu ordinata ad proprios mores, et proprium bonum; non vero de prudentia regali aut civili, quam in eodem libr. capit. 8 architectonicam nuncupat. Tum quia ibidem agit de consilio, et judicio agendorum unius hominis in ordine ad proprias operationes, et in ordine ad prudentiam monasticam, et virtutes morales, quarum disputatio ad libros Ethicorum spectat. Tum etiam : quia de prudentia politica, et civili, non disputat nisi in libris Politicorum.

Et ultima. Et similiter ultima evasio prædicti testimonii etiam deficit. Quia Aristotel. loco citat. docet sagacitatem esse de iis, circa quæ prudentia versatur; ita ut utraque virtus circa idem objectum materiale sit. Et ideo postquam assignavit objectum synesis, addidit : *Propter quod circa eadem quidem prudentia est.* Et D. Thom. loco citato explicat (ut nuper dicebamus), hæc verba sic : *Dicit ergo primo quod quamvis synesis, et prudentia sint circa eadem, non tamen sunt omnino idem.* Ex eo quod diversimode circa illa versantur : si autem sagacitas non versaretur immediate circa ipsa media, sed solum circa actum prudentiæ, tunc falsum esset, sagacitatem, et prudentiam versari circa eadem objecta.

D.Thom.

Et hoc ipsum magis explicuit idem Philosophus, dum postquam dixit synesim, et prudentiam versari circa eadem, et explicuit, in quonam distinguantur, solum recurrit ad hoc quod prudentia est præceptiva : *Sagacitas autem* (ut ipse loquitur) *vis judicandi dumtaxat : idem est enim sagacitas, et bona intelligentia : quippe cum sagaces sint, et boni intelligentes;* sive ut explicat Angelicus Doctor ibidem : *Illi enim dicuntur sensati, qui possunt bene judicare de agendis.*

59.

Aristot.

Doct. Angel.

Accedit quod in speculabilibus non datur unus habitus ad judicandum de speculabili, et alius ad reflectendum super illum actum, et speculationem de tali objecto, ut intuenti constabit : ergo nec etiam in practicis, sive in ratione practica : siquidem utrobique eadem quoad hoc paritatis ratio procedere videtur : cum tam ratio practica, quam speculativa supra suos actus reflectantur.

Additamentum.

Deinde evasio, quam adducit Vazquez primæ probationi antecedentis ex ratione petitæ, inquiens, usum non esse actum voluntatis distinctum ab electione, satis convincitur falsitatis ex iis, quæ in eadem probatione adducuntur, et ex iis quæ D. Thom. et cum eo communiter Thomistæ 1, 2 quæstion. 16 artic. 1 et 4 et quæstion. 17 articul. 3 ad 1 docent.

Vazquez.

D.Thom.

60. Evasio quoad priorem probationem ex ratione petitam præcluditur.

Id autem quod ex sententia adversariorum ibidem additur, scilicet, quod etsi usus sit actus voluntatis distinctus ab electione, sufficiet ad illius directionem vel ordinationem ille actus judicii, qui præcessit electionem, continuatus tamen usque ad ipsum actum usus activi, non potest admitti. Et ratio videtur aperta. Quoniam vel illud judicium dictat solummodo media esse eligenda? vel dictat prædicta media esse immediate eligenda, et deinde exequenda? Si primum, ergo non poterit deservire, et sufficere tam ad electionem, quam ad executionem mediorum, sive tam ad eligenda

Ratio præclusionis.

media, quam ad actum usus, per quem voluntas active applicat potentiam executricem ad executionem : siquidem prædictum judicium ad id tantum potest deservire quod dictat, ut ex se constat. Si autem secundum dicatur, tunc licet tale judicium possit deservire per modum prærequisiti ad hoc ut postea detur usus activus, non tamen ita ut non debeat inter prædictum usum, et electionem mediare alius actus rationis. Nam cum postea ista realis executio mediorum occurrit, tunc adest nova difficultas retardans voluntatem creatam ab usu activo, et executione mediorum jam electorum.

Et propterea multoties contingit, aliquos optime elegisse, et dum instat executio discedere ab electione propter novam difficultatem, quæ in ipsa operis executione reperitur : ergo oportet ut voluntas novo actu rationis dirigatur, ratione cujus, non obstante tali difficultate, proponatur ejus usus, et executio : siquidem propter hanc novam difficultatem relucentem in ipso opere tempore executionis, apparet etiam disconveniens, et molesta talis executio, et excitatur voluntas ut desistat ab ea : et ita ut non desistat, sed persistat, et usque ad executionem operis pertingat, desideratur novus actus rationis practicæ, quo illi intimetur talis executio, quoque efficaciter, suaviter tamen, moveatur, et impellatur ad illam.

61. Confirmatur, et explicatur primo.

Confirmatur, et explicatur primo. Nam licet illa nova difficultas, quæ est in executione, potuerit per præcedens judicium esse præventa, non tamen tunc potuit eo modo proponi, quo dum postea in executione occurrit : ergo nec potest per præcedens judicium sufficienter dirigi, et moveri voluntas ad hoc ut non obstante tali difficultate occurrente tempore executionis, ulterius progrediatur, applicando potentiam executivam ad opus. Antecedens probatur. Nam executio aliter proponitur, quando est a longe, et apprehenditur ut futura per judicium præcedens electionem, et dum proxime, et immediate instat : quia dum instat, re vera est, et apparet longe difficilior.

Consequentia vero probatur. Quia hoc ipso quod executio dum instat, sit difficilior, et ut talis appareat, oportet ut licet ad hoc quod eadem executio apprehensa ut futura, eligatur, satis sit actus judicii prævius ad electionem, quo ut futura, et cum illa minori difficultate sibi annexa prævidetur, non tamen ad hoc ut actualiter, et in exercitio mandetur executioni; sed insuper alius actus rationis desiderabitur, quo proponatur difficultas exercitii ut imminens, et quasi præsens, et dirigatur ac moveatur voluntas ad hoc ut, non obstante illa nova difficultate, tunc denuo insurgente, et se ipsam ut futuram superante, progrediatur ad applicationem potentiæ executivæ talium mediorum. Unde sicut non obstante quod per electionem efficacem sit efficaciter volita ipsa executio; nihilominus accedente tempore executionis datur novus actus voluntatis, qui vocatur usus, seu applicatio activa potentiæ executivæ ad opus, ut ex D. Thom. vidimus; ex eo quod dum instat executio, est nova difficultas : ita propter eamdem rationem dabitur ex parte intellectus, distinctus actus, quo voluntas ad vincendam hanc duplicem difficultatem moveatur.

62. Confirmatur, et explicatur secundo.

Confirmatur et explicatur secundo. Quoniam judicium antecedens electionem, et imperium, quod dicimus sequi ad illam, respiciunt diversa objecta formalia : ergo non possunt non esse diversi actus rationis. Consequentia videtur certa. Antecedens autem probatur, tum ex nuper dictis, quia in mediis ut habent rationem eligibilium, et exequendorum invenitur distincta ratio formalis objectiva utilitatis, quæ sit satis ad specificandum, et multiplicandum duplicem actum voluntatis, nempe electionem, et usum : ergo etiam reperietur in eis diversa ratio cognoscibilitatis objectivæ sufficiens ad specificandos, et multiplicandos duos actus diversos intellectus, nempe actum judicii, et imperii, seu ad multiplicandos eos actus intellectus, qui desiderantur ad electionem, et usum. Maxime quia sicut ad electionem non sufficit judicium synderesis præcedens actum intentionis, sed ulterius requiritur consultatio, et judicium de eligendis, ex eo quod intentio, et electio distinguuntur, ita hoc ipso quod electio, et usus eodem modo sint distincti, non sufficiet ad usum actus judicii desideratus, et sufficiens ad electionem; sed aliquis alius actus rationis ad eum desiderabitur.

Tum etiam : quia judicium antecedens electionem habet pro objecto utile quasi futurum; actus vero rationis, qui præcedit usum, habet pro objecto idem utile quasi præsens : sicut etiam electio terminatur ad utile quasi futurum; usus vero ad idem utile quasi præsens, seu sub ratione boni quasi præsentis.

Et

63. Præclauditur evasio adhibita ad secundam probationem.

Et eodem modo corruit evasio illa, quæ adhibetur secundæ probationi ejusdem antecedentis, dum asseritur, ideo judicium præcedens electionem esse verum per conformitatem ad appetitum rectum, ac proinde non esse necessarium imperium, quia tale judicium supponit rectam intentionem finis.

Nam contra hoc est, quod licet prædictum judicium videatur ex hac parte verum per conformitatem ad appetitum rectum; nihilominus re bene inspecta, non habet talem veritatem. Quoniam licet stante bona electione non possit non esse appetitus rectus; attamen stante bona intentione, potest appetitus non esse rectus, ut puta si stante intentione dandi eleemosynam, eligeretur ut medium ad illam elargiendam surripere alienum : et ita licet imperium, quod supponit electionem, non possit non esse verum per conformitatem ad appetitum rectum; secus vero judicium antecedens electionem : siquidem ut appetitus sit simpliciter rectus, debet habere tum rectam intentionem, tum etiam rectam electionem.

Et etiam quæ adhibita fuit ad tertiam.

Deinde id, quod ad tertiam probationem respondetur, nimirum non posse esse imperium unius hominis ad se ipsum, ex eo quod non habet respectu sui vim coactivam, etiam deficit. Nam ad imperandum non est necessaria vis coactiva, sed sufficit directiva : et ita Princeps manet obligatus eadem lege, quam condit. Quare sicut Princeps mediante lege ordinata ad bonum commune, potest sibi, et subditis imperare, ita mediante prudentia monastica, quæ respicit bonum proprium poterit tam Princeps, quam quivis habere imperium respectu sui ipsius.

Necnon inhibita ad quartam.

Tandem id, quod ad occurrendum ultimæ probationi ejusdem antecedentis adducitur, etiam corruit, ut ex iis, quæ circa secundam rationem pro D. Thom. sententia § sequent. dicemus, constabit.

§ VII.

Eadem D. Thomæ sententia alia ratione fundamentali stabilitur.

64. Secunda ratio principalis pro assertione D. Thom.

Secundo principaliter eadem assertio quoad primam partem, ex qua (ut diximus) posterior pendet, probatur ratione desumpta ex variis locis D. Th., nempe in 1 dist. 41 q. 1 art. 2 in corpore, et q. 6 de Veritate, et ad Romanos 9 lect. 2 necnon 1, 2 q. 13 art. 2 et q. 17 art. 1 quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam prædestinatio non potest consistere in illo actu judicii, qui præcedit electionem : ergo nec etiam in illomet judicio ut approbato per electionem subsequentem, seu ut eam connotat tanquam quid subsecutum : ergo consistet in actu imperii, seu in actu rationis practicæ ad prædictam electionem subsecuto.

Probatur antecedens.

Antecedens videtur certum. Quoniam prædestinatio est ordinatio illorum dumtaxat mediorum, per quæ prædestinatus postea consequitur finem æternæ vitæ : quia cum non sit utcunque ordinatio, sed ordinatio efficax prædictorum mediorum, solum potest esse ordinatio eorum mediorum, quæ cum effectu, et efficaciter conducunt ad vitam æternam comparandam : at ille actus judicii præcedens electionem, est ordinatio seu propositio plurium aliorum mediorum, quam sint ea, quæ a divina voluntate efficaciter eliguntur, et per quæ prædestinati vitam æternam de facto consequuntur : cum electio segregationem quamdam importet, atque adeo ejus ratio formalis consistat in electione unius, vel plurium aliis relictis, oportet ut per actum illum, quo intellectus proponit voluntati media eligenda, non solum proponantur ea, quæ eliguntur de facto, sed etiam alia quæ omittuntur : ergo in prædicto judicio, quippe non magis ordinante, quantum est ex vi suâ, hominem ad consecutionem gloriæ per illa media, quæ divina voluntas de facto eligit, quam ea, quæ de facto omisit, nequibit prædestinatio consistere.

65. Probatur prima consequentia.

Prima vero consequentia ex antecedenti sequitur. Tum quia prædestinatio debet consistere in ordinatione efficaci prædictorum mediorum, infallibiliter inferente executionem eorum : at actus ille judicii antecedens electionem, nequit adhuc subsecuta prædicta electione, esse efficax, et infallibiliter inferre hanc executionem : quia licet actus voluntatis antecedens absolute, et simpliciter actum intellectus, possit illi tribuere efficacitatem quoad hoc quod est movere infallibiliter quoad exercitium; non tamen actus voluntatis subsecutus, quippe qui non influit in actum intellectus antecedentem, nec manet virtualiter in eo. Et ideo quoties actus aliarum virtutum participant a charitate, id quod est proprium ipsius, toties actus charitatis absolute, et simpliciter præit, non vero subsequitur ad actus earum. Et propterea etiam D. Th. 1, 2 q. 17 art. 1 ut explicaret quomodo unus D. Thom.

actus intellectus participet aliquid ab alio actu voluntatis, et e contra, non dixit quod actus posterior manet virtualiter in priori, sed asseruit : *Quia virtus prioris actus remanet in actu sequenti, contingit quandoque, quod est aliquis actus voluntatis, secundum quod manet virtute in ipso aliquid de actu rationis, ut dictum est de usu, et electione : et e converso aliquis est actus rationis, secundum quod virtute manet in ipso aliquid de actu voluntatis.*

Idemmet

Tum etiam (et est explicatio præcedentis probationis) nam ut bene notavit idem Angelicus Doctor loco nuper dicto, primum movens quoad exercitium, et executionem actus sive operis est voluntas : ergo cum secundum movens non moveat nisi in virtute primi moventis, sequitur quod hoc ipsum quod est, actum intellectus movere quoad exercitium, et executionem, conveniat ei ex virtute voluntatis : ac proinde actus voluntatis debeat absolute, et simpliciter præire ei cui talem virtutem præstat : siquidem primum movens in aliquo ordine, debet esse absolute, et simpliciter prius, quam ea, quæ in virtute ejus movent.

Probatur secunda consequentia.

Ex quo etiam secunda consequentia aperte constat. Tum quia (ut ex dictis in explicatione tituli n. 38 constat) actus rationis practicæ, in quo posset in recto consistere prædestinatio, tantum est duplex, nimirum judicium antecedens electionem, et imperium : ergo hoc ipso quod prædestinatio non consistat in prædicto judicio, consistet in imperio. Tum etiam : quia imperium subsequitur ad electionem efficacem eorum dumtaxat mediorum, per quæ prædestinatus vitam æternam consequitur : et sic potest esse efficax ordinatio illorum, et inferre infallibiliter executionem eorumdem.

§ VIII.

Ratio præcedens confirmatur.

66. D.Thom. Cajet.

Confirmatur, et explicatur radicitus hæc ratio, supponendo tamen prius ex D. Th. 1, 2 q. 16 art. 4 et Cajetano ibidem, quod voluntas duplicem habitudinem habet ad volitum : unam quidem ordine intentionis, aliam vero ordine executionis. Ex quibus prima pertingit a volitione finis usque ad electionem mediorum inclusive : secunda vero ab actu rationis subsecuto ad electionem usque ad ipsam actualem applicationem potentiæ executricis ad consecutionem finis, necnon usque ad ipsam fruitionem ejusdem finis.

Suppositio notanda pro confirmatione rationis præcedentis.

Nam cum voluntas velit tam finem quam media, et sit primum movens quoad exercitium, et executionem eorum, oportet ut dicat utramque habitudinem, ita ut per primam respiciat tam finem, quam media ut volita, et per secundam ut executioni mandabilia : ac proinde etiam oportebit ut secunda habitudo finiatur in fruitione finis, ut ex se constat; et incipiat ab actu immediate subsecuto ad electionem (in qua prima habitudo volendi media desinit), nempe ab actu imperii : siquidem uterque ordo tam intentionis, quam executionis, et ambæ habitudines debent pendere a suo actu intellectus, et actus ille intellectus novus, et subsecutus ad electionem nihil est aliud, quam actus imperii. Et licet illa prior habitudo ordinis intentionis non incipiat a primo actu intellectus a quo dirigitur, quia talis actus nulla ratione cadit sub actu voluntatis, quippe qui omnem præcedit; bene tamen secunda habitudo : quia cum subsequatur ad actum electionis, accipit ab eo virtutem, et sub ea suo modo cadit : et ideo ab ipsa habet virtutem ad movendum efficaciter ad executionem operis, ita ut ab eo actu directive, efficaciter tamen, incipiat immediate executio. Sicut etiam actus judicii præcedens electionem, et subsecutus ad intentionem efficacem cadit sub prædicta intentione, pertinetque ad ordinem intentionis, et ab ea habet ut sit efficax ad movendum juxta modum efficacitatis, qui est in ipsa intentione, ut statim magis explicabitur.

67

Inter has autem habitudines est duplex discrimen. Primum quod prima quodammodo comparatur ad secundam ut imperfectum ad perfectum; et ideo ex illa itur ad istam. Secundum vero quod voluntas tunc est perfecta secundum primam habitudinem, quando perfecte vult finem, et media, ita ut ly *perfecte*, cadat supra ipsum *velle* : tunc vero est perfecte in secunda habitudine, quando perfecte habet finem, ita ut ly *perfecte*, cadat supra hoc quod est *habere* prædictum finem. Tunc enim voluntas est perfecta respectu ejus, quod est ad finem, quando habet illud realiter; et respectu finis quando realiter obtinet illum, et eo fruitur. Et propterea aliud est voluntatem perfecte velle, intendere, eligere : et aliud ipsam perfecte habere volitum, intentum, electum : et quia hæc sunt diversarum rationum, ideo quantumcumque crescat primæ

primæ habitudinis perfectio, semper remanet in sua imperfectione respectu secundæ, et nunquam ad eam pervenit.

Confirmatio efformatur. Hinc ergo sequens confirmatio deducitur. Nam prædestinatio debet consistere in actu rationis practicæ versante, et ordinante media, qui sit omnium efficacissimus : ac proinde qui in utroque ordine, scilicet intentionis, et executionis sit summe efficax : at actus judicii antecedens electionem non est actus rationis omnium efficacissimus, nec in utroque ordine habet efficaciam, secus tamen imperium : ergo prædestinatio non in prædicto judicio, sed in imperio debet consistere. Consequentia ex utraque præmissa satis constat.

68. Major probatur quoad primam partem. Major vero quoad primam partem etiam liquet. Nam cum prædestinatio sit ordinatio efficax eorum mediorum, per quæ æterna vita comparanda est; et propterea optime diffiniatur per hoc, quod sit transmissio, et ordinatio efficax creaturæ intellectualis in finem vitæ æternæ per certa, et determinata media, non potest non in ordinatione omnium efficacissima prædictorum mediorum essentialiter consistere.

t quoad secundam. Quoad secundam vero partem eadem major etiam patet. Nam actus rationis practicæ, qui in utroque ordine, intentionis nimirum, et executionis non fuerit efficax, non erit omnium efficacissimus : siquidem (ut modo dicebamus) hi duo ordines ita inter se connectuntur, ut primus quodammodo comparetur ad secundum, ut imperfectum, sive ut non ita perfectum, ad perfectum : et propterea ab illo eatur ad istum : et similiter unus, nempe primus, non potest intra suum ordinem præcise, habere perfectionem secundi, quantumvis in perfectione crescat, quia sunt diversarum rationum : et ita actus rationis practicæ, qui non fuerit efficax intra utrumque ordinem, non potest esse summe efficax, aut omnium efficacissimus.

69. robatur minor quoad rimam artem. Minor autem quoad primam partem, scilicet quoad prædictum actum judicii probatur. Nam cum actus iste tantum pertineat ad ordinem intentionis, quippe qui antecedit omnino ordinem executionis, non potest esse actus rationis practicæ omnium efficacissimus. Tum quia actus rationis practicæ omnium efficacissimus, debet ad utrumque ordinem intentionis, et executionis pertinere, ut ita in utroque sit efficax, et habeat majorem efficacitatem, quam ille qui ad unum tantum ex his ordinibus spectat. Tum etiam : quia cum prædictus actus judicii tantum supponat intentionem efficacem finis, tantum infert quod supposita prædicta intentione, eliget voluntas hæc vel illa media efficacia, non vero hæc determinate : et ita non habet tantam efficacitatem, quanta requiritur ad hoc ut ex vi sua, et intentionis efficacis inferat hæc media determinate magis, quam illa : sicut nec intentio efficax, a qua actus judicii efficacitatem habet, illa infert.

Quoad secundam vero partem, nempe quoad actum imperii, eadem minor sic suadetur. Tum quia cum prædictus actus imperii pertineat ad ordinem executionis, qui est posterior ordine intentionis, non potest non ex qua parte spectat ad ordinem executionis mediorum, quique præsupponit efficaciam totius ordinis intentionis, habere virtualiter efficaciam hujus ordinis, siquidem ut n. 54 et 66 dicebamus, efficacia actus prioris remanet virtualiter in actu posteriori ad illum subsecuto; et similiter habere formaliter efficaciam spectantem ad ordinem executionis, et per consequens esse actus rationis practicæ omnium efficacissimus. Quoad secundam probatur primo.

Tum etiam : quia, ut ex D. Thoma num. 53 dicebamus, imperium est actus præcipuus et finalis, qui elicitur a ratione practica : unde cum ipsa distinguatur a ratione speculativa in hoc quod est principium agendi, oportet ut prædictus actus imperii, qui est potissimus et finalis, sit efficacior omnibus aliis spectantibus ad rationem practicam : atque adeo quod sit summe efficax intra latitudinem rationis practicæ, et tam in ordine intentionis modo explicato, quam in ordine executionis. Secundo D. Thom.

Quæ confirmatio non solum explicat vim hujus rationis secundæ, sed etiam confirmat primam, suadens dandum esse actum imperii subsecutum ad electionem, quod in prædicta ratione intendebatur. Nam hoc ipso quod voluntas dicat duplicem habitudinem jam assignatam, et pertinentem ad utrumque ordinem, intentionis scilicet et executionis, oportet ut etiam ex parte intellectus detur duplex actus rationis practicæ, quo in utroque ordine voluntas dirigatur. Utrum autem isti duo ordines actuum in divinis distinguantur semper virtualiter? an vero semper sit unus et idem ordo eminentissimus, præhabens ea, quæ in creaturis sunt dispersa, et solum ex parte nostri modi concipiendi sit multiplex? et alia huc spectantia, constant ex iis, quæ in tract. de Voluntate Dei diximus. 70. Animadversio.

§ IX.

Ratio ultima pro assertione.

71. Ultima ratio pro assertione. D.Thom. Deinde probatur assertio ratione satis fundamentali desumpta ex D. Thoma locis statim referendis, et quæst. præced. art. 1 q. 6 de Veritate, art. 1 in hac quæst. art. 4, quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam prædestinatio est actus prudentiæ : at actus prudentiæ consistit formaliter, et in recto in actu intellectus, qui est imperium : ergo etiam prædestinatio. Major constat ex supra dictis num. 18. Nam prædestinatio, quæ est specialissima quædam providentia, est actus quidam qui est pars providentiæ, providentia autem est actus prudentiæ : et propterea quo aliquis est magis providus, eo est prudentior, et e contra.

Aristot. August. D.Thom. Minor autem (quæ est Arist. 6 Ethic. c. 9 et 1 Politic. c. 3 et Augustini lib. 1 de libero arbit. c. 8 et lib. 15 de Civitate c. 7 nec non D. Thom. 1, 2 q. 57 art. 6, et 2, 2 q. 51 art. 2 q. 53 per totam, q. 54 art. 2 ad 3) probatur tum ex dictis a num. 52 et deinceps, tum etiam ratione Angelici Doctoris locis modo citatis. Nam judicium de mediis eligendis est actus Synesis, aut Gnome : ergo actus proprius prudentiæ debet esse alius actus rationis præcticæ, ac proinde imperium, ut ex dictis in explicatione tituli, num. 38 liquet. Tum denique quia actus prudentiæ non habet ut sibi immediate oppositos eos actus vitiosos, qui opponuntur judicio, sed eos, qui opponuntur imperio. Nam judicio opponitur inconsideratio, imperio vero prudentiæ opponuntur inconstantia et negligentia. Unde D. Idemmet Thomas, 2, 2 quæst. 53 art. 2 explicans vitia, quæ opponuntur prudentiæ, secundum partes quasi potentiales illius, et ea quæ opponuntur ipsi, ut distinctæ ab illis, inquit : *Quantum ad defectum consilii, circa quod est Eubulia, est præcipitatio, sive temeritas : quantum vero ad defectum judicii, circa quod sunt Synesis, et Gnome, est inconsideratio : quantum vero ad ipsum præceptum, quod est proprius actus prudentiæ, est inconstantia, et negligentia.*

72. Confirmatur. D.Thom. Aristot. Confirmatur ratione, quam innuit D. Thomas, 2, 2 quæst. 47 art. 8 et ex parte tangit Aristot. 6 Ethicorum cap. 5. Nam in hoc distinguuntur ars, et prudentia, quod perfectio artis, modo tamen alibi insinuando considerata, consistit in judicando; perfectio vero prudentiæ in præcipiendo : ergo cum prædestinatio sit actus prudentiæ perfectissimæ, non poterit non in præcipiendo consistere. Consequentia patet. Antecedens autem ostenditur ab Aristotele, D. Thoma locis modo citatis sequenti signo. Nam homo judicans quod rectum est, et voluntarie deficiens ab illo, et consequenter peccatum committens, est imprudentior eo, qui per ignorantiam et nolens deficit : quia ille primus deficit in principaliori actu prudentiæ, qui est præcipere quod judicatur esse rectum; cæterum ille artifex qui deficit ab arte judicans quod deficit, et hoc eligens, est minus imperitus, quam ille qui deficit nolens : quia minus deficit a suo principali actu, qui est judicium : ergo actus proprius prudentiæ non erit judicium, sed alius actus rationis practicæ, nempe imperium : quia ut ex iis, quæ in explicatione tituli dicebamus, satis constat, non restat alius rationis actus in quo consistat.

§ X.

Diluitur primum argumentum oppositæ sententiæ.

73. Ad primam probationem oppositæ sententiæ. Ad primum pro prima parte oppositæ sententiæ (in qua posterior ejusdem sententiæ pars, et ejusdem fundamentum innititur) respondetur negando antecedens, et ad primam probationem negari etiam debet antecedens. Nam re vera imperium movet voluntatem tam quoad speciem actus in ordine executionis, ut n. 66 et sequentibus hujus dubii ostensum est quam quoad exercitium, ut docet Angelicus Doctor 1, 2, q. D.Thom 17 art. 1 et constat ex iis, quibus ostendimus, necessarium esse imperium rationis ad ordinem executionis spectans. Nam omnia, quæ illud suadent, etiam probant prædictum imperium, quippe subsecutum ad electionem efficacem, debere esse efficax in ordine ad movendum, quoad exercitium.

Nec oppositum convincit probatio ibidem adducta. Quia hinc non sequitur, non esse proprium voluntatis movere tam se, quam cæteras alias potentias, quoad exercitium : quia licet imperium ad illud moveat, hoc tamen habet participatum a voluntate. Et propterea Angelicus Doctor art. nuper citato, inquit : *Cum ergo secundum movens non moveat, nisi in virtute primi moventis, sequitur quod hoc ipso, quod ratio movet imperando, sit ei ex virtute voluntatis. Unde relinquitur, quod imperare sit actus rationis præsupposito actu voluntatis, in cujus virtute ratio movet per imperium ad exercitium actus.* Ang. Doct.

Unde

Unde in tali motione duo sunt considerandа : nimirum efficacia movendi quoad exercitium, et specialis modus movendi cum quadam intimatione, et ordinatione ad alterum : qui explicatur per verbum imperativi. Ex quibus primum illud reperitur in imperio participative ab electione voluntatis, quatenus applicat intellectum, et virtutes ejus imperativas ad imperandum : et ita semper est verum voluntatem movere se, et alias potentias, quoad exercitium, esseque primum movens in hoc ordine. Secundum vero competit ipsi imperio secundum se, et non a voluntate, ut notavit D. Thom. art. 1 nuper citato in solutione ad 1 inquiens : *Imperare non est movere quocumque modo, sed cum quadam intimatione denuntiativa ad alterum, quod est rationis.* Et propterea in actu libero causato ab imperio reperitur aliquid correspondens illi, nempe hoc quod est esse cum quadam intimatione denuntiativa, et ordinativa unius ad aliud : quo pacto voluntas non posset velle libere, unum esse propter aliud.

Idem.

74. Ad secundam ejusdem probationem. D. Thom.

Ad secundam vero probationem concesso antecedenti, neganda est consequentia. Rationem autem disparitatis tradidit D. Thom. 1, 2 q. 17 art. 2 his verbis : *Dicendum, quod imperare, nihil aliud est, quam ordinare aliquem ad aliquid agendum cum quadam intimativa motione : ordinare autem est proprius actus rationis. Unde impossibile est, quod in brutis animalibus, in quibus non est ratio, sit aliquo modo imperium;* secus vero in creaturis rationalibus propter oppositam rationem. Quam disparitatem adhuc magis explicuit idem sanctus Doctor in solutione ad 3 his verbis : *Aliter invenitur impetus ad opus in brutis animalibus, et aliter in hominibus. Homines enim faciunt impetum ad opus per ordinationem rationis, unde habet in eis impetus rationem imperii : in brutis autem fit impetus ad opus per instinctum naturæ : quia scilicet appetitus eorum, statim apprehensa convenienti, vel inconvenienti, naturaliter movetur ad prosecutionem, vel fugam. Unde ordinantur ab alio ad agendum, non autem ipsa se ipsa ordinant ad actionem : et ideo in eis est impetus, sed non imperium.*

Ad id quod ibidem additur.

Ex quo etiam ad id, quod in eadem probatione additur, facile constat. Nam ex eo quod denegemus brutis hunc actum imperii, non propterea pauciora concurrunt ex parte cognitionis ad motus eorum : siquidem loco actus rationis, qui est imperium in creaturis rationalibus, et mediante quo se ipsas movent, succedit imperium, et motio primi intelligentis, primique moventis, ratione cujus ordinantur, et moventur ad prædictum opus.

75. Ad tertiam probationem.

Ad tertiam vero probationem respondetur, negando antecedens. Quia re vera datur donum Spiritus Sancti correspondens prudentiæ, et in ordine ad actum imperii, quamvis tale donum non significetur nomine doni *præcepti*, sed nomine doni *consilii* : ex eo quod dona Spiritus Sancti conferuntur ad actus, in quibus mens se habet ut mota ab illo, quamvis active eosdem actus eliciat, ut innuit D. Thom. 1, 2 q. 68 art. 1. Cumque præcipere non denotet ex vi significationis nominis hoc quod est moveri, sed movere, propterea congruum fuit, ut donum correspondens prudentiæ, non appellaretur *præceptum*, sed *consilium*, per quod potest significari motio mentis ab alio consiliante.

D. Thom.

Quæ solutio desumitur ex D. Thom. 2, 2 quæst. 52 art. 2 ad 1 et 3 his verbis : *Dicendum, quod judicare, et præcipere non est moti, sed moventis, et quia in donis Spiritus Sancti mens humana non se habet, ut movens, sed magis ut mota; inde est, quod non fuit conveniens ut donum correspondens prudentiæ, præceptum diceretur, vel judicium, sed consilium, per quod potest significari motio mentis consiliatæ ab alio consiliante, etc. Unde mens humana ex hoc ipso quod dirigitur ab Spiritu Sancto, fit potens dirigere se et alios.*

76. Ad quartam probationem.

Ad quartam tandem probationem, ut respondeamus notandum est, duplicem esse ordinem actuum intellectus, et voluntatis, alterum quidem directum, alterum vero reflexum : ex quibus directus, est respectu actuum ut feruntur in sua objecta, ut si volumus sanitatem, tunc eligimus medium ad illam proportionatum, v. g. sumptionem potionis amaræ, deinde imperamus membro externo, ut illam sumat, et tertio utimur illo ad ejus sumptionem. In quo ordine perspicuum est, electionem præcedere imperium et hoc præcedere applicationem ac usum prædicti membri in ordine ab obtentionem finis. Ordo vero reflexus, est quo actus intellectus, et voluntatis reflectuntur supra se ipsos, et in hoc ordine imperium præcedit electionem. Nam cum aliquod objectum volumus, ut dum amamus amicum, tunc illa volitio, et amor, est consensus in ipsum amorem, et electio ejusdem amoris quoad exercitium, et insuper habet rationem usus voluntatis, quo eam ad elicien-

dum prædictum amorem, ut est electio directa alicujus medii, applicamus : et tunc imperium in hoc ordine præcedit electionem, non quidem ut est electio reflexa sui, sed ut habet rationem usus, et applicationis voluntatis in ordine ad se ipsam ut est electio directa alicujus medii, v. g. sumptionis potionis amaræ.

Hinc ergo ad ultimam probationem ejusdem antecedentis, negandum est etiam antecedens in sensu explicato. Ad cujus probationem dicendum est, imperium in ordine directo actuum intellectus, et voluntatis, esse post volitionem finis, et electionem mediorum, adhuc entitative sumptam; imperium vero in ordine reflexo, quo actus intellectus, et voluntatis supra se, modo insinuato reflectuntur, esse ante electionem, non quidem ut electio, est electio reflexa sui, sed ut habet rationem usus, quo voluntatem applicamus ad hoc ut eliciat eamdem electionem, ut est electio directa.

77. Nec oppositum hujus vult D. Th. in testimonio ibidem allato. Quoniam tantum intendit, electionem objecti extrinseci, et in ordine directo esse priorem imperio, et applicatione potentiarum ad illius consecutionem; non tamen negat quin ipsam electionem, et intentionem liberam, ut sunt usus voluntatis ad eligendum directe, præcedat aliquod imperium : ac proinde nullus est actus liber ad quem, secundum rationem jam dictam, non desideretur imperium. Diximus : *Quin ipsam electionem, et intentionem liberam etc.* quia intentio libera, licet possit esse respectu finis; attamen ut est libera involvit volitionem hujus finis præ alio, vel aliis; atque ibidem libera electio involvitur.

D. Thom. Quæ solutio desumitur ex D. Thom. 1, 2 q. 16 art. 4 ad 3 et q. 17 art. 3 ad 1 et ad 3, si omnia hæc testimonia in unum conjungantur. Nam in solutione ad 1 loquens de ordine directo actuum voluntatis, inquit : *Non omnis actus voluntatis præcedit hunc actum rationis, qui est imperium; sed aliquis præcedit, scilicet electio, et aliquis sequitur, scilicet usus : quia post determinationem consilii, quæ est judicium rationis, voluntas eligit, et post electionem ratio imperat ei, per quod agendum est quod eligitur : et tunc demum voluntas alicujus incipit uti exequendo imperium rationis.* Loquens vero de ordine reflexo inquit in solutione ad 3 prædicti artic. 4 : *Electio præcedit usum, si referantur ad idem. Nihil autem prohibet, quod usus unius præcedat electionem alterius. Et quia actus voluntatis reflectuntur supra se ipsos, in quolibet actu voluntatis potest accipi consensus, et electio, et usus : ut si dicatur, quod voluntas consentit se eligere, et consentiat se consentire, et utitur se ad consentiendum, et eligendum, et semper isti actus ordinati ad id, quod est prius, sunt priores.* Quibus verbis in art. 3 in solutione ad tertium jam citatis addit : *Sicut actus voluntatis utentis ratione ad imperandum, præcedit ipsum imperium : ita etiam potest dici, quod, et istum usum voluntatis præcedit aliquod imperium rationis, eo quod actus harum potentiarum supra se ipsos invicem reflectuntur.*

78. Objectio et prior ejus probatio. Nec refert si objicias, tum quod in actu electionis ut usus est, non est nova difficultas præter eam, quæ est in illo ut electio est; siquidem implicat dari electionem ut est electio, quin etiam detur ut est usus : ergo non est cur ad eam ut usus est, requiratur imperium, si semel ad eamdem ut electio est, non desideratur. Patet consequentia. Nam ideo in ordine directo actuum intellectus, et voluntatis desideratur actus imperii ad usum, quia usus addit novam difficultatem supra electionem : ergo cum electio, ut usus, non addat novam difficultatem supra se ipsam ut electio, non desiderabitur imperium ad ipsam ut usus est, si non requiritur ad eamdem ut est electio.

Secunda probatio. Tum etiam : quia facta collatione inter electionem ut est electio, et ut usus, prius est in illa ratio usus, quam ratio electionis : quandoquidem ideo voluntas eligit, quia utitur se ipsa ad eligendum; non vero e contra : sed electio ut usus indiget imperio : ergo etiam eo indigebit ut est electio, quippe quæ secundum hanc rationem pendet a se ipsa ut usus, tanquam ab aliquo anteriori.

Tertia probatio. Tum denique : quia fundamentum hujus solutionis, nempe voluntatem reflectere supra suos actus, et ideo velle suum *velle*, et eligere suam electionem, videtur etiam probare dari processum in infinitum in his reflexionibus : siquidem illud *velle* quo virtualiter vult suum *velle*, est etiam virtualiter volitum; ac proinde dabuntur etiam infiniti actus imperii, quibus voluntas in illis dirigatur, si semel ad aliam electionem reflexam aliquis actus imperii desideratur.

79. Objectio diluitur quoad primam probationem. Respondetur enim ad primam ex his probationibus distinguendo antecedens : *Non est nova difficultas*, realiter distincta, concedendum

concedendum est : ratione diversa, negari debet. Nec oppositum hujus convincit probatio ibidem adducta, ut intuenti patebit. Et deinde distinguendum est consequens : et si intelligatur de imperio, qui sit actus intellectus realiter distinctus in ratione talis ab actu judicii, concedendum est : secus vero si intelligatur de imperio, quod in ratione actus intellectus solum distinguatur ratione a prædicto judicio.

Itaque sicut idemmet actus electionis habet saltim virtualiter, et rationem consensus et est electio sui, ac simul usus quidam, ita idemmet judicium dirigens voluntatem ad eligendum aliquod medium, habet rationem judicii præcise ostensivi, et saltim virtualiter rationem imperii intimantis voluntati ut eliciat eamdem electionem ut usum, Nam judicium dictans electionem directam mediorum dirigit etiam saltim virtualiter in ordine ad id, quod est saltim virtualiter in ipsa electione, scilicet quod sit consensus in se ipsam, electio sui, ac usus quidam. Unde prædictum judicium quatenus præcedit omnino electionem secundum omnes suas formalitates, sive munera omnia inadæquata, est judicium pure ostensivum; quatenus vero supponit eamdem electionem, ut est electio sui regulata per prædictum judicium ut pure ostensivum, et ea supposita dirigit, et ordinat cum quadam motione, et impulsu efficaci eamdem voluntatem ut eliciat ipsammet electionem ut est usus, habet saltim virtualiter rationem imperii, quia supponit efficacem electionem, qua ipsamet electio eligit se ipsam, et addit in ipso judicio saltim munus quoddam inadæquatum correspondens imperio directo, et formali : quo in ordine directo intellectus per alium actum realiter distinctum a judicio, et electione, imperat efficaciter executionem mediorum realiter ab utroque distinctam. Sed hæc omnia magis n. 81 et 82 elucidabuntur.

80. Diluitur quoad secundam. Ad secundam vero probationem ejusdem objectionis distinguendum est antecedens : *Prius est in illa ratio usus, quam ratio electionis;* idest, prius est in illa ratio usus ad consentiendum in se ipsa, et ad eligendum se ipsam, quam sit in ea ratio reflexa electionis sui, transeat antecedens : idest, prius est in illa ratio usus sui, ut est electio directa medii directe electi, quam ratio reflexa electionis, qua se ipsam eligit, negandum est. Et deinde distinguenda est minor : et si sensus sit, quod electio ut usus sui ad eligendum directe medii, indiget imperio, concedendum est : si vero sensus fuerit, quod electio ut usus sui ad eligendum reflexe se ipsam, indiget imperio, negandum est. Et tandem negetur consequentia, si intelligatur de electione ut est electio reflexa sui : et concedatur de ipsa ut est electio directa mediorum. Nam secundum hanc solam rationem pendet a se ipsa, seu subsequitur ad se ipsam ut habet rationem usus indigentis imperio, ut jam explicamus.

Alia forma ejusdem solutionis. Vel aliis verbis (quamvis tandem in idem cum præcedenti distinctione coïncidat) distinguatur major : et si sensus sit, quod prius sit in illa ratio usus stricte dicti, quam ratio electionis reflexæ sui, neganda est : si vero sensus fuerit, quod prius sit in illa ratio usus late, et generaliter dicti, quam ratio electionis ut est electio reflexa sui, concedenda est. Et deinde distinguatur minor : *Electio ut usus indiget imperio,* sumpto usu pro usu stricte, et peculiariter dicto, concedatur : sumpto usu pro usu generaliter, et late dicto, negetur. Ac tandem negari debet consequentia, intellecta de electione ut est electio reflexa sui : et concedi de ipsa ut est electio directa mediorum, supponens electionem reflexam sui. Nam secundum hanc rationem pendet a se ipsa, seu subsequitur ad se ipsam ut est usus stricte, et peculiariter dictus sui, non vero secundum quod est electio reflexa sui:

81. Explicatur solutio quoad priorem formam. Itaque hoc ipso quod aliquis eligat directe aliquod medium, v. g. sumptionem potionis amaræ in ordine ad sanitatem acquirendam, est ibidem virtualiter, et in ordine reflexo consensus in ipsam electionem; ac proinde prius ratione nostra fuit in illo usus, quo voluntas utitur se ipsa in ordine ad consentiendum. Deinde reperitur ibidem electio ejusdem electionis, et per consequens præfuit usus, quo voluntas utitur se ipsa ad reflexe eligendum eamdem electionem. Et tandem reperitur etiam in eadem electione, quod sit directa, et formalis electio medii directe electi, nempe prædictæ sumptionis potus amari : atque ad eo prius ratione fuit ibi usus, quo voluntas utitur se ad eliciendam illam electionem ut est electio directa talis medii.

Electio igitur ut est usus in ordine ad consensum, quo virtualiter, et reflexe voluntas per eamdem electionem consentit in illam, est prior ratione nostra, quam electio ut consensus virtualis, et reflexus sui, et ipsa ut est usus ad eligendum reflexe semetipsam, subsequitur ad se tam ut est

usus ad consensum, quam ad consensum ipsum, et est prior ratione, quam illa ut est electio reflexa sui. Et tandem prædicta electio, ut est usus ad eligendum directe medium, subsequitur ad omnia prædicta, et præcedit se ipsam ut est directa electio medii directe electi nempe prædictæ sumptionis totus amari.

Quare imperium illud saltim virtuale (de quo numero præsenti) non desideratur ad eam, ut est sub præciso conceptu usus ad consentiendum, vel sub præciso conceptu consensus tantummodo, vel electionis reflexæ sui; sed supponit has rationes, maxime vero electionem, ut est reflexa sui electio; et requiritur ad eam ut est usus, quo utitur voluntas se ipsa ad eliciendam eamdem electionem ut est electio directa medii directe electi. Tum quia ut est electio directa medii, et simul habet esse electam reflexe, et virtualiter a se ipsa, non tam habet rationem electionis, quam rei electæ, et executioni mandandæ : et ita non mirum quod secundum hanc rationem indigeat prædicto imperio. Tum etiam : quia cum imperium sit talis conditionis, ut non possit non supponere electionem sive directam, sive reflexam (ut dictum est) ideo quod eam præsupposuerit, ut contingit in electione, quatenus est electa a se ipsa, indigebit imperio jam dicto : et ita illud imperium habebit radicaliter efficaciam ad movendum quoad exercitium ab ipsa electione, non quidem ut formalissime est electa, sed ut electio sui, seu (quod in idem redit) non quidem ut est electio directa medii, sed ut est formalissime electio reflexa sui, ut directe tendentis in medium electum.

82. Explicatur eadem solutio quoad posteriorem formam.

Ex quo etiam constat, quare secundus modus distinguendi antecedens hujus objectionis coïncidat tandem cum solutione nuper data. Quoniam usus stricte et peculiariter dictus tantum est respectu eorum, quæ pertinent ad ordinem executionis, non vero illorum, quæ stricte et peculiariter loquendo spectant ad ordinem intentionis : at licet electio, ut est electio directa medii directe voliti, et præcedit imperium directum, spectet ad ordinem intentionis, ut in hoc dubio, numero 66 dicebamus; attamen collata secum ut est consensus, et electio sui, spectat qua ratione est electio directa medii ad ordinem executionis, quia ipsa ut sic est effectus quidam executus, et præsupponit consensum sui, et electionem reflexam et virtualem, qua eligitur. E contra vero eadem electio ut consensus, et ut est usus ad consentiendum, nec non ut est electio reflexa sui, spectant propter oppositam rationem ad ordinem intentionis, ut nuper dicebamus, et ita in idem redit, quod sit in ea prius ratio usus ad consentiendum in se ipsa, et ad eligendum se ipsam, quam sit in ea ratio electionis reflexa sui; ac asserere, quod sit in ea prius ratio usus generaliter dicti, quam ratio electionis reflexæ, qua se ipsam quodam modo eligit, quod verissimum est, et similiter idem est, quod sit in ea prius ratio usus, stricte et peculiariter dicti, quam ratio reflexa electionis; ac affirmare esse in ea prius rationem usus sui, ut est electio directa medii directe electi, quam rationem reflexam electionis, qua se ipsam eligit, quod est omnino falsum.

83. Diluitur objectio quoad tertiam probationem.

Ad tertiam vero probationem ejusdem objectionis, respondetur, negando antecedens. Et ad probationem dicendum est, in quovis ordine deveniendum esse ad unum primum, quod sit quasi fons illius ordinis. Unde sicut in mediis directe electis devenitur ad unum primum, nempe ad electionem directam, a qua habent esse actu electa, ita in electione reflexa debet deveniri ad unum primum in illo ordine, quod sit quasi fons hujus denominationis, in quoque idem prorsus sit, esse virtualem electionem electionis directæ; ac esse electionem sui ut est electio reflexa : et ideo neque in his volitionibus reflexis, neque in imperiis erit abeundum in infinitum.

§ XI.

Solvuntur confirmationes primi argumenti contrariæ sententiæ a numero 42 *usque ad numer.* 45 *allatæ.*

84. Ad secundam confirmationem primi argumenti contrariæ sententiæ quoad primam partem.

Ad primam confirmationem respondetur, negando antecedens quoad omnes suas partes. Et ad probationem pro prima parte, distinguendum est antecedens : *Posito imperio efficaci non potest non poni actus imperatus*, necessitate antecedenti, aut absoluta, et in sensu diviso, negandum est : necessitate consequentiæ, aut ex suppositione, vel in sensu composito, concedendum est : et deinde negari debet consequentia. Quia libertas non tollitur per hanc posteriorem necessitatem, sed per illam priorem. Quare cum posito imperio efficaci, non possit non sequi actus imperatus necessitate consequentiæ, seu in sensu composito, et ex suppositione,

suppositione, non qualicunque, sed orta ex determinatione libera ejusdem voluntatis, nimirum ex electione efficaci, inde est, ut non tollatur, sed potius ponatur libera efficacia ejusdem voluntatis.

Diximus, posito imperio efficaci, non posse non in sensu composito poni actum imperatum : quia si imperium non sit efficax, seu perfectum ; sed inefficax, et imperfectum, poterit adhuc in sensu composito, non sequi actus imperatus, ex eo quod ratio multoties ex diversis capitibus inducitur ad imperandum, et non imperandum : et ita fluctuat, nec perfecte imperat, et propterea actus non sequitur infallibiliter, ut
D.Thom. docet D. Thom. 1, 2 quæstion. 17 articul. 5 ad 1 his verbis : *Dicendum, quod sicut Aug. ibidem dicit animus quando perfecte imperat sibi ut velit, tunc jam vult : sed quod aliquando imperet, et non velit hoc contingit ex hoc, quod non perfecte imperat. Imperfectum autem imperium contingit ex hoc, quod ratio ex diversis partibus movetur ad imperandum, vel ad non imperandum. Unde fluctuat inter duo, et non perfecte imperat.* Cæterum quando imperium est efficax, seu (quod in idem redit) est perfectum, tunc quantum est ex se infallibiliter infert actum imperatum. Diximus : *Quantum est ex se*, quia licet animus imperet perfecte, non sequetur opus, si sit defectus in potentia executiva, ut notavit idem Angelicus Doctor q. nuper citata art. 7.

85. Ad probationem pro secunda parte ejusdem confirmationis.

Ad probationem vero pro secunda parte respondetur, ideo non poni aliquam virtutem in membris externis ad eliciendum actum exteriorem, quia non utcumque sequitur necessario necessitate ex suppositione ad actum interiorem, sed sub eadem ratione virtutis, et sine aliqua sua libertate. Et similiter neque ad actum gaudii ponitur in voluntate virtus distincta a charitate, quia etiam gaudium sequitur ad amorem sub eadem ratione virtutis, quamvis habeat proprium *esse* liberum non derivatum ab
Angelicus Doctor. actu amoris, ut docuit D. Thom. 2, 2 q. 28 art. 4 in corp. et ad 1. Cæterum actus imperati, sive sint rationis, vel voluntatis, vel appetitus sensitivi, sequuntur ad imperium sub diversa ratione virtutis. Nam prudentia tendit in illos sub ratione veri agibilis, justitia vero, v. g. sub ratione boni æqualis : et ita licet detur prudentia existens in intellectu, et eliciens actum imperii, constituenda est in voluntate virtus justitiæ, ut ita connaturaliter, et perfecte uterque actus secundum has diversas rationes eliciatur, ut notavit D. Thom. 1, 2 q. 56 art. 4. Idem.

Ad probationem vero pro tertia parte ejusdem antecedentis, dicendum est, satis esse ad novum meritum, quod actus imperatus eliciatur simpliciter libere, et sit omnino distinctus, habeatque distinctam materiam, et bonitatem, ut in præsenti contingit. Utrum autem omnia hæc ad novum meritum requirantur, necne? Alia quæstio est suo loco discutienda. Ad probationem pro tertia parte.

Ad probationem autem pro quarta ejusdem antecedentis parte respondet D. Thom. 1, 2 quæstion. 17 art. 5 ad 3 his verbis : *Ad tertium dicendum, quod cum imperium sit actus rationis, ille actus imperatur, qui rationi subditur. Primus autem voluntatis actus ex rationis ordinatione non est, sed ex instinctu naturæ, aut superioris causæ, ut supra dictum est : et ideo non oportet quod in infinitum procedatur.* Quod etiam docuit sanctus Doctor 1, 2 quæstion. 9 art. 4 dicens : *Quia voluntas non semper sanitatem actu voluit, necesse est, quod inciperet velle sanari ab aliquo movente. Et si quidem ipsa moveret se ipsam ad volendum, oportuisset, quod mediante consilio hoc ageret ex aliqua voluntate præsupposita : hoc autem non est procedere in infinitum. Unde necesse est ponere, quod in primum motum voluntatis, voluntas prodeat ex instinctu alicujus exterioris moventis,* nempe Dei, *ut Aristot. concludit in quodam capit. Ethicæ Eudimicæ.* Ad probationem pro quarta parte. D.Thom.

86. Ad secundam confirmationem primi argumenti oppositæ sententiæ.

Ad secundam confirmationem, concedum est antecedens, et neganda consequentia. Nam cum imperans ordinet eum, cui imperat, ad aliquid agendum, intimando vel denuntiando, ut ex dictis constat, et sic ordinare per modum cujusdam intimationis sit actus rationis, oportet ut etiam imperium inter actus rationis connumeretur. Et ad probationem in contrarium, dicendum est, quod illi tres actus, nimirum simplicium apprehensio, compositio, aut divisio, et ratiocinatio, tantum assignantur pro intellectu speculativo ; non tamen pro intellectu, sive ratione practica. Nam ratio practica habet ultra prædictos actus, alios, quales sunt imperium, et deprecatio : et propterea ex eo quod imperium non sit aliquis ex prædictis tribus actibus intellectus speculativi, non sequitur, non esse actum rationis.

Quæ solutio desumitur ex D. Thom. 2, 2 D.Thom. quæstione 83 artic. 1 in solutione ad 3. Nam cum sibi sanctus Doctor sic objecisset, quod *Philosoph. in 3 de Anima ponit duas*

operationes intellectivæ partis, quarum prima est indivisibilium intelligentia, per quam scilicet apprehendimus de unoquoque quid est : secunda vero est compositio, et divisio, per quam scilicet apprehenditur aliquid esse, vel non esse : quibus tertio additur ratiocinari, procedendo scilicet de notis ad ignota : sed oratio ad nullam istarum operationum reducitur : ergo non est actus intellectivæ virtutis, sed appetitivæ. Cum igitur sanctus Doctor hoc sibi objecisset, respondet in hæc verba : *Ad tertium dicendum, quod illi tres actus pertinent ad rationem speculativam : sed ulterius ad rationem practicam pertinet causare aliquid per modum imperii, vel per modum petitionis, ut dictum est.*

87. Objectio. Nec refert si objicias, quod licet illæ tres operationes assignentur parti speculativæ, non ideo tollitur, quominus in parte practica dentur aliqui actus pertinentes ad secundam operationem intellectus, scilicet compositionem, et divisionem, seu enuntiationem unius de alio : ergo eadem ratione licet imperium sit in ratione practica, poterit pertinere ad eamdem secundam operationem intellectus per modum cujusdam enuntiationis judicantis, non quidem de convenientia electionis medii, sed de convenientia executionis ejusdem. Maxime quia cum tale judicium subsequatur ad electionem efficacem, non poterit non habere rationem imperii. Consequentia videtur sequi ex antecedenti propter paritatem rationis, quæ inter utrumque est. Antecedens autem constat ex dictis. Nam consilium, et sententia, per quæ Eubulia, et Synesis judicant de convenientia mediorum, pertinent ad secundam operationem intellectus : quamvis quia illi actus fiunt in ordine ad operationem, propterea sunt distincti a judicio speculativo.

Enodatio Respondetur enim concedendo antecedens, et negando consequentiam. Et ratio disparitatis desumitur ex iis, quæ supra, num. 53 ex D. Thom. 6 Ethicor. lect. 9 dicebamus, scilicet quod invenire inquirendo, et judicare de inventis, est commune parti speculativæ, et practicæ. Et ideo non mirum, quod uterque actus possit tam in parte practica, quam speculativa pertinere ad secundam operationem intellectus, nempe ad compositionem, et divisionem. Cæterum imperium est actus maxime proprius rationis practicæ, per quod maxime ab speculativa distinguitur : et ita non est necesse quod pertineat ad aliquam ex operationibus partis speculativæ, ac proinde nec quod sit purum, aut verum judicium formaliter tale de convenientia executionis.

Præceptor Angel.

Diximus, non esse purum judicium. 88. Tum quia nisi haberet efficacitatem intrinsecam participatam ab actu electionis voluntatis, tanquam a primo movente quoad exercitium, seu (quod in idem quoad præsens redit) tanquam a primo applicante quoad exercitium, non posset efficaciter movere quoad executionem operis, et ita nec habere rationem imperii. Tum etiam : quia hoc ipso quod fit actus rationis, subsecutus ad electionem efficacem, non potest dirigere, et ordinare ad executionem pure judicando, sed præcipiendo. Quod quidem explicatur per verbum imperativi, nempe, *Fac hoc.*

Ratio solutionis. Et ratio videtur perspicua. Tum quia actus intellectus, immediate antecedens executionem operis, non debet esse judicium practicum utcumque, i.lest, practicum speculative; sed practicum practice; siquidem prædictus actus intellectus debet esse maxime practicus : at judicium dictans executionem operis vel in communi, et non attentis omnibus circumstantiis hic et nunc occurrentibus, vel dictans illam cum prædictis circumstantiis solum ostendendo, seu per modum judicii ostensivi, tantum est judicium practicum speculative : ergo tale judicium non est actus intellectus immediate præcedens executionem operis, sed ulterius desiderabitur actus intellectus, qui non dirigat pure ostendendo executionem, sed impellendo, movendo, seu imperando : qui quidem actus optime explicatur per verbum imperativi, nempe, *Fac hoc.*

Tum etiam : quia ex quo capite illa efficacia in ordine ad executionem hujus determinati medii participatur a voluntate, quæ habet se per modum cujusdam impulsus, non qualiscumque, sed in ordine ad determinatum medium; oportet ut imperium, de cujus ratione est movere ad determinatum medium, habeat dirigere ad illud per modum cujusdam impulsus, seu movendo, et impellendo. At ex quo capite id, quod participat talem impulsum, est actus rationis, et unumquodque recipitur ad modum recipientis, oportet ut ille impulsus participatus a voluntate ut a prima radice, sit radicaliter actus voluntatis; et formaliter actus rationis : at actus rationis impellens, et movens per modum cujusdam impulsus, optime explicatur per verbum imperativi denotans rationem imperantem, et impellentem

impellentem; non tamen per verbum indicativi, ut dum dicitur : *Hoc est tibi conveniens facere :* siquidem per hoc judicium non significatur vis illa impulsiva, ad ordinem intellectualem spectans, per quam actus rationis subsequens ad electionem habet efficaciter movere ad executionem, quæque est propria, et peculiarissima ratio illius actus ad rationem pertinentis, qui ad electionem subsequitur.

89. Addidimus autem non esse verum judicium formaliter tale : quia licet exprimatur cum aliqua compositione, et virtualiter habeat ea, quæ sunt judicii, et ita virtualiter includat judicia illa : *Hoc est tibi faciendum : Expedit tibi ut hoc facias;* re tamen ipsa non est verum judicium formaliter tale, quo judicetur expedire ut illud opus fiat; sed proprio nomine, et ratione explicatur per nomen, et rationem imperii, seu præcepti.

Explicatur a signo. Potestque hoc a signo satis explicari : ex eo quod judicium illud est verum vel falsum per ordinem ad rem judicatam, modo tamen alibi dicto, cum tamen imperium

D.Thom. hoc non habeat. Et ideo D. Thom. 1 Periherm. lect. 7 loquens de hac veritate, et de imperio, et deprecatione, sic ait : *Dirigitur autem ex ratione unius hominis alius homo ad tria. Primo quidem ad attendendum mente; et ad hoc pertinet vocativa oratio. Secundo ad respondendum voce; et ad hoc pertinet interrogativa. Tertio ad exequendum in opere; et ad hoc pertinet, quantum ad inferiores, oratio imperativa, quantum autem ad superiores, oratio deprecativa, ad quam reducitur oratio optativa : quia respectu superioris homo non habet vim motivam, nisi per expressionem sui desiderii. Quia igitur istæ quatuor orationis species non significant ipsum conceptum intellectus, in quo est verum vel falsum, sed quemdam ordinem ad hoc consequentem, inde est, quod in nulla earum invenitur verum vel falsum, sed solum in enuntiativa, quæ significat id, quod de rebus concipitur. Et inde est, quod omnes modi orationum, in quibus invenitur verum vel falsum, sub enuntiatione continentur, quam quidem dicunt indicativam, vel suppositivam. Dubitativa autem ad interrogativam reducitur, sicut, et optativa ad deprecativam.*

90. Replica. Doct. Angel. Nec tandem refert si urgeas, quod ut num. 73 ex D. Thom. 1, 2 q. 17 art. 1 dicebamus, imperare nihil est aliud quam ordinare eum, cui imperatur, ad aliquid agendum, intimando vel denuntiando : ergo cum denuntiare pertineat ad secundam operationem intellectus, oportet ut prædictum imperium ad illam etiam spectet.

Infringitur. Respondetur enim, ex hoc testimonio non colligi (ut aliqui immerito credunt) prædictum imperium pertinere ad secundam operationem intellectus. Nam ipse

D.Thom. D. Thom. satis in sequentibus verbis ibidem se explicat, dicens : *Sed ratio potest aliquid intimare, vel denuntiare dupliciter. Uno modo absolute, quæ quidem intimatio exprimitur per verbum indicativi modi : sicut si aliquis alicui dicat : Hoc est tibi faciendum. Aliquando autem ratio intimat aliquid alicui, movendo ipsum ad hoc : et talis intimatio exprimitur per verbum imperativi modi, puta, cum alicui dicitur : Fac hoc, etc. Unde relinquitur, quod imperare sit actus rationis præsupposito actu voluntatis, in cujus virtute ratio movet per imperium ad exercitium actus.* Ubi, ut vides, intimatio denuntiativa propria imperii non est denuntiatio indicativi modi, in qua est veritas vel falsitas, in quaque continetur judicium jam dictum formaliter tale; sed oratio denuntiativa imperativi modi, in qua non includitur judicium illud formaliter tale spectans ad secundam operationem intellectus, ut explicatum est.

91. Ad tertiam confirmationem primi argumenti oppositæ sententiæ. Granado. Ad tertiam confirmationem respondetur negando antecedens quoad secundam ejus partem : et ad probationem negari etiam debet antecedens. Ad cujus probationem deductam ex signo illo ibidem relato, dicendum est, imperium illud vere exerceri mediis conceptibus, qui sunt omnibus communes : deceptio autem, ut bene notavit Granado disp. citata sect. 2 num. 13 in eo est, quod cum nos intelligamus dependenter a phantasmatibus, et objectis sensibilibus, cum interius mens nostra imperat, percipit simul vocem eadem lingua qua solet imperare : et propterea videtur nobis, conceptus non ultimatos, qui ad solas voces terminentur, elicere. In cujus efficacem confirmationem facit, quod cum interius aliquid judicamus, eodem modo videmur nobis Latine, Hispane, aut alio idiomate judicare; cum tamen ad conceptus ultimatos non pertineant idiomata; et certum sit, judicium esse conceptum ultimatum.

§ XII.

Fit satis reliquis argumentis oppositæ sententiæ.

92. Ad secundum principale oppositæ sententiæ, quoad primam ejus probationem.

Ad secundum principale negandum est antecedens. Et ad primam probationem concedenda est major intellecta de imperio politico, sive regali; neganda vero si intelligatur de imperio monastico, et seclusis imperfectionibus. Nam ad hoc duo tantum requiruntur. Primum est quod prædictum imperium, quatenus est (ut sic dicamus) locutio quædam, et denuntiatio modo explicato, dirigatur ad ipsum Deum, et intra suam lineam dirigat, ac efficaciter moveat, et veluti impellat modo dicto ejus voluntatem, ad hoc ut applicet potentiam executivam ad executionem medii electi : quamvis inter prædictum imperium, et alia, quæ in Deo inveniuntur, non sit realis distinctio, nec superioritas, aut inferioritas, sive subjectio dicens imperfectionem. Sicut etiam in opinione plurium ex adversariis mediante electione divinæ voluntatis applicatur, impellitur, et efficaciter movetur potentia executiva Dei; quamvis nulla realis distinctio inter utramque inveniatur, nec aliqua superioritas, aut inferioritas.

Secundum est, quod idemmet actus imperii, ut habet efficacitatem, et superioritatem erga creaturas sibi subjectas, dirigatur, et terminetur ad illas; ordinetque media, quibus in vitam æternam perducendæ sunt : ex quo non sequitur, tale imperium esse ipsam actualem productionem, et executionem prædictam mediorum; sed tantum esse omnino necessarium, et indispensabiliter prærequisitum ad illam.

93. Instantia in eo adducta infringitur.

Ad id autem, quod de oratione ibidem adducitur, respondetur, id oriri ex propria natura orationis, quæ indispensabiliter petit esse ad alterum realiter distinctum, saltim ratione naturæ, ex eo quod est actus religionis, quæ essentialiter petit, ut non sit ad se ipsum, sed ad aliud.

Additamentum.

Adde, quod oratio est subjecti, vel potentiæ inferioris ad superiorem, et respectu eorum, quæ pendent ab aliena voluntate : et ideo ex utroque capite repugnat aliquem orare se ipsum in eadem natura. Ex secundo quidem id ex se constat. Ex primo autem, quia oratio est actus intellectus, qui est suprema potentia hominis, qua non est alia superior : et ita nullus poterit ad se ipsum in eadem natura preces fundere. Cæterum imperium est superioris, vel regulantis, ad inferiorem vel regulatum, ex eo quod est efficax ordinatio intellectus, qui est suprema potentia hominis regulativa aliarum : et propterea non mirum quod possit esse respectu aliarum facultatum inferiorum; ut respectu voluntatis, appetitus, et potentiæ executivæ ejusdem hominis.

91. Objectio

Nec obest, quod hinc videatur sequi, actum intellectus non posse imperari, ex eo quod intellectus, cui fit hoc imperium, non est inferior sibi ipsi imperanti : hoc autem aperte pugnat cum D. Thom. 1, 2 q. 17 art. 6.

D.Thom.

Solutio.

Respondetur enim, quod sicut voluntas ex intentione finis movet se ad electionem mediorum; et quatenus intendit finem, excedit in nobilitate se ipsam ut eligentem media; ita intellectus ut est in actu respectu aliquorum objectorum apprehendendo, et judicando circa illa, potest imperare sibi ipsi, ut eliciat actus circa alia, ut contingit in imperio, quo sibi imperat actum fidei. Nam propter evidentiam signorum, vel alia motiva, videt, mysteria fidei esse credibilia, et credenda, ut habet D. Thom. 2, 2 quæstion. 1 artic. 4 ad 2. Et ideo his motus, et excitatus potest sibi ipsi actum fidei imperare : quia idemmet intellectus ut ex lumine fidei videt, illa esse credibilia, et credenda, est perfectior se ipso ut actu non videnti : et sic proportionabiliter in aliis. Quæ solutio desumitur ex D. Thom. loco citato ex 1, 2 in solutione ad 1 his verbis : *Ad primum ergo dicendum, quod ratio hoc modo imperat sibi ipsi, sicut, et voluntas movet se ipsam, ut supra dictum est, in quantum scilicet utraque potentia reflectitur supra suum actum, et ex uno in aliud tendit.*

Doct. Angel.

95. Quoad secundam probationem idem secundum argumentum diluitur.

Ad secundam vero probationem ejusdem antecedentis, distinguenda est major : et intellecta de ratione adæquata, propter quam datur in nobis actus imperii, concedenda est, si illa particula, *nova difficultas*, sumatur prout est idem, ac nova ratio objectiva : neganda vero si significet idem, ac nova difficultas superans efficacitatem potentiæ ob debilitatem, et mutabilitatem ejus intra suam lineam, et non inducens novam rationem objectivam. Et deinde distinguenda est minor : et si sensus illius sit, quod respectu Dei, et executionis ab ipso præstandæ, nulla est difficultas, quæ ob debilitatem, et mutabilitatem virtutis divinæ intra suam lineam possit illum ab executione ejus, quod semel elegit, retardare, concedenda

concedenda est. Si vero sensus fuerit, quod nulla est difficultas seu ratio objectiva, quæ petat novum (ut sic dicamus) divini intellectus actum, scilicet imperium, quæque retardet ab executione nisi detur prædictus actus, neganda est. Quia hoc non arguit imperfectionem, sed potius summam perfectionem, et eminentiam, ratione cujus tot habet actus virtualiter diversos, quot ex vi novæ rationis objectivæ desiderantur : ac proinde etiam negari debet consequentia.

Ad id, quod ibidem additur.

Ad id autem, quod ibidem additur, dicendum est, concludi ex infinita efficacitate actus electionis Dei eam esse intra suam lineam summe efficacem : hinc autem solum habetur quod inferet infallibiliter alios actus divinos, virtualiter ab ea distinctos, qui intra alias lineas ad executionem desiderati fuerint; non tamen quod ipsa se sola terminabitur ad omnem difficultatem, et rationem objectivam (ut sic dicamus) devincendam. Sicut licet natura divina per modum naturæ, et principii radicalis sit infinite efficax ad operandum ad extra, non propterea hinc colligetur, non esse necessariam potentiam executivam, virtualiter ab eo distinctam, in ordine ad prædictam operationem.

96. Objectio.

Nec refert si objicias, non posse poni in Deo novum actum liberum circa creaturam, nisi in creatura nova mutatio realis ponatur : at media de eligibilibus fieri exequibilia, non est aliqua realis mutatio in ipsis, cum utrumque conveniat eis ante illorum productionem ad extra, et mutatio realis supponat a parte rei subjectum existens : ergo posita electione efficaci mediorum, implicat ponere alium actum liberum divini intellectus aut voluntatis circa eadem media. Probatur major. Quia per novum actum liberum Dei erga creaturam habet Deus novum respectum rationis ad illam : sed novus respectus inter duo haberi non potest sine nova mutatione alterius : ergo cum Deus ipse mutari non possit, opus est ut creatura mutetur.

Non itaque hoc refert. Major enim est falsa, si intelligatur universaliter, et de mutatione reali per receptionem alicujus intrinsece inhærentis. Et ad ejus probationem dicimus, quod ut concipiamus novum respectum inter actum liberum divini intellectus, et creaturam, satis est ut concipiamus in creatura mutationem aliquam saltim objectivam. Unde quia creatura antequam Deus haberet nostro modo concipiendi decretum liberum creandi illam, solum erat possibilis, et post illud decretum est jam futura absque ulla alia reali mutatione ab æterno facta in ipsa creatura, sufficit ut concipiamus in Deo actum liberum, quo ab æterno decernit temporalem creationem : et quia media quatenus sunt objectum electionis, non sunt exequibilia proxime, bene tamen quatenus sunt objectum imperii, ideo hæc sola mutatio objectiva valet fundare diversum respectum rationis ad novum actum liberum, nempe ad prædictum imperium, quod a voluntate divina participat modo sibi proportionato esse liberum.

97. Ad tertium pro opposita sententia.

Ad tertium transeat antecedens quoad primam partem, intellectum de imperio prout est (ut sic dicamus) locutio seu intimatio quædam, secus vero ut habet efficacitatem, et superioritatem in creaturas : et negetur idem antecedens quoad secundam partem. Et ad primam probationem prioris partis antecedentis, quatenus potest pugnare contra dicta respondetur, quod licet prædestinati antequam fiant, non sint capaces imperii, quatenus (ut sic loquamur) est quædam locutio seu intimatio ; sunt tamen capaces illius, quatenus tale imperium habet, quod quasi loquendo, et intimando aliquid Deo, habeat efficacitatem, et superioritatem in creaturas : ex eo quod illa locutio, qua intimat sibi ordinem firmiter a se excogitatum respectu mediorum, est simpliciter necessaria, et in suo ordine efficax ad hoc quod potentia executiva, ac proinde etiam divina voluntas producant prædestinatos, et executioni mandent media excogitata, et imperata. Per quod etiam ad probationem secundam ejusdem partis antecedentis satis constat.

Ad probationem vero pro secunda parte prædicti antecedentis respondet D. Thom. 1, 2, q. 17 art. 5 ad 2 his verbis : *Ad secundum dicendum, quod sicut in membris corporalibus quodlibet membrum operatur non sibi soli, sed toti corpori, ut oculus videt toti corpori, ita etiam est in potentiis animæ. Nam intellectus intelligit non solum sibi, sed omnibus potentiis : et voluntas vult non solum sibi, sed omnibus potentiis : et ideo homo imperat sibi ipsi actum voluntatis in quantum est intelligens, et volens.* D. Thom.

98. Ad confirmationem.

Ad confirmationem concedendum est antecedens quoad primam partem, necnon quoad secundam, si intelligatur de principio productivo prout est idem, ac principium immediate executivum ; secus vero

si intelligatur de principio productivo prout redit in idem ac principium productivum dirigendo, et intimando cum motione, et impulsu efficaci jam explicato. Nam licet ad lineam imperii non pertineat esse principium agendi illo priori modo, bene tamen isto posteriori. Et deinde negandum est idem antecedens quoad ultimam partem. Et ad probationem transeat major, et negetur minor. Nam licet determinatio divinæ voluntatis radicaliter proveniat, saltim juxta nostrum modum concipiendi, ab ipsamet, attamen etiam provenit proxime a divino intellectu, et imperio illius propter naturalem colligationem, et quasi subordinationem utriusque facultatis, nimirum volitivæ, et intellectivæ.

99. Ad ultimum pro opposita sententia, quoad primam probationem.

Ad ultimum negandum est antecedens. Et ad primam probationem dicendum est, quod imperium ut est quasi locutio ad Deum, tantum est respectu illius quod potest habere rationem finalem respectu sui, ut contingit in voluntate, et omnipotentia divina; non vero respectu ejus, quod potest habere veram causam finalem. Cæterum quatenus eademmet locutio ad Deum habet efficacitatem, et superioritatem respectu creaturarum sibi subjectarum, est respectu illius quod ordinatur ad veram causam finalem. Et hoc modo intelligendus est D. Thom. loco ibidem citato. Quod autem in argumento dicitur, scilicet quemlibet actum Dei esse ultimum finem respectu creaturarum, nihil obest: quia cum hoc cohæret ut actus liberi illius habeant intra ipsum Deum rationem finalem sui.

D Thom.

Quoad secundam probationem.

Ad secundam probationem concedenda est major, sed distinguenda minor: *Non potest habere usum alicujus potentiæ suæ*, involutum imperfectionibus, et quo utatur illa in ordine ad aliquid creatum tanquam ad veram causam finalem sui, et multo minus tanquam ad veram et ultimam causam finalem sui, concedenda est: quo utatur illa in ordine ad aliquam rationem finalem sui existentem intra Deum, et ad hoc ut efficaciter exequatur ordinationem excogitatam a Deo, et rationem operis faciendi existentem in mente divina, neganda est. Unde juxta hæc intelligi debent testimonia D. Augustini.

D. Aug.

Quoad tertiam.

Ad tertiam probationem respondetur, prædestinationem utrumque habere, nimirum et esse rationem operis faciendi, et esse quasi locutionem seu intimationem impulsivam qua Deus quasi movet suam voluntatem ad hoc ut applicet potentiam executivam in ordine ad executionem mediorum, quæ per imperium prædestinationis excogitata sunt.

Quoad ultimam.

Ad ultimam probationem concedenda est major, intellecta de subjectione, et inferioritate involvente imperfectionem, quæque non potest cohærere cum hoc quod est id, quod sic subjicitur, posse identificari cum eo cui subjicitur, et habere infinitam perfectionem: secus vero de subjectione aut subditione depurata ab imperfectionibus, et quæ tantum dicat regulabilitatem per aliquid aliud a se ratione distinctum. Nam hoc modo divina voluntas subditur legi æternæ, per quam efficaciter, et modo insinuato regulari potest.

100. Elucidantur exempla, quæ dicta sunt.

Possuntque omnia, quæ in hoc § dicta sunt, elucidari exemplo actus necessarii divinæ voluntatis, qui et habet terminari ad Deum volendo ipsum necessario, ac tanquam objectum primarium, et libere ad creaturas ut ad objectum secundarium: et respectu Dei non habet rationem causæ efficientis; bene tamen respectu creaturarum modo alibi dicto. Cæterum cum his cohæret ut non nisi terminando se necessario ad Deum, possit libere terminari ad creaturas, et non nisi terminando se ad Deum cum carentia efficientiæ erga illum, possit habere efficientiam circa creaturas.

Ita similiter licet imperium prædestinationis sit (ut sic dicamus) quædam locutio, et intimatio, qua Deus intimat sibi ipsi, ut applicet suam voluntatem, et ea mediante potentiam executricem ad opus, et similiter sit ratio operis faciendi, habeatque superioritatem, et efficacitatem cum superioritate involutam; nihilominus aliquid horum habet respectu Dei, et aliquid respectu creaturarum: et non aliter est ratio efficax operis faciendi, nec habet efficacitatem, et superioritatem ad hoc ut mandetur executioni res imperata, nisi hoc imperium, ut est quasi quædam locutio, dirigatur ad ipsum Deum, et ei absque subjectione involvente imperfectionem intimetur. Unde possemus dicere quod idem imperium ut explicatum quasi active, nempe per hæc verba: *Fac hoc*, denotat magis illud ut dirigitur ad Deum, quia ipse est, qui applicat potentiam executivam, ac proinde, et voluntatem suam ad opus, et explicatum quasi passive (nimirum *Fiant hæc media in ordine ad consecutionem vitæ æternæ*, vel: *Transmittantur creaturæ rationales per hæc media in vitam æternam*) magis denotat ipsum

ipsum imperium, prout terminatur ad creaturas : quia ipsæ, et media, quibus perducuntur in suum finem, sunt quæ passive ordinantur; et non sunt quæ primo se applicant ad opus, sed ut applicatæ ab alio.

DUBIUM III.

Utrum prædestinatio sit pars subjectiva? an vero tantum objectiva divinæ providentiæ?

101. In titulo aliquid ut certum supponimus, et aliquid in dubium vocamus. Supponimus enim prædestinationem esse partem providentiæ, id quod ex duobus præcedentibus dubiis sufficienter constat. Vocamus autem in controversiam, quam partis rationem respectu illius habeat, an nimirum sit pars ejus subjectiva vel objectiva?

§ I.

Explicatur titulus.

rimum tabile. Ut autem intelligatur, quid nomine partis subjectivæ, quidve nomine partis objectivæ significetur, notandum est primo, partem subjectivam esse, quoad præsens, illam, quæ sub alio tanquam inferius sub suo superiori essentialiter continetur. Nam cum prædictum superius habeat se per modum totius potentialis respectu suorum inferiorum, et de illis prædicetur, oportet ut inferiora habeant rationem partium respectu illius; et non utcumque, sed partium subjectivarum, quippe quæ illi subjiciuntur, et sub illo continentur. Istæ autem partes subjectivæ sunt in duplici differentia. Nam aliæ continentur sub suo superiori tanquam veræ species sub vero genere : aliæ autem tantum continentur sub illo, tanquam sub ratione quadam analoga, intrinseca tamen, et essentiali.

02. ecun- lum. Secundo notandum est, partem objectivam prout distinctam a subjectiva esse illam, quæ licet secundum suam intrinsecam entitatem, aut realitatem non comparetur per modum partis respectu alterius, attamen ejus objectum habet se per modum partis respectu objecti illius rei, respectu cujus dicitur esse pars objectiva : quo pacto intellectus practicus dicitur pars objectiva intellectus in tota sua amplitudine, prout dicit potentiam intellectivam tendentem in verum ut sic. Nam licet intellectus practicus secundum suam realitatem intrinsecam non sit pars intellectus; siquidem eadem simplicissima potentia intellectiva absque distinctione reali, vel virtuali habet simul rationem intellectus practici, et speculativi, ut optime nostri Complutenses in lib. de Anima disput. 19 a numer. 21 docent; nihilominus objectum intellectus practici, nempe verum practicabile, est pars objecti potentiæ intellectivæ in omni sua amplitudine, seu potentiæ intellectivæ absolute, et simpliciter dictæ; siquidem continetur sub vero ut sic : quod tam verum practicum, quam speculabile ambit. Complut.

103. Tertium. Tertio notandum est, quod cum ad rationem partis objectivæ ut distinctæ a subjectiva, petimus quod objectum ejus sit pars objecti alterius rei, respectu cujus talis pars habet rationem partis objectivæ, non loquimur de objecto formali specificante, sed de objecto materiali, sive non specificante. Nam hoc ipso quod aliqua duo respicerent diversa objecta formalia, et specificantia, tunc quamvis unum contineretur sub objecto alterius, non possent comparari per modum totius, et partis objectivæ, de qua loquimur; sed eo ipso distinguerentur specie, et continerentur per modum partium subjectivarum sub aliqua una ratione communi, ut contingit in Philosophia, et Metaphysica. Nam objectum Philosophiæ, nempe ens mobile, continetur sub objecto Metaphysicæ, scilicet sub ente; et nihilominus, quia Metaphysica sub diversa ratione respicit ens, ac Philosophia ens mobile, propterea Philosophia non comparatur per modum prædictæ partis objectivæ respectu Metaphysicæ; sed utraque habet se per modum partis objectivæ respectu scientiæ ut sic.

104. Sensus tituli ex dictis deducitur. Quare sensus tituli est, an prædestinatio contineatur sub divina providentia tanquam inferius sub suo superiori essentiali : ita ut providentia divina ambiat sub se tam prædestinationem, quam providentiam v. g. naturalem? Et hæ duæ inter se essentialiter distinguantur per suas peculiares rationes providendi, de quibus provident? et tamen essentialiter conveniant in ratione communi, et analoga divinæ providentiæ ut sic? quia, ut ex dictis constat, omnia hæc significantur per hoc quod prædestinatio sit pars subjectiva providentiæ. An vero ratio divinæ providentiæ dicat aliquid ita singularissimum, ut nequeat præstare fundamentum ad hoc ut concipiamus plures providentias virtualiter, et essentialiter distinctas, sub illa tanquam sub ratione communi, es-

sentiali et analoga contentas? Sed solum ex parte objecti materialis distinguantur, quatenus providentia divina absolute, et simpliciter sumpta, non denotat rationem providentiæ divinæ abstractam a providentia divina, verbi gratia, naturali, et supernaturali; sed providentiam Dei omnino individuam, et extensam ad omne objectum materiale circa quod versatur, seu ut connotat omnem creaturam circa quam providet, et omnia media, quæ ordinat in finem, et omnem finem, in quem prædicta media ordinat? At providentia, quæ est prædestinatio, dicat eamdem prorsus singularissimam providentiam connotando partem illius objecti, nempe quod id, de quo providet, sit creatura intellectualis : et finis, in ordine ad quem providet, sit æterna vita; et media, quæ ordinantur ad illum finem, sint media peculiaria, habentia nimirum infallibilem efficaciam in ordine ad prædictum finem : et sic de aliis? Ad eum sane proportionalem modum quo potentia intellectiva, quam habet Petrus, v. g. non potest non ut est Petri esse singularissima, et eademmet ut est hæc numero potentia intellectiva, absolute, et simpliciter solum distinguitur ex parte objecti a se ipsa, ut est intellectus speculativus, vel practicus, quatenus objectum illius ut dicit intellectum speculativum, est pars objecti ipsius absolute et simpliciter dicti, ut num. 102 explicuimus.

Animadversio. Diximus : *Et tamen essentialiter conveniant in ratione communi, et analoga divinæ providentiæ,* quia in præsenti non disputamus, an prædestinatio sit pars subjectiva providentiæ, tanquam vera species composita ex genere, et differentia, et contenta sub providentia divina tanquam sub ratione communi univoca et generica : quandoquidem certum est apud omnes fere Theologos, compositionem hanc non posse reperiri in divinis, ac proinde non posse ibidem dari aliquam rationem genericam, et univocam. Vazquez. Et licet Gabriel Vazquez 1 parte disput. 22 et 25 oppositum tueatur; nihilominus Complut. quia illud optime impugnant nostri Complutens. in lib. Physicor. disp. 18 a num. 20 usque ad 23, propterea de hoc in præsenti agere supervacaneum duximus. Vi- D.Thom. deatur tamen D. Thom. in hac prima parte quæst. 3 art. 5.

§ II.

Refertur prior sententia.

Prima sententia asserit, prædestinationem esse partem subjectivam divinæ providentiæ, et per consequens tam illam, quam providentiam, v. g. naturalem contineri sub divina providentia tanquam sub ratione communi et essentiali, analoga tamen; et differre essentialiter per propria, et peculiares rationes earum. Ita Soto ad Roman. 9, Molina 1 p. quæst. 22 art. 1 disp. 2 in fine, Arrubal disp. 63 cap. 5, Machin disp. 36 sect. 3 corollario 1, Gonzalez in præsenti referens secundam conclusionem hujus art., Herice tract. 3 disp. 22 cap. 7 num. 65. 105. Soto. Molin. Arrubal Machin Gonzalé Herice.

Probatur primo. Nam prædestinatio aliquid addit supra providentiam divinam absolute et simpliciter, seu in sua amplitudine sumptam, per quod determinetur ad hoc ut sit peculiaris quædam providentia : ergo erit pars subjectiva divinæ providentiæ. Primum argumentum. Antecedens est D. Thom. q. 6 de Veritate art. 1 et in 1 dist. 40 q. 1 art. 2 et ibidem ad Annibaldum art. 1 his verbis : *Hæc tamen prædestinatio super providentiam addit, quia providentia importat tantum ordinem provisorum in finem sed prædestinatio respicit, et ordinem, et exitum ordinis. Unde ex hoc ipso quod aliqua ordinantur in finem, providentiæ subjacent : sed prædestinari non dicuntur, nisi hoc modo ordinentur, ut præsciantur finem consecutura esse.* Ubi, ut vides, prædestinatio aliquid addit supra providentiam, per quod determinat illam ad hoc ut habeat peculiarem rationem providentiæ ab aliis distinctam, nempe rationem providentiæ efficacis erga electos. D.Thom.

Consequentia vero probatur. Nam sicut id, quod addit aliquid supra rationem divini attributi determinans illud ad hoc ut sit speciale attributum, est pars subjectiva attributi Dei, in sua amplitudine sumpti, ita quod addit aliquid supra rationem providentiæ divinæ, in sua amplitudine sumptæ, seu absolute, et simpliciter dictæ, erit pars subjectiva divinæ providentiæ, ac proinde cum hoc conveniat prædestinationi, habebit rationem partis subjectivæ respectu prædictæ providentiæ.

Secundo. Quia prædestinatio, et providentia naturalis Dei conveniunt in hoc, quod utraque est providentia divina, seu ordinatio, per quam Deus ordinat media proportionata in ordine ad suos fines : et distinguuntur per hoc, quod una, nempe 106. Secundum.

prædestinatio

prædestinatio ordinat media supernaturalia, et efficacia in ordine ad æternam vitam : alia vero, nempe providentia naturalis ordinat media naturalia in ordine ad finem naturalem : ergo utraque erit pars subjectiva providentiæ divinæ. Antecedens videtur certum. Consequentia vero probatur. Quoniam cum providentia divina sit ordinatio, qua Deus ordinat media ad finem, non possunt non ordinationes ad diversos fines, et per diversa media convenire in ratione providentiæ, et ordinationis divinæ ; et distingui inter se essentialiter, quod est esse partes subjectivas ordinationis divinæ mediorum ad fines, seu (quod in idem redit) divinæ providentiæ.

07. nfir- atur imo.

Confirmatur primo. Nam ordinatio mediorum in finem, non habet suam quasi speciem ex ordine ad finem ultimum, sed ex ordine ad finem proximum : ergo cum finis proximus providentiæ naturalis, sit finis naturalis rerum naturalium; et finis proximus prædestinationis, sit æterna vita, consequens erit, ut prædestinatio, et providentia naturalis distinguantur quasi specie in ratione providentiæ divinæ : et per consequens sint partes subjectivæ illius. Utraque consequentia non indiget probatione. Antecedens autem probatur. Tum quia virtutes affectivæ, ut humilitas, et temperantia supernaturales, non sumunt suam quasi speciem ex fine ultimo, ad quem ordinantur, quia hic est utrique communis; sed ex fine proximo, et proprio conjuslibet. Tum etiam : quia alioqui omnis providentia Dei esset hypostatica : quia omnia, quæ cadunt sub providentia naturali, et supernaturali, ordinantur ad unionem hypostaticam, seu ad Christum, ut ex iis, quæ infra disp. 5 num. 17 dicemus, constabit. Tum denique : quia licet talis finis non caderet actu sub divina providentia, adhuc providentia, verbi gratia, naturalis, haberet rationem providentiæ, ut puta si Deus non decrevisset ordinare creaturas rationales in finem supernaturalem, nec statuisset adventum Christi Domini : ergo providentia divina non habet quasi specificari ex ordine ad finem ultimum, sive remotiorem, sed ex ordine ad finem proximum.

fir- ur ido.

Confirmatur secundo. Quoniam ea, quæ sunt diversi ordinis, non possunt non inter se essentialiter distingui : et propterea in nobis res ordinis naturalis distinguuntur essentialiter a rebus ordinis supernaturalis, et Deus ut author naturalis, essentialiter distinguitur a se ipso ut est author supernaturalis; quippe cui sub hac duplici ratione considerato correspondent effectus specie, et ordine diversi : sed prædestinatio, et providentia naturalis pertinent ad diversos ordines, illa quidem ad ordinem supernaturalem, hæc vero ad ordinem naturalem : ergo distinguentur inter se essentialiter : et per consequens cum alias conveniant in ratione divinæ providentiæ, ut ostensum est, non poterunt non esse partes subjectivæ divinæ providentiæ.

108. Tertium.

Tertio. Nam quod prædestinatio sit pars subjectiva divinæ providentiæ nullam involvit imperfectionem : ergo non est cur id denegetur. Consequentia videtur certa. Quoniam de divinis debemus philosophari ad instar creatorum seclusis imperfectionibus. Quare cum providentia regalis, verbi gratia, quæ in creaturis reperitur, sit pars subjectiva providentiæ creatæ ut sic, non est cur prædestinatio non possit esse pars subjectiva divinæ providentiæ generaliter sumptæ, si semel ratio partis subjectivæ potest ab imperfectionibus denudari. Antecedens autem probatur. Quoniam quatuor relationes divinæ, nempe Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, et passiva sunt partes subjectivæ relationis divinæ generaliter sumptæ, siquidem conveniunt in ratione relationis divinæ ut sic, et distinguuntur essentialiter in ratione propria uniuscujusque : et similiter omnia attributa Dei sunt propter eamdem rationem partes subjectivæ attributi divini ut sic : et tandem ideæ divinæ multiplicantur essentialiter in ratione idearum, ut docet D. Thom. supra quæst. 15 art. 2 et per consequens sunt partes subjectivæ divinæ ideæ in omni sua amplitudine. D. Thom.

109. Confirmatur primo.

Confirmatur primo. Quia nulla ponitur in Deo imperfectio ex eo quod prædestinatio hominum et Angelorum distinguantur specie, ac proinde utraque sit pars subjectiva prædestinationis : et similiter nulla est imperfectio in illo ex hoc quod prædestinatio, et reprobatio sint partes subjectivæ providentiæ supernaturalis : ergo nec etiam ex eo quod prædestinatio sit pars subjectiva divinæ providentiæ in omni sua generalitate et amplitudine sumptæ. Consequentia non indiget probatione. Antecedens autem quoad priorem partem probatur. Quia re vera prædictæ prædestinationes de facto distinguuntur essentialiter. Tum quia motus a contrario in contrarium distinguitur specie a mutatione, quæ est a negatione ad

habitum : nostra autem prædestinatio est a contrario in contrarium, nempe ab statu miseriæ ad statum felicitatis, et beatitudinis, prædestinatio vero Angelorum est a negatione ad habitum, nempe a non beatitudine ad beatitudinem. Tum etiam : quia imperia distinguuntur ex diversis mediis imperatis, prædestinatio autem nostra est imperium dictans diversa longe media, quam sint illa, quæ dictantur a prædestinatione Angelorum. Nam nostra prædestinatio dictat paupertatem, tolerantiam laborum, et martyrium, ac alia similia, quæ tamen a prædestinatione Angelorum non dictantur. Quoad secundam vero partem idem antecedens constat. Quoniam prædestinatio est ordinatio efficax mediorum in ordine ad finem vitæ æternæ, reprobatio vero, destinatio ad mortem æternam : hæ autem duæ destinationes non possunt non essentialiter differre, ut ex se constare videtur : ergo, etc.

Confirmatur secundo. Nam prædestinatio Christi non potest non essentialiter distingui a prædestinatione hominum : ergo non poterit non utraque esse pars subjectiva prædestinationis : et per consequens etiam prædestinatio erit pars subjectiva divinæ providentiæ generaliter sumptæ. Utraque consequentia ex antecedenti videtur aperte sequi. Antecedens autem probatur. Nam prædestinatio hominum est ordinatio eorum ad *esse* perfectum filiorum adoptivorum Dei, seu ad æternam vitam : prædestinatio vero Christi, est prædestinatio ad *esse* naturale filii Dei : hæ autem duo non possunt non essentialiter distingui, ut ex terminis ipsis patere videtur.

Confirmatur secundo.

Ultimo. Nam parti objectivæ alicujus totius debent eædem conditiones indispensabiles convenire, quæ competunt aliis partibus ejusdem totius : at prædestinationi non possunt convenire conditiones indispensabiles aliarum partium divinæ providentiæ : ergo non est pars objectiva illius, et per consequens erit subjectiva. Hæc ultima consequentia videtur certa. Quoniam cum prædestinatio debeat esse aliquo modo pars divinæ providentiæ, ut ex supra dictis constat; et non possit alio modo esse pars illius, nisi vel subjectiva, vel objectiva, ut intuenti patebit, consequens erit, ut si semel non sit pars objectiva, debeat esse subjectiva. Prima vero consequentia ex utraque præmissa liquet.

110. Ultimum

Minor autem etiam patet. Nam prædestinatio indispensabiliter importat certam, et infallibilem consecutionem sui finis particularis, et propterea præsupponit efficacem intentionem illius, et electionem firmam mediorum cum effectu conducentium in ordine ad illam : at aliæ partes providentiæ divinæ non dicunt certam consecutionem finis particularis rei provisæ, ut ex D. Thom. nuper dicebamus, et suadet ratio : siquidem reprobi cadunt sub aliqua parte providentiæ divinæ; et tamen non consequuntur suum finem particularem, nempe æternam vitam. Et similiter monstra cadunt etiam sub divina providentia eis correspondente; et tamen non consequuntur suum particularem finem, et a natura principaliter intentum, ut habet D. Th. 1, 2 q. 21 art. 1 ad secundum. D.Thor

Major tandem probatur. Nam pars præcise objectiva Theologiæ, qualis est tractatus, v. g. de Incarnatione, debet eo ipso quod est talis, habere easdem conditiones essentiales, quas quævis pars objectiva totius Theologiæ, nempe pendere ex principiis revelatis, et esse eminenter practicam, et speculativam, etc.

§ III.

Ex mente D. Thomæ dubii nodus dissolvitur.

Dicendum tamen est prædestinationem non esse partem subjectivam, sed objectivam, seu quantum ad objecta respectu divinæ providentiæ absolute, et simpliciter sumptæ. Ita D. Thom. in hoc art. in fine corporis ubi sic concludit : *Et sic patet, quod prædestinatio quantum ad objecta, est pars providentiæ.* Quem sequuntur Cajet. in commentariis hujus art., Bannez in præsenti quæst. art. 3, Nazarius in expositione textus hujus articuli, Valentia in præsenti puncto 1, Vazquez disp. 87 num. 23 et 24. Quam etiam probabiliorem reputat Suarez lib. 1 de Prædestinatione cap. 18, et Petrus Cornejo eam, sicut et oppositam probabilem esse censet, in hoc art. dub. ult. ac tandem eamdem sententiam tuentur communiter probatiores ex junioribus Thomistis.

III. Conclusio. D.Thor Cajeta Banne Nazar Valent Vazqu Suare Corne

Ratio autem fundamentalis hujus assertionis tangitur a divo Thoma in hoc articulo, et potest ad hanc formam reduci. Quoniam de ratione divinæ providentiæ est, ut sit una simplicissima secundum suam ultimam quasi speciem; et quod sit singularissima absque multiplicitate, et distinctione etiam virtuali plurium providentiarum essentialiter,

Ratio fundamentalis pro assertione.

essentialiter, aut quasi numerice distinctarum : ergo repugnabit prædestinationem esse partem subjectivam divinæ providentiæ absolute, et simpliciter sumptæ, ac proinde solum erit pars objectiva, seu pars quantum ad objecta respectu illius.

112. Probatio antecedentis. Antecedens probatur. Quoniam hoc ipso quod divina providentia sit infinita intra suam lineam, debet habere vim ad dirigendam quamvis creaturam in suum finem, sive naturalem, sive superexcedentem; et per quævis media, sive illa sint naturalia, sive superexcedentia : ergo de ratione illius erit ut habeat vim ad extendendum se ad omnia, ad quæ divina omnipotentia se extendere potest : ergo talis providentia nequibit multiplicari adhuc virtualiter, sive secundum suam quasi speciem, sive secundum suam quasi unitatem numericam. Sicut quia misericordia divina habet vim hoc ipso quod sit infinita intra suam lineam ad sublevandam omnem miseriam, propterea repugnat ut quasi specifice, aut quasi numerice multiplicetur. Et similiter, quia intellectus divinus est infinitus intra suam lineam, ideo debet habere virtutem ad attingendum omne intelligibile, et ob eamdem rationem non est ullo modo plurificabilis per pluralitatem adhuc virtualem.

Et primæ consequentiæ. Prima vero consequentia ex antecedenti aperte sequitur. Quoniam nequit aliquid comparari per modum partis subjectivæ respectu alterius, nisi illud alterum sit vel realiter, vel saltim virtualiter multiplicabile, sive essentialiter, sive quasi numerice. Et propterea relatio spirationis activæ est pars subjectiva respectu relationis divinæ, et misericordia Dei respectu attributi divini generaliter sumpti, quia tam relatio, quam attributum divinum possunt multiplicari : illa quidem per pluralitatem, et multiplicitatem realem : hoc vero per multiplicitatem virtualem. Sicut ideo sub natura divina sub conceptu naturæ, nulla potest constitui pars subjectiva : quia natura divina sic considerata, nequit nec realiter, nec virtualiter multiplicari quasi specifice, vel quasi numerice.

113. Secnon et cundæ. Secunda vero consequentia ex priori etiam constat. Nam cum divina providentia ex se omnino individua, et immultiplicabilis, non significetur per prædestinationem adæquate, sed solum inadæquate, quatenus tantum se extendit ad creaturas intellectualss, et ex his non ad omnes, sed ad eas tantummodo, quæ sunt efficaciter electæ in ordine ad æternam beatitudinem, ac proinde solum denotet eam secundum quod determinate, et peculiariter quasi respicit hunc finem, efficaciter consequendum, et certa illa et determinata media efficacia, per quæ de facto illam consequuntur, fit inde ut prædestinatio sit pars objectiva, seu pars quantum ad objecta respectu divinæ providentiæ absolute sumptæ : siquidem est eadem formalitas cum illa absque aliqua distinctione etiam virtuali, et non significat eam ut extendit se ad omnia sua objecta materialia; sed tantum versatur circa aliquam partem suorum objectorum : in quo quidem ratio partis objectivæ, prout distinctæ a subjectiva consistit. Et propterea ut num. 102 tetigimus intellectus practicus Petri, verbi gratia, est pars objectiva, non vero subjectiva intellectus ejusdem Petri, absolute, et simpliciter sumpti, quia est eadem ipsissima formalitas cum illo, et non significat ipsum adæquate ut versantem circa totum suum objectum; sed ut præcise versatur circa verum practicum.

114. Solutio adversariorum. Quæ ratio est adeo efficax, ut ex sola ejus expensione facile corruat solutio, quæ ex doctrina adversariorum poterat ei adhiberi, nempe quod sicut linea relationis divinæ non dicit lineam quamdam quasi atomam , sed quasi subalternam , sub qua continentur plures relationes ; et ideo ad hoc ut Paternitas sit infinita intra suam lineam, non est necesse ut ambiat omnem relationem divinam, ac proinde nec quod habeat vim referendi Filium ad Patrem; sed satis est, quod in ratione Paternitatis, et intra atomam hanc lineam referendi Patrem ad Filium habeat infinitatem : ita linea divinæ providentiæ, non est linea quasi atoma, sed quasi subalterna, et propterea ad hoc ut providentia, v. g. naturalis, sit infinita intra suam lineam quasi atomam, non est necesse ut habeat vim ad extendendum se ad omnia, quæ sub divina providentia cadere possunt ; sed solum ad ea, quæ intra ordinem naturalem, ac proinde in ordine ad finem naturalem continentur.

Et similiter ad hoc ut providentia supernaturalis, qualis est prædestinatio, sit infinita intra suam lineam, satis est, quod habeat vim ad extendendum se ad omnia, quæ in ordine ad finem supernaturalem vitæ æternæ efficaciter consequendum ordinari possunt, et sic de aliis : non tamen est necesse ut prædicta prædestinatio habeat vim ad extendendum se ad cuncta, circa quæ divina providentia potest versari : et ideo ratio divinæ providentiæ est multiplicabilis

per multiplicitatem, seu distinctionem virtualem plurium providentiarum essentialiter diversarum : et quævis ex his providentiis est pars subjectiva divinæ providentiæ generaliter sumptæ.

115. Impugnatio. Hæc igitur solutio ex majori expensione rationis ex D. Thom. desumptæ facile corruit. Quoniam ex ea non difficulter constat, quomodo ratio divinæ providentiæ tantum possit constituere unicam lineam, quasi atomam. Nam respectu illorum trium ordinum, nempe naturæ, gratiæ, et unionis hypostaticæ, sub quibus omnis excogitabilis ordo continetur, non ponimus in Deo tres intellectus, unum ordinis naturalis, alium ordinis gratiæ, alium denique ad ordinem hypostaticum pertinentem : nec tres voluntates, aut omnipotentias, juxta multiplicitatem prædictorum ordinum, virtualiter distinctas : nec essentiam divinam ut habet rationem speciei intelligibilis respectu trium ordinum virtualiter distinguimus, aut tripartimur, quia omnia ista tenent se ex parte principii, quo Deus operatur ; et ipse per unicum, et idem indivisibile principium absque distinctione virtuali intelligit, vult, et operatur omnia, quæ ad hos tres ordines spectant : ergo similiter divina providentia non debet tripartiri virtualiter juxta multiplicitatem horum trium ordinum ; sed per eamdem individualem providentiam, constituentem unicam tantum lineam atomam, providebit Deus de omnibus istis ordinibus, ac proinde de cunctis, quæ sub divina providentia cadere possunt : siquidem etiam divina providentia tenet se ex parte principii, quo cuncta in suos fines ordinat. Quæ ratio, et explicatio rationis D.Thom. præcedentis depromitur ex D. Thom. supra q. 15 art. 2 ad secundum.

116. Confirmatio illius. Confirmatur et explicatur. Quoniam tota ratio propter quam intellectus, voluntas, et omnipotentia divina, ita se habent ut quodvis horum tantum constituat unicam lineam atomam, est, quia sunt universalissima principia, et respiciunt modo infinito cuncta sub universalissima seu eminentissima quadam ratione, omnia illa complectente : nam intellectus divinus fertur in omnia sub ratione divinæ essentiæ, et voluntas sub ratione divinæ bonitatis, et omnipotentia terminatur etiam ad omne possibile sub ratione divinæ essentiæ, quatenus est ratio illa faciendi, modo alibi dicto : sed hæc ratio etiam procedit in divina providentia : ergo non minus constituet unicam tantum lineam secundum speciem quasi atomam. Consequentia cum majori videntur perspicuæ.

Minor autem probatur. Quia cum universalissimo principio intelligendi, et volendi per modum actus purissimi, universalissimoque principio effectivo omnium possibilium debeatur, quod sit universalissimus provisor, ac proinde universalissima providentia, oportet ut hæc in illo respiciat universalissimum objectum universalissimumque, seu amplissimum, et eminentissimum finem omnium excogitabilium, nempe ostensionem summam divinæ bonitatis in communicatione illius secundum hos tres ordines, nempe naturæ, gratiæ, et unionis hypostaticæ : ac proinde proprium erit illius, versari circa omnia media excogitabilia ordinando ea in prædictum finem. Quam rationem innuit D. Thom. 3 contra Gent. D.Thom. cap. 97.

117. Major confirmatio, et explicatio. Confirmatur et explicatur adhuc. Nam hoc ipso quod omnipotentia tantum constituat unicam lineam atomam, oportet etiam ut ratio dominii in Deo fundamentaliter sumpta, tantum sit unica, et unicam etiam lineam atomam tantummodo constituens : ergo etiam oportebit, quod ejus providentia tantum sit unica, et quod unicam tantummodo lineam atomam constituat. Antecedens probatur. Tum quia fundamentum prædicti dominii est divina omnipotentia, ratione cujus Deus potest omnia creare, et gubernare : et ideo si hæc est tantum unica in specie atoma, non potest non ipsa ratio divini dominii fundamentaliter sumpta ita esse unica, ut nequeat ulla ratione, secundum speciem, aut quasi speciem multiplicari.

Tum etiam : quia, ut docet D. Thom. 2, D.Thom 2, q. 103 art. 3 ad primum, ideo solum unica virtus specie, scilicet religio respicit Deum ut dominum, quia tantum est in eo unica ratio dominii fundamentaliter sumpta : et hæc propterea est tantum unica, quia habet supremam potestatem et virtutem ad creanda, gubernanda, et destruenda omnia, quæ sibi placuerint.

Consequentia vero etiam constat. Tum quia illud dominium non solum dicit tanquam fundamentum divinam omnipotentiam, sed etiam potestatem ordinandi res in suos fines, quod fit per providentiam : et ita si ista potestas ordinativa posset esse multiplex secundum speciem, aut quasi speciem : etiam dominium fundamentaliter sumptum posset secundum speciem, aut quasi speciem multiplicari. Tum etiam :

quia

quia hoc ipso quod Deus ut creator, et gubernator omnium, dicat unam tantummodo rationem formalem atomam; et propter hanc rationem virtus religionis, respiciens eum sub hac unica ratione formali, sit eodem modo, ut alibi dicemus, tantum unica, oportet ut sub ratione provisoris, tantum dicat unicam rationem formalem in specie atoma : siquidem eamdem unitatem debent habere gubernatio Dei, et ejus providentia : et sub eadem ratione sub qua res ordinantur a Deo in suum finem, gubernantur ab illo : ex eo quod gubernatio est executio ordinis et providentiæ, et sub eadem ratione formali res ordinantur in suum finem, et perducuntur in illum.

118. Ratio pro assertione. Thom. Accedit tandem ratio alia, quam insinuat D. Thom. 2, 2, quæst. 50. Nam in nobis prudentia regalis, militaris, politica, et œconomica non multiplicantur specie ex particularibus finibus rerum, quas ordinant, et dirigunt, sed a fine adæquato : at divina providentia respicit unum, et eumdem tantummodo finem universalissimum, et eminentissimum : ergo tantum poterit esse unica in specie quasi atoma. Major ostenditur a D. Thoma loco citato. Quoniam licet prudentia regalis dirigat in ordine ad diversos fines particulares; nihilominus quia omnes illi attinguntur sub fine quodam universaliori, et ultimo, quem ex vi propriæ lineæ respicit, nimirum quatenus conducunt ad regimen totius regni, propterea prudentia regalis non multiplicatur in specie ex his finibus particularibus de materiali ad illam se habentibus; sed tantum est unica in specie atoma : quia tantum respicit unum et idem universalissimum objectum, et finem jam dictum.

Thom. Minor autem ex nuper dictis satis constat, et eam etiam docet D. Thom. infra q. 103 art. 1, 2 et 3, et videtur etiam ex se satis perspicua : quandoquidem, ut modo dicebamus, unus et idem est finis adæquatus divinæ gubernationis, ac providentiæ : constat autem finem adæquatum gubernationis esse ostensionem, et communicationem divinæ bonitatis, juxta triplicem ordinem, naturæ, gratiæ, et unionis hypostaticæ.

§ IV.

Fit obviam argumentis initio adductis.

119. Ad primum respondetur notando, providentiam Dei posse sumi dupliciter. Primo adæquate, et secundum omnia munera, quæ exercet, ac secundum omnes terminationes (ut sic dicamus) materiales, quas habet, ex eo quod connotat plura, et diversa objecta inadæquata, et materialia. Vel inadæquate, ac secundum aliquod peculiare munus, quod exercet, et secundum peculiarem aliquam terminationem, quam habet. Si primo modo consideretur, tunc includit tam providentiam generalem ordinis naturalis et supernaturalis, quam prædestinationem sive ad ordinem gratiæ, sive unionis hypostaticæ spectantem, etc. Si autem secundo modo sumatur, tunc dicit eamdem prorsus formalitatem divinæ providentiæ absque aliqua distinctione virtuali, quatenus per conceptum pure præcisivum concipimus illam ut exercentem munus, v. g. prædestinandi, nihil concipiendo de alio munere; vel ut dicit munus providentiæ generalis, et supernaturalis, quæ denotat peculiare quoddam munus divinæ providentiæ, distinctum ex parte nostri modi concipiendi a munere prædestinationis, quod solet aliquando significari per nomen providentiæ absolute et sine addito sumptæ (quamvis non in eo sensu in quo nos in hoc dub. n. 104 nomen providentiæ absolute, et sine addito dictæ sumebamus) quodque dicit divinam providentiam quatenus est efficax quantum ad aliquem finem per se intentum ab universali provisore nimirum quantum ad ostensionem gloriæ, et bonitatis Dei, et quantum ad auxilia sufficientia, quæ ex vi illius quasi elicitive communicantur omnibus hominibus etiam reprobis, quibus possint salvari, licet sit inefficax respectu actualis consecutionis finis particularis prædestinatorum, nempe vitæ æternæ.

Notatio pro solutione primi argumenti oppositæ sententiæ.

Explicatur exemplo. Quod quidem potest explicari exemplo jam adducto intellectus v. g. Petri adæquate sumpti, et ejusdem inadæquate considerati. Nam secundum utramque rationem dicit eamdem prorsus formalitatem absque distinctione virtuali : et tamen secundum priorem rationem importat intellectum Petri secundum omnia munera, quæ exercere potest, nimirum munus intellectus practici, speculativi, etc. secundum posteriorem vero dicit per præcisionem pure præcisivam, munus v. g. intellectus speculativi, nihil exprimendo, quantum est ex vi hujus muneris, ut est sub hoc conceptu, de se ipso ut dicit munus intellectus practici.

120. Hinc ergo ad formam argumenti respon-

Respondetur ad formam primi argumenti oppositæ sententiæ.

detur negando antecedens, si nomine providentiæ divinæ absolute, et simpliciter dictæ intelligatur (ut revera id intelligitur) divina providentia adæquate sumpta secundum omnia, quæ ex vi suæ lineæ, licet omnino atomæ dicit, seu divina providentia in omni sua amplitudine, quæ est potior significatio illius absolute, et simpliciter dictæ : secus si intelligatur providentia generalis, sive illa sit naturalis, sive supernaturalis : quæ quidem, ut nuper dicebamus, solet significari nomine providentiæ absolute, et sine addito dictæ. Nec amplius convincit testimonium D. Thom. ad probationem antecedentis adductum, dum in eo dicitur, quod prædestinatio aliquid addit supra providentiam. Nam revera prædestinatio supra hoc munus providentiæ addit aliud munus ibidem explicatum. Hinc tamen non sequitur, vel quod prædestinatio sit pars subjectiva divinæ providentiæ, prout dicit prædictam providentiam Dei generalem, ut ex statim dicendis constabit, vel ut dicit prædictam providentiam adæquate sumptam : sicut ex eo quod intellectus practicus dicat peculiare munus intellectus, non infertur illum esse partem subjectivam respectu istius. Nam ratio utrobique est eadem : nimirum quod nec intellectus practicus respicit distinctum objectum formale, ac intellectus adæquate sumptus ; sed tantum dicit eumdem intellectum prout connotat, extenditur, aut terminatur ad aliquod peculiare objectum materiale tantummodo, scilicet ad verum practicum; et prædestinatio non respicit etiam distinctum objectum formale, ac divina providentia adæquate considerata; sed dicit eamdem secundum peculiare aliquod, et inadæquatum munus, nimirum quatenus connotat aliqua peculiaria objecta materialia, seu (quod in idem quoad præsens redit) quod versetur peculiariter circa electos, et circa finem æternæ vitæ per determinata, et efficacia media actu consequendum.

121. Ad id quod ibidem additur.

Per quod etiam ad id, quod ibidem adducitur ad probationem consequentiæ, quatenus contra dicta retorqueri potest, satis constat. Quoniam ideo misericordia divina, v. g. addens aliquid supra rationem divini attributi, et determinans illud ad *esse* speciale attributi, est pars subjectiva attributi divini, quia illa additio, et determinatio est diversæ rationis ab ista, utpote determinatio, et additio ad speciale objectum formale, et id quod addit misericordia supra rationem attributi, est virtualiter distinctum ab eo, quod addit justitia Dei supra eamdem rationem divini attributi : et propterea tam misericordia, quam justitia sunt partes subjectivæ respectu illius : secus vero prædestinatio respectu providentiæ divinæ adæquate sumptæ, vel respectu providentiæ generalis ordinis gratiæ, quæ tantum exprimit peculiare munus jam dictum divinæ providentiæ adæquate acceptæ.

122. Ad secundum argumentum oppositæ sententiæ.

Ad secundum transeat antecedens quoad primam ejus partem : quamvis si proprie, et in rigore loquamur prædestinatio, et providentia naturalis Dei non tam debent dici convenire in ratione providentiæ divinæ, quam esse ipsamet divina providentia absque aliqua distinctione virtuali tam inter se, quam ab illa. Et deinde distinguendum est idem antecedens quoad secundam partem, et concedendum, si sensus illius sit quod utraque habet id, quod ibidem refertur, respiciendo eamdem prorsus rationem formalem objectivam ; secus vero si sensus fuerit, quod id habent inspiciendo diversam rationem formalem objectivam.

Et deinde neganda est consequentia. Et ad probationem dicendum est, quod licet ordinationes ad diversos fines, adæquatos et formales, et per diversa media adæquata, et formaliter sumpta ut respiciunt prædictos fines, indicent, ordinationes ipsas, et providentias esse essentialiter distinctas; non tamen ordinationes ad diversos fines inadæquatos partiales, et materiales, et per diversa media inadæquata, et materialiter sumpta, ut respicientia prædictos fines inadæquatos, et non formaliter accepta, ut dicunt ordinem ad prædictum finem adæquatum, in quo ordine omnia illa formaliter conveniunt. Quoniam hinc ad summum potest colligi ordinationes illas esse partes objectivas, seu quantum ad objecta unius, et ejusdem ordinationis secundum speciem, aut quasi speciem atomam, ut in præsenti contingit, et jam explicatum est.

123. Ad primam ejus confirmationem, quoad primam probationem.

Ad primam confirmationem, negandum est antecedens, si intelligatur de ordinatione divina, qua ordinantur media in suos fines. Nam hæc habet quasi specificari, modo tamen alibi a nobis insinuato, a ratione finali ultima : et ad primam probationem dicendum est, quod sicut est proprium charitatis respicere finem ultimum, et ordinare omnia in illum, licet hoc non sit proprium aliarum virtutum affectivarum, ita est proprium divinæ providentiæ ut talis;

talis, ordinare omnia in suos fines ultimos, et habere pro ratione finali sibi propria eam quæ in hoc ordine est ultima, quæque num. 116 a nobis explicata est.

124. Quoad secundam probationem. Ad secundam probationem neganda est sequela, si sensus illius fuerit, quod omnis providentia Dei quoad nostrum modum concipiendi sit hypostatica, seu pars objectiva illius : quamvis possit concedi, quod ex parte rei conceptæ omnis providentia Dei est hypostatica, seu quod non distinguitur adhuc virtualiter ab illa. Nec amplius probatio sequelæ ibidem adducta convincit. Quia licet omnia, quæ cadunt sub providentia naturali, et supernaturali, ordinentur ad unionem hypostaticam seu ad Christum; quia tamen unio hypostatica, et Christus secundum eam rationem, secundum quam cadere potest sub divina providentia, et cætera alia ordinantur ad manifestationem divinæ bonitatis in communicatione triplicis ordinis, naturæ, gratiæ, et unionis hypostaticæ, propterea providentia naturæ, et gratiæ non sunt partes objectivæ providentiæ hypostaticæ, quasi ipsa sit tota ipsa providentia Dei secundum omnia sua munera, et cæteræ aliæ providentiæ, ex parte nostri modi concipiendi distinctæ, sint partes objectivæ illius : sed tam ipsa, quam providentia ordinis naturæ, et gratiæ, sunt partes objectivæ divinæ providentiæ, sumptæ in omni sua amplitudine, et ut respicit omnimodam communicationem divinæ bonitatis secundum prædictos tres ordines.

125. Quoad tertiam probationem. Ad tertiam vero probationem concedendum est antecedens : tunc tamen divina providentia secundum se sumpta, aut providentia naturalis ut est idem cum illa ex parte rei conceptæ absque distinctione virtuali, non desineret habere vim ad hoc ut terminaretur ad omnia naturalia, ordinando ea in finem ordinis gratiæ, et unionis hypostaticæ, seu (quod in idem redit) tunc tamen divina providentia maneret omnino eadem ex parte actus, licet non maneret omnino eadem quoad terminationem. Et deinde neganda est consequentia. Quia specificativum (ut sic dicamus) divinæ providentiæ semper est divina essentia, quatenus est ratio ex se sufficiens ad hoc ut Deus, eam per modum objecti primarii inspiciendo, habeat vim ad providendum de omnibus mediis, sive sufficientibus, sive efficacibus in ordine ad ostensionem divinæ bonitatis in triplici ordine, naturæ, gratiæ, et unionis hypostaticæ.

Diximus : *Licet non maneret omnino eadem quoad terminationem*, quia terminatio actualis, et in actu exercito divinæ providentiæ, sicut et divinæ voluntatis, possunt, eis invariatis permanentibus, variari propter diversa connotata, quæ in actu exercito connotant : quia prædicta connotata sunt materialia, et inadæquata respectu illarum. Sed de his, et de aliquibus difficultatibus, quæ circa ista, hinc inde ebullire videntur, consulantur ea, quæ in tract. de Volunt. Dei circa art. 3 diximus.

126. Ad secundam confirmationem secundi argumenti positæ. sententiæ. Ad secundam confirmationem transeat major : et distinguatur minor : *Pertinent ad diversos ordines*, ex parte ejus, quod in recto dicunt, negetur : ex parte diversorum connotatorum materialium, et inadæquatorum, concedatur. Et deinde neganda est utraque consequentia : quia ad hoc ut consequens utriusque esset verum, oporteret ut minor esset etiam in priori sensu vera. Itaque prædestinatio, et providentia naturalis secundum id, quod in recto dicunt, seu secundum id, quod ponunt in Deo, dicunt aliquid connaturale ipsi, et supernaturale respectu cujusvis creaturæ, ex eo quod dicunt perfectionem infinitam per essentiam, et per modum actus purissimi. Cæterum ex parte effectus, et objecti materialis, quod connotant, providentia naturalis dicitur naturalis, sumpta denominatione a prædicto effectu, et prædestinatio dicitur eodem proportionali modo providentia supernaturalis : tunc tamen non sequitur distinctio earum essentialis, sive a priori, sive a posteriori : quia prædicti effectus, et connotata sunt connotata materialia, et inadæquata; non tamen formalia, et adæquata. Et licet omnia illa in *esse* rei sint diversi ordinis, non tamen in *esse* objecti, seu in *esse* inspecti a divina providentia, ex eo quod sub una, et eadem ratione formali ab ea inspiciuntur.

Explicatur exemplo. Potestque hoc explicari exemplo divinæ omnipotentiæ, quæ ut est factiva rerum ordinis supernaturalis, dicitur potentia activa supernaturalis, et ut est factiva rerum ordinis naturalis dicitur naturalis; non quidem quia ipsa secundum has duas considerationes virtualiter distinguatur, ut supra dictum est, aut quia secundum id, quod in Deo ponit, non sit ejusdem prorsus rationis, ac proinde non sit connaturalissima Deo, et supra naturam totius entis creati, aut creabilis; sed quia connotat diversa hæc objecta materialia, et inadæquata, et ratione illorum, sic vel sic denominatur.

127. Ad tertium argumentum oppositæ sententiæ.

Ad tertium negandum est antecedens, et ad probationem desumptam ex primo, et secundo exemplo dicendum est, lineam relationis divinæ, et attributi itidem divini in sua amplitudine sumptas, esse quasi subalternas : et hoc peti ab intraneis cujusque. Nam relationes divinæ, ut Paternitas, et Filiatio opponuntur inter se : et ita quælibet constituit suam lineam quasi atomam, et per consequens linea relationis divinæ in sua amplitudine, tantum erit quasi subalterna. Et similiter quodlibet ex attributis divinis, ut verbi gratia misericordia respicit distinctum objectum formale, ac aliud, v. g. ac justitia : et propterea quodvis attributum constituit unicam lineam quasi atomam. Cæterum providentia divina ob rationes factas tantum respicit, adhuc in sua amplitudine sumpta, unicum objectum formale, nec una quasi pars ejus opponitur alteri quasi parti : et ideo tantum constituit unicam lineam quasi atomam, et tamen habet partes objectivas, seu quantum ad objecta, ut dictum est.

Ad tertium vero exemplum respondetur, quod si loquamur de ideis ut constituunt attributum divinum, tunc nulla ratione multiplicantur, quia omnes illæ sunt unum, et idem attributum; si vero fiat sermo de eis, non ut constituunt attributum, dicendum est, esse disparem rationem. Quia idea significatur ut objectum cognitum a Deo, providentia vero ut actus, vel principium operandi : et in Deo non multiplicantur actus, nec principia operativa respicientia, aut quasi respicientia plura sub eadem ratione formali : possunt autem multiplicari objecta cognita ab illo. Quæ solutio desumitur ex D. Thom. supra quæst. 15 art. 2 ad secundum.

D.Thom.

128. Objectio Vazquez

Nec obest id, quod contra hanc solutionem divi Thomæ objicit Vazquez, nempe tam ideam quam providentiam connotare respectum ad creaturas; et in utraque dari diversos respectus rationis ad illas : ergo sicut ideæ multiplicantur propter varios respectus ad creaturas, ita et providentia; vel si hæc non multiplicatur, nec illæ. Consequentia ex paritate rationis videtur perspicua. Antecedens autem probatur. Nam sicut idea divina prout peculiariter confertur, v. g. cum homine, et non cum equo, est idea illius, et non equi, et dicit respectum rationis ad hominem, non vero ad equum, ita etiam providentia ut peculiariter ordinat hominem in suum finem, et non equum, est providentia illius, et non istius, et dicit habitudinem ad illum, non ad hunc : et quemadmodum idea dum confertur cum homine, verbi gratia, et eum peculiariter connotat, non multiplicatur in ratione attributi divini, quia hoc connotatum tantum est materiale, ita etiam providentia.

Enodatio.

Respondetur enim concedendo antecedens, si intelligatur de respectu rationis utcumque, et qualitercumque importato; secus vero de respectu rationis, qui eodem modo utrobique importetur. Et deinde neganda est consequentia. Quoniam licet tam providentia, quam ideæ divinæ dicant respectum rationis ad creaturas (modo tamen alibi tacto) attamen respectus rationis importatus ab ideis est satis ad hoc ut ratione illius, ideæ in sensu insinuato absolute dicantur plures : non tamen respectus rationis, quos intelligimus providentiam divinam dicere ad creaturas. Nam respectus rationis providentiæ sumuntur non ex parte principii, ex parte cujus ipsa se tenet; sed ex parte objecti materialis : et ideo non sunt satis ad hoc ut absolute dicatur, propter illos multiplicari. Cæterum respectus rationis idearum sumuntur ex parte objecti materialis a Deo intellecti, et ipsæ etiam se tenent ex parte objecti a Deo cogniti : et propterea propter hanc majorem affinitatem, sunt satis ad hoc ut absolute dicatur, quod ideæ sunt plures.

129. Ad primam confirmationem tertii argumenti oppositæ sententiæ.

Ad primam confirmationem negandum est antecedens quoad utramque partem, propter illa, quæ in favorem assertionis adduximus : et ad primam probationem prioris partis respondet D. Thom. in hoc articulo in solutione ad tertium his verbis : *Dicendum, quod prædestinari convenit Angelis, sicut et hominibus, licet nunquam fuerint miseri. Nam motus non accipit speciem a termino a quo, sed a termino ad quem. Nihil enim refert quantum ad rationem dealbationis, utrum ille qui dealbatur fuerit niger, aut pallidus, vel rubeus? et similiter nihil refert ad rationem prædestinationis, utrum aliquis prædestinetur in vitam æternam a statu miseriæ, vel non? quamvis dici possit, quod omnis collatio boni supra debitum ejus cui confertur, ad misericordiam pertineat, ut supra dictum est.* D.Thom.

Ad secundam vero probationem pro eadem priori parte antecedentis dicendum est, imperia distingui ex diversis mediis, et finibus formalibus, et adæquatis; nonvero ex diversis mediis, et finibus materialibus, et inadæquatis, ut in præsenti contingit.

Ad

Ad probationem autem ejusdem antecedentis pro secunda illius parte, concedatur major quoad primam partem, et transeat quoad secundam : et negetur minor. Nam sicut idem intellectus Petri v. g. connotando verum speculabile, quod est connotatum ejus materiale, et inadæquatum, est intellectus speculativus, et connotando eodem modo verum practicum, est intellectus practicus, ita idemmet actus divini intellectus, idemque imperium absque distinctione virtuali, connotando tamen diversa media, aut quasi media materialia, et diversos fines partiales, et materiales, etc., habet quod sit prædestinatio electorum, et reprobatio reproborum.

130. Ad secundam confirmationem ejusdem.

Ex quo etiam ad secundam confirmationem constat, negandum esse antecedens, et ad probationem concedenda est major, et neganda minor. Quia media et fines, aut quasi fines illi, sunt inadæquata respectu actus prædestinandi : quia ipse respicit ut finem adæquatum ostensionem divinæ bonitatis in communicatione illius, secundum tres ordines, naturæ et gratiæ, ac unionis hypostaticæ. Et propterea cum concipitur sub conceptu prædestinationis Christi, non concipitur cum fundamento in re ut alius actus virtualiter distinctus ab ipsamet, ut est prædestinatio hominum; sed tantum concipitur, et significatur ut connotat quoddam speciale medium, aut quasi medium, et finem, aut quasi finem inadæquatum, ac proinde concipitur ut exercet unum munus, non negando quod secundum eamdem formalitatem exerceat alia munera prædestinandi homines, et Angelos; sed solum præscindendo pure præcisive ab illo, seu nihil pro tunc, ob imperfectionem nostri intellectus de illo concipiendo.

131. Ad ultimum fundamentum oppositæ sententiæ.

Ad ultimum distinguenda est major : et si intelligatur de conditionibus indispensabilibus, quæ sunt formales, et desumuntur penes ordinem, aut quasi ordinem ad objectum formale, concedenda est. Si vero intelligatur de conditionibus indispensabilibus, quæ sunt materiales, et conveniunt ei secundum quod connotat peculiaria aliqua connotata materialia, iterum distinguenda est : et concedenda si intelligatur quoad præsens de parte objectiva ex parte rei conceptæ considerata : sed neganda est si intelligatur de eadem parte objectiva, ut stat sub nostro modo concipiendi imperfecto, seu prout præcise intelligitur præstare peculiare aliquod munus, nihil concipiendo de aliis muneribus quæ præstat. Et eodem proportionali modo distinguenda est minor : et ad probationem minoris dicendum est, diffinitiones illas, tantum esse materiales, et convenientes eidem indivisibili actui, et imperio divino, ratione diversorum connotatorum materialium, et inadæquatorum, quia propter sui eminentiam habet connotare tum voluntatem efficacem dandi gloriam electis, tum communicandi divinam personalitatem humanitati Christi, tum voluntatem etiam efficacem qua vult aliquos deficere a consecutione æternæ vitæ : et sic de aliis : et quatenus connotat hæc vel illa connotata materialia, significatur, vel nomine prædestinationis Angelorum, vel prædestinationis Christi, vel reprobationis, etc. Unde non est necesse, ut prædestinationi hominum v. g. per quam significatur illemet actus divinæ providentiæ, qui simul absque distinctione virtuali est reprobatio aliorum, conveniat id (formalissime loquendo seu ut est sub hoc præciso conceptu) quod competit reprobationi. Quia ad hoc satis est, quod illemet actus sit eminentissimus, et æquivalens pluribus actibus creaturarum ad eamdem lineam providentiæ per se loquendo spectantibus : et quod ut significatur nomine prædestinationis denotetur quatenus ratione prædictæ eminentiæ habet connotare hæc connotata materialia, et inadæquata, et non illa.

132. Explicatur primo.

Potestque hoc explicari duplici via. Prima est, quam in tract. de Visione, et de Scientia Dei ad alia sæpe adduximus, nimirum eminentiam alicujus formæ eminentissimæ tribuere ei ut æquivaleat pluribus rebus realiter distinctis, pertinentibus tamen per se loquendo ad eamdem lineam. Unde sicut intellectus divinus ratione hujus eminentiæ æquivalet intellectui, et intellectioni creatæ, quæ per se loquendo spectant ad eamdem lineam : quamvis ratione imperfectionis creaturarum sit ibi prædicta linea truncata, et divisa, constituatque multiplicem quasi lineam, ita idemmet actus divini imperii, et providentiæ æquivalet ratione suæ eminentiæ pluribus actibus imperii, et providentiarum nostrarum pertinentibus per se loquendo ad eamdem lineam.

Et quemadmodum intellectus divinus inadæquate conceptus, seu ut præcise æquivalet intellectui creato, non vero intellectioni, non concipitur ut intelligens, quia non concipitur ut æquivalens intellec-

tioni creatæ, et propterea potest de eo verificari, quod ut stat sub hoc præciso conceptu, non intelligit, sic idemmet actus divinæ providentiæ, et imperii ut concipitur secundum quod eminentissimo modo, et seclusis imperfectionibus æquivalet præcise providentiæ nostræ efficaci, quia juxta modum efficacitatis, qui in nobis est, disponimus pro viribus de mediis eodem modo efficacibus in ordine ad hoc quod aliquis consequatur aliquod præmium, vel suum peculiarem finem, non concipitur, ut æquivalens nostræ providentiæ, qua eodem modo disponimus de mediis pro viribus efficacibus ad puniendum aliquem, vel ad hoc ut non adipiscatur finem ei indebitum : et ideo ut stat sub priori illo conceptu, ratione cujus concipitur sub conceptu prædestinationis, vel providentiæ efficacis ordinis naturalis, non providet de mediis efficacibus in ordine ad hoc ut reprobi, v. g. puniantur, vel non consequantur suum finem peculiarem, scilicet æternam vitam ; vel in ordine ad hoc, quod aliæ res naturales efficaciter non consequantur suum finem : ac proinde non concipitur sub conceptu reprobationis simpliciter, et per antonomasiam talis, per quam quis excluditur a regno æterno; vel reprobationis naturalis, qua creatura aliqua rejicitur a consecutione peculiaris finis naturalis : et propterea de prædicto actu divini imperii, ut stat sub conceptu prædestinationis, potest verificari quod dicat plura indispensabiliter requisita, quæ non possunt verificari de eodem ut stat sub conceptu reprobationis, aut sub conceptu providentiæ generalis, providentis de mediis sufficientibus, non tamen efficacibus.

Et tandem sicut intellectus divinus non distinguitur virtualiter a sua intellectione, ex eo quod ut stat sub illo priori conceptu non sit intelligens, quia eminentia, qua æquivalet intellectui, et intellectioni, non est eminentia æquivalens rebus diversarum linearum, sed rebus uniùs lineæ; ita nec divina providentia erit multiplex virtualiter, quamvis, ut stat sub conceptu prædestinationis, provideat de mediis pro viribus Dei efficacibus ; ac proinde omnino efficacibus, et de facto obtinentibus finem, non vero stat sub conceptu providentiæ generalis præcise : quia ut æquivalet providentiis creatis quodammodo correspondentibus prædestinationi, et providentiæ generali, non dicit eminentiam æquivalentem rebus diversarum linearum ; sed ad unam et eamdem lineam pertinentibus.

133. Explicatur secundo

Secunda via, qua potest hoc ipsum declarari, est exemplo divinæ scientiæ, quæ cum sit ita unica, ut non sit distinguibilis in plures scientias virtualiter diversas ; nihilominus est necessaria respectu essentiæ divinæ, et creaturarum possibilium : libera vero ut terminatur ad decreta Dei, et creaturas existentes. Rursus eadem scientia respectu Dei est intuitiva, et speculativa ; respectu vero creaturarum existentium est intuitiva, et practica : et respectu possibilium habet rationem scientiæ abstractivæ, et practicæ ; collata vero cum impossibilibus est abstractiva, et speculativa. Et ratio horum nulla est alia, nisi summa eminentia divinæ scientiæ, per quam æquivalet scientiis realiter distinctis, et pertinentibus per se ad eamdem lineam. Ac proinde sicut scientia creata, quæ præcise habet esse speculativam, non habet re ipsa esse practicam, ita divina scientia licet re ipsa habeat omnes has conditiones, quia tamen est forma eminens, propterea ut stat sub præciso conceptu æquivalendi scientiæ speculativæ, nec habet æquivalere scientiæ practicæ, nec ea quæ sunt propria illius : quamvis adæquate sumpta habeat omnia quæ diximus. Ita ergo proportione servata circa divinam providentiam philosophandum est.

Unde sicut respectu scientiæ Dei est materiale, et per accidens quod sit practica, et intuitiva in actu exercito respectu creaturarum ; et propterea absque sui mutatione intelligitur quasi transire (modo alibi tacto) a scientia non visionis, et non practica in actu exercito, ad scientiam eodem modo practicam, et visionis; non tamen convenit ei per accidens, quod habeat vim ad hoc ipsum, nam hoc est in ea quid indispensabile, licet conveniens ipsi connotando objectum materiale, et similiter hoc ipsum non convenit ei per accidens, ut stat sub conceptu, et significatione scientiæ practicæ : ita respectu divinæ providentiæ per accidens, et de materiali est, quod sit in actu exercito reprobatio reproborum, et prædestinatio electorum, non tamen competit ipsi per accidens, sed indispensabiliter quod habeat vim ad hoc ipsum, quamvis competat ei connotando aliqua connotata materialia et inadæquata : sicut etiam eidem indispensabiliter competit, ut sit v. g. prædestinatio in actu exercito, quatenus est sub hoc conceptu, seu ut in actu exercito connotat ea connotata, quæ ad prædes-

tinationem

tinationem in actu exercito desiderantur; juxta quæ debent ea, quæ in tota hac solutione diximus, intelligi.

DUBIUM IV.

Quomodo ex dictis colligatur sufficientia definitionum, quæ de prædestinatione communiter traduntur, et quomodo omnes illæ inter se cohæreant?

134. Diffinitiones prædestinationis. D. Thom.

Triplex definitio, aut quasi definitio solet communiter tradi de prædestinatione. Prima quæ desumitur ex D. Thom. in præsenti, est : *Prædestinationem esse ordinationem mediorum, quibus creatura rationalis transmittitur a Deo in finem vitæ æternæ.* Secunda vero, quæ etiam depromitur ex eodem Angelico Doctore in hoc art. est : quod *Prædestinatio sit ratio transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ in mente divina ab æterno existens.*

D. Aug.

Tertia tandem, quam adducit D. August. lib. de Dono persever. cap. 14 his verbis : *Prædestinatio Sanctorum nihil est aliud, quam præscientia, et præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur.* Quare ut magis quidditas prædestinationis pateat, et amplius innotescat quam conformiter ad mentem D. Augustini, et Angelici Doctoris in explicanda natura, et quidditate prædestinationis processerimus, placuit ex dictis tres has definitiones elucidare, et simul declarare quomodo omnes illæ inter se cohæreant, seu inter se coïncidant.

§ I.

Proponitur prior assertio.

135. Prima conclusio.

Dicendum est primo, optimas esse duas priores definitiones, quas ex D. Thom. retulimus, idque ex dictis colligi. Ita communiter discipuli ejusdem Angelici Doctoris, et quamplures alii, ut constat ex iis, quæ in dubiis præcedentibus hujus disputationis asseruimus. Assertio hæc quoad

Explicatur prior diffinitio.

priorem definitionem ex dictis liquet. Nam prædestinatio est pars divinæ providentiæ, ut dub. præcedenti dicebamus : ergo ejus ratio formalis debet sita esse in hoc, quod sit ordinatio mediorum, quibus creatura rationalis efficaciter transmittitur a Deo in finem vitæ æternæ. Patet consequentia. Nam providentia versatur circa media, quibus res perducuntur, vel perduci possunt in suos fines : ac proinde versatur circa illa ordinando ea in prædictos fines. Tum quia id ex dictis constat. Tum etiam : quia media ut talia, sunt ordinabilia in suos fines : et ideo cum proprium sit intellectus ordinare et dirigere, ut num. 20 hujus disput. ostendimus, oportet quod actus intellectus, qui versatur circa media ut talia, qualis est providentia, sit ordinatio, et directio eorum in finem : ergo cum prædestinatio sit pars providentiæ, ex eo quod versatur circa peculiares creaturas, nempe rationales, sive intellectuales electas in vitam æternam, et circa peculiaria media, nimirum ea quibus efficaciter homines transmittuntur in prædictum finem, oportebit ut prædestinatio sit ordinatio efficax mediorum, quibus creatura rationalis transmittitur a Deo in vitam æternam.

136. Explicatur secunda diffinitio.

Quoad secundam vero diffinitionem eadem assertio suadetur ex iis, quæ disp. 1 hujus tract. num. 38 diximus. Nimirum quod licet ratio rei fiendæ ab agente intellectuali speculative considerata, sit species, idea, vel verbum, in quibus sive formaliter, sive virtualiter, sub alio tamen modo essendi, continetur; nihilominus practice considerata, est imperium, et sufficiens determinatio agentis, ratione cujus executivè, seu intra ordinem executionis ordinatur in suum finem, et habet complete esse futuram : ergo cum prædestinatio consistat in imperio efficaci in intellectu Dei existente, quo ipse imperat transmissionem creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ, erit utique talis prædestinatio ratio transmissionis creaturæ rationalis in vitam æternam in mente Dei existens.

§ II.

Assertio posterior, et explicatio ultimæ diffinitionis quod primam ejus particulam.

137. Secunda conclusio Explicatur ultima diffinitio. August.

Dicendum est secundo, optimam esse ultimam diffinitionem prædestinationis, quam ex D. August. adduximus, idque ex dictis satis colligi. Assertio hæc quoad secundam partem satis colligitur ex priori, et ex iis, quæ dubiis præcedentibus asseruimus. Quoad primam vero (ac proinde etiam quoad secundam) eam tuentur omnes discipuli D. Thom. et universi Theologi, et ideo non eget alia probatione : siquidem diffinitiones non tam probandæ, quam ex communi calculo suscipiendæ sunt.

Cæterum quia quoad intelligentiam ejus, Doctores inter se dissident, propterea ut sufficientia prædictæ diffinitionis, et in quo Doctores discriminentur, capiatur, oportebit singulas illius particulas percurrere, quamvis majoris perspicuitatis gratia, non omnes particulas in hoc §, sed priorem in isto, et alias in sequenti explicabimus.

138. Per præscientiam non intelligitur in hac diffinitione scientia media. Suarez. Molin. Lessius. Herice. Arrubal.

In primis igitur illa particula *præscientia*, primo loco in hac diffinitione posita non intelligitur de scientia media, ita ut prædestinatio, sive in recto, sive in obliquo, et præsuppositive eam importet, ut immerito voluerunt Suarez lib. 1 prædestinationis cap. 7, Molina in præsenti disp. 2 et art. 5 disp. 1 memb. 11 et in concordia q. 23 art. 5 disp. 1 memb. 9, Lessius de prædestinat. sect. 1 num. 13, Herice tomo 1 tract. 3 disp. 22 num. 57, et Arrubal tomo 1 in 1 p. disputat. 71 cap. 4. Et ratio est aperta ex dictis. Nam ut in tract. de Scientia Dei disp. 10 dub. 2 et 3 latius ostendimus, Augustinus perpetuus fuit in neganda hac scientia media : et ita cum prædestinationem in præsenti per præscientiam diffinivit, planum est quod per præscientiam non intellexit scientiam mediam.

Potestque hoc peculiariter elucidari si in memoriam recolamus id, quod in prædicto tractatu diximus, et solutionem Lessii impugnemus. Etenim ibidem asseruimus, quod D. Prosper, et Hilarius in epistolis missis ad Augustinum, quæ habentur tom. 7 ejusdem August. ante librum de Prædestinatione Sanctorum, referunt, Massilienses sentire ad prædestinationem requiri istam scientiam mediam : quia per eam Deus eligebat eos, quos ante omnem determinationem suæ voluntatis prævidebat crediturus Evangelio, et in bonis operibus perseveraturos, sicuti etiam repellebat illos, quos per talem scientiam præsciebat non crediturus, nec bene operaturos ; et insuper quod iidem Massilienses putabant hanc fuisse sententiam Augustini : et tamen prædicti Patres nimirum Prosper, et Hilarius asserebant, scientiam hanc adversari veritati, et Augustino : imo et ipse August. cap. 9 eam rejicit, ut loco citato vidimus : ergo non potuit prædestinationem per istam scientiam diffinire.

Prosper. Hilar.

August.

139. Evasio Lessii.

Nec satis est id, quod respondet Lessius ubi supra sect. 5 in principio, Prosperum, et Hilarium solum intendisse quod Massilienses reducebant prædestinationem ad istam scientiam conditionatam, sive mediam, respectu operum, quæ fiunt ex viribus naturæ : cum tamen mediante illa non sit reducenda nisi ad opera, quæ in tali, vel tali occasione Deus prævidit fieri ex gratia.

Nam contra hoc est, quod ab eodem Hilario et Prospero expresse propositi fuerunt Augustino diversi errores Massiliensium : ex quibus unus erat, prædestinatos fuisse ad gloriam illos, qui præsciebantur a Deo crediturus, et bona opera patraturos in tali vel tali occasione, non utcumque, sed ex adjutorio divinæ gratiæ. Verba autem Prosperi hæc sunt : *Qui autem crediturі sunt, quive in ea fide, quæ deinceps per gratiam Dei sit juvanda, mansuri sunt, præscivisse Deum, et prædestinasse, etc.* Postea vero referens alium errorem, ait : *Quidam vero horum in tantum a Pelagianis semitis non declinant, ut velint ad hanc gratiam, qua in Christo renascimur, pervenire, per naturalem scilicet facultatem petendo, etc.* Ex quibus verbis satis constat, quosdam ex Massiliensibus sentire, posse ex operibus naturalibus ad gratiam, et prædestinationem pervenire : quosdam vero voluisse, ideo electos fuisse prædestinatos, quia Deus prævidit per gratiam bene operaturos, si in tali vel tali occasione collocarentur : at utrumque dicendi modum horum Massiliensium impugnant prædicti Patres : ergo, etc.

Impugnatur primo.

140. Secundo

Accedit primo. Quod si prædicti Patres Prosper et Hilarius solum proposuissent Augustino errorem Massiliensium quoad hoc quod est prædestinationem fuisse factam ex prævisione fidei, et operum viribus naturæ patratorum, tunc sufficienter impugnasset Augustinus hunc errorem, ostendendo fidem, et bona opera ad vitam æternam conducentia non haberi ex viribus naturæ, sed ex divina gratia : et non oportuisset eumdem Augustinum ostendere falsam esse sententiam Massiliensium quoad ponendam hanc scientiam mediam, mediante qua prædestinarentur ii, qui per illam prævidebantur crediturus, vel bene operaturos, si in tali vel tali occasione ponerentur : et tamen idem August. quia intendebat sigillatim refellere hæc duo, propterea ab initio libri de Prædestinatione Sanctorum, usque ad caput 9 ostendit, fidem non ex operibus naturæ, sed ex adjutorio divinæ gratiæ haberi. Et deinde in reliquis capitibus ejusdem libri probat bona opera prædestinatorum non prævideri a Deo ex eo quod illa ante suum decretum sint futura, ac proinde ex eo quod per

Augus

scientiam

scientiam mediam præsciantur; sed quia Deus illa decreto suo prædeterminet, seu prædestinet.

141. Tertio. Accedit secundo. Quia si Augustinus negans, prædestinationem hominum fieri ex operibus prævisis per scientiam mediam, solum rejiceret opera patrata ex viribus naturæ, et non ex gratia, tunc non dissentiret ab aliquibus ex antiquis Theologis, qui Prosper. (ut testatur Prosper ubi supra) asserebant prædestinationem hominum fieri ex operibus factis ex gratia, prævisis tamen per prædictam scientiam mediam : et tamen . Aug. idem Augustin. in prædicto cap. 9 de Prædestinatione Sanctorum ostendit se oppositum sentire, et prædictos Theologos non attigisse veritatem circa modum, quo Deus prædestinat : ergo August. aperte sentit ad prædestinationem non supponi scientiam mediam operum ex gratia sub conditione futurorum, ad quæ aliquo modo reducatur prædestinatio.

Quarto. Accedit tertio. Eumdem August. in 1 cap. prædicti libri referre, quosdam ex illis sensisse quod nostræ voluntates a gratia præveniantur; et tamen deceptos fuisse circa prædestinationem contra sententiam ejusdem August. hoc autem, ut constat, solum potest verificari, quia concedebant scientiam mediam bonorum operum conditionatorum, ex gratia procedentium, præsupponi ad prædestinationem.

142. Vera explicatio prioris particulæ. Quare nomine *præscientiæ* in diffinitione prædestinationis positæ nequit intelligi prædicta scientia media, sed scientia approbationis, qua Deus electos approbat in ordine ad vitam æternam : quæque ut in hac diffinitione collocatur, dicit in recto divinam scientiam connotando in obliquo actum divinæ voluntatis, quo Deus efficaciter intendit tribuere electis vitam æternam, et eligit media efficacia ad illam : ita tamen ut in hac scientia non consistat formaliter prædestinatio, licet sub ea præcisione sub qua in hac quasi diffinitione ponitur, indispensabiliter, præsuppositive, et per modum connotati prærequisiti a prædestinatione importetur. Ita communiter discipuli D. Thom. Et ratio hujus reddi potest ex eo quod licet prædestinatio indispensabiliter involvat tam scientiam simplicis intelligentiæ respectu personæ salvandæ, et mediorum per quæ salvanda est, quam scientiam approbationis, nihilominus quia hæc posterior scientia proximius connotatur a prædestinatione : et cum ea nectitur scientia simplicis intelligentiæ, ac proinde hac explicata, innuitur illa; propterea nomine scientiæ in diffinitione prædestinationis positæ, optime intelligitur scientia approbationis, ut ita unico verbo significetur scientia ista, et innuatur illa.

143. Alia explicatio etiam vera ejusdem particulæ. Vel secundo dici potest, quod nomine *scientiæ* non intelligitur scientia stricte dicta prout constituit peculiare attributum distinctum ab aliis, sed generaliter accepta prout est idem ac cognitio seu intellectio divina : quia familiare est apud Patres ut constat ex iis quæ D. Thom. supra q. 14 D. Thom. art 1, 2 et 3 docet, quod nomine *scientiæ* divinæ, multoties intelligatur divina cognitio, quæcumque illa sit, ut ibidem nos tetigimus. Unde cum prædestinatio sit pars providentiæ, quæ est virtus intellectualis, cujusque actus non potest non importare tanquam rationem generalem quod sit cognitio, sive intellectio divina, propterea prædestinatio optime quasi diffinitur per rationem scientiæ communiter dictæ : ut ita prædestinatio per suam rationem generalem sibi, et aliis communem, et per suam rationem quasi differentialem statim adjiciendam, quasi diffinita maneat.

§ III.

Explicantur aliæ particulæ posterioris diffinitionis.

144. Explicatur secunda particula diffinitionis, nempe præparatio beneficiorum Dei. Additur deinde in eadem diffinitione secunda particula, nimirum *Præparatio beneficiorum Dei*. Ut autem hæc particula melius intelligatur notandum est, duplicem esse præparationem requisitam ad hoc ut prædestinatus consequatur vitam æternam. Aliam quidem tenentem se ex parte prædestinati, qui habet se veluti per modum patientis : et hæc præparatio est in ipso prædestinato, importatque collationem gratiæ, et aliorum donorum, et per consequens ipsam etiam gratiam, et dona quibus ad æternæ vitæ consecutionem disponitur et præparatur. Aliam vero tenentem se ex parte prædestinantis seu agentis, ut prædestinet, seu agat, et hæc est in prædestinante seu agente : quia prædestinans ut talis, habet se per modum agentis per actum immanentem.

Prædestinatio igitur non dicit formaliter priorem illam præparationem, nam talis præparatio est effectus prædestinationis, et ita ipsa nequit in ea formaliter consistere, vel illam per modum intrinseci constitutivi includere; sed formaliter dicit hanc poste-

riorem præparationem prout agens per intellectum, qualis est Deus, dicitur se præparare ad agendum, in quantum practice, et modo supra explicato, præconcipit rationem operis fiendi, seu (quod in idem redit, ut ex dictis in hac disp. num. 38 constat) prout per actum intellectus, qui est imperium, efficaciter imperat transmissionem creaturæ rationalis per media jam dicta in vitam æternam. Quoniam hoc imperium est ultima præparatio, quæ ex parte agentis, ac proinde ex parte Dei desideratur, ad hoc ut actu, et in executione tribuat dispositionem, et præparationem illam ex parte passi, sive prædestinati requisitam, ad hoc ut illa mediante æternam vitam consequatur. Et propterea id, quod immediate sequitur post hanc præparationem ex parte agentis, sive Dei desideratam, et post hoc imperium in quo essentialiter consistit prædestinatio, nihil est aliud, quam actualis usus potentiæ executricis divinæ, et ipsa actualis executio beneficiorum Dei, quibus certissime salvantur electi.

145. D.Thom. Quæ omnia optime explicuit Angelicus Doctor art. 2 hujus quæst. in solutione ad 3 his verbis : *Ad tertium dicendum, quod duplex est præparatio : quædam patientis, ut patiatur : et hæc præparatio est in præparato. Quædam alia est agentis, ut agat, et hæc est in agente, et talis præparatio est prædestinatio prout aliquod agens per intellectum dicitur se præparare ad agendum, in quantum præconcipit rationem operis fiendi. Et sic Deus ab æterno præparavit prædestinando, concipiens rationem ordinis aliquorum in salutem.*

Observatio. Cæterum licet hæc ita sint, nihilominus aliter philosophandum est circa particulam hanc, si nomine prioris particulæ, nempe *præscientia*, intelligatur (juxta priorem explicationem nuper datam) scientia approbationis : et aliter si intelligatur scientia Dei communiter dicta, prout est idem ac cognitio divina, ut in secunda explicatione dicebamus. Nam si per illam particulam *præscientia*, intelligatur scientia approbationis, tunc per hanc secundam particulam, nempe *præparatio beneficiorum Dei*, intelligetur actus divini imperii secundum omne id, quod addit supra præscientiam illam, quo efficaciter imperat transmissionem creaturæ rationalis per certa media in finem vitæ æternæ : ex eo quod per hujusmodi imperium Deus ultimate se præparat ad utendum sua potentia executiva in ordine ad collationem beneficiorum, quibus electi certissime salvantur.

Si vero nomine *præscientiæ* intelligatur scientia Dei communiter dicta, et in sensu jam explicato, tunc per illam particulam *præparatio, etc.*, intelligitur actus divini imperii : non quidem adæquate sumpti, seu tam secundum rationem generalem cognitionis divinæ, quam secundum rationem differentialem, per quam cognitio divina generaliter sumpta determinatur ad hanc quasi speciem particularem, nimirum ad rationem imperii divini intellectus nuper dicti, in quo ipsa prædestinatio essentialiter consistit; sed sumitur pro prædicto actu imperii inadæquate accepti, secundum quod præcise dicit rationem quasi differentialem, per quam divina cognitio generaliter sumpta quasi contrahitur ad rationem prædicti imperii, per quod Deus ordinat, et disponit media infallibiliter conducentia ad æternam salutem electorum. 146.

Et ratio est aperta. Nam cum, juxta hanc secundam explicationem, per illam particulam *præscientia*, non intelligatur scientia stricte dicta, sed communiter, et generaliter accepta, prout est idem ac cognitio divina, et ratio hæc essentialiter includatur in prædicto actu imperii divini, seu in præparatione jam explicata beneficiorum Dei, quibus certissime salvantur electi, si talis præparatio, et imperium adæquate sumantur, secus vero si inadæquate, et cum præcisione, nimirum pro sola ratione quasi differentiali accipiantur, ideo ne committatur nugatio in prædicta diffinitione, ex eo quod ratio generalis divinæ cognitionis in imperio inclusa, bis in ea ponatur, oportet ut particula illa *præparatio*, seu imperium intelligatur de præparatione inadæquate, et cum præcisione sumpta, prout præcise dicit rationem quasi differentialem, per quam prædicta præparatio seu imperium in ratione talis constituitur, seu (quod in idem redit) secundum quod denotat, non quidem præparationem ipsam (si sic licet loqui) *ut quod*, sed *ut quo* : quia ratio differentialis præparationis cum præcisione consideratæ, tantum est id, quo præparatio illa in *esse* præparationis constituitur. Ratio illius.

Additur tandem in diffinitione particula illa : *Quibus certissime liberantur quicumque, liberantur*, ut denotetur specialis efficacia divinæ prædestinationis, et discrimen quod inter eam, et providentiam generalem versatur. Nam prædestinatio est præparatio ex se, et ex propriis meritis adeo efficax, ut inferat infallibilem consecutionem æternæ vitæ ab eo, qui prædestinatus est : cum tamen 147. Ultima diffinitionis particul: explicatur.

tamen providentia generalis quatenus talis non habeat infallibiliter inferre adeptionem finis, in ordine ad quem de mediis provi-
Thom. det Quod discrimen tetigit D. Thomas in 1 dist. 40 q. 1 art. 2 et art. 6 hujus q. necnon q. 6 de Verit. art. 1 ubi loquens de hoc discrimine prædestinationis a providentia, sic ait : *Differt etiam alio modo. In qualibet enim ordinatione ad finem est duo considerare, scilicet ipsum ordinem, et exitum, vel eventum ordinis. Non enim omnia, quæ ad finem ordinantur, finem consequuntur. Providentia ergo ordinem in finem respicit tantum. Unde per Dei providentiam omnes homines ad beatitudinem ordinantur : sed prædestinatio respicit etiam exitum, vel eventum ordinis. Unde non est nisi eorum, qui gloriam consequuntur.*

atio plica- onis ajetan. annez. nzalez varez. azar. Unde sanctum Doctorem sequuntur Cajetanus, Bannez, Gonzalez, Alvarez, Nazarius, et communiter Thomistæ. Et ratio est aperta ex dictis. Nam cum prædestinatio consistat in imperio divini intellectus, et hoc sit efficacissimum, ut ostensum est, fit inde, ut prædestinatio non sit præparatio utcumque beneficiorum Dei conducentium ad æternam salutem, sed præparatio efficacissima, atque adeo præparatio efficacissima beneficiorum, *quibus certissime liberantur, etc.*

§ IV.

Objectiones contra dicta in explicatione diffinitionis prædestinationis ex Augustino petitæ.

148. jectio rima ontra plica- onem iorem rimæ rticu- læ. Sed objicies primo contra ea, quæ in hac secunda assertione in prima explicatione primæ particulæ hujus diffinitionis diximus, nimirum nomine *præscientiæ* in diffinitione prædestinationis positæ, intelligi scientiam approbationis : non quidem quia in ea consistat prædestinatio, sed quia est connotatum indispensabile illius. Nam si hæc vera essent, non diffiniretur prædestinatio per præscientiam in recto, sed per eamdem in obliquo significatam : ergo cum diffiniatur ab August. per præscientiam in recto, signum est, nomine *præscientiæ* non intelligi scientiam approbationis. Consequentia videtur legitima. Antecedens autem probatur. Quia ea, quæ pro connotato afferuntur, non importantur in recto, sed in obliquo : ergo hoc ipso quod præscientia esset connotatum prædestinationis, non diffiniretur per illam in recto, sed in obliquo acceptam.

149. Secunda contra eamdem. Secundo objicies contra id, quod ibidem dicitur, scilicet præscientiam, seu scientiam approbationis esse connotatum non qualecumque, sed prærequisitum, et prævium ad prædestinationem. Quoniam hoc non videtur cohærere cum iis, quæ in tract. de Scientia Dei disp. 5 num. 43 diximus, scilicet potentiam executivam Dei, et ejus actum esse idem formaliter cum scientia approbationis, ita ut virtualiter ab ea non distinguantur : ergo etc. Antecedens probatur. Nam actus potentiæ executivæ non potest non esse posterior prædestinatione, siquidem hæc imperat efficaciter actum illius : ergo hoc ipso quod scientia approbationis et ejus actus, qui est idem absque distinctione virtuali cum ea, sint idem ac potentia executiva Dei et ejus actus; nequibit esse connotatum prærequisitum, et prævium ad prædestinationem, sed necessario debet esse connotatum subsequens, etiamsi demus prædictam scientiam, et ejus actum esse connotatum prædestinationis.

150. Tertia contra eamdem. Tertio. Quoniam prior est prædestinatio, quam scientia approbationis : ergo scientia approbationis non solum non erit prior quam prædestinatio, verum nec erit simul per omnimodam simultatem cum illa, sed cum aliqua posterioritate. Consequentia videtur perspicua. Antecedens autem probatur. Quia scientia approbationis non attingit æternam salutem prædestinatorum, nisi cognoscendo eam in sua causa, infallibiliter ipsam inferente, nimirum in ipsa prædestinatione : et ideo inquit August. quod prædestinatione cognoscit Deus ea, quæ futura sunt : ergo prædestinatio necessario debet esse prior quam scientia approbationis : sicut quia conclusiones Philosophiæ sciuntur mediis principiis Philosophiæ ; propterea principia ista præsupponuntur ad ipsam Philosophiam, et conclusiones ejus.
August.

151. Quarta contra secundam explicationem secundæ particulæ. Quarto contra secundam explicationem secundæ particulæ prædictæ diffinitionis, num. 146 adductam, objicies, quod licet nomine differentiæ soleat aliquando intelligi ipsa species, non tamen nomine speciei, aut quasi speciei ratio differentialis, aut quasi differentialis. Et ideo nomine hominis nunquam intelligitur rationale cum præcisione sumptum, ut præcise dicit rationem differentialem : quamvis nomine rationalis soleat tam species, quam ipsa ratio differentialis exprimi, ut nostri Complu- Complut.
tenses quoad rationem differentialem in sua Logica, disp. 7 num. 19 tangunt :

ergo cum præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque salvantur, dicat totam quasi speciem prædestinationis, siquidem dicit imperium divini intellectus, quo Deus ordinat, et præparat media efficacia, quibus prædestinati certissime consequuntur æternam vitam; fiet inde, ut nomine *præparationis* non recte intelligatur ipsa ratio quasi differentialis prædestinationis cum præcisione sumpta, sed necessario debeat tota species illius intelligi.

152. Ultima contra explicationem ultimæ particulæ.

Ultimo objicies contra explicationem tertiæ, et ultimæ particulæ, seu contra discrimen, quod positum est inter providentiam, et prædestinationem, nimirum, quod de ratione prædestinationis non solum sit ordinatio mediorum in finem, verum etiam inferre infallibiliter assecutionem ipsius finis; secus vero de ratione providentiæ. Nam in primis hoc videtur esse contra D. Thom. q. præced. art. 4 ad secundum, ubi inquit: *In hoc est immobilis, et certus divinæ providentiæ ordo, quod ea, quæ ab ipso providentur, cuncta eveniunt eo modo, quo ipse providet, sive necessario, sive contingenter.* Et in solutione ad tertium addit: *Quod divina providentia non deficit a suo effectu, neque a modo eveniendi, quem providit.* Et 3 cont. Gent. cap. 94 ubi repetit, quod ordo divinæ providentiæ immutari omnino non potest, et quod divina provisio omnino cassari nequit.

D. Thom.

153. Confirmatio ultimæ objectionis.

Deinde videtur esse contra rationem ex prædicto capite desumptam. Nam divina providentia habet summam perfectionem intra lineam providentiæ, ex eo quod est actus purus intra hanc lineam: sed ad perfectissimam providentiam spectat, ut non solum sit ordinatio mediorum in finem, sed etiam quod habeat infinitam efficaciam ad inferendam infallibiliter consecutionem ejusdem finis: ergo, etc.

Confirmatur. Quia ideo providentia humana est imperfecta intra latitudinem providentiæ, et non infert infallibiliter consecutionem finis intenti, quamvis præsupponat voluntatem ex se efficacem ejusdem finis, et applicet debita media ad illius consecutionem, quia est providentia causæ particularis, ac proinde est providentia causæ impedibilis ab alia superiori causa, ab alioque superiori provisore: sed quævis providentia divina hoc ipso quod divina, est providentia universalissimæ causæ, et per consequens causæ primæ, et inimpedibilis ab alia superiori causa, et ab alio superiori provisore: ergo quævis providentia divina, eo ipso quod divina, non solum erit ordinatio mediorum in finem, sed etiam infallibiliter inferet consecutionem ejusdem finis.

§ V.

Enodatio objectionum.

154. Ad primam objectionem.

Ad primam ex his objectionibus respondetur, quod licet prædestinatio in sensu formalissimo, in quo distinguitur virtualiter a scientia approbationis, solum importet in obliquo, et per modum connotati scientiam istam; nihilominus in sensu identico eam affert in recto, ita ut in hoc sensu sit vera hæc propositio, nimirum: quod *prædestinatio est ipsa scientia approbationis.* Cum autem dicimus prædestinationem esse identice, et recto scientiam approbationis, non sic est intelligendum ut prædestinatio habeat hanc identitatem ex ea præcisa, et communi ratione, qua alia quæ sunt in Deo, præcise quia sunt in illo, eam habent; sed quia peculiari ratione cum ea identificatur, ex eo quod peculiari ratione eam affert ut connotatum prævium, et prærequisitum: ita ut si per impossibile scientia ista non haberet aliud caput ratione cujus esset in Deo, et identificaretur cum prædestinatione, nihilominus hoc solum, scilicet esse connotatum modo dicto prædestinationis, esset sufficiens ad hoc ut esset in Deo, et ad hoc ut cum prædestinatione identificaretur.

Unde optime D. August. prædestinationem per scientiam in sensu identico diffinivit, ut ita exprimendo identificationem istam prædestinationis cum scientia approbationis, innueret duo, quæ sunt propria illius, nimirum quod peculiariter habet identificari cum scientia approbationis, et quod peculiari ratione habeat connotare illam per modum connotati præsuppositi, et valde conjuncti ipsi ut est præparatio quædam prædestinantis, ac proinde ut involvit, tam intentionem efficacem finis, quam electionem mediorum. Nam hæc omnia ab eadem prædestinatione, ut est præparatio quædam, involvuntur.

August.

155. Ratio solutionis.

Ratio autem ob quam diffiniendo prædestinationem per præscientiam in sensu identico, insinuavit quod peculiari ratione habet prædestinatio connotare prædictam scientiam est, quia cum peculiari ratione quasi diffiniatur prædestinatio per præscientiam in recto, et in sensu identico, et

propterea

propterea plures aliæ virtutes per eam identice sumptam non diffiniantur, oportet ut ibidem peculiari ratione innuatur hæc identificatio : ac proinde etiam insinuetur, quod peculiari ratione prædestinatio connotat prædictam scientiam : siquidem ratione hujus reperitur inter illas peculiaris identificatio. Ratio vero propter quam ibidem innuatur, quod prædestinatio non utcumque affert præscientiam approbationis jam dictam per modum connotati, sed per modum connotati antecedentis, est, quia cum præscientia ista re vera sit connotatum antecedens prædestinationis, ut ex supra dictis, et ex statim dicendis patebit; et primo loco in hac diffinitione ponatur; consequens est, ut eo ipso innuatur illa antecedentia, quam respectu prædestinationis habet.

156. Ad secundam objectionem. Ad secundam respondetur, quod cum scientia approbationis sit ratio quædam eminentissima Dei æquivalens nostræ scientiæ, et potentiæ executivæ, habensque plura munera inadæquata, ut ex dictis in tractatu de Scientia Dei, disp. 5 n. 72 constat, inde est, ut ipsa secundum quoddam inadæquatum sui munus, id est, ut æquivalet nostræ scientiæ approbationis, præsupponatur ad prædestinationem per modum connotati ipsius ; et, ut statim magis explicabimus, secundum aliud munus inadæquatum, nempe ut æquivalet nostræ potentiæ executivæ, sit posterior eadem prædestinatione.

157. Ad tertiam. Ex quo ad tertiam objectionem respondetur distinguendo antecedens : *Prior est prædestinatio, quam scientia approbationis*, si scientia approbationis adæquate sumatur, concedendum est : si inadæquate, iterum distinguendum erit : et si intelligatur de prioritate in genere (ut sic dicamus) causæ quasi formalis extrinsecæ, seu in genere objecti prius visi, et in genere quasi causæ finalis, concedi poterit : si vero intelligatur de prioritate in omni genere, sive de prioritate *in quo* etiam rationis, negandum est quoad scientiam approbationis, quæ erga electos versatur.

Et ad probationem antecedentis distingui etiam debet antecedens illius, et negari si intelligatur de attingentia inadæquata, qua scientia approbationis in se ipsa attingit æternam salutem electorum; concedi vero si de attingentia, qua in ipsa prædestinatione illam attingit, fuerit intellectum. Et deinde distinguendum est consequens, sicut distinximus primum antecedens hujus confirmationis, ita ut prædestinatio solum sit prior scientia approbationis in dictis generibus, aut quasi generibus causarum, non vero in omni genere aut prioritate aliqua *in quo*. Nec contra hoc habet vim probatio ibidem adducta, ut intuenti constabit.

158. Explicatio solutionis. Explicatur hoc. Etenim prædestinatio necessario importat juxta dicta intentionem efficacem finis, nempe æternæ vitæ; et electionem mediorum efficacium tanquam connotata prævia : et insuper addit rationem divini imperii tanquam aliquid, in quo ejus ratio formaliter, et in recto consistat. Scientia vero approbationis adæquate sumpta importat tum actum sciendi divini intellectus, tum etiam actum intentionis et electionis, necnon usus, quo voluntas divina applicat eamdem scientiam per modum potentiæ executricis ad opus : ita tamen ut hi actus voluntatis sint connotata prædictæ scientiæ : cumque prædestinatio præcedat actum usus, non poterit non præcedere eamdem scientiam approbationis adæquate sumptam.

Cæterum si scientia approbationis inadæquate sumatur, prout præcise importat actum sciendi divini intellectus, ut connotantem duos illos priores actus voluntatis, sive virtualiter, sive solum ex parte nostri modi concipiendi distinctos, nempe actum intentionis et electionis, tunc prædestinatio erit prior scientia approbationis in genere quasi causæ formalis extrinsecæ, seu in genere objecti prius visi, necnon et in genere quasi causæ finalis. In genere quidem quasi causæ formalis extrinsecæ, seu objecti prius visi, quatenus loquendo de aliqua attingentia inadæquata, qua scientia ista attingit futura, quæ sunt effectus prædestinationis, attingit etiam illos in ipsa prædestinatione, seu in imperio, in quo consistit, tanquam in objecto prius viso. In genere vero quasi causæ finalis, quatenus scientia ista tendit ad prædestinationem, ut ad rationem quodammodo finalem, et prædestinatio ipsa habet quodammodo esse rationem finalem ejus, ex eo quod prædicta scientia, modo jam dicto sumpta, est connotatum ejus antecedens, et ad eam quasi ordinatur. Cæterum non est prior quam prædicta scientia sic inadæquate sumpta per prioritatem in omni genere; ac proinde etiam ordine executionis et in genere quasi causæ materialis; quin potius prædicta scientia est hoc modo prior prædestinatione, quatenus ordine quasi executionis prius intelligitur existere in Deo

scientia approbationis inadæquate sumpta, quam ipsa prædestinatio, et habet se per modum quasi causæ materialis respectu illius, prout quasi concurrit per modum connotati, et veluti dispositive, ad hoc ut detur prædestinatio.

Diximus, loquendo de aliqua attingentia inadæquata, qua scientia ista attingit futura in ipso imperio prædestinationis ut in objecto prius viso : quia scientia approbationis est etiam causa directiva in ordine ad productionem rerum. Et ita si consideremus illam attingentiam, qua in se ipsa ut in objecto prius cognito cognoscit res futuras, non considerando, an etiam attingat eas in ipsa prædestinatione, vel in ejus connotatis ut connotata illius sunt, sed præcise in se ipsa et in suis connotatis ut connotata sua sunt, tunc prædestinatio non intelligitur esse prior prædicta scientia, quatenus hæc scientia non utcumque inadæquate concipitur; sed ita inadæquate, ut non concipiatur quasi tendens, et veluti ordinata ad prædestinationem ut ad rationem aliquo modo finalem.

159. Duplex alia objectio. D. Thom.

Ex quo etiam solutæ manent duæ objectiones, quæ a quodam ex junioribus adducuntur. Prima est, quod secundum D. Thom. de Veritate, q. 6 art. 1 ad 4 et in 1 dist. 40 q. 1 art. 2 prædestinatio aliquid addit supra præscientiam : sed quod habet se ex additione ad aliud est posterius illo, Aristot. ut ostendit Arist. in Postprædicamentis c. 2 : ergo prædestinatio non supponitur ad præscientiam, etiamsi sit præscientia approbationis : siquidem adhuc supra istam prædestinatio aliquid addit. Secunda est, quod si prædestinationi supponitur præscientia, inde fieret, quod Deus prædestinaret hominem, quem scit et non scit esse futurum, sed tantummodo possibilem, et per media quæ sciuntur et non sciuntur esse futura, sed possibilia : hoc autem est absurdum : ergo, etc. Sequela probatur. Quia ex quo capite homo ille scitur in eo priori per scientiam approbationis, quæ terminatur ad futura, scitur ut futurus : et ex quo capite nondum in illo priori intelligitur prædestinatio, non scitur esse futurus : siquidem ex vi prædestinationis debet esse futurus, ex eo quod est effectus illius, quod idem cum proportione de mediis requisitis dici debet.

Ad primam ex his objectionibus.

Ex dictis igitur utraque objectio manet soluta. Prima quidem distinguendo minorem : illud quod addit aliquid super aliud, est posterius eo secundum quid, et nostro imperfecto modo concipiendi, transeat minor : est posterius illo simpliciter, nego minorem. Nam ens infinitum addit aliquid supra ens, et non est simpliciter posterius illo : et totum addit aliquid supra suam formam, et tamen simpliciter est prior illa, licet secundum quid nostro imperfecto modo intelligendi, et in genere causæ materialis sit posterior illa. Eodem igitur modo licet nos prius concipiamus præscientiam, quam prædestinationem, non sequitur illam esse simpliciter priorem, sed solum secundum quid. Ratio autem propter quam prædestinatio est simpliciter prior, quam scientia approbationis adhuc inadæquate concepta, patet ex dictis : siquidem prædestinatio est prior scientia approbationis modo dicto sumpta, prioritate quasi in genere causæ finalis, et eo modo, quo aliquod quasi totum coalescens ex pluribus, sive in recto, sive in obliquo importatis, est prius illis, quæ ad ejus quasi constitutionem concurrunt : at scientia approbationis secundum prædictam considerationem accepta, est prior prædestinatione ordine executionis, et insuper quasi in genere causæ materialis. Tum quia veluti disponit per modum prævii requisiti ad hoc ut detur prædestinatio. Tum etiam : quia prædestinatio coalescit ex prædicta scientia tanquam ex connotato, et ex aliis, quæ in recto dicit : et id quod habet veluti componere aliquod totum, aut quasi totum, comparatur quodam modo cum illo in genere quasi causæ materialis.

160. Ad secundam.

Secunda vero objectio etiam ex dictis corruit, negando sequelam. Quia cum præscientia ista sit approbationis; et hæc adhuc inadæquate concepta, sit causa inadæquata futuritionis rerum, fit inde, ut hoc ipso quod præsupponatur ad prædestinationem, non præsciatur homo præcise ut possibilis, sed ut saltim inadæquate futurus : siquidem res, quæ cadit sub prædestinatione, incipit esse futura per decretum intentionis efficacis, ac proinde per scientiam approbationis, prædictum decretum connotantem, quamvis habeat esse ultimate futuram per ipsam prædestinationem.

Additamentum

Quibus etiam addi potest, quod adhuc loquendo de re, quæ cadit sub prædestinatione, secundum quod ratione illius est futura, non sequitur ex eo quod præscientia præcedat prædestinationem, Deum prædestinare hominem, quem absolute, et simpliciter non scit esse futurum futuritione adæquata. Quia prædestinatio semper versatur

satur respectu rei, quæ in eodem instanti durationis et rationis, in quo prædestinatur, est futura; licet non sciatur esse futura, nisi dependenter a prædestinatione : ac proinde posterioritate naturæ, aut quasi naturæ, correspondente præcise prioritati *a quo*, non vero prioritati *in quo* adhuc secundum rationem : quandoquidem non stat, quod in aliquo signo *in quo* detur prædestinatio, et quod non inferat efficaciter futuritionem adæquatam, et ultimatam ejus rei, quæ sub eadem prædestinatione cadit : nec quod res sit in aliquo signo adæquate et ultimate futura, et quod in eodem non sciatur a Deo ut habens prædictam futuritionem.

61. Ad quartam objectionem principalem supra positam respondetur negando antecedens. Nam sicut nomine differentiæ materialiter sumptæ, potest intelligi tota species, ita etiam nomine ipsius speciei potest intelligi ipsa ratio differentialis. Quemadmodum idem nomen solet deservire tum ad significandam rationem genericam, tum etiam ad significandam aliquam speciem sub ea contentam, ut patet in divisione, qua dividitur alteratio in communi in intensionem, remissionem, et alterationem, ut bene explicant nostri Complut. lib. 1 de Generatione disp. 4 num. 15. Nec refert quod ibidem dicitur, scilicet quod aliquod peculiare nomen significans ipsam speciem, ut *homo* non sumatur ad significandam etiam solam rationem differentialem cum præcisione sumptam. Quia hoc provenit ex abundantia nominum, quam ad significandam speciem hominis, et ejus rationem differentialem, habemus : cum tamen quoad præsens, hæc non adsit, ut consideranti patebit.

62. Ad ultimam respondetur, D. Thomam in illis testimoniis loqui de providentia non qua ratione est providentia generalis, sed secundum quod est providentia specialis, sive ordinis naturalis, sive supernaturalis, aut hypostatici.

Ad rationem vero, quæ ibidem adducitur respondetur concedendo majorem, et distinguendo minorem : *Quod habeat infinitam efficaciam ad inferendam infallibiliter consecutionem finis*, ex parte actus divinæ providentiæ, et terminationis ejus, neganda est : ex parte actus, non vero ex parte terminationis, quoties id ratio divinæ sapientiæ postulaverit, concedenda est.

Explicatur hoc. Etenim licet ratio divinæ providentiæ consistat formaliter in ordinatione mediorum ad finem, quia tamen connotat actum voluntatis intentionis, et electionis, et hic aliquando est efficax, aliquando inefficax, seu (quod in idem quoad præsens tamen redit) aliquando est absolutus, aliquando conditionatus, propterea providentia aliquando est efficax, aliquando vero inefficax : non quidem quoad hoc, quod, modo alibi tangendo, provideat de mediis sufficientibus in ordine ad obtinendum finem, sed quoad hoc quod provideat de mediis efficacibus infallibiliter inferentibus eumdem finem, quia intentio, et electio illa tantum sunt inefficaces hoc posteriori modo, non vero illo priori : et cum prædicta providentia est hoc modo inefficax, non ideo est talis, quia tam ex parte actus, quam ex parte terminationis sit inefficax; sed quia licet actus ille sit infinite efficax, ita ut non sit necessarium ut ei aliquid intrinsecum addatur, per quod fiat efficacior; nihilominus solum dicitur inefficax ex parte terminationis, quia non terminatur efficaciter ad inferendam infallibiliter consecutionem finis : hoc autem non arguit in illo actu divinæ providentiæ imperfectionem, aut defectum efficacitatis, sed summam eminentiam illius, qui cum ex parte sua habeat infinitam efficacitatem; nihilominus potest non terminari efficaciter ad consecutionem finis : ex eo quod ratio divinæ sapientiæ multoties dictat ut aliquæ creaturæ sæpe permittantur deficere à consecutione sui finis.

163. Ad confirmationem. Ex quo etiam ad confirmationem ibidem adductam respondetur, esse disparem rationem in humanis et in divinis. Nam nostra voluntas inefficax habet esse imperfectam, et inefficacem tam ex parte actus quam ex parte terminationis. Quia quod sit imperfecta, et non habeat efficacitatem oritur ex impotentia vel ipsius facultatis volitivæ, vel ex volitione illa, quæ inefficax dicitur. At vero quod voluntas Dei sit aliquando inefficax, non vero efficax, seu sit conditionata, non vero absoluta, non oritur ex parte actus, et terminatione illius; sed solum ex parte terminationis, et tunc ex ordine divinæ sapientiæ : et ita non oritur ex impotentia et imperfectione in ratione volitionis : et per consequens nec providentia illa in ratione providentiæ erit imperfecta.

Additamentum. Accedit, quod ordinatio providentiæ nostræ ideo multoties non pervenit ad executionem finis, quia quamvis volitio illius sit

absoluta, et quantum est de se efficax, tamen media humana sunt inefficacia : at vero Deus habet in sua potestate media efficacia ut providenda ab illo. Quod si aliquando solum adhibet sufficientia, id pertinet ad ordinem divinæ sapientiæ, ut servetur ordo in universo, et in illo reluceant omnes gradus divinarum perfectionum, bonitatis, justitiæ, etc.

ARTICULUS II.

Utrum prædestinatio aliquid ponat in prædestinato ?

1 dist. 40, q. 1 art. 1.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod prædestinatio ponat aliquid in prædestinato. Omnis enim actio ex se passionem infert : si ergo prædestinatio actio est in Deo, oportet quod prædestinatio passio sit in prædestinatis.

* Sup. illud : Qui factus est ei secundum carnem, tom. 3.

2 Præterea, Origenes dicit * super illud Rom. 1 : Qui prædestinatus est, etc. Prædestinatio est ejus qui non est : sed destinatio ejus est qui est, et Aug. dicit in lib. de prædestinatione Sanctorum : Quid est prædestinatio, nisi destinatio alicujus existentis? ergo prædestinatio non est nisi alicujus existentis : et ita ponit aliquid in prædestinato.

† Lib. de dono persever. c. 14 tom. 7.

3 Præterea, præparatio est aliquid in præparato : sed prædestinatio est præparatio beneficiorum Dei, ut dicit Aug. † in lib. de prædestinatione Sanctorum : ergo prædestinatio est aliquid in prædestinatis.

4 Præterea, temporale non ponitur in diffinitione æterni : sed gratia quæ est aliquid temporale, ponitur in diffinitione prædestinationis, nam prædestinatio dicitur esse præparatio gratiæ in præsenti, et gloriæ in futuro : ergo prædestinatio non est aliquid æternum : et ita oportet, quod non sit in Deo, sed in prædestinatis : nam quidquid est in Deo, est æternum.

* Lib. 2 qui est de dono persev. cap. 14 tom. 7.

Sed contra est quod Aug * dicit quod Prædestinatio est præscientia beneficiorum Dei : sed præscientia non est in præscitis, sed in præsciente ; ergo nec prædestinatio est in prædestinatis, sed in prædestinante.

† Art. præced.

Respondeo dicendum, quod prædestinatio non est aliquid in prædestinatis, sed in prædestinante tantum. Dictum † est enim, quod prædestinatio est quædam pars providentiæ. Providentia autem non est in rebus provisis, sed est quædam ratio in intellectu provisoris, ut supra * dictum est. Sed executio providentiæ, quæ gubernatio dicitur, passive quidem est in gubernatis, active autem est in gubernante. Unde manifestum est, quod prædestinatio est quædam ratio ordinis aliquorum in salutem æternam in mente divina existens : executio autem hujus ordinis est passive quidem in prædestinatis, active autem est in Deo. Est autem executio prædestinationis vocatio, et magnificatio, secundum illud Apost. ad Roman. 8 : Quos prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et magnificavit.

* Quæst. 22 art. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod actiones in exteriorem materiam transeuntes, inferunt ex se passionem, ut calefactio, et secatio, non autem actiones in agente manentes, ut sunt intelligere et velle, ut supra † dictum est, et talis actio est prædestinatio. Unde prædestinatio non ponit aliquid in prædestinato : sed executio ejus, quæ transit in exteriores res, ponit in eis aliquem effectum.

† Quæstio 14 art. 4, et 18, art. 3 ad 1.

Ad secundum dicendum, quod destinatio aliquando sumitur pro reali missione alicujus ad aliquem terminum : et sic destinatio non est nisi ejus quod est. Alio modo sumitur destinatio pro missione, quam aliquis mente concipit, secundum quod dicimur destinare, quod mente firmiter proponimus, et hoc secundo modo dicitur 2 Machab. 6 cap. quod Eleazarus destinavit non admittere illicita propter vitæ amorem, et sic destinatio potest esse ejus quod non est, tamen prædestinatio ratione antecessionis quam importat, potest esse ejus quod non est, qualitercunque ejus destinatio sumatur.

Ad tertium dicendum, quod duplex est præparatio. Quædam patientis ut patiatur : et hæc præparatio est in præparato. Quædam alia est agentis ut agat : et hæc est in agente. Et talis præparatio est prædestinatio prout aliquod agens per intellectum dicitur se præparare ad agendum, in quantum præconcipit rationem operis fiendi : et sic Deus ab æterno præparavit prædestinando, concipiens rationem ordinis aliquorum in salutem.

Ad quartum dicendum, quod gratia non ponitur in diffinitione prædestinationis quasi aliquid existens de essentia ejus ; sed in quantum prædestinatio importat respectum ad gratiam, ut causæ ad effectum : et actus ad objectum. Unde non sequitur quod prædestinatio sit aliquid temporale.

Prima conclusio est negativa.

Secunda conclusio : Executio prædestinationis active sumpta, scilicet gubernatio, est in Deo, et nihil ponit in prædestinatis, bene autem passive accepta.

Tertia conclusio : Executio prædestinationis est vocatio, et magnificatio.

DISPUTATIO III.

De prædestinatione quoad ejus subjectum, aut quasi subjectum.

Postquam D. Th. explicuit in art. præcedenti, *an est?* et *quid est?* prædestinationis, jam in hoc art. ad ejus subjectum, aut quasi subjectum, nec non ad illius effectus explicandos accedit, ut ita magis *quod quid est* ejusdem prædestinationis elucescat : siquidem ratio formalis alicujus formæ, aut quasi formæ solet ex subjecto, quod actuat, nec non ex ipsius effectibus colligi : et ideo ad primum ex his explicandum, quod quidem primo loco a D. Thoma. in præsenti intenditur, disputationem hanc excitamus.

DUBIUM UNICUM.

Utrum prædestinatio secundum se sumpta sit tantum in prædestinante? et an executio ipsius active accepta, sit tantum in Deo, passive vero in prædestinato?

Quia dupliciter potest aliqua forma aut quasi forma esse in aliquo, primo per suam entitatem illud inhærenter aut quasi inhærenter, seu intrinsece afficiendo, secundo vero solum per habitudinem sive per extrinsecam denominationem, quo pacto visio corporea est in re visa; non quidem quia secundum suam entitatem intrinsece eam afficiat, sed quia ad illam dicat habitudinem, ipsamque extrinsece denominet, titulus non intelligitur de hoc posteriori modo essendi in aliquo, sed de illo priori. 1.

§ I.

Rationes dubitandi pro parte negativa.

Prima dubitandi ratio eo tendit ut suadeat, prædestinationem tam secundum se, quam ut est activa executio, subjectari Prima dubitandi ratio

in

in prædestinato. Nam in diffinitione prædestinationis ponitur aliquid temporale, nimirum gratia, et beneficia, quibus certissime liberantur quicunque liberantur : ergo prædestinatio tam secundum se, quam quoad ejus executionem sive active, sive passive sumptam, debet esse in prædestinato. Antecedens patet ex diffinitione prædestinationis disput. præcedenti, num. 137 tradita. Consequentia vero probatur. Quia hoc ipso quod aliquid temporale ponatur in diffinitione prædestinationis, non debet esse æterna sed temporalis : siquidem nihil temporale debet pertinere ad diffinitionem rei æternæ : at hoc ipso quod sit temporalis, non potest secundum ullam sui rationem esse subjective in Deo : ergo secundum omnes prædictas rationes debet esse subjective in creatura, nempe in prædestinato.

2. Secunda. Secunda dubitandi ratio ad idem suadendum est. Nam si propter aliquam rationem prædestinatio secundum se considerata, esset in prædestinante, maxime propter rationem D. Thom. in hoc artic. in solutione ad 3, nempe quod prædestinatio est præparatio agentis, et non patientis : sed hæc ratio est nulla : ergo prædestinatio secundum se non erit in prædestinante : ergo neque etiam ut est executio activa. Hæc ultima consequentia ex priori constat. Quoniam executio prædestinationis identificatur cum prædestinatione secundum se sumpta : ergo si hæc non est in prædestinante, neque etiam prædicta executio erit in illo. Prior vero consequentia ex utraque præmissa satis liquet.

Minor autem, in qua est difficultas, probatur. Quoniam præparatio agentis ad agendum est in materia, quam præparat in ordine ad suam actionem, ut patet in artifice, qui non præparatur ad construendam domum, nisi quando congregat materiam, scilicet ligna, et lapides, ad constructionem illius : et etiam in eo, qui se præparat ad bellum, qui tunc præparari dicitur ex parte agentis, quando assumit arma, et induit se instrumentis bellicis : ergo præparatio, qua se prædestinans præparat ad agendum, non erit in prædestinante, sed in materia, quam præparat, scilicet in ipso prædestinato : siquidem ipse ut dispositus per dona supernaturalia, est materia, quæ præparatur in ordine ad assecutionem vitæ æternæ. Major vero ex iis, quæ pro prima assertione a n. 8 dicemus, constabit.

3. Tertia. Tertia dubitandi ratio ad idem suadendum est. Quoniam ex vi prædestinationis causantur in prædestinatis in tempore plures, et diversi effectus : ergo prædestinatio tam secundum se, quam ut est executio activa ejus, quod per prædestinationem ordinatur, subjectatur in ipsis prædestinatis. Antecedens probatur. Nam cum prædestinatio sit imprium efficax divini intellectus, oportet ut in tempore ex vi illius executioni mandentur ea, quæ per prædictum imperium dictantur. Consequentia vero etiam liquet. Quoniam prædestinatio secundum se identificatur, ut nuper dicebamus, cum executione activa ejusdem prædestinationis : et executio activa ibi etiam recipitur ubi est suus effectus executus : quia etiam identificatur cum executione passiva, et hæc cum effectu executo, ex eo quod actio, passio, et motus sunt eadem entitas modalis, et omnia ista identificantur cum effectu, et termino executo, et per illas producto.

4. Quarta. Arist. Quarta dubitandi ratio hoc ipsum suadens est. Quod secundum Philosophum in 3 Physic. actio transiens est in passo, et non in agente, ut optime ostendunt nostri Complutenses in lib. Physic. disp. 17 n. 31, Complut. sed executio activa prædestinationis est actio transiens in externam materiam : ergo non subjectatur in prædestinante, sed in prædestinato, qui se habet per modum passi : ergo idem etiam de prædestinatione secundum se sumpta dicendum erit. Hæc secunda consequentia ex priori, et ex nuper dictis satis constat. Prima vero ex utraque præmissa. Minor autem videtur esse D. Thom. in præsenti in solutione ad 1 ubi inquit, quod executio prædestinationis transit in exteriores res, ponitque in eis aliquem effectum.

Confirmatur. Confirmatur. Nam vocatio, justificatio, et glorificatio prout a Deo proveniunt, sunt activa executio Dei ut prædestinantis : sed sic consideratæ, sunt in prædestinatis : ergo executio activa Dei formaliter sumpti in ratione prædestinantis, est in ipsis prædestinatis. Major probatur. Nam juxta ea, quæ communiter dicunt Philosophi, nihil aliud est motio, seu executio agentis, quam ipse motus prout est ab agente, ut patet in calefactione, quæ prout est in passo, est passio, et prout egreditur ab agente est actio : ergo etiam vocatio, justificatio, et glorificatio prout sunt in prædestinatis, habent rationem executionis passivæ, et prout emanant a Deo, erunt ipsa executio activa. Minor autem suadetur. Quia adhuc dum sunt in prædestinato, sunt a Deo : ergo consideratæ ut in prædestinato habent esse

a Deo, erunt executio activa prædestinationis.

5. Quinta dubitandi ratio ad idem est. Quoniam si executio activa prædestinationis esset in Deo, tunc Deus ab æterno exequeretur effectus ejusdem prædestinationis : hoc autem dici nequit, ut ex se constat : ergo nec prædicta executio, nec prædestinatio secundum se considerata, erit in Deo. Sequela probatur. Quoniam hoc ipso quod illa executio active sumpta, sit in Deo, debet esse in illo ab æterno secundum omnem actualitatem, quæ requiritur ad hoc ut actu causet, et exequatur prædictos effectus, non vero cum sola actualitate, quæ desideratur ad hoc ut possit illos causare, quæque proinde non est actualis eorum causalitas. Nam hæc actualitas admixta prædictæ potentialitati, et non pertingens ad hanc ultimam actualitatem, dicit intrinsecam imperfectionem : ergo necesse est ut ab æterno causet effectus prædestinationis : quandoquidem sicut causæ ab æterno habenti actualitatem potentialem virtutis præcise activæ, correspondet ab æterno effectus productibilis, ita causæ ab æterno habenti actualitatem causalitatis respectu sui effectus, debet correspondere suus effectus ab æterno productus, et executus.

Confirmatur. Nam vel illa actualitas executionis activæ divinæ prædestinationis, quæ ab æterno ponitur in Deo, est ultimo constituta, non solum ut possit exequi, sed ut de facto exequatur per causalitatem sibi propriam, effectus prædestinationis, vel non? si primum, ergo ab æterno influet, et exequetur prædictos effectus. Si secundum, ergo aliquid reale deficit illi, per quod constituatur; ac proinde erit non in actu, sed in potentia respectu illius; quod est impossibile, et contra summam actualitatem divini *esse*.

6. Solutio. Nec refert si dicas, esse quantum est ex se ultimo constitutam ad hoc ut de facto influat, et exequatur modo sibi proprio prædictos effectus; et nihilominus non ab æterno illos exequi ex defectu cujusdam connotati indispensabiliter requisiti, nempe ex defectu mutationis ex parte effectus.

Infringitur. Non itaque hoc refert, quandoquidem hoc ipsum est quod intendimus, nimirum quod si ab æterno est ultimo constituta in ratione actualiter operantis, quod etiam ab æterno correspondeat mutatio ex parte effectus : et si ab æterno non correspondet illi talis mutatio, quod ab æterno non sit ultimo constituta ex parte sua propter dicta. Quia sicut virtuti solum constitutæ ad hoc ut possit agere, debet in eodem instanti correspondere effectus in potentia, et mutatio possibilis ex parte ejusdem effectus, ita etiam virtuti ab æterno ultimo constitutæ ad hoc ut actu agat, debet ab æterno correspondere effectus actu executus, et mutatio actualis respectu illius.

7. Ultima dubitandi ratio. Ultima dubitandi ratio ad suadendum, executionem prædestinationis passive sumptam, non esse in prædestinato, si semel executio ejusdem prædestinationis active accepta, non est in illo, sic se habet. Quia actio, et passio realiter identificantur, ac proinde ubi fuerit executio prædestinationis active sumpta, ibi etiam erit eademmet ut passive accepta.

Additamentum. Accedit quod executio activa prædestinationis non infert aliquam passionem : quia eam inferre est proprium actionis cum motu, et per consequens actionis prædicamentalis, ut constat ex iis, quæ nostri Complutenses in sua Logica cap. de Actione et passione docent : cum tamen executio activa prædestinationis non sit actio de prædicamento actionis, alioqui active considerata non posset esse in Deo : ergo male dicitur, executionem prædestinationis passive sumptam, esse in prædestinato : siquidem ad hoc desiderabatur ut re vera esset assignabilis prædestinationi aliqua executio passive accepta. Complut.

§ II.

Statuitur ex mente D. Thomæ prædestinationem secundum se consideratam, tantum esse in prædestinante.

8. Prima conclusio. Dicendum tamen est primo, prædestinationem secundum se, et formaliter consideratam, seu secundum suum præcisum significatum acceptam, non ponere aliquid in prædestinato, sed tantum in prædestinante. Ita D. Thom. in præsenti his verbis : D. Thom. *Dicendum quod prædestinatio non est aliquid in prædestinatis, sed in prædestinante tantum.* Et in solutione ad 3 sic inquiens : *Duplex est præparatio. Quædam patientis, ut patiatur : et hæc præparatio est in præparato. Quædam alia est agentis, ut agat : et hæc est in agente, et talis præparatio est prædestinatio, prout aliquod agens per intellectum dicitur se præparare ad agendum, in quantum præconcipit rationem operis fiendi. Et sic Deus ab æterno se præparavit prædestinando, concipiens rationem ordinis aliquorum*

rum in salutem. Et in 1 dist. 40 q. 1 art. 1 : *Dicendum, quod ponere aliquid in alio, potest intelligi dupliciter. Aut, quod ipsum significatum per nomen in aliquo esse dicatur, sicut albedo ponit aliquid in albo, et sic dico quod prædestinatio non ponit aliquid in prædestinato, sed in prædestinante tantum.* Unde sanctum Doctorem communiter sequuntur ejus discipuli, et ita ab eis sigillatim referendis abstinemus. Quod etiam omnes vel fere omnes Theologi fatentur, et propter eamdem rationem eos in particulari non adducimus.

tatio
inda-
ntalis
sertio-
nis.
Thom.
ugust.

Primam et fundamentalem hujus assertionis rationem adduxit D. Thom. loco citato ex 1 sentent. et in hoc art. in argumento *sed contra.* Eamque desumpsit ex Aug. lib. 2 de Dono perseverantiæ, his verbis : *Sed contra est, quod Aug. dicit, quod prædestinatio est præscientia beneficiorum Dei, sed præscientia non est in præscitis, sed in præsciente : ergo nec prædestinatio est in prædestinatis, sed in prædestinante.*

9.
onfir-
matur
et
xplica-
tur.

Confirmatur, et explicatur hæc ratio. Quoniam ad rationem cognitionis quatenus talis, et ut secundum istam rationem significatur, seu secundum quod non est actualis executio rei cognitæ, petitur quod tam active, quam passive maneat in eliciente illam, quamvis possit extrinsece denominare externam materiam : et propterea visio corporea licet parietem denominet extrinsece visum ; nihilominus tam active, quam passive considerata, manet intrinsece in visu : at prædestinatio ut talis dicit hoc modo peculiarem actum divinæ cognitionis quatenus talis, et secundum istam rationem significatur, ideoque nomine præscientiæ, prædictum actum quatenus talem denotantis, insignitur : ergo prædestinatio tantum manebit in ipso prædestinante, licet extrinsece denominet externam materiam, nempe prædestinatum.

10.
Tu-
am.

Nec refert si occurras, quod licet prædestinatio dicat peculiarem actum divinæ cognitionis quatenus talem, qui quidem est formaliter immanens ; nihilominus quia est virtualiter transiens in externam materiam, ex eo quod causat in illa suos effectus, propterea non potest non, saltim passive considerata, esse in passo, nimirum in prædestinato : sicut propter hanc rationem executio prædestinationis, quæ gubernatio dicitur, non potest non passive considerata, esse in ipso prædestinato, ut ex D. Thom. in secunda assertione dicemus.

æ-
itur.

Non itaque hoc refert, nec ad hanc solutionem impugnandam, necesse erit aliquid aliud addere præterquam tantisper expendere vim rationis D. Thom. notando tamen prius, quod prædestinatio, quatenus distincta virtualiter a potentia executiva Dei, tria munera inadæquata exercet. Primam quidem, quod sit actus peculiaris quasi contrahens divinam cognitionem, ut est actus formaliter immanens in Deo. Secundum vero, quod habeat quasi contrahere eamdem divinam cognitionem, quatenus ratione suæ eminentiæ est virtualiter transiens in creaturas, causando in illis, sive dirigendo, sive exequendo aliquos effectus, ita tamen ut prædestinatio, secundum hoc munus præcisum, non dicat se ipsam ut actu, et in exercitio, ac intra propriam lineam causat in tempore suos effectus ponendo illos ad extra ; sed dicat se ipsam ut est actu efficax ad tribuendum intra suam lineam illis, quod sint futuri, nam (ut supra dicebamus) effectus prædestinationis habent esse futuri ratione illius. Tertium vero, quod simul habeat actu, et in exercitio causare in suo proprio genere, et linea, scilicet in genere causæ directivæ et ordinativæ, proprios effectus ponendo illos in tempore ad extra, idest, non solum habeat omnem actualitatem requisitam ex parte Dei, et ab æterno in illo existentem, ad hoc ut actu, et in exercitio causet, nec solum tribuat eis actu quod sint futuri ; sed etiam actualiter, et in tempore terminetur ad executionem prædictorum effectuum. At ut identificatur cum potentia executiva Dei habet insuper aliud munus, nimirum exequi per modum causæ efficientis, et exequentis, et non solum per modum causæ directivæ, et ordinativæ, prædictos effectus.

Notabile pro expensione rationis D.Thom.

11.

Unde prædestinatio secundum primum illud munus significata, non potest non esse tantummodo in prædestinante. Quia cognitio quatenus talis, et ut præscindit a munere actionis virtualiter transeuntis, non potest alibi esse præterquam in cognoscente. At quatenus exercet secundum munus, debet etiam esse tantummodo in ipso prædestinante. Nam quod divina cognitio habeat virtualiter transire in creaturas, non quidem ut actu, et in exercitio, ac intra suam lineam ponit illas in tempore ad extra, sed ut præcise tribuit eis denominationem futurarum, nihil ponit in ipsis creaturis, sed tantum extrinsecam denominationem futurarum. Et ideo prædestinatio secundum hoc munus inadæquatum, et

cum præcisione sumptum, non habet sive active sive passive considerata, ponere aliquid intrinsecum, de quo in præsenti loquimur, in externo passo, scilicet in prædestinato; sed tantum extrinsecam illam denominationem jam dictam.

Cæterum si sumatur eadem prædestinatio ut est quasi ultimate virtualiter transiens in actu secundo, idest, tam ex parte actualitatis omnimodæ requisitæ ex parte Dei, et ab æterno in illo intrinsece existentis, necnon, et terminationis, quæ tribuit rebus sub ea cadentibus, quod sint futuræ, quam ut actu, et in tempore infert, ac connotat mutationem in creatura, ponitque eam in tempore ad extra, tunc secundum istam rationem passive consideratam, est aliquid in eadem creatura : sicut etiam, ut identificatur cum potentia executiva Dei, et ejus actu, exequente in tempore id, quod per prædestinationem ab æterno ordinatum est, non potest non passive considerata, esse in ipso prædestinato, ut in secunda assertione dicemus.

12. Expenditur ratio D.Thom.

Hinc ergo vis rationis D. Thom. sic expenditur. Quoniam prædestinatio ut hoc nomine significatur, denotat ipsam prædestinationem ut exercet primum, et secundum munus, non vero ut exercet duo alia posteriora munera : ergo sive active, sive passive sumatur, nequit ut hoc nomine significatur, ponere aliquid intrinsecum in prædestinato, sed tantum in prædestinante : ita ut prædestinatum ipsum, solummodo extrinsece denominet, sicut visio corporea v. g. extrinsece denominat parietem visum.

Antecedens probatur primo.

Consequentia videtur perspicua ex notabili posito. Antecedens autem probatur. Tum quia prædestinatio secundum quod exercet duo illa posteriora munera, non denotat ipsam prædestinationem secundum se sumptam, et ut hoc nomine, et sub hoc conceptu expresso exprimitur; sed ipsam executionem ejusdem prædestinationis, sive illa executio, et actualis terminatio prædestinationis ad suos effectus, consideretur ut actu, et in executione procedit ab ea in genere causæ directivæ, et ordinativæ, sive in genere causæ efficientis physicæ ratione identificationis, qua cum potentia executiva Dei, et ejus actu identificatur : et ideo sic considerata significatur nomine gubernationis, sive executionis, non vero nomine prædestinationis : ergo prædestinatio secundum se sumpta, et ut distincta ab actuali executione ejusdem prædestinationis, tantum denotabit sub isto conceptu, et significatione se ipsam ut exercet duo illa priora munera.

13. Secundo.

Tum etiam : quia propterea prædestinatio secundum se sumpta, tribuit Deo ab æterno denominationem intrinsecam prædestinantis : et creaturæ, denominationem extrinsecam prædestinatæ : quia secundum se sumpta, et non qualitercumque, sed ut hoc nomine significata, tantum denotat illa munera, quæ non inferunt actualem, et temporalem mutationem in creatura, sed ad summum futuram : alioqui enim non posset ab æterno denominare Deum prædestinantem, et creaturam prædestinatam : sicut quia executio prædestinationis, ut sub hoc conceptu exprimitur, infert, et denotat actualem mutationem intrinsecam ex parte creaturæ, et non solum mutationem futuram, propterea non potest tribuere Deo ab æterno denominationem exequentis, nec creaturæ prædestinatæ, aut effectibus prædestinationis, denominationem actu, et ab æterno executorum : ergo prædestinatio sub hoc conceptu tantum denotabit eamdem prædestinationem secundum duo illa priora munera; quippe quæ tantum secundum ista dicit in Deo illud *esse* proprium prædestinationis, quod non infert actualem mutationem in creatura, sed tantum futuram.

Tertio.

Tum deinde (id quod ex præcedenti sequitur) quia prædestinati denominatio non convenit prædestinato secundum *esse* quod in se habet; sicut nec denominatio sciti convenit ei nisi secundum *esse* quod habet in sciente, et propterea (ut modo dicebamus) talis denominatio est æterna. Hoc autem satis indicat, prædestinationem, et denominationem prædestinati non denotare prædestinationem ipsam secundum duo posteriora munera, sed secundum duo priora, quæ sunt ab æterno, et dicunt aliquid intrinsecum, quod præcise est in Deo. Tum denique propter illa quæ in sequenti ratione adjiciemus.

Ultim.

14.

Per quæ satis constat ad id, quod de executione prædestinationis activæ objiciebatur : et quale inter utramque, necnon, et creationem, quæ etiam est executio activa prædestinationis, ut disput. 5 num. 11 dicemus, discrimen intercedat.

Confirmantur hucusque dicta D.Tho

Quod quidem discrimen necnon, et plura ex his, quæ in hac ratione diximus, non obscure docuit D. Thom. in 1 dist. 40 q. 1 art. 1 in solutione ad 1. Ubi ut explicaret, quænam actiones ponant aliquid in externo passo, et quomodo prædestinatio ut nomine isto significata, et ut sub hoc præ-

cisa

ciso conceptu concipitur, nihil intrinsecum ponat in prædestinato, sic inquit :

D Thom. *Quædam vero sunt actiones, quæ in exteriorem materiam non transeunt, ut effectum aliquem circa ipsam producant, ut patet in visione, quæ cum sit actio videntis, nullum effectum in re visa efficit : et tales actiones, quæ proprie operationes dicuntur, in ipsis operantibus tantum sunt. Unde, et non potest fieri conversio passionis ad actionem acceptam a re exteriori secundum quod in se est ; sed solum secundum quod in operante est : etsi enim oculus videt lapidem, lapis tamen non videtur, nisi secundum quod est in oculo per sui similitudinem. Secundum hoc ergo dico, quod creatio est talis actio, quæ effectum exteriorem relinquit. Unde oportet, passive sumptam creationem aliquid in re creata esse, sicut calefactionem in calefacto. Prædestinatio vero cum nominet operationem voluntatis, et intellectus existentem solum in ipso operante, sicut visio in vidente, et speculatio in speculante, si passive accipiatur, non erit aliquid in prædestinato secundum quod in se consideratur, sed solum secundum quod in prædestinante est secundum suam similitudinem, per quam ibi cognoscitur, sicut et scitum in sciente. Ex quo etiam patet, quod prædestinatus non nominatur per aliquam passionem in ipso existentem, sed per operationem ipsius prædestinantis, sicut et res denominatur visa per operationem videntis.* Ubi (ut id obiter dicamus) advertendum

).Thom. est, quod dum D. Thom. inquit, creationem passive acceptam esse aliquid in re creata, sicut calefactionem in calefacto, non denotat omnimodam similitudinem,

Complut. sed aliqualem juxta ea, quæ nostri Complut. in lib. Physic. dist. 17 quæst. 5 docent : hoc autem ex statim ex eodem Angelico Doctore dicendis, magis patebit.

15. Secunda fundamentalis ratio pro assertione.).Thom. Secundam, et fundamentalem rationem hujus assertionis adduxit D. Thom. in corpore hujus artic. verbis istis : *Dictum est enim quod prædestinatio est quædam pars providentiæ. Providentia autem non est in rebus provisis, ut supra dictum est. Unde manifestum est, quod prædestinatio est quædam ratio ordinis aliquorum in salutem æternam in mente divina existens.*

Confirmatur. Confirmatur ratione, ex variis locis D. Thom. statim referendis desumpta. Quoniam divina prædestinatio si consideretur præcise secundum ea, quæ habet intra propriam lineam inadæquate consideratam, secundum quam sic sumptam, et non aliter nomine prædestinationis significatur, seu ut pertingit usque ad secundum illud munus inclusive, de quo in præcedenti ratione num. 10 loquebamur, non est efficax per modum causæ physice efficientis, sicut potentia executiva ; sed per modum causæ moralis, seu per modum causæ directivæ et ordinativæ : ergo si secundum se consideretur, et ut sub hoc præciso conceptu prædestinationis stat, non erit sive active, sive passive in prædestinato, sed tantum in prædestinante.

16. Probatio antecedentis. D.Thom. Antecedens probatur variis testimoniis D. Thom. Nam in primis de Verit. q. 5 art. 1 ad 9 ait, potentiam Dei esse executivam effectuum providentiæ : et ita etiam erit executiva effectuum prædestinationis, quæ est pars providentiæ : et per consequens prædestinatio non erit causa efficiens physica, seu potentia executiva illorum, sed ejus executio distincta aliquo modo ab eadem prædestinatione erit, et prædestinatio solum exequetur eos in genere causæ moralis. Et similiter ibidem inquit, quod actus potentiæ Dei supponit actum providentiæ, atque adeo actum prædestinationis, ut nuper dicebamus ; et q. 6 de Verit. artic. 1 ad 15 inquit, quod respectus, quem importat providentia ad suos effectus, magis congruit cum respectu, quem dicit scientia ut dirigens, quam cum respectu quem dicit potentia. Si autem prædestinatio esset causa physice, et modo dicto efficiens respectu suorum effectuum, non vero causa solummodo moralis, tunc respectus, quem diceret ad illos, magis congrueret cum respectu potentiæ executivæ Dei, quam cum respectu scientiæ dirigentis ut præcise dirigentis : secundum quam rationem in hoc testimonio D. Thomas de illa loquitur. Et tandem in 1 dist. 40 q. 1 art. 2 ad 3 docet, quod præparatio, quæ ponitur in diffinitione prædestinationis, non est secundum executionem ad opus. Et deinde idem antecedens suadetur ex iis, quæ in tract. de Scientia Dei disp. 5 n. 72 asseruimus.

Probatio consequentiæ. Consequentia vero probatur. Quoniam causa moralis ordinativa, et directiva potest actualiter ordinare, et præscribere de mediis ordinatis ad consecutionem alicujus finis, quin eo ipso actu executioni mandetur prædictus finis per illa media ; sed ad summum requiritur, quod ista habeant rationem futurorum, quoties ista ordinatio est efficax : ergo talis ordinatio ut sub hoc conceptu, et præcisione considerata, nec active, nec passive erit in re, circa quam

versatur, neque in mediis ipsis ordinatis; sed solum in ordinante : alioqui non posset esse illa actualis ordinatio, quin sequeretur ab æterno aliqua realis, et intrinseca passio extra ordinantem : et per consequens, quin ab æterno executioni mandaretur id, quod ipse ab æterno ordinat : ergo hoc ipso quod prædestinatio tantum sit causa moralis suorum effectuum, dirigens, et ordinans media in suos fines, non erit adhuc passive in prædestinato, sed in prædestinante, si ut est sub prædicto conceptu, et præcisione consideretur.

17. Unde licet prædestinatio sub conceptu prædestinationis, et ut distincta ab executione, quæ ei, tam in sua linea, quam ut identificatæ cum potentia executiva Dei convenit, sit efficax; nihilominus quia est efficax hoc modo, propterea potest esse actualis prædestinatio Dei ab æterno respectu alicujus, ut nuper dicebamus, et ipse denominari prædestinatus, quin sequatur aliqua mutatio intrinseca ex parte ejus, et quin prædestinatio ipsa passive sumpta, et ut sub prædicto conceptu stat, sit intrinsece in prædestinato : et propterea in ratione facta, ex eo quod prædestinatio sit ratio ordinis aliquorum in finem, colligit sanctus Doctor, eam esse in mente divina.

Animad-versio. Diximus : *Ut distincta ab executione, quæ ei tam in sua linea quam ut identificatæ cum potentia executiva Dei convenit*, ut in memoriam recoleremus (quia hoc ad plura argumenta contra nostram assertionem dissolvenda apprime conducit) id quod in hoc dub. supra ratione prima, num. 10 dicebamus, scilicet esse distinguendam in prædestinatione efficaciam, quam habet, ut stat sub hoc conceptu, tribuitque rebus sub illa cadentibus denominationem futurarum : et ut stat sub conceptu executionis activæ moralis, et in actu secundo, quæ ei correspondet intra suam lineam adæquate conceptam, et ut stat sub conceptu executionis activæ, quæ ei competit propter identificationem cum potentia executiva Dei, et ejus actu, et quomodo secundum illam priorem sit tantum in prædestinante, et secundum has posteriores sit passive, et in tempore in prædestinato, ut sequenti assertione dicemus.

Objectio Suarez. Nec necesse erit referre, et denuo refellere objectionem, quam Suarez lib. 3 de Prædestinatione cap. 1 contra hanc ratio-

D.Thom. nem, et confirmationem D. Thomæ proponit, nempe quod prædestinatio est causa extrinseca suorum effectuum : at non est finalis : ergo erit efficiens physica.

Ad hoc enim satis ex dictis constat. Nam causa moralis directiva, est causa extrinseca, et distincta ab efficienti physica, seu physice executiva, et a finali. Unde prædestinatio poterit esse causa extrinseca moralis, et directiva, quamvis non sit causa efficiens physica, seu physice exequens. Enoda tio.

§ III.

Stabilitur ex mente Angelici Doctoris executionem prædestinationis active sumptam, solum esse in prædestinante, passive vero in prædestinato.

Dicendum est secundo, executionem prædestinationis active acceptam, esse tantum in Deo, passive vero consideratam, esse intrinsece in creaturis, circa quas versatur. Ita divus Thomas in hoc art. his verbis : *Executio providentiæ, quæ gubernatio dicitur, passive quidem est in gubernatis, active autem est in gubernante. Unde manifestum est, quod prædestinatio est quædam ratio ordinis aliquorum in salutem æternam in mente divina existens : executio autem hujus ordinis est, passive quidem in prædestinatis, active autem est in Deo.* Et in 2 dist. 40 q. 1 art. 1. Ubi postquam dixit, quod ponere aliquid in alio potest intelligi dupliciter : aut quod ipsum significatum per nomen, in aliquo esse dicatur : et hoc modo negavit prædestinationem ponere aliquid in prædestinato, sed tantum in prædestinante, statim addidit : *Aut ita, quod ad significatum quod est in uno, sequatur aliquod esse in alio, sicut paternitas ponit aliquid in filio, cum tamen ipsa secundum suum esse in parte tantum sit : sed dicitur ponere aliquid in filio, in quantum, ad paternitatem sequitur, aliquid esse in filio. Sed hoc contingit dupliciter. Vel quia relinquatur illud esse in alio simul, sicut paternitas relinquit filiationem : aut non necessario simul : sed vel prius vel posterius, sicut auditus ponit percussionem sonantem simul, aut prius : et hoc modo dico quod prædestinatio ponit aliquid in prædestinato, quia ad operationem hanc Dei sequitur effectus prædestinationis in esse prædestinato, non semper quandocumque est prædestinatio, sed quandoque, et hic effectus est gratia, et gloria.* 18. Secunda conclusio. D.Thom.

Ubi, ut vides, comparat D. Thom. prædestinationem

destinationem cum auditu, idest, cum auditu in actu secundo, seu actu audiendi : quod sicut actus iste neque active, neque passive est aliquid intrinsecum in percussione sonante, si prædictus actus audiendi formaliter sumatur, licet hoc ipso quod ipse sit, necessario inferatur, quod sit simul aut prius percussio sonans, quæ ponit aliquid in re audita, seu quæ est productio ipsius soni : ita similiter prædestinatio secundum se, et formaliter sumpta, ac quatenus hoc præciso nomine significatur, nihil ponit active, nec passive in prædestinato, quamvis hoc ipso quod ipsa sit, debeat dari executio prædestinationis activa : quæ passive sumpta debet ponere aliquid intrinsecum in prædestinato. Unde sanctum Doctorem communiter sequuntur ejus discipuli contra Molinam, Franciscum Suarez, et alios eorum sequaces, quos refert Nazarius 1 p. q. 45 art. 3 controversia 1. Qui asserunt executionem prædestinationis active sumptam, esse in prædestinatis.

Molina. Suarez. Nazar.

19. Assertio hæc quoad primam partem satis constat ex iis, quæ in tract. de Scientia Dei disp. 5 num. 43 diximus, nimirum potentiam executivam Dei non distingui virtualiter a scientia approbationis adæquate sumpta secundum omnia, quæ intra suam lineam includit : nec actualem executionem ejusdem potentiæ active sumptam, distingui ab eadem scientia, ut in eodem tract. 8 disp. num. 73 asseruimus : ex eo quod prædicta potentia, sicut et quodlibet aliud attributum operativum, debet esse infinita intra suam lineam, et consequenter esse actus purus identificans sibi ipsam ultimam actualitatem, et operationem prædictæ lineæ.

Ratio pro sser- ione uoad imam rtem. mplut. Thom.

Et deinde suadetur ex iis, quæ nostri Complut. in libr. de Anima disp. 7 num. 29 et deinceps docent : ac tandem ratione desumpta ex D. Thom. infra q. 25 art. 1, prænotando tamen prius id, quod jam innuimus, scilicet duplicem executionem activam seu in genere causæ activæ, aut quasi activæ posse correspondere prædestinationi. Scilicet vel eam, quæ provenit ab ipsa intra propriam lineam, et per modum causæ moralis ordinativæ, vel eam quæ competit illi extra suam lineam in genere causæ physice activæ, ratione identificationis, quam habet cum potentia executiva.

20. oba- io ece- ntis.

Hoc ergo supposito, prædicta sancti Doctoris ratio ad sequentem formam reduci potest. Quoniam utraque executio activa identificatur realiter cum actibus immanentibus divinis, scilicet cum ipsa prædestinatione, et cum scientia approbationis, quæ est potentia executiva Dei : ergo tantum est aliquid intrinsecum in prædestinante, non vero in prædestinato. Consequentia videtur perspicua : siquidem prædicti actus immanentes, cum quibus identificantur, sunt tantum intrinsece in Deo.

Antecedens autem probatur. Quoniam quævis executio activa distincta realiter a virtute executiva, sive talis virtus sit executiva in genere causæ moralis ordinativæ, sive in genere causæ activæ physice, dicit imperfectionem : ex eo quod dicit virtutem executivam, quæ non sit actus purus intra suam lineam, quippe quæ non pertingit se ipsa, absque additione alicujus alterius, vel ultimam actualitatem illius lineæ, seu ad hoc quod sit ultima actualitas ejusdem lineæ : non secus proportione tamen servata, ac intellectus non esset actus purus intra suam lineam, si non pertingeret ad hoc, quod est esse suam intellectionem.

Tum etiam : quia quævis executio activa, distincta realiter a virtute executiva, sive talis virtus sit executiva in genere causæ moralis ordinativæ, sive in genere causæ physicæ ut distinctæ a causa ordinativa, est actualior, quam prædicta virtus : ex eo quod actus secundus realiter distinctus a primo, habet minus de potentialitate, quam actus primus : et propterea iste est in potentia ad actum secundum, et actus secundus comparatur per modum actualitatis ultimæ, aut quasi ultimæ respectu illius : ergo repugnat aliquam executionem Dei active sumptam, non identificari realiter cum actibus immanentibus Dei, et cum virtutibus executivis ejusdem : alioqui daretur aliquid extra ipsum, quod esset actu alius, quam actus immanentes ejusdem Dei, et virtutes executrices illius.

21. Objectio.

Nec refert si contra rationem hanc objicias, actum secundum, sive actualem executionem activam virtutis executivæ, quæcumque illa sit, non posse superare in actualitate virtutem executivam in actu primo sumptam : siquidem illa ab ista procedit, ac proinde debet ejus perfectionem, et actualitatem præhabere formaliter, vel eminenter.

Enervatio.

Non itaque hoc refert. Nam licet actus secundus in *esse* rei consideratus, superetur ab actu primo; nihilominus in *esse* actus,

et actualitatis superat actum primum, ut
Complut. nostri Complutenses in lib. de Anima disp.
Cajet. 2 num. 7 cum Cajetano docent : ubi etiam num. 8 et 9 objectiones, quæ contra hoc militant optime solvunt. Unde propter hunc majorem excessum, quem in ratione actus formaliter sumpti, dicit actus secundus super actum primum, nequit in creatis actus primus producere actum secundum quoad hanc majorem actualitatem, nisi ut subordinatus divino concursui (quicumque ille sit de quo nihil modo) et decreto efficaci divinæ voluntatis.

Additamentum. Adde, quod licet actus secundus realiter distinctus a primo, adhuc in *esse* actus non superaret simpliciter actum primum (quem
Complut. modum dicendi etiam tuentur nostri Complutenses loco citato) nihilominus non potest non saltim secundum quid, esse actualior quam actus primus, ut ex probatione antecedentis hujus rationis a nobis factæ constat, et propterea talis actus secundus active sumptus, secundum quam rationem de illo loquimur, non potest non esse identificatus cum quavis virtute executiva Dei, ei correspondente : alioqui aliquid extra Deum esset, saltim secundum quid, actualius ipso, et virtutibus executivis ipsius, quod est inconveniens : siquidem omnia quæ sunt in Deo, habent se per modum actus purissimi, ac proinde per modum actus infinite perfecti in ratione talis : et ideo nequit nec simpliciter, nec secundum quid superari in actualitate ab aliquo actu creato.

22. Probatur secunda assertionis pars ratione D.Thom. Secunda vero assertionis pars, nempe executionem prædestinationis passive sumptam, tantum esse in prædestinato, probatur ratione D. Thom. in hoc art. Quoniam executio prædestinationis passive sumpta, ea nimirum, quæ illi convenit tam intra propriam lineam, quam ut identificatur cum potentia executiva Dei, non dicit in recto et formaliter actus immanentes divini intellectus, et voluntatis, sed effectus in tempore derivatos ad ipsos prædestinatos, ut v. g. vocationem, justificationem, et glorificationem, prout sunt a prædestinatione, et a potentia executiva : at isti effectus sunt aliquid in prædestinato : ergo, etc. Minor cum consequentia satis liquet. Major autem etiam constat. Nam executio passiva prædestinationis est aliquid temporale : et propterea prædestinatis, solum in tempore confertur gratia et gloria, solumque in tempore executioni mandantur ea, circa quæ imperium prædestinationis versatur : ergo passive sumpta, solum dicet prædictos effectus, prout derivatos a Deo ex vi prædestinationis, et potentiæ executivæ divinæ.

Patet consequentia. Quoniam nihil aliud temporale potest assignari, præter effectus prædestinationis ut procedentes a Deo, in quo ipsa executio passiva prædestinationis consistat : siquidem executio activa ejusdem prædestinationis, dicit aliquid increatum, ut n. præcedenti dicebamus, et ita nequit habere passionem prædicamentalem, ut nostri Complutens. in sua Logica c. de Complut.
Prædicamento actionis et passionis docent; aut aliam passionem, quæ realiter, et identice loquendo sit vera actio : ex eo quod satis est illa actio, sive operatio increata Dei, quippe infinita, ad inferendam executionem passivam prædestinationis : et per consequens prædicta executio passiva, solum potest importare effectus prædestinationis, ut a Deo, modo dicto, procedentes.

§ IV.

Solutio rationum dubitandi initio adductarum.

23. Ad primam rationem dubitandi. D.Thom. Ad primam respondet D. Thom. in præsenti in solutione ad 4 et loco citato ex 1 sentent. distinguendo antecedens : *Ponitur aliquid temporale* per modum constitutivi prædestinationis, negandum est : per modum effectus ex vi illius futuri, concedendum est : et deinde neganda erit consequentia. Et ad probationem dicendum, nihil obesse æternitati prædestinationis, quod in ejus diffinitione ponatur aliquid temporale per modum effectus, et modo dicto, quamvis obesset si poneretur per modum constitutivi illius.

24. Ad secundam Ad secundam concedenda est major, et neganda minor : et ad probationem distinguendum est antecedens : *Præparatio agentis ad agendum*, quæ sit intellectualis, quaque præcise habet præconcipere rationem operis faciendi, et in sua mente illud disponere, et ordinare, negandum est : *Præparatio agentis ad agendum* alterius rationis, transeat. Et deinde neganda est consequentia. Quia prædestinatio est præparatio agentis, aut quasi agentis ad agendum, illius prioris rationis, non vero hujus posterioris : et propterea secundum se considerata, et ut est executio activa, debet esse tantum in prædestinante, ut explicatum est. Vel aliter potest distingui idem antecedens : *Præparatio agentis ad agendum*,

si sit agens creatum, et indigens dispositionibus materiæ, et materia ipsa disposita, transeat : *Præparatio agentis ad agendum*, si sit agens infinitum, non indigens materia disposita, qualis est Deus, negandum est. Nam hoc sufficienter præparatum esse intelligitur per hoc, quod habeat actum imperii, quo ordinet efficaciter media ad finem, quodque sit efficax ad applicandam potentiam executivam in ordine ad opus.

25. Ad tertiam. Ad tertiam concedendum est antecedens, juxta ea, quæ in assertionibus diximus, et neganda est consequentia. Et ad probationem concedendum est antecedens quoad primam partem, nempe quod prædestinatio secundum se identificatur cum executione activa effectuum ejusdem prædestinationis, et negandum quoad secundam illius partem, nimirum quod prædicta executio activa ibidem recipiatur ubi est suus effectus executus. Nec probatio ibidem adducta aliquid convincit. Quoniam actio, passio, et motus sunt eadem entitas modalis, et recipiuntur in eodem subjecto, quoties actio ibidem intercedens, est actio formaliter transiens, aut de prædicamento actionis : quod tamen in præsenti non contingit : siquidem prædestinatio tam secundum se, quam ut est executio activa dicit actum increatum Dei.

26. Ad quartam. Ad quartam concedenda est major, et neganda minor de actione formaliter transeunte; secus vero de actione formaliter immanente, et virtualiter transeunte : et ita neganda est consequentia. Ad testimonium vero D. Thom. constat ex dictis, intelligendum esse de actione, quæ solum sit virtualiter transiens.

27. Ad confirmationem primæ. Ad confirmationem neganda est major. Et ad probationem distinguatur major : *Quam ipse motus prout est ab agente*, mediante alia actione, et actualitate formaliter immanente, et virtualiter transeunte, ac realiter entitative distincta, neganda est : *Quam ipse motus prout est ab agente*, non mediante alia actualitate et actione, realiter entitative distincta, concedenda est. Et deinde neganda est consequentia. Quia vocatio, justificatio, et glorificatio, prout emanant a Deo, non emanant immediate ab ipso, idest, non mediante alia actione vel operatione jam dicta, formaliter immanente et virtualiter transeunte. Et propterea non comparantur per modum executionis activæ respectu Dei, sed per modum effectus, et executionis passivæ tam ipsius, quam prædestinationis, et potentiæ executivæ, illius. Sicut propter hanc rationem motus cœli causatus ab intelligentia movente illud, non comparatur per modum actionis, sive executionis activæ respectu Angeli moventis, sed solum per modum effectus, etiamsi motus ille consideretur prout procedit ab Angelo : quia prædictus motus procedit ab illo mediante alia actione, sive operatione formaliter immanente, et virtualiter transeunte, nempe mediantibus actibus intellectus, et voluntatis efficacibus illius. Quia sicut potentia executiva ejus est intellectus, et voluntas, ita prædicti actus sunt actualitates, et operationes, modo alibi insinuato, quibus prædictus Angelus causat illum motum cœli.

28. Ad quintam. Ad quintam neganda est sequela. Et ad probationem distinguendum est antecedens : *Secundum omnem actualitatem, quæ requiritur ad hoc ut actu causet*, et simul cum omni terminatione tam secundum id, quod in recto, quam secundum id, quod in obliquo talis terminatio importat, negandum est : *Secundum omnem actualitatem seu entitatem, quæ requiritur ad hoc ut actu causet*, non tamen cum omni terminatione, modo dicto sumpta, concedendum est : quia hoc nullam dicit admixtionem potentialitatis. Et deinde neganda est consequentia. Nec probatio ibidem adducta oppositum convincit. Quoniam ad hoc ut causa ab æterno habens actualitatem totam, quæ requiritur ex parte suæ causalitatis, producat actu, et in executione suum effectum, oportet ut ultra hanc actualitatem dicat actualem terminationem ejus ad effectum, tam secundum id, quod prædicta terminatio dicit in recto, quam secundum id, quod dicit in obliquo.

29. Ad confirmationem quintæ. Per quod etiam ad confirmationem patet, concedendam esse primam partem dilemmatis, si intelligatur de omni illa actualitate Deo intrinseca, quæ requiritur ad hoc ut non solum possit exequi, sed etiam ut de facto exequatur. Neganda tamen est consequentia inde illata. Quia deest ab æterno terminatio illius actualitatis ad effectum, non quidem ex defectu ejus, quod in recto dicit, quodque est actualitas intrinseca Dei; sed ex defectu ejus, quod in obliquo importat.

Solutio inter arguendum data approbatur. Unde solutio ibidem data tam ad hanc rationem dubitandi, quam ad ejus confirmationem, et juxta modo dicta intellecta, admitti debet. Quia prædicta actualitas divinorum actuum non est ab æterno terminata ad effectus quoad rectum, et obli-

quum, seu connotatum : quia connotatum, quod desideratur, quodque non fuit ab æterno, est mutatio ex parte effectus, sive ipse effectus, ut actu executus.

Replica contra eam evertitur. Quare ad replicam contra prædictam solutionem, negandum est antecedens. Et ad probationem dicendum est, quod virtuti ab æterno ultimo constitutæ ad hoc ut actu agat, deberet ei correspondere effectus actu executus, et mutatio actualis respectu illius, si talis virtus, quæ ab æterno ponitur, esset finita et limitata; secus vero si sit infinita et illimitata, et actus purus, ac summe efficax, ut in præsenti contingit.

30. Explicatio solutionis. Explicantur hæc omnia. Etenim causa finita et limitata, hoc ipso quod habeat actualitatem requisitam ad hoc ut non solum possit agere, et exequi suum effectum, sed etiam ad hoc ut illum actu exequatur, debet actualitas illius causalitatis, qua actu, et formaliter gaudet, terminari ad eumdem effectum : quia entitas, et actualitas prædicta aliquo modo dependet a tali effectu, actu executo : ex eo quod per se primo instituta est ad actu causandum illum : et ideo oportet ut terminetur ad illum, seu (quod in idem redit) quod præter propriam actualitatem suæ causalitatis dicat in obliquo, et per modum connotati, mutationem ex parte effectus, et entitatem illius, ut actu causatam per eamdem causalitatem.

Cæterum causa infinitæ virtutis, et actualitatis, qualis est Deus, habet causalitatem infinitæ etiam virtutis, et actualitatis, ac proinde nullo modo dependentem a suo effectu, actu executo ad hoc ut sit : quia non est per se primo instituta propter illum : et propterea potest ejus actualitas actu, et ab æterno esse, quin actu et ab æterno sit effectus ab ea executus, et per consequens quin connotet ab æterno mutationem ex parte effectus, et effectum ipsum ab æterno ab illa productum, seu quin ab æterno ad illum actu et in executione terminetur : siquidem, ut nuper dicebamus, hæc terminatio nihil aliud dicit, quam ipsam actualissimam causalitatem, seu purissimam actualitatem divinorum actuum in recto, connotando passivam executionem prædicti effectus per illos.

31. Major elucidatio illius. Cur autem, et qua ratione actualitas illa divinorum actuum absque additione alicujus realitatis, aut actualitatis intrinsecæ, vel absque diminutione illius possit terminari vel non terminari ab æterno, vel in hoc tempore potius quam in illo, satis constat ex iis, quæ fuse in tractatu de Voluntate Dei, disputatione 7 a num. 45 usque ad numerum 92 diximus. Potestque nunc breviter colligi ex summa efficacitate divinorum actuum. Nam cum sint infinitæ efficacitatis, inde est, ut non solum habeant vim ad attingendos suos effectus quoad substantiam eorumdem, sed secundum modum, et præscriptum prædictorum actuum, et per consequens habent vim ad attingendos tales effectus, quando, et quomodo a divina voluntate, et imperio divini intellectus præfinitur, et ordinatur, non obstante quod prædictum decretum, et imperium quoad omnem suam actualitatem sint ab æterno : et ideo propter modum supremum eminentissimum efficacitatis, quam habent, possunt terminari, vel non terminari; et terminari pro hoc tempore, et non pro illo, et e converso.

Corroboratur testimonio D. Tho. Quam rationem eleganter adduxit D. Thomas 2 contra Gentes cap. 35 ubi ut solveret hanc quintam dubitandi rationem, quam ipse, cap. 32 ejusdem libri adduxerat, sic inquit : *Ex quo etiam patet quod etsi Deus sit sufficiens causa productionis rerum in* esse, *non tamen oportet ut ejus effectus æternus ponatur eo existente æterno, ut tertia ratio concludebat : posita enim causa sufficiente, ponitur ejus effectus, non autem effectus extraneus a causa. Hoc enim esset ex insufficientia causæ : ac si calidum non calefaceret. Proprius autem effectus voluntatis est, ut sit hoc, quod voluntas vult, si autem aliquid aliud esset, quam voluntas velit, non poneretur effectus proprius causæ, sed alienus ab ea. Voluntas autem (sicut dictum est) sicut vult hoc esse tale, ita vult hoc esse tunc. Unde oportet ad hoc ut voluntas sit sufficiens causa, quod effectus sit, quando voluntas est ut sit, et quando voluntas effectum esse disposuit. In his autem quæ a causa naturaliter agente procedunt, secus est : quia actio naturæ est secundum quod ipsa est. Unde ad* esse *causæ, sequi oportet effectum. Voluntas autem agit non secundum modum sui* esse, *sed secundum modum sui propositi : et ideo sicut effectus naturalis agentis, sequitur* esse *agentis, si sit sufficiens, ita effectus agentis per voluntatem sequitur modum propositi. Ex his etiam patet quod divinæ voluntatis non retardatur effectus, quamvis non semper fuerit voluntate de eo existente, ut quarta ratio proponebat. Nam sub voluntate divina cadit non solum quod ejus effectus sit, sed quod tunc sit. Hoc igitur volitum, quod est tunc creaturam* esse, *non retardatur : quia tunc incepit creatura esse, quando Deus ab æterno*

rara. *æterno disposuit*. Videatur Ferrara ibidem.

32 Ad mam ectio- em. Ad ultimam patet ex dictis in solutione ad tertiam. Ad id autem quod ibidem ad ditur, transeat antecedens, intellectum de passione prædicamentali : neganda tamen est consequentia. Quia ad hoc ut verificetur executionem prædestinationis passive sumptam, esse in prædestinato, satis est intervenire ibi aliquam executionem passive sumptam, nempe effectus prædestinationis, prout dicunt habitudinem ad Deum, ut ad id, a quo mediis suis actibus formaliter immanentibus, et virtualiter transeuntibus dimanarunt.

DISPUTATIO IV.

De prædestinatione quoad supernaturales effectus quos causat.

1. Thom. Quia D. Thomas (ut supra dicebamus) tangit in hoc articulo proprios et connaturales effectus prædestinationis, quos ipse objectum ejusdem prædestinationis appellat, ex eo quod actus practici divini intellectus causant sua objecta, ac proinde hæc comparantur per modum effectuum respectu prædictorum actuum, propterea peculiarem hanc disputationem circa hos effectus connaturales divinæ prædestinationis, quippe qui sunt ejusdem ordinis cum illa, movemus.

DUBIUM I.

Utrum glorificatio seu visio beatifica prædestinatorum sit effectus divinæ prædestinationis ?

t. Quia glorificatio est præcipuus effectus divinæ prædestinationis ad quem cæteri alii ordinantur, propterea huic effectui primum illud dubium damus.

§ I.

Explicatio tituli.

ima ditio isita ro ctu des- tio- s. Quoniam ea, quæ tam in hoc dub. quam in tota hac, et sequenti disp dicenda sunt, non parum pendent ex explicatione eorum, quæ ad effectum prædestinationis requiruntur, ac proinde ex perfecta notitia ultimæ particulæ in titulo positæ, propterea primo loco hoc explicandum erit.

Ad hoc igitur ut aliquid sit effectus prædestinationis, tria requiruntur. Primum est, quod non sit aliquid malum quatenus tale. Et ratio est aperta. Quoniam effectus prædestinationis debet esse a Deo dictante, et causante omnes effectus illius : Deus autem nec causare, nec dictare potest id, quod malum est, quatenus tale. Unde peccata formaliter sumpta, non possunt esse effectus prædestinationis, quippe quæ sic accepta habent rationem mali ut talis, et nequeunt causari, aut dictari a Deo. Quam conditionem alii aliis verbis explicant dicentes : primum, quod ad effectum prædestinationis requiritur, esse ut sit a Deo. Cæterum hoc in idem redit, cum hoc quod est prædictum effectum non posse esse aliquid malum, quatenus tale. Et ratio est. Quia solius mali ut talis, seu solius peccati Deus nequit esse causa : et ideo solum prædictum malum non potest esse a Deo : ac proinde istud ex hoc capite nequit esse effectus prædestinationis : qui, ut constat, debet esse a Deo.

Secundum est, quod aliquo modo conducat de facto, et cum effectu ad supernaturalem beatitudinem. Et ratio etiam hujus conditionis videtur perspicua ex iis, quæ ex D. Thoma sæpius diximus. Nam prædestinatio est ratio existens in mente Dei, per quam efficaciter disponuntur ea, quæ de facto, et cum effectu conducunt aliquo modo ad beatitudinem. 2. Secunda. D.Thom.

Tertium est, quod oriatur ex efficaci voluntate, et intentione Dei tribuendi beatitudinem, ad quam prædestinatus transmittitur Cujus ratio est. Quia ea, quæ de facto, et cum effectu conducunt aliquo modo in ordine ad aliquem finem, et attinguntur ab agente intellectuali intendente efficaciter prædictum finem, qualis est Deus prædestinans, debent hoc ipso quod sint effectus talis agentis, oriri ex voluntate efficaci ejusdem finis, ut ex se, et ex iis, quæ artic. 5 dicemus constabit : et ita hoc ipso quod effectus prædestinationis debeat de facto, et cum effectu conducere aliquo modo ad beatitudinem, et procedat ab agente intellectuali intendente efficaciter beatitudinem, qualis est Deus prædestinans, oportet ut oriatur ex efficaci voluntate tribuendi prædictam beatitudinem.

Quare ex defectu hujus conditionis Incarnatio Christi, et operationes meritoriæ ejusdem Christi Domini non sunt effectus nostræ prædestinationis. Quia licet sint a Deo, et de facto, ac cum effectu conduxerint ad nostram beatitudinem, nihilominus non fuerunt ex efficaci intentione nostræ Tertia.

beatitudinis, quin potius hæc intentio, et tota nostra prædestinatio ex parte objecti considerata, fuit effectus ejusdem Incarnationis, et meritorum Christi Domini. Et ita Incarnatio, et opera Christi Domini prius sunt volita, et intenta : quia fuerunt volita ut finis nostræ prædestinationis.

3. Prima objectio. Nec refert si objicias primo, quod in hac ultima conditione includuntur duæ illæ priores : siquidem hoc ipso quod aliquid procedat ex intentione efficaci dandi beatitudinem, non erit aliquid malum, et conducet cum effectu, et de facto ad eamdem beatitudinem : ergo satis erat hanc conditionem assignare.

Diluitur. Respondetur enim concedendo antecedens, et negando consequentiam, si solum involute, et absolute hæc ultima conditio assignaretur. Quia ibi non ita clare, et perspicue id, quod in prædicta conditione inclusum erat, explicabatur. Cum tamen ad rem hanc exacte intelligendam, oporteat ut id, quod in prædicta conditione implicatum est, explicetur, et explicatius tradatur. Cæterum concedi poterit consequentia, si hæc ultima conditio ita apponatur ut id, quod in ea involutum, et implicatum est, explicate tradatur : tunc autem id in idem redit, ac petere duas alias conditiones in hac ultima involutas. Et propterea Doctores has tres conditiones distincte, et sigillatim ad effectum prædestinationis tradunt. Quia duæ illæ priores non sunt formalissime loquendo idem, ac ista posterior, licet ad hanc præsupponantur, vel in ea implicite includantur.

4. Secunda Nec etiam refert si secundo objicias, meritum ordinari ad præmium, ut medium ad finem : at operationes Christi sunt meritoriæ respectu nostræ beatitudinis, et prædestinationis : ergo habebunt rationem medii in ordine ad illam ; ac proinde erunt volitæ ex efficaci intentione ejusdem finis, sive ejusdem beatitudinis.

Enervatur. Respondetur enim distinguendo majorem : si illud meritum sit tale respectu præmii eo excellentioris, concedenda est major : si vero sit respectu præmii non excellentioris, sed ignobilioris, neganda erit. Nam tunc meritum habet rationem causæ, non vero medii ordinabilis ad præmium, tanquam ad finem *cujus gratia*. Et propterea licet nostra opera supernaturalia habeant se per modum medii ordinabilis respectu præmii nobilioris, nempe æternæ beatitudinis, attamen respectu rerum temporalium, quas meremur, et impetramus per prædicta opera, v. g. per orationes ordinis supernaturalis, non habent rationem medii ordinabilis. Unde quia meritum Christi, quippe quod est ordinis hypostatici et habet imbibitam perfectionem personæ divinæ, ut merentis, est longe perfectius, quam nostra prædestinatio ex parte objecti considerata, ideo non habet rationem medii respectu illius, sed potius causæ et finis ; et propterea nostra prædestinatio volita est ex affectu, et complacentia Christi Domini, et meritorum ejus.

5. Explic tur solutio exempl Potestque hoc explicari exemplo boni alieni concupiti, quod quidem si est ordinabile ad illud cui datur, et concupiscitur, est medium volitum non tantum ipsi ut fini *cui*, sed etiam propter ipsum tanquam propter finem *cujus gratia* : secus vero si propter suam perfectionem non sit ordinabile. Ita ergo meritum, quod est imperfectius, quam præmium, est medium ordinatum ad illud, et volitum ex affectu ejus. Cæterum quando meritum est ordinis superioris, non est formaliter medium, nec volitum ex affectu et intentione præmii, tanquam finis *cujus gratia* : sed est volitum propter suam perfectionem, vel in ordine ad aliquem finem excellentiorem, hoc ipso quod talis volitio sit consona rebus volitis, et propterea meritum Christi Domini est volitum propter perfectionem illius actus hypostatici, et in ordine ad gloriam ejusdem Christi Domini : quamvis ex quo capite redundavit in nos maximum bonum ex prædictis meritis, sint volita propter nos ut propter finem *cui*, subordinatum tamen alteri fini, *cui* et *cujus gratia* excellentioribus, et modo alibi insinuato. Cæterum cum hoc stat ut applicatio passiva meritorum Christi pro salute et beatitudine, v. g. Petri, possit esse medium in ordine ad illam. Quia talis applicatio supponit prædicta merita ut objecta, et ut causam illius, et non dicit aliquid nobilius ipsa beatitudine, nec spectat ad ordinem hypostaticum : non secus proportione servata, ac applicatio satisfactionis Christi, quæ fit per indulgentias, supponit eamdem satisfactionem per modum objecti et causæ, et non habet rationem actus ordinis hypostatici : sed ad summum est quidam actus supernaturalis clavium Pontificis.

6. Tertia objectio Nec etiam refert, si tertio objicias insufficienter numeratas esse conditiones requisitas ad effectum prædestinationis, siquidem ea solum sunt effectus illius, quæ sunt effectus meritorum Christi : ergo hoc etiam debuit

debuit inter prædictas conditiones recenseri.

Enodatur Respondetur enim, quod licet re ipsa, et de facto nihil sit effectus prædestinationis, nisi sit etiam effectus meritorum Christi: nihilominus id non est indispensabile, et ex natura rei petitum, sed optime posset Deus prædestinare et ordinare de mediis efficaciter conducentibus ad æternam vitam absque eo quod prædicta media essent effectus prædictorum meritorum. Nos ergo et communiter Theologi, eas tantum assignavimus conditiones ad effectus prædestinationis, quæ ex natura rei, et non ex solo beneplacito Dei ad illos requiruntur.

§ II.

Placitum Durandi.

7. Durand. Primum argumentum. His ergo suppositis partem negantem circa quæstionem propositam tuetur Durandus in 1 distinctione 41 q. 2 num. 11. Probatur primo. Quoniam prædestinatio versatur circa media, non vero circa finem: ergo sola media ordinata ad beatitudinem, non vero ipsa beatitudo, erit effectus illius. Antecedens probatur. Tum quia propterea prædestinatio solet inter alias diffinitiones, aut quasi diffinitiones de illa traditas diffiniri per hoc, quod sit efficax ordinatio mediorum conducentium ab beatitudinem. Tum etiam: quia prædestinatio (ut sæpius diximus) est pars providentiæ, providentia autem non est de fine, sed de mediis: et ideo supponit efficacem eorum electionem. Consequentia vero probatur. Quia beatitudo non est medium, sed finis respectu prædestinationis: ergo licet media possint esse effectus illius, non tamen ipsa beatitudo, quæ est finis.

8. Secundum. Secundo. Nam prædestinatio diffinitur etiam per hoc quod sit præscientia et præparatio beneficiorum, quibus consequimur beatitudinem: ergo non erit præparatio ipsius beatitudinis, sed eorum dumtaxat mediorum, quibus illam adipiscimur, et per consequens ipsa beatitudo non erit effectus illius, siquidem ea solummodo sunt effectus prædestinationis, quæ per illam præparantur.

9. Tertium. Tertio. Quoniam prædestinatio supponit efficacem voluntatem dandi gloriam electis, quia supponit dilectionem, et electionem efficacem eorum in ordine ad eamdem beatitudinem, ut ex dictis in hoc tractatu disputatione 2 num. 49 et sequentibus, et ex dicendis disputatione 9 numero 10 et deinceps patebit: ergo beatitudo supponitur futura antecedenter ad prædestinationem: atque adeo non erit effectus illius. Prima consequentia ex antecedenti patet. Quoniam intentio, et electio efficax Dei respectu alicujus infert infallibilem ejus futuritionem, estque causa illius. Secunda vero consequentia ex hac priori constat: siquidem ea, quæ sunt effectus prædestinationis, debent esse futura ex vi illius, ut ex dictis n. 2 patet.

10. Quartum Quarto. Nam Deus ut unitus in ratione speciei intelligibilis cum intellectu beati, nequit esse effectus prædestinationis: ergo neque ipsa beatitudo. Consequentia patet. Quoniam beatitudo includit necessario hanc unionem, et ita si Deus ut modo dicto unitus, nequit esse effectus prædestinationis, neque ipsa beatitudo erit effectus illius. Antecedens probatur. Quoniam effectus prædestinationis ordinatur ad prædestinatum tanquam ad finem: divina autem essentia, ut unita in ratione speciei intelligibilis, non potest ordinari in aliquem finem, sicut nec Deitas, ut unita humanitati potest in aliquem finem ordinari: ex eo quod per hoc quod sit his modis unita, non amittit rationem boni increati, neque induit rationem boni creati, de cujus tantum ratione est ordinari in aliud ut in finem.

§ III.

Communis sententia.

11. Conclusio. Dicendum tamen est, glorificationem, seu æternam beatitudinem electorum esse effectum prædestinationis. Ita Paulus ad Rom. 8: *Quos autem prædestinavit, hos et vocavit, quos vocavit, hos et justificavit, quos autem justificavit, illos et glorificavit.* Ubi ut constat adducit effectus prædestinationis, et inter ipsos glorificationem enumerat. Probatur primo ex Scriptur. Ad Rom. 8.

Et licet aliqui ex Patribus legant: *illos et magnificavit* loco illius particulæ *illos et glorificavit:* et explicent illud de glorificatione, et magnificatione in hac vita per famam, et bonum nomen, vel per charismata, et dona divina data ad operandum, ut Chrysostomus cap. 8 ad Rom. homil. 15, Theophylactus, et Theodoretus: nihilominus Vulgata correcta legit: *illos et glorificavit.* Et verbum hoc de glorificatione per æternam beatitudinem explicant August. lib. de Prædestinat. Sanctorum cap. Chrysost. Theophyl. Theodoret. Aug.

17 et de Correctione et gratia cap. 9 et in expositione Psalm. 150 et sermone 17 de Verbis Apost., Anselmus, et Origenes ad caput 8 Pauli, Fulgentius lib. 1 ad Monimum cap. 11; D. Thom. ad hæc verba Pauli lect. 6 sic : *Unde tertio ponit magnificationem, cum subdit, hos et magnificavit. Et hoc dupliciter scilicet uno quidem modo per profectum virtutis et gratiæ. Alio autem modo per exaltationem gloriæ. Ponit autem præteritum pro futuro, si intelligatur de magnificatione gloriæ, vel propter certitudinem futuri, vel quia quod in quibusdam est futurum, in aliis est completum.*

Ansel. Origen. Fulgent. D.Thom.

Et merito sane verbum illud *magnificavit*, de exaltatione gloriæ sive beatitudinis intelligitur : siquidem exaltatio per charismatum dona in vocatione et justificatione, quas Apostolus prius enumeraverat, invenitur, et exaltatio per bonum nomen, et bonam famam in hac vita non est communis omnibus prædestinatis; bene tamen exaltatio gloriæ, sive beatitudinis æternæ : cum tamen effectus, quos ibi numerat, sint communes omnibus prædestinatis, ut ex modo loquendi Apostoli constat. Et propterea numerat etiam justificationem, et vocationem : quia omnes prædestinati justificantur, et omnes illi vocantur, sive per se, et immediate, ut adulti, sive mediate, et ratione aliorum, quatenus parentibus v. g. Deus inspirat, ut puerum ante adultam ætatem baptizent, qui tamen ante eamdem ætatem e vita discessurus est.

12. Ad Ephes. 1.

Idem etiam docuit Paulus ad Ephes. 1 : *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus.* Quæ verba sic explicat D. Thom. lect. 1 : *Sancti inquam in conspectu ejus, idest, interius in corde : ubi ipse solus conspicit; vel in conspectu ejus ut eum inspiciamus : quia visio est tota merces secundum August.*

Secundo ex Patribus. D.Thom.

Idem etiam docuit Angelicus Doctor in hoc articulo : *Est autem executio prædestinationis vocatio, et magnificatio secundum illud Apostoli ad Romanos 8 : Quos prædestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et magnificavit.* Et articul. sequenti in solutione ad 2 his verbis : *Prædestinatio est causa, et ejus quod expectatur in futura vita a prædestinatis, scilicet gloriæ, et ejus quod percipitur in præsenti, scilicet gratiæ.* De Veritate quæstion. 6 artic. 6 et ad 4 et alibi sæpe. Ac tandem hoc ipsum tuentur valde communiter Theologi, et propterea super vacaneum esset singulos recensere.

13. Tertio ex ratione.

Ratio fundamentalis nostræ assertionis desumitur ex iis, quæ ex D. Thom. disput. 2 numero 19 hujus tract. diximus, potestque ad hanc formam reduci. Quoniam prædestinatio est efficax ordinatio mediorum, quibus efficaciter, et infallibiliter prædestinatus transmittitur in finem vitæ æternæ, ut ibidem ostendimus : ergo non solum prædicta media, sed etiam finis ipse, nempe vita æterna, erunt effectus prædestinationis. Consequentia patet. Quoniam quod est causa mediorum efficacium, et infallibiliter inferentium finem, quodque semper, et incessanter dirigit, et ordinat efficaciter talia media in ordine ad finem intentum, ut in prædestinatione contingit, non potest non etiam esse causa finis efficaciter illati ex illis.

Confirmatur.

Confirmatur, et explicatur. Nam licet sanitas infirmi causetur mediis medicamentis, quæ illi applicantur; nihilominus quia ipse habitus medicinæ dirigit in ordine ad hanc applicationem, ideo etiam ipse est causa sanitatis infirmi : ergo potiori ratione prædestinatio, quæ semper influit, semperque dirigit in ordine ad media efficacia et infallibiliter inferentia beatitudinem, erit etiam causa ipsius beatitudinis : et per consequens ita erit effectus illius.

§ IV.

Respondetur argumentis Durandi.

14. Ad primum Durandi solutio Suar.

Ad primum respondet Suarez, quod licet vita æterna sit finis respectu prædestinati; nihilominus habet rationem medii respectu manifestationis divinorum attributorum, seu gloriæ Dei, et ita potest prædestinatio circa illam versari. Sed hæc solutio non omnino placet. Quia in præsenti loquimur de prædestinatione, et providentia secundum quod versantur circa media in ordine ad æternam vitam adipiscendam : at in comparatione ad prædestinationem hoc modo consideratam, vita æterna non habet rationem medii, sed finis. Unde quod alias respectu alterius coordinationis habeat rationem medii, non videtur multum referre ad hoc ut propter hanc rationem cadat sub prædestinatione, et sit effectus illius.

Non placet.

Vera solutio.

Unde ad argumentum distinguendum est antecedens : *Non vero circa finem*, immediate, concedendum est : mediate, negari debet. Nam hoc ipso (ut nuper dicebamus) quod prædestinatio sit causa efficax,

modo

modo explicato, mediorum infallibiliter inferentium beatitudinem, debet mediantibus illis esse causa ejusdem beatitudinis. Per quod etiam ad secundum patet distinguendum esse consequens : *Non erit præparatio ipsius beatitudinis*, immediate concedenda est consequentia : mediate, neganda est.

Ad secundum.

Quare cum communiter dicitur providentiam et prædestinationem versari circa media, non vero circa finem, debet intelligi de fine prout est causa finalis, seu prout est in intentione, nam hoc modo præsupponitur ad ipsam prædestinationem; non vero de eodem in executione, et ut est effectus mediorum efficacium, quibus acquiritur. Nam si hoc modo consideretur, debet prædestinatio versari circa illum, et esse causa ipsius, hoc ipso quod sit causa prædictorum mediorum.

15. Ad tertium.

Ad tertium concedendum est antecedens, et distinguendum consequens primæ consequentiæ : *Beatitudo supponitur futura antecedenter ad prædestinationem* futuritione adæquata, et completa, neganda est consequentia : futuritione inadæquata, incompleta, et radicali, concedenda est. Et deinde neganda erit secunda consequentia. Ad cujus probationem patet ex modo dictis.

16. Ad quartum.

Ad quartum concedendum est antecedens, si intelligatur de divina essentia, aut unione ejus cum intellectu beati, ut præcise se tenet ex parte Dei et in recto præcise considerata : negandum vero, si intelligatur de eadem unione adæquate sumpta, tam secundum id, quod dicit in recto, quam secundum id quod dicit in obliquo, aut secundum quod se tenet ex parte intellectus beati, et quoad id quod in recto secundum hanc rationem dicit. Nam hæc unio, ut se tenet ex parte Dei, et in recto præcise sumpta, tantum dicit ipsam divinam essentiam per modum formæ intelligibilis ita puræ, ut sit sua intelligibilitas : at vero ut se tenet ex parte intellectus beati dicit in recto ipsum intellectum perfusum lumine gloriæ, connotando divinam essentiam, ut habet rationem formæ intelligibilis. Constat autem quod licet divina essentia secundum se nequeat esse effectus prædestinationis, bene tamen ejus connotatum, ac proinde et conjunctum ipsum, quod ex ea in recto, et ex illo connotato coalescit. Sicut licet persona Filii non possit esse effectus voluntatis incarnandi ; bene tamen conjunctum illud, quod ex ipsa, et ex humanitate in obliquo consurgit.

Unde etiam satis constat intellectum perfusum lumine gloriæ connotante tamen divinam essentiam posse cadere sub prædestinatione, et esse effectum illius. Et ad probationem in contrarium dicendum est, non esse necessarium ad effectum prædestinationis, quod sit bonum prædestinati ordinatum ad illum ut ad finem *cujus gratia;* sed satis est quod concupiscatur illi tanquam finis ipsius, habens esse ex vi ejusdem prædestinationis, quoties bonum concupitum est adeo supereminentis rationis, ut non possit ordinari ad aliud, sed potius sit bonum illi, quia ordinat ipsum ad se, ut ad finem *cujus gratia*. Videantur ea, quæ in hoc tractatu disput. 1 numero 44 et 45 diximus.

DUBIUM II.

Utrum omnis justificatio electorum sit effectus prædestinationis eorumdem ?

17. Quænam in hoc dub. tanquam certa supponantur.

Consulto in titulo addita est particula illa : *Omnis justificatio electorum*, ut innuatur de quanam eorum justificatione possit in dubium verti, an sit prædestinationis effectus ? Nam in primis certum est, justificationem electorum non interruptam, quæ mediante dono perseverantiæ continuatur usque ad finem vitæ, esse effectum prædestinationis eorum. Tum quia prædicta justificatio non est communis reprobis cum electis, sed solum propria electorum : constat autem dona illa gratiæ, quæ sunt propria electorum, esse effectus illius providentiæ peculiaris, qua Deus de ipsis providet, scilicet prædestinationis.

Ad Rom. 8.

Tum etiam : quia juxta Paulum ad Romanos 8 justificatio est effectus prædestinationis electorum : et ideo dixit : *Quos prædestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et justificavit.* Certum est autem justificationem, quæ hic a Paulo assignatur ut effectus prædestinationis, esse ad minus eam, quæ confertur electis, et non interrumpitur per peccatum a prima sui infusione usque ad finem vitæ. Tum denique : quia hæc justificatio cum effectu conducit ad consecutionem vitæ æternæ, et nequit dari talis consecutio, quin præcedat justificatio durans mediante dono perseverantiæ, usque ad vitæ finem.

Deinde certum est, ut constabit ex iis, quæ in tractat. de Pœnitentia dicemus, quod gratia, seu justificatio electorum interrupta per peccatum, est effectus prædestinationis eorumdem, quatenus restituta,

et reparata per pœnitentiam : siquidem gratia ista ut sic reparata, cum effectu conducit ad consecutionem vitæ æternæ : et ita gratia ista, et merita per peccatum interrupta, debent, quatenus sunt reparata, esse effectus prædestinationis.

Punctus difficultatis. Unde solum restat difficultas de prædicta gratia, seu justificatione electorum interrupta, an sit effectus prædestinationis eorum, non solum quatenus reparata, et reviviscens, sed etiam secundum suam substantiam, et secundum quod primo producta est? Nam si gratia, et justificatio electorum sic sumpta, est etiam effectus prædestinationis, consequens erit, ut intuenti patebit, quod omnis justificatio electorum, sit effectus prædestinationis eorum; secus vero si prædicta justificatio sic accepta, non fuerit effectus prædestinationis ipsorum.

§ I.

Sententia Vazquez.

18. Primum argumentum pro sententia negativa. Vazquez in præsenti, disput. 93 sentit, justificationem electorum interruptam per peccatum, non esse effectum prædestinationis secundum suam substantiam, et ut primo concessa est; atque adeo non omnem justificationem electorum sortiri rationem effectus prædestinationis. Probatur primo. Nam prima gratia collata Adamo, et interrupta per peccatum, non fuit effectus prædestinationis ipsius secundum substantiam considerata, et ut primo est ei concessa : ergo nec etiam aliæ justificationes aliorum electorum per peccatum interruptæ, habebunt secundum suam substantiam, et ut primo concessæ rationem effectus prædestinationis. Consequentia videtur legitima ex paritate rationis.

Antecedens autem probatur. Quoniam prædestinatio Adami subsecuta est ad decretum tribuendi illi gratiam in statu innocentiæ : ex eo quod prædicta prædestinatio fuit ex meritis Christi, et effectus prædestinationis illius, ut 3 p. q. 1 art. 3 docent communiter cum D. Thom. ejus discipuli, et nos ibidem, Deo dante, ostendemus : et prædestinatio Christi fuit post decretum tribuendi gratiam Adamo in statu innocentiæ : quia non fuit nisi post prævisionem peccati originalis, et deperditionis prædictæ gratiæ : ergo talis gratia non potuit esse effectus prædestinationis Adami, siquidem effectus prædestinationis non debent præire, sed potius subsequi ad illam.

19. Confirmatur. Confirmatur. Quoniam tam gratia Adami in statu innocentiæ, quam gratia justificans aliorum electorum per peccatum interruptæ, secundum suam substantiam, et ut primo concessæ non conducunt cum effectu in ordine ad consecutionem beatitudinis : ergo non erunt secundum istam rationem effectus prædestinationis. Consequentia patet ex dictis dub. præcedenti. Antecedens autem constat. Quoniam gratia illa non redit eadem numero per pœnitentiam, sed alia æquivalens, ut communiter docent Theologi : et ita hac sola ratione dicitur per pœnitentiam reparari, et restitui : ergo prædicta gratia secundum suam substantiam, et ut primo concessa est, non conducit cum effectu ad æternam beatitudinem electorum : siquidem secundum istam rationem denotat illammet numero gratiam, quæ antea eis concessa fuerat, et per peccatum deperdita est, et sic sumpta nunquam redit : ac proinde nunquam cum effectu conducet ad æternam vitam.

20 Secundum. Secundo. Nam ad rationem effectus prædestinationis desideratur quod continuetur cum aliis effectibus ejusdem prædestinationis : sed gratia seu justificatio per peccatum interrupta, non habet secundum suam substantiam sic continuari : ergo non erit prædestinationis effectus. Consequentia ex utraque præmissa videtur perspicua. Major autem etiam liquet ex loco citato ex Paulo ad Romanos 8 : *Quos prædestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et justificavit, et quos justificavit, illos et glorificavit,* ex vi cujus modi loquendi satis indicavit quomodo prædicti effectus prædestinationis debeant esse inter se connexi, et continuati. Ad Rom. 8.

Minor vero etiam videtur certa. Quoniam gratia illa interrupta, et secundum suam substantiam considerata, nec continuatur in se ipsa, nec in intentione Dei cum aliis effectibus. Non quidem in se, quoniam ponitur interrupta : effectus autem prædestinationis, qui prout est in se continuatur cum cæteris effectibus ejusdem, non debet in se interrumpi, ac proinde nec discontinuari ab aliis. Neque etiam prædicta gratia in se interrupta, continuatur cum aliis effectibus, verbi gratia, cum pœnitentia, in intentione Dei : siquidem Deus non permittit peccatum ex intentione vivificandi, et reparandi prædictam gratiam : alioqui necessario deberet velle peccatum, quod

quod est materia omnino necessaria ad talem vivificationem et reparationem. At talis gratia solum potest secundum suam substantiam continuari in intentione Dei cum aliis effectibus prædestinationis, ex eo quod Deus permitteret peccatum interrumpens eam ex intentione reparationis ipsius: quandoquidem si non permitteret peccatum, et interruptionem gratiæ ex tali intentione, tunc sicut in illo signo permissionis, et interruptionis, non haberet voluntatem et intentionem illam reparandi, ita nec intentionem continuationis ipsius cum aliis operibus bonis, quæ solum mediante hac reparatione inveniri potest.

21. ertium. Tertio. Prima productio gratiæ sanctificantis, et restitutio illius sunt volitæ a Deo diversis actibus : ergo ex vi illius actus, quo est volita prima productio illius, nequit conducere cum effectu ad consecutionem vitæ æternæ : ergo talis productio nequit esse effectus prædestinationis, sed solum instauratio illius. Hæc secunda consequentia ex priori, et ex jam dictis constat. Prima vero ex antecedenti. Quia prædicta gratia non conducit cum effectu ad gloriam nisi restaurata : ergo si semel voluntas dandi, et restaurandi sunt distinctæ, consequens erit, ut ex vi actus quo est volita prima productio ipsius, nequeat cum effectu conducere ad gloriam. Antecedens autem etiam constat. Quoniam voluntas primo producendi illam præcessit visionem peccati : voluntas vero restituendi, aut restaurandi ipsam, fuit post visionem peccati : at una et eadem voluntas nequit antecedere, et subsequi ad prævisionem peccati, ut ex terminis ipsis constare videtur : ergo, etc.

Confir- natur. Confirmatur. Quoniam gratia electorum interrupta per peccatum, est communis ipsis, et reprobis tam secundum se, quam quoad voluntatem, ex qua proficiscitur : ergo non erit effectus prædestinationis. Consequentia est aperta. Quoniam effectus prædestinationis, est effectus providentiæ Dei specialis, quæ est ipsa prædestinatio, et ita debet esse specialis respectu electorum, et proficisci ex speciali voluntate Dei. Antecedens autem quoad primam partem videtur certum : quandoquidem plures ex reprobis multoties fuerint justificati, quamvis justificatio eorum fuerit interrupta. Quoad secundam vero partem probatur. Quia effectus communis electis cum reprobis non videtur procedere ex speciali causa, et volitione divina erga illos potius, quam erga reprobos, ut ita effectus proportionentur suis causis, et causæ suis effectibus.

§ II.

Commune Theologorum placitum.

22. Conclusio. Probatur primo ex Scriptura. Dicendum tamen est, gratiam sanctificantem electorum interruptam, etiam secundum suam substantiam, et ut primo fuit eis collata consideratam habere rationem effectus prædestinationis ipsorum : ac proinde omnem justificationem eorumdem esse effectum prædictæ prædestinationis. Assertionem hanc satis innuit Paulus loco citato ad Roman. 8, dum absolute, et absque ulla exceptione inquit, justificationem esse prædestinationis effectum, et ideo Patres universaliter hæc verba Pauli intelligunt. Unde D. Thom. explicans illa lect. 6 et numerans cum eo effectus prædestinationis, inquit : *Unde secundo ponit justificationem, cum dicit (quos vocavit, hos et justificavit) scilicet gratiam infundendo, hæc autem justificatio, etsi in aliquibus frustretur, quia non perseverant usque in finem, in prædestinatis tamen nunquam frustratur.* Si autem justificatio secundum suam substantiam, et ut primo collata, non esset effectus prædestinationis, tunc talis justificatio secundum istam rationem frustraretur : siquidem ea sola non frustrantur in ordine ad aliquem finem efficaciter intentum a Deo, quæ procedunt ex intentione efficaci ejusdem.

Rom. 8.

D.Thom.

23. Secundo ex D.Thom. et aliis Theologis. Idem etiam docuit sanctus Doctor in eadem lect. prope medium, dum inquit : *Sub prædestinatione cadit omne beneficium salutare, quod est homini ab æterno divinitus præparatum. Unde eadem ratione omnia beneficia, quæ nobis confert ex tempore, præparavit nobis ab æterno.* Quare cum gratia electorum secundum suam substantiam, et ut primo eis concessa, sit beneficium salutare Dei, oportet ut hæc cadat in ipsis sub prædestinatione, ac proinde sit effectus illius. Et hoc ipsum docuit, tum in hoc art. necnon art. 5 et 6 hujus quæstionis. Tum q. 6 de Veritate art. 6 ad 4 dum absque ulla limitatione asserit justificationem electorum esse effectum prædestinationis. Tum etiam 3 p. q. 89 art. 5 ut ex statim dicendis magis constabit. Et ita sanctum Doctorem communiter sequuntur Theologi Cajetan., Bannez, Nazarius, Gonzalez in præsenti, Machin. disp. 47 sect. 1, Cornejo in hoc articulo dubio 8, Estius in 1 distinct. 40, § 7, Theodorus disp. 6 de pro-

Cajetan. Bannez. Nazar. Gonzalez Machin. Cornejo. Estius. Theodor.

Molina. Suarez. Valentia. Arruhal. Herice. Villegas. Scotus. Alens. Bonav.

videntia q. 5 num. 218, Molina art. 5 disput. 1, Suarez lib. 3 de Prædestinatione capit. 4 et sequentibus, Valentia in præsenti, puncto 3, Arrubal disp. 83 num. 3, Herice tract. de Prædestinat. disp. 30 cap. 4, Villegas in suo lib. controversiarum controversia 15 disp. 1 cap. 1 referens Scotum, Alensem, Bonavent., aliique quamplures.

Ratio pro assertione.

Ratio autem fundamentalis hujus assertionis desumitur ex D. Thom. locis citatis, quæ potest sub hac forma proponi. Nam gratiæ electorum interruptæ, secundum suam substantiam, et ut primo eis concessæ, conveniunt tres conditiones desideratæ ad effectum prædestinationis, nimirum quod sit a Deo, quod cum effectu conducat ad consecutionem æternæ vitæ, et quod procedat ex voluntate efficaci dandi gloriam : ergo erit effectus prædestinationis illorum : ac proinde omnis justificatio electorum erit effectus prædictæ prædestinationis. Hæc secunda consequentia patet ex priori, ut constat ex iis, quæ in explicatione tituli num. 17 diximus. Prior vero ex antecedenti.

Probatur antecedens quoad 1 p. et quoad secundam. D. Thom.

Antecedens autem quoad priorem partem, quod prædicta justificatio sit a Deo, non indiget probatione. Quoad secundam vero, nimirum quod cum effectu conducat ad æternam beatitudinem, etiam constat. Tum quia ut optime explicuit D. Thom. loco citato ex 3 p. gratia secundum suam substantiam, et ut primo concessa electis, dedit illis jus ad gloriam re ipsa consequendam; et tale jus non amittitur per peccatum, sed semper manet in divina acceptatione; quamvis per prædictum peccatum sit impeditum, ne actu, et cum effectu ex vi illius acquiratur æterna beatitudo : et ideo cum tollitur peccatum, tunc hæc ablatio tantum se habet per modum removentis prohibens, non vero per modum tribuentis gratiæ primo concessæ, quod cum effectu conducat ad æternam beatitudinem : ergo quod de facto causet gloriam, et cum effectu conducat ad illam, provenit ex nova reparatione per pœnitentiam, præcise ut ex removente prohibens, et ex ipsa gratia secundum suam substantiam, et ut primo concessa, tanquam ex causa per se : et per consequens ipsa sic considerata conducet cum effectu ad æternam beatitudinem.

21. Tum etiam : quia quantitas gloriæ, et incrementum illius non solum datur juxta quantitatem, et incrementum reparationis, sed etiam secundum quantitatem gratiæ primo concessæ, et secundum suam substantiam consideratæ : et ideo si gratia ut primo concessa, habuit intensionem ut sex; et reparatio, ac pœnitentia fuit ut septem, tunc quantitas gloriæ ei correspondens, non solum erit ut septem, sed ut terdecim : ergo signum est quod gratia illa, ut primo concessa, et secundum suam substantiam quam tunc habuit, cum effectu conducit ad æternam vitam.

Et quoad tertiam.

Quoad tertiam vero partem, scilicet, quod gratia electorum, modo dicto considerata, proveniat ex efficaci intentione dandi illis gloriam patet ex secunda parte ejusdem antecedentis. Quia omne bonum quod de facto, et cum effectu conducit ad æternam beatitudinem electorum, provenit, quatenus ad illam conducit, ex efficaci intentione dandi illis gloriam : quandoquidem agens intellectuale, quod non operatur a casu et temere, sed ex consilio, procedit ex intentione finis ad executionem mediorum, et ejusdem finis per illa media, non vero ex executione mediorum ad intentionem finis. Et ita sicut media aliqualiter conducentia ad finem, debent procedere ex aliquali intentione illius, sic media efficacia, et cum effectu conducentia ad finem, et actu, ac efficaciter inferentia illum, debent provenire ex efficaci intentione ejusdem finis.

25. Confirmatur ratio, et cuidam objectioni occurritur. Vazquez.

Confirmatur, et explicatur hæc ratio, et simul occurritur cuidam objectioni, et instantiæ a Vazquez in sui favorem adductæ. Nam ideo gratia Adamo in statu innocentiæ collata, et per peccatum interrupta, non fuit, ut concessa in illo statu, effectus prædestinationis ipsius, quoniam licet fuerit a Deo, nihilominus ut primo concessa, non conduxit cum effectu ad æternam beatitudinem, neque ortum habuit ex efficaci voluntate tribuendi Adamo eamdem beatitudinem : ergo cum gratia aliorum hominum electorum interrupta per peccatum, de qua in hoc dubio loquimur, conducat cum effectu ad æternam beatitudinem eorum, et fuerit eis primo concessa ex intentione largiendi ipsis prædictam beatitudinem, consequens erit, ut sit effectus prædestinationis illorum. Consequentia videtur certa.

Antecedens autem probatur, et explicatur ex discrimine, quod intercedit inter gratiam Adamo in statu innocentiæ collatam, per peccatumque interruptam, et inter gratiam aliorum hominum electorum, ut ante suum peccatum actuale eis tributam. Nam licet ex vi illius gratiæ status innocentiæ, et antecedenter ad peccatum habuerit Adamus jus ad gloriam, attamen

illa

illa gratia, et illud jus ita fuere per peccatum extincta, ut prædicta gratia quantum erat ex se, nec non, et quantum erat ex vi voluntatis, qua primo concessa est, nullum ultra jus dederit, sed omnino deperdita fuerit, nec in divina acceptatione in ordine ad æternam beatitudinem manserit. Et propterea quod postea instaurata, media pœnitentia, habuerit tribuere jus ad gloriam, processit ex meritis Christi, quæ illi fuerunt applicata ex vi novæ voluntatis, et decreti redemptionis, non quidem ut a sola conditione, sive ut a re movente prohibens, sed ut a causa per se prædicti juris.

Cæterum in nobis, quibus a principio ante peccatum nostrum actuale concessa est gratia ex vi meritorum Christi Domini, D. Thom. non sic res se habet, ut ex D. Thom. loco citato ex 3 p. dicebamus : sed gratia illa secundum suam substantiam, et ut primo concessa, quamvis per peccatum interrupta, tribuit prædestinato jus ad gloriam, et manet in divina acceptatione in ordine ad æternam beatitudinem : et ita reparatio per pœnitentiam non tribuit illi, quod det jus taliter, ut hoc proveniat a reparatione tanquam a causa; sed solum ut a removente prohibens.

26. Additamentum primum. Adde pro majori probatione ejusdem antecedentis, esse etiam satis probabile, quod gratia Adamo concessa in statu innocentiæ, non fuit postea restituta et reparata per pœnitentiam ipsius : ac proinde merita Christi Domini non fuisse applicata in ordine ad hanc reparationem : et ita penitus fuisse etiam quoad jus ad gloriam extinctam, nec in divina acceptatione mansisse. Et propterea mirum non est, quod prædicta gratia, per peccatum interrupta, non conduxerit de facto, et cum effectu, ad hoc ut Adamus suam beatitudinem consequeretur, ac proinde quod non fuerit effectus prædestinationis ipsius.

Additamentum secundum. Adde tandem non esse improbabile in via D. Thomæ, quod etiam gratia collata Adamo in statu innocentiæ ortum habuit ex intentione efficaci conferendi illi gloriam; atque adeo taliter habuit voluntatem permittendi ejus interruptionem per peccatum, ut simul habuerit voluntatem reparandi illam : secundum quem modum dicendi omnino corruit objectio Vazquezii : quia juxta illum asserendum est, etiam gratiam illam tunc primo collatam Adamo, fuisse prædestinationis ejus effectum ex meritis Christi, et ad ipsius gloriam ordinatum, atque adeo fuisse gratiam redemptivam, tribuisseque Adamo jus ad gloriam, quod quidem per peccatum non fuit extinctum; sed impeditum, eo modo, quo de gratia interrupta aliorum hominum prædestinatorum diximus. Quomodo autem cohærere probabiliter possit gratiam illam status innocentiæ fuisse redemptivam, et ex meritis Christi, et ad ipsius gloriam ordinatam, cum vera sententia D. Thom. quæ docet quod Christus non veniret Adamo non peccante, et quod decretum Incarnationis fuit post prævisionem peccati originalis, ex dicendis infra disp. 5 hujus tractatus, et latius in tract. de Incarnatione constabit.

Evasio Vazquez. Ratio autem fundamentalis a nobis pro assertione adducta una cum sua confirmatione est adeo efficax, ut ex ea facile corruant ea, quæ ad ejus solutionem Vazquez adducit, nimirum quod etsi admittatur, aliquibus ex electis volitam fuisse efficaciter suam beatitudinem antecedenter ad eorum merita, et vocationes efficaces, et quod ex illa voluntate eos peculiari providentia Deus vocaverit, nihilominus auxilia, merita, et justificationes peccato impeditæ non possent ad peculiarem providentiam, sive prædestinationem pertinere, quamvis ex illa intentione efficaci dandi gloriam, ortum ducerent : ex eo quod dum impediuntur per peccatum, nequeunt continuari ex voluntate Dei cum aliis mediis, quæ postea conceduntur prædestinato post novam pœnitentiam.

27. Impugnatur primo. Ex ratione igitur facta, solutio ista facile corruit. Nam in primis ex illa patet non posse inter se cohærere, quæ in hac solutione conjunguntur. Nam apertam repugnantiam involvit, quod aliquod donum Dei procedat ex intentione efficaci ultimi finis, cum effectuque conducat ad illum; et nihilominus ex ipsamet intentione Dei non conjungatur cum aliis mediis ad consecutionem talis finis : ergo hoc ipso quod justificatio electorum quod suam substantiam, et ut primo concessa est, procedat ex intentione efficaci Dei dandi illis gloriam, et cum effectu conducat ad eam, debet ex eadem voluntate conjungi cum aliis mediis in ordine ad executionem prædicti finis, et per consequens esse effectus prædestinationis. Consequentia est satis perspicua.

Antecedens autem probatur. Quia alioqui voluntas illa esset, et non esset efficax. Esset quidem, ut supponitur; non esset autem, tum quia voluntas, quæ non conjungit omnia media, quæ actu et cum

effectu conducunt ad aliquem finem, seu quæ de facto inferunt illum, non est voluntas efficax respectu talis finis, et mediorum, nec talia media procedunt ab ea ut a voluntate efficaci illorum in ordine ad talem finem, nec ut a voluntate efficaci ejusdem finis. Tum etiam : quia vel voluntas et intentio illa efficax dandi gloriam, ex qua procederet gratia illa interrupta, ut secundum suam substantiam, et ut primo concessa consideratur, habet per peccatum discontinuari, ita ut indigeat nova voluntate finis : vel hoc non habet? Si primum, ergo eo ipso non est voluntas efficax : siquidem voluntas efficax Dei erga aliquem finem, non indiget alia voluntate efficaci ejusdem finis, nec potest interrumpi, et cessare antequam acquiratur prælictus finis. Si secundum, ergo per eam conjungentur, sive executioni mandabuntur omnia media cum effectu conducentia ad prædictum finem, et in eadem voluntate cuncta illa unientur in ordine ad illum.

28. Confirmatur prior impugnatio.

Confirmatur. Nam si prima infusio gratiæ primi parentis, seu gratiæ illius in statu innocentiæ, processisset ex intentione Dei efficaci tribuendi illi beatitudinem, non posset non esse effectus prædestinationis ejus : quia quidquid procedit ex intentione efficaci alicujus finis, est effectus illius intentionis, necnon et illius providentiæ, quæ specialiter connotat talem voluntatem, qualis est prædestinatio : ergo, etc.

Impugnatur secundo

Deinde falsum est, quod hoc ipso, quod gratia impediatur per peccatum, non possit voluntate Dei continuari cum aliis mediis in ordine ad executionem vitæ æternæ. Nam contra hoc urget ratio facta. Tum quia gratia hæc interrupta, et jus ad gloriam, manent in divina acceptatione, Vazquez. quamvis maneant impedita, ut idem Vazq. tom. 2 in 1, 2 disp. 221 num. 33 fatetur : et ita ratione illius juris remanentis in divina acceptatione poterit cum aliis mediis uniri in ordine ad consecutionem gloriæ. Tum etiam : quia, ut modo dicebamus, hoc ipso quod prædicta gratia procedat ex voluntate efficaci dandi gloriam, ut ostendimus, non potest non una cum aliis mediis in illa voluntate conjungi. Tum deinde : quoniam hæc conjunctio mediorum necessario requisita in ordine ad consecutionem finis intenti, nempe vitæ æternæ, non potest esse alia, quam quod unumquodque ex illis mediis habeat suum peculiarem influxum in ordine ad consecutionem totius quantitatis gloriæ prædestinati : at hoc ipso quod illa gratia interrupta, manserit in divina acceptatione, et processerit ex voluntate efficaci dandi gloriam, non potest non habere suum specialem influxum secundum suam substantiam, et ut primo concessa est, in ordine ad prædictam consecutionem gloriæ : ergo habebit unionem illam cum aliis mediis, quæ necessario requiritur.

Tum denique : quia, ut disp. 6 num. 20 dicemus, voluntas Dei respectu permissionis peccati, et interruptionis gratiæ prædestinatorum procedit ex voluntate reparandi illam, et ideo in voluntate illa permittendi, gratia ut primo concessa, infallibiliter conjungitur secum ut reparata, et cum aliis effectibus postea subsecutis : ac proinde ex defectu hujus unionis, nihil deerit quominus gratia interrupta, de qua loquimur, sit secundum suam substantiam effectus prædestinationis electorum, in quibus interrumpitur. Accedit, quod illa permissio peccati est propter bonum prædestinati, juxta illud Apostoli : *Diligentibus Deum* Rom. 8. *omnia cooperantur in bonum* : ergo per illam nequit discontinuari voluntas perducendi illum in gloriam. 29

§ III.

Satisfit argumentis primæ sententiæ.

Ad primum patet ex dictis numero 25. Ad confirmationem negandum est antecedens. Ad probationem vero respondetur, non requiri ad effectum prædestinationis, ut persistat usque ad consecutionem gloriæ in sua propria entitate individuali : alioqui vocatio efficax nunquam interrupta, nec opera meritoria, per peccatum non impedita, non essent effectus prædestinationis; sed sufficit ut permaneant in suo effectu, vel in suo æquivalenti, ut in casu confirmationis contingit. 30 Ad primum oppositæ sententiæ, et ad ejus confirmationem.

Ad secundum constat ex dictis num. 28 et 29. Quomodo autem licet Deus velit permissionem peccati propter reparationem gratiæ cum majori fructu, nihilominus non ob id velit peccatum? constabit ex iis, quæ disp. 6 num. 20 et 28 dicemus. Adde, Additamentum. quod ad hoc, ut gratia interrupta per peccatum, continuetur cum aliis effectibus prædestinationis, non est necesse, ut Deus velit permittere peccatum propter prædictam reparationem : sed satis esse, quod simul habeat voluntatem reparandi, ut intuenti constabit. 31. Ad secundum.

Ad

32. Ad tertium. Ad tertium negandum est antecedens. Quia cum gratia illa processerit ex voluntate efficaci dandi gloriam, oportet ut procedat ex voluntate, quæ simul sit voluntas dandi et reparandi eam in illis electis, in quibus per peccatum aliquando impeditur.

Ad confirmationem. Ad confirmationem negandum est antecedens. Quia gratia illa in electis habet peculiares effectus, quos non habet in reprobis : siquidem in illis cum effectu conducit ad vitam æternam, secus vero in istis.

DUBIUM III.

Quænam vocationes electorum sint effectus prædestinationis eorum.

33. Postquam explicuimus, glorificationem, et justificationem esse effectus prædestinationis, restat ut quoad hoc aliquid dicamus de vocatione, quæ etiam a Paulo inter effectus prædestinationis connumeratur, ut ex dictis constat.

§ I.

Pro explicatione tituli aliqua prælibantur.

Primum notabile. D.Thom. Notandum est primo ex D. Thom. in 1 dist. 41 quæst. 1 art. 2 ad tertium, et ad Roman. 8 lect. 6 vocationem ordinis supernaturalis, de qua in præsenti dubio loquimur (de vocatione enim ordinis naturalis disput. 5 agemus) esse duplicem. Aliam quidem externam v. g. illam, quæ fit ore

Proverb. 9. prædicatoris, de qua Proverbiorum 9 : *Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem.* Aliam vero interiorem, quæ nihil est aliud, quam quidam mentis instinctus, quo cor hominis movetur, aut excitatur a Deo, verbi gratia ad assentiendum iis, quæ sunt fidei, vel virtutis, juxta illud Isaiæ 41 : *Quis suscitavit ab oriente justum, et vocavit eum ut sequeretur se?* Utraque autem potest esse duplex. Nempe vel efficax, illa nimirum, cui respondet prædestinatus exercendo actum, ad quem per illam vocatur, ut actum fidei, si ad fidem excitetur ; vel inefficax, ea scilicet, cui prædestinatus non consentit eliciendo actum, ad quem vocatur : de qua intelligitur illud Proverbio-

Proverb. 1. Matt. 22. rum 1 : *Vocavi, et renuistis*, et Matth. 22 : *Vocati ad nuptias venire noluerunt.* Et tandem tam vocatio efficax, quam inefficax potest interrumpi per peccatum lethale, vel non interrumpi per illud.

34. Secundum. Secundo notandum est, certum esse vocationem efficacem non interruptam per peccatum usque ad finem vitæ (sive illa sit efficax ex se, sive aliunde, de quo in præsenti propter sæpius dicta, non disputamus, et sive talis vocatio sit interna, sive externa) esse effectum prædestinationis. Tum quia prædicta vocatio solum est propria electorum, non vero communis tam electis, quam reprobis. Tum etiam : quia, ut constat ex Paulo cap. 8 sæpius citato ad Roman. aliqua vocatio debet esse effectus prædestinationis electorum : non autem appa.et quæ alia vocatio sit aptior ad hoc, quam vocatio efficax sive interna, sive externa, et non interrupta per peccatum usque ad finem vitæ.

Roman. 8.

D.Thom. Unde D. Thom. ad Roman. 8 lect. 6 explicans prædicta verba Pauli : *Quos autem prædestinavit, etc.*, sic inquit : *Ponit ea quæ ex parte Spiritus Sancti divinitus consequuntur, et primo ponit vocationem, cum dicit : Quos prædestinavit hos et vocavit. Prædestinatio autem ejus irrita esse non potest, secundum illud Isaiæ* 15 : *Juravit Dominus exercituum dicens : Si non ut putavi ita erit, et quomodo mente tractavi, sic eveniet. Primum autem in quo incipit prædestinatio impleri, est vocatio hominis. Quæ quidem est duplex. Una exterior, quæ fit ore prædicatoris. Alia vero interior, et hæc vocatio necessaria est : quia cor nostrum non se ad Deum converteret, nisi Deus nos ad se traheret : et etiam hæc vocatio est efficax in prædestinatis : quia hujusmodi vocationi assentiunt, Joan.* 6 : *Omnis qui audivit a Patre meo, et didicit, venit ad me. Unde secundo ponit justificationem cum dicit : Quos vocavit, hos et justificavit.*

35. Tertium notabile. Tertio notandum est, certum esse juxta dicta dubio præcedenti prædictam vocationem efficacem, etiamsi sit interrupta per peccatum esse effectum prædestinationis electorum. Unde Augustin. lib. de Correc-

August. tione et gratia cap. 9 loquens de divo Petro sic inquit : *Quia didicit non de se ipso fidere etiam hoc ei profuit in bonum, quia secundum propositum vocatus erat, ut nemo eum posset eripere de manu Christi cui datus erat.* Ubi ut vides, vocationem ante lapsum appellat vocationem secundum propositum, quæ secundum phrasin Augustini, idem est ac vocatio procedens ex proposito, seu prædestinatione divina ; cum tamen inter talem vocationem, et finem vitæ intercesserit lapsus ejusdem D. Petri.

Quare tota difficultas hujus dubii in eo

Punctum difficultatis. consistit, an vocationes inefficaces electorum, quibus ipsi resistunt, sint effectus prædestinationis eorumdem, sive illæ sint vocationes internæ, sive externæ? quia ultra prædictas vocationes efficaces internas, et externas, sive continuentur, sive interrumpantur per peccatum, nullæ aliæ vocationes præter inefficaces restant. Cæterum quia si semel istæ continuatæ, seu non interruptæ per peccatum lethale, sunt effectus prædestinationis, etiam hoc habebunt, juxta jam dicta, etiamsi sint interruptæ, propterea solum absolute discutiemus, an prædictæ vocationes sint in electis effectus prædestinationis eorum?

§ II.

Adducitur prior opinio.

36 Prima sententia asserit, vocationes inefficaces, quibus proinde prædestinati resistunt, non esse effectum prædestinationis eorum : ac proinde solas vocationes efficaces prædestinatorum causari ab ipsorum Vazquez prædestinatione. Ita Vazq. 1 p. disp. 93 Valent.a cap. 1, Valent. supra q. 19 disp. 2 q. 13 Machin. puncto 3, Machin. disp. 48 sect. 1, Ville- Ville gas. gas in suis controversiis controversia 15 Cornejo. disp. 1 cap. 2 et ex parte Cornejo in hoc Primum argumentum ex Aug. art. disp. unica dub. 9. Probatur primo ex August. de Prædestin. Sanct. cap. 16, ubi inquit : *Vocat Deus prædestinatos multos filios suos, ut eos faciat membra prædestinati unici Filii : sed non ea vocatione, qua vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias.* Ubi ut vides vocatio inefficax, cui homo resistit, qualis fuit illa, qua vocati fuerunt nolentes venire ad nuptias, non est vocatio, qua vocantur prædestinati : ac proinde non erit effectus prædestinationis eorum.

Et paulo post subjungit idem Aug. :*Sciens esse quamdam certam vocationem eorum, qui secundum propositum vocati sunt, quos præscivit,et prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui.* Ubi innuit eam solam vocationem esse secundum propositum, seu (quod in idem secundum phrasin August. redit) esse effectum prædestinationis : quæ est certa quædam vocatio electorum, ac proinde quæ est vocatio efficax : quia etiam secundum phrasin Aug. idem est, certa hæc vocatio, ac vocatio efficax. Quare cum vocationes inefficaces non habeant rationem hujus certæ vocationis, neque etiam habebunt esse effectus prædestinationis.

Confirmatur ex eodem August. lib. 1 ad Simplicianum quæst 2 lib. 1 contra duas epistolas Pelagianorum cap. 10 ex Fulgentio lib. 1 ad Monimum : ubi voluit solam illam vocationem, quæ est ex proposito congrua, esse effectum prædestinationis : vocatio autem ex proposito congrua, est idem ac vocatio, cui homo non resistit : ac proinde vocationes inefficaces, quas multoties repellimus, quæque proinde non sunt congruæ, non erunt prædestinationis effectus. Confirmatur. Fulgens.

37 Secundum ex ratione. Secundo probatur ratione. Quoniam ut aliquid sit effectus prædestinationis requiritur ut ex intentione gloriæ præparetur : sed vocatio inefficax non præparatur ex intentione ad gloriam : ergo non erit effectus prædestinationis. Major cum consequentia satis constant. Minor vero probatur. Quia ex intentione efficaci finis nemo prudens præparat media, quæ non putat esse efficacia ad obtentionem finis : at vocationes inefficaces, quibus homo resistit, ex cujusque resistentia multoties peccat, non sunt efficaces in ordine ad consecutionem gloriæ intentæ, alioqui non inter vocationes inefficaces, sed efficaces connumerandæ essent : ergo prædictæ vocationes non præparantur ex intentione gloriæ.

Confirmatur. Nam ea quæ sunt communia reprobis cum prædestinatis, non sunt effectus prædestinationis eorum, ut communiter docent Theologi : sed vocationes inefficaces sunt communes reprobis cum prædestinatis : ergo tales vocationes in electis non erunt effectus prædestinationis eorum. Confirmatur.

38. Tertium. Tertio. Quia alias rueret tota essentia, et quidditas prædestinationis : siquidem hæc sita est in hoc, quod prædestinatio sit præscientia, et præparatio beneficiorum, quibus certissime liberantur quicumque liberantur. Sequela probatur. Quia vocationes inefficaces non sunt beneficia quibus certissime liberantur electi, quin potius per earum repulsam indisponuntur quantum est ex vi illius in ordine ad hanc salutem sive libertatem æternæ patriæ : ergo si dictæ vocationes sunt effectus prædestinationis, ac proinde præparantur ab illa, ruet tota prædestinationis essentia.

39. Quartum. Quarto. Quia in prædestinatis alii debent esse effectus voluntatis antecedentis, qua Deus vult omnes homines salvos fieri, et alii voluntatis consequentis, qua efficaciter vult, illos determinate salvari : sed si omnia auxilia sufficientia collata prædestinatis, essent effectus prædestinationis, nullum haberet

haberet in illis effectum voluntas antecedens, qui non esset effectus voluntatis consequentis; siquidem effectus illius voluntatis antecedentis tantum sunt auxilia inefficacia ad salutem : ergo, etc. Minor cum consequentia patent. Major vero videtur perspicua. Nam cum istæ duæ providentiæ, nimirum generalis, et specialis, quæ est prædestinatio, sint saltim ex parte objecti, et effectus distinctæ, et prædestinati cadant sub utraque, oportet ut diversi effectus eis in eodem prædestinato correspondeant.

§ III.

Ex mente Angelici Doctoris dubium resolvitur.

40. Conclusio. Thom. Dicendum tamen est, vocationes inefficaces electorum esse effectus prædestinationis illorum. Ita D. Thom. in hoc art. ubi absolute, et sine aliqua restrictione affirmat, vocationem electorum esse effectum prædestinationis eorum. Idem etiam docuit S. Doct. loco citato ex epist. ad Roman. lect. 6, ubi ut dubio præced. diximus, docet omne beneficium prædestinatis collatum cadere sub prædestinatione, ac proinde esse effectum illius. Et hoc ipsum sanctus Doctor art. 5 et 8 hujus quæstionis, ut ex statim dicendis magis patebit. Et propterea illum sequuntur Cajet. art. 5 et 8 hujus q., Ripa, et Bannez in præsenti, Nazarius controversia unica, Gonzalez disp. 71 sect. 2, et alii quamplures ex junioribus Thomistis, Suarez etiam lib. 3 de prædestin. cap. 6 Granado tract. 6 de effectibus prædestinationis disp. 3, Theodorus disput. 6 de provid. q. 5 n. 227, Herice tract. 3 disp. 30 cap. 2, et alii plures.

ajetan. annez. Ripa. annez. azar. nzalez uarez. anado. eodor. erice.

41. Ratio pro ertione. Ratio fundamentalis hujus assertionis desumitur ex D. Thom. in hoc art. quæ potest sub hac forma proponi. Nam inter alia quæ habent rationem executionis prædestinationis passive sumptæ, est vocatio Dei inefficax : ergo habebit rationem effectus prædestinationis. Consequentia constat ex iis quæ disp. præcedenti n. 22 diximus, nempe executionem prædestinationis active sumptam, esse actum immanentem Dei, virtualiter tantum transeuntem : atque adeo non correspondere in creaturis aliam executionem passivam, præterquam effectus ejusdem prædestinationis, prout recipiuntur in prædestinato, tanquam aliquid dimanans ab eadem prædestinatione.

Probatur antecedens primo. Antecedens autem probatur. Quoniam Deus mediis illis, tanquam vocationibus pertinentibus ad ordinem gratiæ redemptivæ, confert, et exequitur ultimum prædestinationis effectum, nempe gloriam. Tum quia prædictæ vocationes per modum vocationum pertinentium ad ordinem gratiæ redemptivæ, ac proinde capacium cadendi sub prædestinatione, quæ modo, et de facto est, sunt causa motiva, vel occasio efficaciter, et cum effectu excitandi prædestinatum ad majorem pœnitentiam, vel gratiarum actionem, ut patet in Aug. qui lib. 5 confes. c. 14 lib. 6 c. 11, lib. 8 c. 9 et alibi sæpe, recolens quas habuerat vocationes, et quomodo illis restitisset (quod quidem satis indicat illas fuisse inefficaces) excitatus est ad pœnitentiam, humilitatem, et majorem gratitudinem erga Deum ratione quorum majorem gloriam a Deo acquisivit. August.

Secundo Tum etiam : quia hoc ipso quod per modum gratiæ redemptivæ cum effectu conducant modo dicto ad hos actus meritorios eliciendos, sunt collatæ propter eos in genere causæ finalis ; et ita mediis illis exequitur Deus id, quod intendit mediante sua prædestinatione, nimirum majorem gloriam prædestinati.

42. Ultimo. Tum denique : quia licet hujusmodi vocationes non fuerint efficaces pro actu v. g. conversionis, in ordine ad quem immediate tribuuntur; nihilominus aliquo modo emolliunt cor prædestinati, et paulatim disponunt illud ut facilius cum auxilio efficaci convertatur. Sicut correctio et exhortatio, licet non semper convertant hominem prædestinatum, attamen disponunt illum ad conversionem. Et propterea Chrysostomus homil. 1 de Lazaro in fine docet, fratrem peccantem sæpe esse corrigendum : quia correctio, quæ semel non sortitur effectum, sortietur illum sæpius repetita. Ac proinde mediis prædictis vocationibus Deus exequitur ultimum effectum prædestinationis, nimirum gloriam : et per consequens tales vocationes habebunt rationem executionis passivæ, prædestinationis. Chrysost.

Patet hæc ultima consequentia. Quoniam Deus mediantibus quibusdam effectibus prædestinationis exequitur cum effectu, et efficaciter ultimum, et non aliter, nisi id quod conducit ad illos sit causa omnium illorum, qualis est solus Christus Dominus, et ejus merita. Et ita sicut ultimus effectus habet rationem executionis ultimæ et passivæ, prædestinationis, et non alii, ita priores effectus habebunt rationem exe-

cutionis passivæ non ultimatæ respectu ejusdem prædestinationis.

43. Confirmatur. Confirmatur. Quoniam vocationes inefficaces re vera conducunt cum effectu ad vitam æternam prædestinatorum, ut modo dicebamus, et procedunt ex intentione efficaci conferendi illis eamdem vitam : ergo erunt effectus prædestinationis. Consequentia non indiget probatione, nec antecedens quoad priorem partem. Quoad secundam vero suadetur ex illo Pauli ad Roman. 8 : Roman. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti* : ubi (ut explicant plures Patres) illa particula : *Iis qui secundum propositum vocati sunt sancti* (idest prædestinatis) in sensu formali accipienda est : ita ut denotet quod prædestinatis, quia prædestinati sunt, omnia cooperantur in bonum, idest, cooperantur illis in bonum vitæ æternæ. ac proinde omnia bona, et dona Dei illis collata, proveniunt ex prædicto proposito prædestinationis. Quod quidem adeo verum est, ut ex hoc loco plures ex sanctis Patribus colligant, ut disp. 6 num. 11 dicemus, ipsam permissionem peccati in electis, esse effectum prædestinationis eorum; et oriri ex voluntate efficaci dandi illis gloriam. Si autem prædicta permissio ex hac voluntate oritur, potiori jure id de donis gratiæ supernaturalis, quales sunt vocationes inefficaces, dicendum erit.

§ IV.

Objectiones contra rationem assertionis.

44. Prior objectio. Sed objicies primo contra rationem hanc, quod vocationes inefficaces non excitant ad hanc humilitatem, et gratiarum actionem efficaciter, et cum effectu ex vi sua : ergo non habebunt rationem executionis passivæ, prædestinationis, siquidem executio passiva prædestinationis debet cum effectu, et efficaciter conducere ex vi sua ad ultimum effectum prædestinationis, sive immediate, sive mediantibus aliis effectibus : ex eo quod sicut ex vi sua habet rationem executionis passivæ, providentiæ infallibilis, nempe prædestinationis, ita debet infallibiliter ex vi sua, ac proinde efficaciter, et cum effectu conducere modo dicto ad prædictum effectum.

45. Secunda. Secundo objicies, ex vi hujus rationis non probari, vocationes inefficaces formaliter sumptas, esse effectus prædestinationis : ergo, etc. Antecedens probatur. Tum quia in memoriam redactæ non excitant ad pœnitentiam, nisi ut subsunt vocationi efficaci, quæ a Deo tribuitur in ordine ad illam : sic autem non habent rationem vocationum inefficacium, sed potius saltim participative sunt efficaces. Tum etiam : quia quatenus emolliunt, et disponunt cor in ordine ad faciliorem conversionem, mediante vocatione efficaci, non habent propter rationem modo dictam, quod sint inefficaces, sed potius sortiuntur efficaciter effectum emolliendi duritiam cordis.

46. Tertia. Tertio objicies, multoties posse contingere, vel quod prædestinatus nunquam in memoriam reducat, quod restiterit pluribus vocationibus inefficacibus, vel quod hac resistentia in memoriam reducta, non excitetur tunc, nec postea ex vi illius ad aliquem actum bonum. Et deinde aliqua vocatio inefficax potest ita leviter cor prædestinati tangere, et alias prædestinatus ipse ita esse aversus ab objecto in ordine ad quod inclinat, ut cor ejus nullatenus per vocationem illam emolliatur. Et tandem potest etiam contingere, quod aliqua vocatio inefficax detur prædestinato in ordine ad aliquem actum eliciendum, respectu cujus illa dumtaxat vice a Deo per totum vitæ discursum invitetur; tunc autem sicut talis vocatio non repetitur, ita nec habebit paulatim emollire, et disponere cor prædestinati.

47. Quarta. Quarto objicies, non recte colligi ex eo quod vocationes inefficaces in memoriam reductæ conducant cum effectu ad consecutionem vitæ æternæ, quod habeant rationem executionis passivæ, prædestinationis, et per consequens quod sint effectus ejusdem prædestinationis. Hoc autem apparet exemplo alterius providentiæ, nempe domesticæ. Nam licet versetur circa media, quibus comparantur necessaria ad victum, et vestitum familiæ, et ad hunc finem sæpe utatur arte aliqua, quæ cum effectu in ordine ad illum conducit; nihilominus talis ars non est effectus prædictæ providentiæ : pariter ergo licet prædestinatio utatur aliquando ea gratia non congrua in memoriam redacta in ordine ad finem prædestinationis, ita ut re vera conferat ad ipsum; non tamen ex hoc sit necessario esse effectum ejusdem prædestinationis.

48. Confirmatur. Confirmatur. Nam si ratio facta probaret aliquid, etiam convinceret, vocationem inefficacem concessam Adamo in statu innocentiæ esse effectum prædestinationis, ipsius, cujus oppositum communiter docent Thomistæ

Thomistæ. Sequela probatur. Quoniam postea in memoriam redacta, non est cur non excitaverit ipsum ad gratiarum actionem, et majorem humilitatem, sicut aliæ vocationes concessæ prædestinatis eos ad humilitatem majorem, gratiarumque actionem excitant : at propter hanc rationem vocationes inefficaces, spectantes ad ordinem gratiæ redemptivæ aliorum prædestinatorum sunt effectus prædestinationis eorum : ergo idem dicendum erit de vocatione Adami concessa ipsi in statu innocentiæ.

49. Ultima. Villegas. Ultimo contra confirmationem objicit Villegas, quod plures ex Patribus docent in electis etiam peccata cooperari illis in bonum vitæ æternæ; et nihilominus inde non colligitur, eos sentire, peccata esse effectus prædestinationis eorum, sive oriri ex voluntate efficaci dandi illis gloriam : ergo ex hoc quod Paulus dicat, omnia cooperari in bonum prædestinatis, non recte colligitur illum sentire omnia bona gratiæ, ac proinde etiam vocationes inefficaces oriri in electis ex voluntate efficaci dandi illis gloriam.

Consequentia ex paritate rationis videtur constare. Minor vero communiter admittitur a Theologis. Majorem probat Villegas August. testimonio divi Augustini ex lib. de Correctione et gratia cap. 6, ubi hæc verba haberi asserit : *Talibus Deus diligentibus eum omnia cooperantur in bonum, usque adeo prorsus omnia, ut etiam si qui eorum deviant, et exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum : quia humiliores reddit, atque doctiores.* Cæterum verba hæc nequaquam in D. August. invenire potuimus : alia tamen valde similia, imo fere D. Thom. eadem habentur apud D. Thom. ad Roman. Glossa. 8 lect. 6, ubi ex glossa sic refert : *Usque adeo talibus Deus omnia cooperatur in bonum, ut si qui horum deviant, et exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum. Unde et in Psalm. dicitur : Cum ceciderit justus non collidetur, quoniam Dominus supponit manum suam.* Id ipsum docere Author Soliloq. videtur author Soliloquiorum cap. 28 : *Prædestinatis* (inquit) *omnia cooperantur in* ernard. *bonum, etiam ipsa peccata.* Et Bernard. in enarratione Psal. 90 sermone 2 citans Paulum loco relato : *Nonne cooperatur nobis ille casus in bonum, unde et humiliores efficimur, et cautiores?* Et sermone 23 in Cantica : *Timentibus Deum miro modo etiam mala cooperantur in bonum.*

§ V.

Objectionibus contra rationem assertionis factis occurritur.

50. Solutio ad primam objectionem. Ad primam ex his objectionibus distinguendum est antecedens : *ex vi sua* si cum præcisione prædictæ vocationes inefficaces sumantur, transeat : si ut subordinatæ alteri vocationi efficaci, et decreto prædestinationis, negandum est. Et deinde negari debet consequentia. Quia satis est, quod hoc posteriori modo sumptæ habeant ex vi sua conducere efficaciter in ordine ad vitam æternam : quoniam non sunt executiones prædestinationis ex vi sua, nisi ut modo dicto subordinatæ : et satis est ad hoc ut quoad omnem substantiam suam sint effectus prædestinationis, quod sic subordinatæ conducant cum effectu in ordine ad prædictum finem. Sicut ad hoc ut vocatio exterior, et efficax habeat rationem effectus prædestinationis, quoad omnem suam substantiam considerata, sufficit, quod ex vi sua, ut subordinata tamen vocationi interiori, et efficaci, conducat cum effectu ad gloriam.

51. Ad secundam. Ad secundam objectionem distinguendum etiam est antecedens : et si intelligatur de effectu prædestinationis immediate tali, transeat : si vero intelligatur de effectu prædestinationis mediato, seu mediante alia ratione in eo inventa causato, negetur. Et deinde neganda est consequentia. Quia nos solum volumus vocationes inefficaces etiam quoad earum substantiam, et quoad totum quod includunt boni, esse effectus prædestinationis : quamvis earum substantia attingatur ab ea mediate, idest, quia attingitur alia ratio in eis inventa, scilicet quod conducant cum effectu, et modis dictis in ordine ad finem prædestinationis.

52. Ad tertiam. Ad tertiam respondetur, quod licet in sensu diviso possit contingere, quod vocationes inefficaces nullatenus conducant cum effectu, aliquo ex modis dictis, ad æternam vitam; non tamen in sensu composito. Quia omne beneficium Dei in statu naturæ lapsæ collatum prædestinatis, confertur illis ex complacentia æternæ vitæ, quæ prius est illis volita, ut ex D. Thom. dicebamus, et innuit Paulus ad Roman. 8 : *Diligentibus* Roman. 8. *Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt Sancti :* ut ibidem idem D. Thom. exponit. Et prop- D. Thom. terea debet aliquo modo cum effectu ad vitam æternam conducere; vel quia in memoriam

redacta excitat ad humilitatem, aut ad alium actum bonum : vel quia paulatim emollit cor prædestinati, ut explicatum est.

53. Ad quartam. Ad quartam respondetur, multoties posse contingere, artem aliquam esse effectum providentiæ domesticæ, adhuc secundum suam substantiam consideratam : ut si ex voluntate efficaci alendi familiam addiscatur. Et similiter non est dubium quin propter maximam eminentiam, ac proinde universalitatem divinæ prædestinationis, possint vocationes inefficaces electorum esse effectus prædestinationis eorum : imo et de facto sic contingit : ex eo quod Deus ita est circa illos affectus, ut quidquid illis confert, quod aliquo modo conducat ad eorum salutem, quodque sit ex meritis Christi, conferat ex intentione efficaci ejusdem salutis : ut ex Paulo, et D. Thom. dicebamus, et ex pluribus aliis Patribus disp. 5 num. 18 et 19 dicemus.

54. Ad confirmationem quartæ. Ex quo ad confirmationem neganda est sequela. Et ad probationem dicendum est, quod cum ex sacra Scriptura, ut 3 p. q. 1 art. 3 dicemus, constet, Deum decrevisse nullum purum hominem prædestinare, nisi propter merita Christi Redemptoris, ac proinde nonnisi media gratia redemptiva, inde est, ut solæ vocationes inefficaces, quæ pertinent ad gratiam redemptivam, sint effectus prædestinationis. Et ita in hac gratia bene valet, ut ex testimoniis Scripturæ, et Patrum jam allatis, et infra adducendis constat, quod hoc ipso quod cum effectu conducat ad beatitudinem prædestinati, est effectus prædestinationis, et tributa ex vi voluntatis dandi eamdem beatitudinem : secus vero in aliis gratiis, et vocationibus, quæ non spectant ad gratiam redemptivam. Nam istæ secundum suam substantiam non sunt executiones prædestinationis : sed jam semel productæ ex vi alterius providentiæ, ordinantur alia ordinatione, et ex meritis Christi Domini, ad finem prædestinationis.

Unde ad formam probationis sequelæ distinguenda est major : *Non est cur non excitaverit ipsum ad gratiarum actionem,* per modum gratiæ, et vocationis redemptivæ, neganda est : per modum gratiæ utcumque, et non redemptivæ, concedenda est. Et deinde eodem proportionali modo distinguenda est minor, et negan la consequentia. Et propterea ultra tres illas conditiones, indispensabiliter requisitas ad effectus prædestinationis, assignatur alia quarta, nimirum quod res illa, quæ dicitur esse effectus prædestinationis, sit ex meritis Christi : quamvis nos eam inter conditiones, in omni eventu indispensabiles ad effectum prædestinationis, non enumeravimus, licet eam de facto, et ex vi beneplaciti divinæ voluntatis requiri dixerimus. Adde : posse etiam in via D. Thom. non improbabiliter concedi sequelam hujus confirmationis, ut num. 26 jam tetigimus. Additamentum.

55. Ad ultimam. Ad ultimam patet ex dictis, quod et si concedatur major et minor, debet negari consequentia. Quia peccata formaliter sumpta, non sunt effectus Dei : et ita quamvis alias occasionaliter conducant ad finem vitæ æternæ, nequeunt esse effectus prædestinationis, neque oriri ex voluntate efficaci dandi gloriam. Bene tamen verum est, quod hoc ipso quod ad æternam vitam occasionaliter conducerent, si possent habere rationem boni modo dicto, et esse a Deo sicut vocationes inefficaces, etiam essent effectus prædestinationis sicut illæ, et orirentur a voluntate efficaci dandi gloriam.

§ VI.

Diluuntur argumenta primæ sententiæ initio adducta.

56. Ad primum argumentum oppositæ sententiæ prior solutio. Ad primum ex duplici illo testimonio D. August. petitum respondetur, sanctum Doctorem solum intendere, constituere discrimen inter vocationes efficaces, quibus vocantur electi, quæque per se sunt effectus prædestinationis eorum; et inter vocationes inefficaces reproborum, quos nomine eorum, qui vocati noluerunt venire ad nuptias, significat : non autem negat, quin vocationes inefficaces electorum sint etiam effectus prædestinationis eorum, et oriantur ex divino proposito perducendi illos in vitam æternam. Quia etiam istæ cum dependentia tamen ab altera vocatione efficaci, conducunt (ut jam diximus) cum effectu ad prædestinationem : et ideo tribuuntur electis, ut v. g. inde excitentur ad humilitatem, vel ad gratiarum actionem, ac tandem vitam æternam consequantur.

Alia solutio. Secundo respondetur, Augustinum loqui de omnibus vocationibus etiam ineffacibus electorum, contraponendo illas cum quibusvis vocationibus eorum, qui noluerunt venire ad nuptias, seu reproborum, quatenus istæ non sunt vocationes provenientes

nientes ex proposito Dei prædestinantis illos, secus vero illæ, etiamsi sint inefficaces in ordine ad active causandum actum illum, ad quem immediate inclinant : eo quod omnes illæ ex alio capite cum effectu conducunt ad vitam æternam prædestinatorum, aliæ vero non sic conducunt, ad hoc ut reprobi salventur. Et propterea, adhuc secundum phrasin Augustini vocationes illæ, ut proveniunt ex prædicto proposito, et ex illo sunt (modo dicto) efficaces ad conducendum cum effectu ad vitam æternam, nomine certæ vocationis Dei insigniuntur.

57. Ad nfirmationem rimi. Per quod etiam ad confirmationem patet. Nam August. et alii Patres per vocationem ex proposito congruam, intelligunt vocationem, quæ oritur ex prædestinatione, et proposito beatificandi hominem, cui datur : ugust. ut ipse August. lib. in epist. ad Romanos num. 55 se explicat : et ita sub ea claditur vocatio inefficax electorum, ut dictum est. Nec refert quod ei resistat cum primo confertur. Quia non datur ex proposito Dei efficaci, ut tunc ei consentiat; sed ut vel emolliat cor in ordine ad facilius consentiendum vocationibus efficacibus : vel ut suo tempore conducat cum effectu conjuncta alteri vocationi efficaci, ad hoc ut in memoriam reducta excitet ad humilitatem, vel gratiarum actionem, etc.; hæc autem vel aliquid eorum semper conjungitur cum prædicta vocatione, quæ est inefficax in ordine ad actum, ad quem immediate ipsa ex se inclinat : et ita formaliter loquendo de ea quatenus est ex proposito Dei, nunquam ipsi resistitur. Quamvis cum hoc stet, ut ex dictis num. 51 patet, quod ipsa quoad suam substantiam, et quoad id inefficacitat s, quod habet, sit effectus prædestinationis, et oriatur ex divino proposito.

58. Ad ecun- lum. Ad secundum concedenda est major, et neganda minor. Et ad probationem distinguenda est major : *Media quæ non putat esse efficacia*, vel in ordine ad actum ad quem immediate inclinant, et respectu cujus habent virtutem effectivam, vel in ordine ad alium actum, aut effectum de facto, et efficaciter conducentem in ordine ad finem intentum, concedenda est : in ordine ad actum præcise ad quem immediate inclinant, et ad quem in genere causæ efficientis concurrunt, neganda est. Et eodem proportionali modo distinguenda est minor : et neganda consequentia. Quia vocationes inefficaces ex proposito Dei, et dependenter ab alia vocatione efficaci conducunt per modum objecti cogniti in ordine ad actum v. g. humilitatis : et si aliquando respectu alicujus prædestinati sic non concurrerint, influunt tamen efficaciter emolliendo cor ad hoc ut facilius aliis vocationibus efficacibus consentiat, ut dictum est.

Nec hinc fit, ut argumentum hoc intendebat, prædictas vocationes inefficaces non inter has, sed inter efficaces connumerandas esse. Quia ad id necessarium erat ut non per modum objecti, v. g. solummodo concurrerent, sed in genere causæ efficientis in ordine ad actum illum, ad quem immediate inclinant ut v. g. ad actum fidei, si sint vocationes ad fidem : quia hoc ad rationem vocationis absolute, et simpliciter efficacis, et excludentis rationem vocationis inefficacis desideratur.

59. Ad confirmationem secundi. Ad confirmationem respondetur, quod licet vocationes inefficaces tribuantur, tam reprobis, quam electis ; attamen in electis habent aliquid speciale, ratione cujus cum effectu conducunt ad vitam æternam, et dantur ex intentione effectus, ad quem conducunt in ordine ad consequendam eamdem vitam : et propterea etiam quoad id quod est in ipsis commune, sunt effectus prædestinationis. Sicut licet tam reprobis, quam electis tribuantur vocationes efficaces ad fidem; nihilominus quia istæ habent aliquid in electis, quod non habent in reprobis, propterea in illis etiam quoad id, quod est utrisque commune, sunt effectus prædestinationis.

60. Ad tertium. Per quod etiam ad tertium satis constat negandam esse sequelam. Et ad probationem patet etiam ex dictis, quomodo licet vocatio inefficax non sit effectus prædestinationis ex eo quod repellitur, ita ut hoc sit ratio sub qua ex parte sua sit capax ad hoc ut divina prædestinatio sub sua propria formali ratione terminetur ad illam tanquam ad effectum; nihilominus totum id, quod a nobis repellitur, seu cui non consentimus, nimirum tota substantia, et entitas vocationis inefficacis, est effectus prædestinationis. Quia totum hoc tribuitur ex intentione actus, v. g. humilitatis, ad quem postea in memoriam reducta deservit, quique ex intentione efficaci dandi gloriam, una cum prædicta vocatione inefficaci, per prædestinationem præparatus est.

61. Ad quartum. Ad quartum neganda est major, si sensus illius sit, quod effectus, qui proveniunt a providentia generali, non oriantur quasi imperative a prædestinatione electorum.

Qu'a omnia dona Dei procedunt in electis ex providentia peculiari erga illos, scilicet ex prædestinatione : et non utcumque, sed ita ut illa voluntas antecedens, et inefficax, qua vult omnes homines salvos fieri, quodammodo , seu imperative procedat ex voluntate efficaci salvandi electos : et contra hoc non habet vim probatio majoris ibidem adducta. Nam ad hoc ut prædestinatio, et providentia generalis sint distinctæ ex parte effectuum, satis est, quod prædestinatio habeat aliquos effectus, ad quos non se extendit providentia generalis, ut concipitur a nobis sub expresso conceptu, et munere talis providentiæ ; et quod si prædestinatio extenditur ad effectus providentiæ generalis, extendatur ad illos sub diversa formaliter ratione, nimirum quatenus cum effectu conducunt ad finem intentum per eamdem prædestinationem. Sed de hoc iterum infra disp. 5 n. 35 et 37 sermo redibit.

DUBIUM IV.

Utrum actus supernaturales electorum, quatenus procedunt a libero eorum arbitrio, sint effectus prædestinationis ipsorum. Ubi etiam de aliis donis supernaturalibus, an sint effectus prædestinationis electorum agitur.

62. Animadversio. Consulto in titulo posita est particula illa : *Quatenus procedunt a libero eorum arbitrio :* nam de eisdem actibus supernaturalibus ut procedunt a gratia non inquirimus, an sint effectus prædestinationis in electis? ex eo quod partem affirmantem ut certam supponimus : quandoquidem prædestinatio adultorum versatur circa media efficacia, per quæ adulti transmittuntur a Deo in vitam æternam; ac proinde prædicta media debent esse effectus prædestinationis eorum. Constat autem media efficacia, per quæ adulti in vitam æternam transmittuntur a Deo, esse actus supernaturales eorum prout a gratia procedunt. Quare tota controversia est de eisdem actibus prout procedunt a libero arbitrio, an in electis sint effectus prædestinationis eorum?

§ I.

Placitum Molinæ.

Molina. Partem negantem tuetur Molina in præsenti, artic. 5 disp. 1 membro 10. Ubi licet asserat totam entitatem actus supernaturalis, esse effectum gratiæ et prædestinationis; nihilominus libero arbitrio tribuit, quod per suam innatam virtutem influat proxime in actum supernaturalem, ita ut ille actus quatenus præcise procedit ab illo, non sit effectus gratiæ aut prædestinationis, sed ipsius liberi arbitrii.

Primum argumentum. Probatur primo. Nam quod actus supernaturalis sit liber, et secundum hanc rationem sit capax laudis, virtutis, et honoris, non participat a gratia, sed a libero arbitrio : ergo ut sic consideratus, non erit effectus gratiæ, ac proinde nec prædestinationis. Antecedens videtur perspicuum. Quoniam gratia non habet rationem potentiæ liberæ, et indifferentis ad utrumlibet : sed est determinata ad influendum in actum bonum supernaturalem, ita ut nequeat in actum oppositum influere : ergo actus supernaturalis non potest a gratia participare, quod sit liber : et per consequens, nec quod secundum hanc rationem sit capax laudis, virtutis et honoris. Prima vero consequentia ex antecedenti constat. Secunda autem ex priori etiam patet. Nam actus supernaturales, qui secundum aliquam rationem non sunt effectus gratiæ, nequeunt secundum eamdem esse effectus prædestinationis : siquidem prædestinatio nonnisi media gratia exequitur suos effectus supernaturales.

63. Secundum. Secundo. Nam actus supernaturales ut præcise dicunt respectum ad liberum arbitrium, et procedunt ab illo, non sunt a Deo : ergo secundum istam considerationem et præcisionem non sunt effectus prædestinationis electorum. Consequentia non indiget probatione. Nam effectus prædestinationis debet esse a Deo : siquidem Deus media sua prædestinatione illum causat. Antecedens autem probatur. Tum quia prædicti actus ut præcise procedunt a libero arbitrio, tantum procedunt ab illo. Nam secundum istam præcisionem excludunt Deum . sicut illi actus ut præcise sunt a gratia, non sunt a libero arbitrio, sed ut sic excludunt illud : alioqui non considerarentur ut præcise sunt a gratia. Tum etiam : nam prædicti actus supernaturales pendent a Deo, et ab innata libertate arbitrii creati, ut a duabus partibus unius integræ causæ, seu ut a duabus causis partialibus, non quidem partialitate effectus, sed partialitate causæ ; et propterea procedunt ab illis ut a duabus causis diversi ordinis : ergo qua ratione pendent ab innata libertate, et sunt ab illa, non pendent a Deo

a Deo : sicut qua ratione pendent et sunt a Deo, non sunt a libero arbitrio : alias tales actus non essent ab utroque ut a duabus causis partialibus, sed ut ab una et eadem indivisibili causa.

64. Solutio. Nec refert si dixeris, actum supernaturalem, adhuc prout procedit a libero arbitrio, procedere etiam a gratia, et a Deo : quia gratia non solum cooperatur cum libero arbitrio ; sed etiam movet, et elevat illud ad operandum

Impugnatio. Nam contra hoc est, quod gratia, ac proinde Deus mediante illa, non ita movent, et elevant arbitrium creatum in ordine ad eliciendos actus supernaturales, ut prædicta gratia sit tota ratio agendi ; et arbitrium creatum tantum se habeat per modum sustentantis eamdem gratiam : ergo arbitrium habet peculiarem aliquem influxum per suam innatam virtutem in eosdem actus supernaturales, et per consequens prædicti actus, ut procedunt a libero arbitrio, non erunt effectus gratiæ, nec prædestinationis.

Antecedens probatur. Concil. Trident. Antecedens probatur, tum ex Concil. Tridentin. sess. 6 cap. 5 can. 4, ubi decernitur liberum arbitrium esse causam efficientem simul cum gratia respectu actus supernaturalis : si autem gratia esset tota ratio agendi respectu actuum supernaturalium, tunc liberum arbitrium non concurreret effective una cum gratia, sed solum sustentaret illam per modum subjecti *quo*. Sicut, quia respectu calefactionis calor residens in aqua est tota ratio agendi, propterea aqua non concurrit effective in ordine ad calefactionem, sed solum sustentando calorem. Tum etiam, ex August. Psalm. 68 et lib. de verbis Apost. serm. 13 ubi explicans illa verba Psalmistæ : *Adjutor meus esto, Domine, etc.*, ait, ipsum nomen adjutoris significare, quod et nos aliquid facimus : nam qui nihil agit, non adjuvatur ab alio : id autem quod aliquid agit una cum alio, debet habere suam peculiarem virtutem agendi. Tum denique : nam, ut nuper dicebamus, quod actus sit liber, ac proinde quod sit vitalis, debet oriri a voluntate creata : ac proinde gratia non debet esse tota ratio agendi respectu prædicti actus supernaturalis.

65. Probatur consequentia. Prima vero consequentia ex antecedenti constat. Secunda autem ex hac priori aperte videtur sequi. Tum quia ideo calefactio, qua aqua calefacit, est secundum omnem suam rationem atomam a calore, quia calor ita movet aquam ad calefaciendum, ut sit tota ratio calefaciendi : ergo e contra quando aliquid ita movet aliud ad agendum, ut non sit tota ratio agendi, ut in gratia, et libero arbitrio respectu actus supernaturalis contingit, tunc effectus non procedit, secundum omnem suam rationem, ab eo quod movet, scilicet a gratia ; sed ut procedit ab ista, non procedit ab arbitrio moto per illam, et e contra.

Tum etiam : quia hoc ipso quod liberum arbitrium influat per suam innatam virtutem, ita ut gratia non sit tota ratio agendi, oportet ut correspondeat illi proprius, et peculiaris influxus : siquidem distinctis virtutibus agendi debent correspondere influxus aliquo modo distincti : ergo etiam oportebit quod influxus, qui oritur ab una ex his virtutibus, prout ab illa oritur, non procedat ab alia : alioqui non essent aliquo modo distincti : siquidem influxus specificantur, et distinguuntur penes virtutes, a quibus oriuntur : ac proinde penes hoc, quod quatenus quivis eorum oritur a sua causa, non oritur ab alia.

§ II.

Communis et vera sententia.

66. Conclusio. Probatur autoritate Patrum et Theologorum. August. Chrysost. Bernard. D. Thom. Dicendum tamen est, actus supernaturales electorum prout procedunt a libero arbitrio esse effectus prædestinationis eorum. Ita August. in Enchir. cap. 32 et lib. de Prædest. Sanctorum cap. 2 de Dono perseverantiæ cap. 6, ut statim expendemus, Chrysost. super epist. 2 ad Corinth. cap. 3, Bernard. lib. de gratia et lib. arb., ut ex eorum verbis in hoc dub. referendis patebit, D. Thom. art. 5 hujus quæst. ubi sic ait : *Non est autem distinctum quod est ex libero arbitrio, et ex prædestinatione, sicut nec est distinctum quod est ex causa secunda, et causa prima. Divina enim providentia producit effectus per operationes causarum secundarum, ut supra dictum est. Unde et id quod est per liberum arbitrium, est ex prædestinatione.* Idem docet de Veritate quæst. 6 art. 2 ad 11 his verbis : *Quamvis Deus nulli volenti accipere gratiam eam deneget, sed hoc ipsum quod est velle accipere gratiam est nobis ex prædestinatione divina*, et alibi sæpe.

Cajetan. Bannez. Ripa. Nazar. Gonzalez Machin. Valentia. Unde hanc sententiam sequuntur Cajet. loco citat. ex 1 p., Bannez, et Ripa in hoc art., Nazarius in præsenti controversia unica, Gonzalez disp. 71 sect. 4, Machin disp. 38 sect. 1 conclus. 3, Valentia in hac quæst.

Granado. Suarez. Herice. Arrubal. Villegas. Alens. Bonavent. Ricard. Scotus.

art. 5 puncto 4 § 3, Granado tractatu 6 de Prædestinatione disp. 4 num. 2, Suarez lib. 3 de Prædestinatione cap. 5 num. 7, Herice disp. 30 cap. 3 num. 16, Arrubal in præsenti cap. 1 num. 1, Villegas controversia 15 cap. 1 referens Alensem, Bonavent., Ricard.; et Scotum, et quamplurimi alii ex junioribus.

67. Et ratione primo.

Assertio hæc satis constat. Tum ex iis, quæ in tractatu de Visione Dei disp. 4 num. 55 et 56 diximus, scilicet arbitrium creatum non habere virtutem agendi proximam in ordine ad actus supernaturales, sed tantum remotam, et radicalem; ac proinde totam virtutem proximam agendi provenire illi a gratia, sive ab auxilio gratiæ. Nam ex hoc aperte sequitur, actum supernaturalem, prout est a libero arbitrio, ut a virtute agendi radicali, et remota, procedere a gratia, seu ab auxilio gratiæ, ut a totali virtute agendi proxima : ac proinde esse effectum prædestinationis, non minus quam ipsa gratia, quæ est effectus illius, et causa ejusdem actus prout a libero arbitrio.

Secundo

Tum etiam ex iis, quæ in hoc tract. disp. 2 num. 49 asseruimus, scilicet prædestinationem dicere imperium efficax divini intellectus circa media efficacia, et cum effectu conducentia in ordine ad consecutionem vitæ æternæ. Constat autem quod in adultis actus supernaturales prout ab illis, sunt media efficacia cum effectu conducentia in ordine ad vitam æternam; ac proinde tales actus prout ab illis, cadent sub prædestinatione, et erunt effectus illius.

68. Confirmatur. D.Thom.

Confirmatur, et explicatur, ratione D. Thom. de Veritate quæst. 6 art. 2 ad primum, quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam hoc ipso quod Deus per prædestinationem velit dare gratiam efficacem adultis in ordine ad actus supernaturales, debet etiam velle quod ea recte utantur : quinimo collationem hujus gratiæ efficacis debet ordinare ad hoc ut per illam actus supernaturales eliciant : ergo bonus usus, quo liberum eorum arbitrium utitur prædicta gratia, erit effectus prædestinationis, etiam secundum quod procedit a libero arbitrio.

Probationes antecedentis.

Antecedens videtur certum. Tum quia Deus per prædestinationem absolute, et simpliciter vult, quod adulti prædestinati eliciant actus supernaturales. Unde sicut nequeunt eos elicere, nisi bene utendo gratia efficaci, ac proinde nisi ibidem detur influxus prout a libero arbitrio, ita Deus non potest efficaciter velle tribuere eis gratiam efficacem in ordine ad prædictos actus, nisi velit etiam quod ea recte utantur : quinino debet prædictam gratiam in ordine ad hunc finem ordinare : quia, ut ex jam dicendis constabit, hic est intrinsecus et indispensabilis finis ejus.

Tum etiam : quia proprius effectus prædictæ gratiæ efficacis est facere efficaciter, ut arbitrium creatum recte illa utatur (sive hæc efficacitas proveniat ex intrinseca entitate talis gratiæ, vel aliunde, de quo in præsenti propter rationem sæpe dictam non disputamus) et ita Ezechielis 36 dicitur : *Faciam ut in præceptis meis ambuletis, et operemini*, et Aug. tom. 7 in lib. de Gratia et libero arb. cap. 15 : *Certum est* (ait) *nos velle cum volumus, sed ille facit ut velimus. Certum est nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati.* Unde hoc ipso quod Deus per prædestinationem velit tribuere gratiam adulto prædestinato in ordine ad actus supernaturales eliciendos, debet etiam velle quod ipse per liberum arbitrium recte ea utatur : et prædictam gratiam in ordine ad hunc influxum ordinare : siquidem, ut modo dicebamus hic est proprius, immediatus, et indispensabilis effectus ejusdem gratiæ; et in ordine ad hunc finem per se primo instituta est. Ezechiel 36. August.

60. Probationes consequentiæ.

Consequentia vero probatur. Tum quia non potest Deus per prædestinationem velle efficaciter causam infallibiliter influentem in aliquem effectum, quin per eamdem prædestinationem velit prædictum effectum : et ita si proprius effectus formalis gratiæ efficacis est facere ut arbitrium creatum recte illa utatur, et cum eadem operetur, nequibit Deus velle per prædestinationem prædictam gratiam efficacem, quin etiam velit bonum usum, et cooperationem prout a libero arbitrio : atque adeo utrumque erit effectus prædestinationis.

Tum etiam : quia hoc ipso quod gratia efficax ordinetur ad hoc ut liberum arbitrium consentiat et cooperetur, ita ut hic sit finis immediatus, et per se primus illius, debet tam ipsa quam prædicta cooperatio prout a libero arbitrio esse effectus prædestinationis : siquidem prædestinatio attingens medium efficax ordinatum ad aliquem finem proximum, debet etiam attingere prædictum finem : et propterea eadem prædestinatio attingens media efficacia in ordine ad vitam æternam, non potest non attingere, et causare eamdem æternam vitam.

D.Thom.

Quam rationem paucis tetigit D. Thomas alibi, scilicet in cap. 2 epistolæ ad Ephes.

Ephes. his verbis : *Deus præparavit nobis bona opera, in quantum disposuit prædestinatione sua se nobis illa daturum.* Constat autem quod hoc ipso quod Deus velit prædestinatione sua dare nobis bona opera, debuit etiam eadem prædestinatione velle, quod nos illa eliciamus; et gratia data per prædestinationem recte utamur : ac tandem debuit prædictam gratiam ad talem usum ordinare.

70. Alia ratio principalis pro assertione ex D.Thom.

Deinde probatur assertio ratione depromta ex D. Thom. 4 Cont. gent. cap. 21 et art. 5 hujus q. quæ potest sub hac forma proponi. Deus per prædestinationem et mediante divina gratia, est causa perfectissima et universalissima actuum supernaturalium prædestinatorum, quibus efficaciter consequuntur vitam æternam : ergo erit causa eorumdem, etiam prout procedunt a libero arbitrio. Consequentia patet. Tum quia causa, quæ non causat effectum quoad omnem rationem, quæ in eo est, non concurrit per modum causæ perfectissimæ : et propterea quando plures concurrunt ad trahendam navim, quam singuli trahere non possunt, tunc nullus ex illis influit per modum causæ omnino perfectæ et integræ; sed ex omnibus illis coalescit una integra et perfecta causa.

Tum etiam : quia causa influens per modum causæ universalissimæ, debet se extendere ad effectum secundum omnem rationem in eo inventam, alioqui non influet per modum causæ universalissimæ in causando. Tum denique : quia alioqui Deus dum prædestinat, non operaretur per modum primi provisoris primæque causæ : de cujus ratione est, ut quidquid procedit ab aliis causis secundis efficaciter conducens ad vitam æternam; et ut ab illis procedit, causetur ab ipso mediante sua providentia et prædestinatione : ex eo quod illæ hoc ipso quod sint causæ secundæ, debent habere a Deo ut a primo provisore efficaciter providente de illo fine, ac proinde prædestinante, quod influant, et operentur.

71. Antecedens autem quod primam partem non indiget probatione. Quia sicut Deus semper influit per modum entis perfectissimi, et perfectissime in actu constituti, ita etiam semper influit per modum perfectissimæ causæ : atque adeo idem etiam habebit dum per prædestinationem influit. Quoad secundam vero partem etiam constat. Quoniam sicut Deus ut prædestinans, est universalissimum ens, idest, continet omnem rationem entis repertam in mediis efficaciter imperatis per prædestinationem, ita influit in productionem eorum per modum causæ universalissimæ in causando, seu extendentis se ad prædicta media, quoad omnes rationes in eis inventas.

Quam rationem paucis videtur tetigisse D. Bernard. in tract. de Gratia et lib. arbitr. paulo ante finem dum dixit : *Totum bonum opus liberum arbitrium peragit, et totum gratia, sed ut totum in illo* (scilicet in libero arbitrio) *sic totum ex illa* (idest ex gratia) ubi ideo inquit totum opus bonum peragi in libero arbitrio ex gratia, quia quod prædictum arbitrium velit, provenit ex illa; non vero quod gratia influat procedit ex libro arbitrio : ac proinde tribuit gratiæ, et prædestinationi, a qua ducit ortum, quod influat per modum causæ perfectissimæ, et universalissimæ : et per consequens, quod ita concurrat, ut bonum opus prout est a libero arbitrio, sit etiam effectus gratiæ, et prædestinationis. Bernard.

Hæc autem ratio est ita efficax, ut ex sola ejus aliquali expensione, facile corruat id, quod ex doctrina Molinæ posset deduci ad illi occurrendum, nempe quod licet Deus sit causa summe et infinite perfecta, ac universalissima in causando; nihilominus ex abundantia suæ bonitatis se accommodat causis secundis, præsertim cum liberis, partialiter cum illis influendo, ut ita earum libero arbitrio locus detur. Effugium Molinæ.

72. Præcluditur.

Ex dictis igitur solutio hæc corruit. Nam licet Deus ex abundantia suæ bonitatis accommodet se causis secundis, et earum libero arbitrio; et illi, ut cum ipso Deo operetur, locum det, non tamen ita ut a se, et a sua providentia rationem primæ, et universalissimæ causæ, et provisoris, primique et universalissimi entis possit auferre; sed semper debet per modum primi, et universalissimi entis, et causæ influere : ergo nequibit ita influere, et accommodare se cum libero arbitrio creato mediante sua providentia, seu prædestinatione, aut sua potentia executiva, ut id ipsum, quod est a libero arbitrio, prout est ab eo, non sit etiam immediate a Deo, et a divina providentia, et prædestinatione.

Antecedens videtur certum. Nam sicut causa vitalis ut talis, non potest operari nisi vitali modo; nec causa secunda nisi per modum causæ secundæ, ita prima, primusque provisor, nequit ita se accommodare cum causa secunda, ut non operetur semper per modum causæ primæ, per modumque primi provisoris.

Consequentia vero etiam constat. Nam hoc ipso quod actus ille supernaturalis prout est a libero arbitrio, non esset immediate a Deo, jam hæc formalitas essendi a libero arbitrio, ut talis, non reduceretur in Deum, ut in causam immediate illam causantem, sed solum remote, quatenus dedit liberum arbitrium : ac proinde Deus non concurreret per modum primi, et universalissimi entis, et provisoris, de cujus ratione est ut omne ens, et formalitas entis, quæ est talis per participationem, procedat immediate ab eo tanquam a primo ente per essentiam tali, et tanquam a primo provisore providente de omnibus, quæ sunt entia per participationem. Cum ergo Deus nequeat non operari per modum primi entis, primæque causæ et provisoris, nequibit ita influere, et se accommodare cum libero arbitrio creato mediante sua providentia, et potentia executiva, ut id ipsum, quod est a libero arbitrio, prout est ab eo, non sit etiam a Deo, et a sua providentia, seu (quod in idem quoad præsens redit) a sua prædestinatione.

73. Confirmatur primo.

Confirmatur, et explicatur primo. Nam vel actus supernaturales prout a libero arbitrio creato, sunt effectus immediate causati a divina providentia, vel non? Si hoc secundum dicatur, ergo divina providentia non erit providentia primi, et universalissimi provisoris, de cujus ratione est, ut quidquid est extra Deum, cadat immediate sub illa : sicut quidquid est extra ipsum, debet immediate divinæ potentiæ subdi. Si vero primum asseratur, ergo tales actus secundum prædictam rationem immediate cadent sub prædestinatione, et erunt effectus illius, ut ex terminis ipsis constat.

74. Confirmatur secundo.

Confirmatur, et explicatur secundo. Nam si Deus posset ita se accommodare libero arbitrio, ut concursus liberi arbitrii prout ab eo non esset immediate a Deo, ac proinde nec a providentia, per quam ipse Deus tunc influit, scilicet prædestinatione, tunc sequeretur, Deum non solum influere partialiter partialitate causæ, sed partialitate effectus ; ita ut pars effectus sit signanda Deo, et pars arbitrio creato : ex quo etiam fieret, arbitrium creatum, primatum sibi obtinere : et habere multum unde in operibus bonis gloriaretur : hæc autem omnia satis falsitatis præ se ferunt : ergo, etc.

Probatio sequelæ quoad priorem partem.

Sequela quoad priorem partem videtur certa. Quoniam hoc ipso quod actus supernaturales prout sunt a libero arbitrio, non essent immediate a Deo, ac proinde neque a providentia per quam tunc influit in illos, jam illa pars influxus, et actus prout a libero arbitrio, esset immediate solum tribuenda ipsi : et per consequens pars actus esset tribuenda soli arbitrio creato, et altera pars soli Deo : maxime cum hoc ipso quod influxus ille prout a libero arbitrio non sit, juxta oppositam sententiam a gratia, debeat esse præcise a facultate naturali liberi arbitrii, et esse ordinis naturalis, ac proinde ex natura rei distinctus ab altera parte ejusdem actus, quæ est a gratia : siquidem ea quæ sunt a gratia, et ordinis supernaturalis, et ea, quæ sunt ordinis naturalis concurruntque ad integrandum unum actum, non possunt non ex natura rei, et secluso intellectu tanquam pars, et pars ejusdem actus distingui : et ratione hujus distinctionis esse satis ad hoc, ut una pars tribuatur soli Deo, et altera soli arbitrio, si pars actus prout a libero arbitrio ita est immediate ab ipso, ut secundum quod ab ipso est, non procedat immediate a Deo, et ab ejus gratia.

Et quoad secundam.

Ex quo etiam eadem sequela quoad secundam ejus partem patet. Nam hoc ipso quod actus supernaturales prout a libero arbitrio creato, non sint immediate a Deo, tribuentur libero arbitrio ut primo libero : siquidem secundum istam rationem non tribuuntur illi, ut dependenti immediate ab alio primo libero : ac proinde Deus non influet ut primum liberum respectu illius, sed ut secundum : siquidem primum liberum, tantum potest esse unicum. Sed de his videantur ea, quæ in tract. de Voluntate Dei disp. 10 num. 58 et deinceps diximus.

Et quoad ultimam.

Ex quo tandem eadem sequela quoad ultimam partem liquet. Quoniam si concursus liberi arbitrii prout ab ipso, non est a gratia, jam prædictum arbitrium ex sua facultate naturali aliquid magni haberet, sine quo dona gratiæ nihil prodessent, de quoque posset gloriari, nempe de influxu illo prout a se : secundum quam rationem, juxta oppositam sententiam, ita elicit illum ut talis influxus cum præcisione dicta sumptus, non sit a Deo.

75. Confirmatur ex D. Aug.

Quam confirmationem videtur tetigisse August. lib. de Prædestinatione Sanctorum, cap. 2 et 3 inquiens : *Nolens ergo his tam claris testimoniis repugnare, et tamen volens a se ipso sibi esse quod credidit, quasi componit homo cum Deo, ut partem fidei sibi vendicet, atque illi partem relinquat : et quod est elatius, primam tollit ipse; sequentem*

tem dat illi : et in eo quod dicit esse amborum, priorem se facit, posteriorem Deum. Non sic pius atque humilis Doctor ille sapiebat (Cyprianum beatissimum loquor) qui dixit in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit, idest, quando quidquid immediate operamur, totum nobis adhuc prout a nobis, procedit a Deo.

August. Unde idem D. August. eumdem modum partialiter concurrendi excludit de Dono perseverantiæ cap. 6 explicans eamdem sententiam divi Cypriani, inquiens : *Tutiores igitur vivimus, si totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, et nobis ex parte committimus*, et cap. 13 : *Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur, et velle : nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur, et operari pro bona voluntate : hoc expedit credere, hoc est pium, hoc est verum, ut sit humilis, et submissa confessio, ut totum detur Deo.*

Ex quibus omnibus satis liquet id, quod in hoc dubio intendimus, scilicet actus supernaturales electorum prout sunt ab illis, esse etiam a Deo, et a prædestinatione, seu nullam esse formalitatem in prædictis actibus, quæ non solum identice, sed etiam quoad omnem ejus rationem formalem non sit a Deo, et a prædestinatione : et non utcumque, sed ita ut licet ultra ipsum Deum habeat liberum arbitrium creatum. aut alia virtus creata influere actu in illos; attamen totum hoc habeatur, et communicetur eis a Deo, et a prædestinatione, ratione cujus efficaciter imperative Deus facit ut liberum arbitrium creatum faciat.

§ III.

Fit obviam argumentis pro sententia Molinæ.

76. Ad primum oppositæ sententiæ. Ad primum respondetur distinguendo antecedens : *Non participat a gratia*, quod sit liber tanquam a principio radicali, et habente præcise commensurationem essentialem, in ordine ad illum actum ut liberum, concedendum est : tanquam a quantitate virtutis, et ratione agendi proxima, negari debet. Quia liberum arbitrium respectu actuum supernaturalium tantum habet secundum se commensurationem essentialem; non vero quantitatem virtutis, seu efficacitatem proximam, nisi ut elevatum per gratiam, ut constat ex iis, quæ in tract. de Visione Dei disp. 4 num. 55 et 56 diximus.

Et ad probationem dicendum est, quod licet gratia, seu auxilium gratiæ non habeat rationem potentiæ liberæ ut *quod* est tamen quantitas virtutis potentiæ liberæ ut talis et per consequens licet non sit libera ut *quod*, est tamen libera ut *quo*. Et ita non est determinata ad influendum per modum naturæ, nec influit cum libero arbitrio movendo illud ut hoc modo agat, sed inclinando suaviter ipsum per modum libertatis : quia quantitas virtutis potentiæ liberæ ut talis, ita determinat, et inclinat ad unam partem, ut relinquat potentiam ad oppositum : sed de his videantur ea, quæ in tract. de Voluntate Dei disp. 10 num. 120 asseruimus.

77. Ad secundum August. Ad secundum negandum est antecedens, tum cum Augustin. lib. 1 retractat. cap. 9 his verbis : *Et quia omnia bona magna, et media, et minima ex Deo sunt, sequitur quod ex Deo sit bonus usus liberæ voluntatis.* Et lib. 2 de peccatorum meritis, et remissione cap. 18 : *Sed laborant homines invenire in nostra voluntate, quid boni sit nostrum, quod nobis non sit ex Deo : et quomodo inveniri possit ignoro.* Et lib. de gratia Christi cap. 5 ubi adversus Pelagianos reprobat quod ad adimplenda omnia præcepta solum indigeamus Deo coadjutore partiali, non autem ut largitore talis adimpletionis adhuc prout a nobis : et ita adversus eos inquit : *Adjutorem volunt esse Deum, non largitorem virtutis, contradicentibus Patribus, qui sciebant ad Dominum veraci pietate clamare : Diligam te, Domine, fortitudo mea.*

D. Thom. Tum etiam cum D. Thom. 1 p. quæst. 83 art. 1 in solutionibus argumentorum, et in 2 distinct. 37 quæst. 1 artic. 2 ad quartum, his verbis : *Operatio illius agentis, qui per se agit, oportet ut in primum agens sicut in causam reducatur : quamvis enim hujusmodi entia per se agant, quia per propriam naturam, et proprium judicium actus suos determinant, non tamen a se habent quod agant, sed a primo agente, quod eis et* esse, *et* posse, *et* agere *confert.* Et ibidem quæst. 2 art. 2 hoc demonstrat, inquiens : *Omnis etiam virtus ab essentia est, et operatio a virtute. Unde cujus essentia ab alio est, oportet quod virtus, et operatio ab alio sint.*

78. Ad primam ejus probationem. Et ad primam probationem negari etiam debet antecedens. Nam licet in prædictis actibus expressus conceptus procedendi a libero arbitrio non sit expressus conceptus procedendi secundum istam rationem a Deo, et a gratia; attamen in illo conceptu

intime, et impræscindibiliter includitur, quod adhuc prout sunt a libero arbitrio, sint a Deo et a gratia. A Deo quidem propter rationem generalem actuum causæ secundæ : a gratia autem, quia non procedunt a libero arbitrio, ut ab habente virtutem agendi proximam in ordine ad eosdem, quippe qui sunt supernaturales; sed tantum ut a principio remoto, et radicali, et habente quantitatem virtutis, atque efficaciam proximam ab ipso auxilio gratiæ. Et propterea licet expressus conceptus procedendi a libero arbitrio, ut a principio radicali, non sit expressus conceptus procedendi a gratia; attamen hoc ipso quod procedant a libero arbitrio ut a principio radicali tantummodo, ibidem impræscindibiliter includitur, quod adhuc ut procedunt a libero arbitrio, procedant etiam a gratia, ut a dante virtutem agendi proximam.

79. Ad secundam ejusdem probationem.

Ex quo etiam ad secundam probationem ejusdem antecedentis constat. Nam si loquamur de Deo ex una parte ut de causa prima, et universali, et ex alia de arbitrio creato ut elevato per gratiam, tunc licet actus supernaturales pendeant a Deo, et a libero arbitrio; non tamen ut a duabus partibus unius integræ causæ in eo sensu in quo arguens intendit; sed ita ut licet totus actus supernaturalis, et quoad omnem ejus formalitatem fiat, tam a Deo ut a causa prima, et universali, quam ab ipso libero arbitrio elevato per gratiam; nihilominus quia arbitrium sic elevatum subordinatur Deo ut primæ universali causæ, propterea influxus ipsius prout ab ipso, est a Deo, licet non e converso.

Si vero loquamur ex una parte de solo arbitrio creato, et ex alia de auxilio gratiæ, tunc non concurrunt per modum duarum causarum particularium partialitate causæ proximæ; sed arbitrium influit remote per modum commensurationis essentialis, et auxilium gratiæ per modum quantitatis virtutis proximæ : et ita constituunt unam et eamdem indivisibilem causam in ratione causæ : quia una, et indivisibilis causa in ratione causæ utrumque petit. Ac proinde (ut nuper dicebamus) ibidem involvitur, quod influxus prout a libero arbitrio, procedat etiam ab ipsa gratia : sicut quia liberum arbitrium habet ex se respectu alicujus actus naturalis, tum commensurationem essentialem, tum quantitatem virtutis, propterea secundum utramque rationem constituit unam, et eamdem indivisibilem causam : et ille actus prout a libero arbitrio secundum commensurationem essentialem, procedit ab eodem secundum quantitatem virtutis, quam habet.

80. Solutio inter arguendum data approbatur et defenditur.

Unde solutio ad hoc argumentum ibidem adducta, et juxta dicta intellecta admitti debet. Et ad probationem in contrarium patet ex dictis, quomodo licet gratia non sit tota ratio agendi, prout ly *tota* dicit tam rationem agendi remotam, quam proximam, seu tam commensurationem essentialem, quam quantitatem virtutis; est tamen tota ratio agendi proxima, seu tota quantitas virtutis in ordine ad actus supernaturales : et ita arbitrium creatum non habet peculiarem aliquem influxum proximum per suam innatam virtutem in tales actus; sed solum remotum, et radicalem : seu (quod in idem redit) influxus ille, qui est ab arbitrio ut a principio radicali, procedit etiam a gratia, ut a virtute agendi proxima. Et propterea ibidem non sunt distincti influxus, sed actus illi prout procedunt ab arbitrio tantum radicaliter, sunt etiam effectus gratiæ, et prædestinationis. Per quæ ad omnia, quæ in prædicta impugnatione dicuntur, satis constat.

81. Corollarium.

Ex quibus omnibus, et ex iis, quæ in tota hac disp. diximus, et in sequenti dicemus, satis liquet, omnia dona supernaturalia (quæcumque illa sint) quæ electis conferuntur, esse effectum prædestinationis eorum, ut perpendenti constabit. Unde cum Paulus ad Roman. 8 omnes effectus supernaturales prædestinationis comprehendit sub vocatione, justificatione, et glorificatione, sub his ambit omnia conducentia ad illos, vel eorum augmentum. Ut v. g. sub vocatione omnia auxilia sive intrinseca, sive extrinseca, quæ tribuuntur ad credendum, necnon et fidem ipsam. Sub justificatione omnem dispositionem, quæ habita fide, proxime vel remote conducit ad acquisitionem, vel augmentum gratiæ, et cuncta auxilia, quibus acquiritur, vel augetur eadem gratia, necnon auxilium gratiæ subsequentis, quo justificatus indiget, ut glorificetur. Sub glorificatione tandem comprehendit omnem dotem animæ, et corporis, et laureolas quæ exornant, et perficiunt beatitudinem, et alia gaudia accidentalia provenientia ex pulchritudine loci, vel consortio Sanctorum, aut aliorum bonorum. Rom 8.

Si autem inquiras, an auxilia, et alia dona gratiæ concessa reprobis, sint effectus prædestinationis electorum? et an sint etiam

etiam effectus reprobationis ipsorummet reproborum? constabit ex dicendis, tum in disp. 5 num. 25 tum in disp. 8 num. 100 et sequentibus hujus tract.

DISPUTATIO V.

De prædestinatione, quoad effectus ordinis naturalis ab illa provenientes.

1. Postquam explicuimus, prædestinationem plures habere effectus ordinis supernaturalis, statim pulsat animum inquirere, an etiam extendatur ad effectus ordinis naturalis? et ideo ut hoc ex professo explicetur, disputatio ista excitatur.

DUBIUM UNICUM.

Utrum ipsum esse *substantiale prædestinati, et omnia entia ordinis naturalis, sint effectus prædestinationis electorum?*

Merito in titulo utrumque conjungitur, et *esse* substantiale prædestinati, et cætera alia entia ordinis naturalis : quia ut, ex dicendis in hoc dub. constabit, eo lem proportionali modo in illis philosophandum est.

§ I.

Proponitur prior sententia.

Gabriel. Ocham. Major. Vazquez. Pesant Machin. Arrubal. Cornejo. Gonzalez Sotus. Cajet. Alvarez. Partem negantem tuentur Gabriel, Ocham. et Major in 1 dist. 40 q. 1. Vazquez in præsenti disp. 93 c. 4, Pesantius disp. 3, Machin. disp. 48 sect. 2 corollario, 1, Arrubal disp. 81 cap. 2, Herice tract. 3 disp. 30 c. 5, Cornejo in hoc art. disp. unica dub. 3, Gonzalez disp. 72 sect. 1. Pro qua etiam referri solet Sotus lib. 1 de natura et gratia c. 20 et Cajet. 3 p. quæst. 1 art. 3 ubi etiam Alvarez, et intelligitur hæc sententia de *esse* substantiali prædestinati, quod secundum communem cursum fit. Nam si fiat modo aliquo extraordinario, et supra exigentiam causarum secundarum, ac proinde modo aliquo supernaturali, tunc fatetur inter effectus prædestinationis esse computandum.

Primum argumentum. Ad Rom. 8. Probatur primo. Quoniam Paulus ad Rom. 8 numerans effectus prædestinationis, incepit a vocatione gratuita dicens : *Quos prædestinavit, hos et vocavit :* at si substantia prædestinati, et aliæ res naturales essent effectus prædestinationis, tunc non incepisset a prædicta vocatione, sed a substantia ipsa prædestinati, et a conditione universi : siquidem hæc esset prior ejusdem prædestinationis effectus : ergo hoc ipso quod ab ea non inceperit, satis insinuavit, ipsam substantiam prædestinati, et alias res naturales inter prædestinationis effectus non esse connumeranda.

2. Secundum August. Secundo probatur ex Aug. epist. 95 et 105, ubi inquit : *Abjiciatur a Christianorum cordibus ista fallacia. Nam omnino non istam gratiam commendat Apostolus, qua creati sumus ut homines essemus; sed justificati sumus ut homines justi essemus : ista est enim gratia per Jesum Christum Dominum nostrum : etenim Christus non pro nullis, ut homines conderentur, sed pro impiis mortuus est, ut justificarentur.* Ubi, ut vides, distinguit Aug. gratiam creationis nostræ (ac proinde totius universi ordinis naturalis : quia ut ex dictis, et ex dicendis patebit, eadem quoad hoc, est ratio de creatione nostra, et totius universi ordine naturali) a beneficio redemptionis, et a gratia prædestinationis. Si autem gratia creationis esset effectus prædestinationis, ac proinde esset beneficium redemptionis, non distingueretur a gratia prædestinationis; quandoquidem per eamdem gratiam prædestinati, et creati essemus : nec dixisset August. Christum non fuisse mortuum ut homines conderentur, cum omnes effectus prædestinationis sint ex meritis Christi.

Patres Concilii Africani. Nec solus August. in hac sententia est, sed etiam Patres Concilii Africani, qui una cum Aug. gratiam creationis, a prædestinationis gratia distinguebant, ut constat ex epist. 1 quæ inter Augustini epistolas num. 95 habetur. Ubi inquiunt quod licet non improbanda ratione dicatur gratia, qua creati sumus, quia gratuita voluntate Dei nobis est donata; alia tamen est gratia, qua prædestinati vocamur, justificamur, et glorificamur.

3. Confirmatur primo. Confirmatur tum quia si gratia creationis pertinet ad gratiam prædestinationis, tunc Pelagiani omnino convenirent cum Aug. in hoc quod nulla daretur causa prædestinationis ex parte nostra. Tum etiam sequeretur, quod qui assereret, ex parte nostra dari causam primæ vocationis, et primi auxilii efficacis ad gratiam, in qua perseveramus, non ideo teneretur concedere, dari ex parte nostra causam nostræ prædestinationis : at utrumque est falsum, ut communiter docent Theologi : ergo etc.

Probatio sequelæ quoad priorem partem.

Sequela quoad primam partem probatur. Quia si gratia creationis pertineret ad gratiam prædestinationis, ac proinde si substantia ipsa prædestinati, et omnium rerum naturalium esset effectus prædestinationis, tunc ut daretur causa ex parte nostra respectu ejusdem prædestinationis, requireretur ut ex parte nostra daretur causa primi effectus ipsius, qui esset creatio totius mundi, et nostra : Pelagiani autem non poterant ita desipere, ut dicerent ex parte nostra dari causam creationis nostræ, et totius universi.

Et quoad secundam.

Quoad secundam vero partem eadem sequela etiam videtur certa. Quoniam ut ex parte nostra detur causa nostræ prædestinationis, desideratur ut etiam ex parte nostra detur causa primi effectus, illius, ut cohæret cæteris, at qui assereret, ex parte nostra dari causam prædictæ primæ vocationis vel auxilii, non ideo teneretur asserere, dari ex parte nostra causam creationis nostræ, et totius mundi quæ ponitur primus effectus prædestinationis.

4. Confirmatur secundo. August. D. Thom.

Confirmatur secundo. Quoniam juxta August. epist. 105 et 106 et lib. 1 ad Simplic. q. 2 et in Enchir. c. 95 et D. Thom. art. 1 hujus q. in solutione ad 3 et in 3 dist. 10 q. 3 art. unico quæstiuncula 2 prædestinatio nostra supponit peccatum originale; cumque peccatum hoc supponat creatum ordinem naturæ, etiam prædestinatio supponet illum, et substantiam ipsam prædestinati productam, ac proinde ista nequibunt esse ejusdem prædestinationis effectus : et gratia prædestinationis, et creationis erunt inter se distinctæ : et propterea idem D. Thom. 3 part. quæstion. 1 art. 3 ad 4 docet, prædestinationem supponere præscientiam futurorum : hæc autem non possunt esse alia, nisi ea, quæ pertinent ad ordinem naturæ, qualis est substantia ipsa prædestinati, et aliæ res naturales. Nam ea, quæ pertinent ad ordinem gratiæ, subsequuntur ad ipsam prædestinationem; quippe quæ, ut ex dictis in in hoc tractatu disput. 4 num. 81 constat, sunt effectus illius.

5. Confirmatur tertio.

Confirmatur tertio Quoniam res ordinis naturalis, ac proinde *esse* substantiale prædestinati, sumunt suam perfectionem intrinsecam, et essentialem ex fine naturali : ergo prius ordinantur ad finem naturalem, quam ad supernaturalem, priusque attinguntur a Deo ut auctore naturali, quam ab ipso ut auctore supernaturali, ac proinde secundum suam substantiam non erunt effectus prædestinationis. Antecedens patet. Quia res naturales intrinsece, et essentialiter sunt propter illum : et ita ab eo sumunt suam perfectionem intrinsecam, et essentialem.

Prima vero consequentia quoad priorem partem ex antecedenti constat. Quia unumquodque ordinatur per prius ad id, a quo suam essentialem perfectionem desumit. Quoad secundam vero partem ex hac priori sequitur. Quoniam ordini finium correspondet ordo agentium proportionatorum : et ita si substantia prædestinati prius ordinatur ad finem naturalem, quam ad supernaturalem, prius attingetur a Deo auctore naturali, quam supernaturali.

Ex quo etiam secunda consequentia deducitur. Nam si prius attingitur a Deo auctore naturali, producetur ab eo quoad primum, quod in ea reperitur, scilicet quoad suum *esse* naturale, et ita non poterit quoad prædictum *esse* produci a Deo ut auctore supernaturali prædestinante : cum ejus influxus subsequatur ad *esse* naturale prædestinati, jam productum a Deo ut auctore naturali.

6. Tertium argumentum.

Tertio. Quoniam prædestinatio cum sit pars divinæ providentiæ, ut ex dictis constat, versatur circa media efficacia in ordine ad acquisitionem æternæ vitæ, et circa ipsam æternam vitam, ut acquisibilem per prædicta media : et propterea diffinitur quod sit præparatio gratiæ, et beneficiorum, quibus certissime liberantur quicumque liberantur : ergo non versabitur circa substantiam ipsius prædestinati, et alias res naturales : ac proinde prædestinatus secundum suam substantiam, aut res aliæ naturales non erunt effectus prædestinationis. Patet utraque consequentia. Quia substantia prædestinati, et alia naturalia non sunt medium in ordine ad æternam vitam, sed subjectum tantummodo illius.

7. Quartu

Quarto. Quia per electionem efficacem Petri ad gloriam vult Deus dare illi donum quoddam accidentale superadditum suæ naturæ : ergo ad talem volitionem debet præsupponi ipse Petrus, ut subjectum capax talis boni ; ergo nec ipse, nec aliæ res naturales (de quibus dicemus esse quoad hoc eamdem rationem) poterunt esse effectus talis voluntatis. Hæc ultima consequentia ex priori videtur certa. Prior vero probatur. Quia sicut *esse* formæ accidentalis supponit *esse* subjecti cui inhæret, ita volitio ejusdem formæ debet præsupponere volitionem subjecti.

Nec

8. Nec refert si dicas, non oportere quod Petrus, seu subjectum gratiæ, et gloriæ præsupponatur præsens Deo secundum scientiam visionis, seu sub ratione futuri, aut existentis jam in æternitate; sed satis esse ut præsupponatur cognitum per scientiam simplicis intelligentiæ sub ratione possibilis, aut etiam futuri sub conditione quod Deus vellet creare illum. Nam posita hac scientia possibilitatis Petri, potest Deus optime velle prius dare gratiam et gloriam, quam velit creare illum, et dare illi *esse* naturale.

Nam contra hoc est. Quod per electionem efficacem ad gloriam est volita ut re ipsa, et in effectu danda subjecto, sed subjectum ut præcise possibile non est capax accidentis ut re ipsa inhærentis : ergo debet præsupponi ut futurum aut existens in æternitate, et consequenter non potuit Deus voluisse prius dare Petro gloriam, quam naturam.

9. Confirmatur. Quoniam ad decretum prædestinationis debet supponi voluntas antecedens, qua Deus vult omnes homines salvos fieri : ergo etiam debet supponi decretum de productione substantiæ ipsius prædestinati : et per consequens ista non erit effectus prædestinationis, quæ jam præsupponit eam productam. Hæc secunda consequentia ex priori aperte sequitur. Prior vero ex antecedenti. Quia prædicta voluntas salvandi omnes homines, vel præsupponit decretum producendi illos, vel saltim est simul cum illo.

Antecedens autem probatur. Tum, quia talis voluntas pertinet ad providentiam generalem : hæc autem debet præsupponi ad prædestinationem, et decretum ejus : siquidem providentia specialis, qualis est prædestinatio, debet subsequi ad providentiam generalem : et propterea providentia generalis est prior subsistendi consequentia prædestinatione, quæ est providentia specialis, ut intuenti constabit. Tum etiam : quia decretum prædestinationis est decretum voluntatis consequentis, quippe quod est decretum efficax de consecutione finis : voluntas autem consequens posterior est voluntate antecedente, qualis est voluntas illa salvandi omnes.

0. Quinto. Quoniam ea, quæ ordinantur ad beatitudinem supernaturalem ut ad finem, qualia sunt effectus prædestinationis, oportet ut participent aliquam bonitatem intrinsecam, et supernaturalem ex tali ordinatione : at substantia prædestinati, ut primo, et secundum suam substantiam producitur, non debet participare aliquam bonitatem supernaturalem intrinsecam (quod idem cum proportione de aliis rebus naturalibus dicimus) : ergo signum est, quod in illo priori non ordinatur ex vi prædestinationis in æternam vitam, ac proinde quod secundum suam substantiam non est effectus ejusdem prædestinationis. Utraque consequentia videtur legitima.

Minor autem etiam constat. Tum, quia communiter admittitur a Theologis. Tum etiam : quia substantia prædestinati, et reprobi eodem modo producitur, et eodem modo est in instanti generationis infecta peccato originali : et ideo sicut substantia reprobi non est necesse, ut, cum primo producitur, participet aliquam bonitatem supernaturalem intrinsecam, ita nec substantia prædestinati debebit illam tunc participare, ac proinde nec aliæ res naturales.

Major vero probatur. Tum, quia actus imperati a charitate, hoc ipso quod ab ea imperentur, et ordinentur ad finem supernaturalem ejusdem charitatis, participant aliquam intrinsecam perfectionem supernaturalem, quam non haberent sine tali ordinatione, ut communiter docent Thomistæ : ergo, etc. Tum etiam : quia eam docet D. Thom. in 3 distinct. 23 quæstion. 3 art. 1 quæstiunc. 1 in corpore. Ex eo quod Deus per actionem virtualiter, et terminative transeuntem ordinat res in suos fines : et propterea per eam debet imprimere ipsi rei aliquid intrinsecum, et reale, quod sit impetus, inclinatio, vel pondus in talem finem, aut aliquid hujusmodi : alias illa actio realis non esset terminative transiens : siquidem nihil reale imprimeret rei sic ordinatæ. D.Thom.

Tum deinde : quoniam effectus debent correspondere suis causis : et ita si substantia prædestinati, ut talis, esset effectus prædestinationis, quæ est providentia, et causa supernaturalis, deberet in prima sui productione aliquam bonitatem supernaturalem, et intrinsecam inde participare. Tum denique : quia quod est effectus prædestinationis, debet efficaciter conducere ad finem vitæ æternæ : id autem, quod præcise est naturale, nequit efficaciter ad eam conducere, ut ex se constare videtur : alioqui naturalia essent per se nexa cum consecutione efficaci beatitudinis.

§ II.

Juxta Aug. et D. Thom. mentem difficultas dubii expenditur.

11. Conclusio. Dicendum tamen est, ipsam substantiam prædestinati, seu *esse* substantiale illius, esse effectum prædestinationis, ejusdem : ac proinde omnia entia ordinis naturalis esse effectum prædestinationis electorum. Assertio hæc satis colligitur ex variis Aug. et D. Thom. testimoniis. Nam August. epist. 105 explicans illud ad Romanos 9 : Probatur ex D. Aug. *Ut secundum electionem propositum Dei maneret*, sic ait : *Secundum electionem, qua eligendos facit ipse, non invenit.* Et lib. 5 contra Julianum capit. 4 ubi loquens de electis, ita inquit : *Propter hos Dominus ait : hæc est autem voluntas ejus, qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo. Cæteri autem mortales, qui ex isto numero non sunt, ex eadem quidem massa, ex qua et isti, sed vasa iræ facti sunt, ad utilitatem nascuntur istorum. Non enim quemquam eorum Deus temere ac fortuito creat, aut quid de illis boni operetur, ignorat, cum et hoc ipso bonum operetur quod in eis humanam creat naturam, et ex eis ordinem sæculi præsentis exornat.*

Et ex D. Thom. Et D. Thom. in hac quæstione artic. 8 his verbis : *Ita prædestinatur a Deo salus alicujus, ut etiam sub ordine prædestinationis cadat quidquid hominem promovet ad salutem, vel orationes propriæ, vel aliorum, vel alia bona, vel quidquid hujusmodi, sine quibus aliquis salutem non consequitur.* Constat autem prædestinatum sine propria substantia, et *esse* substantiali suo non posse consequi salutem. Sicut etiam satis constat omnia bona naturalia prodesse prædestinatis ad gloriæ consecutionem, ut in hoc eodem dub. num. 26 et 27 explicabimus. Et in 2 dist. 41 quæst. 1 art. 4 ubi ait, quod omnes causæ secundæ, quatenus earum officio perficitur generatio, et sustentatio electorum, adjuvant prædestinationem ex parte effectus.

12. Necnon, et ad Rom 8 lect. 6 ubi, ut ex verbis in hoc dubio n. 22 referendis patebit, inquit, quod sicut res mundi ordinantur in bonum universi, et in illius bonum cedit malum, quod in ipso reperitur, ut corruptio unius animalis cedit in bonum ejusdem universi, in quantum per corruptionem unius generatur aliud, ita eadem ratio videtur esse de nobilissimis partibus ejusdem universi, scilicet sanctis, ac proinde in bonum illorum nempe gratiam, et gloriam ordinantur aliæ partes : et quidquid accidit circa ipsos, vel alias res, totum ordinatur; et cedit in bonum eorum, nimirum in vitam gratiæ, et gloriæ : et per consequens sicut productio partium universi est effectus voluntatis, qua volitum est bonum totius universi, ita productio substantiæ prædestinati, et aliarum rerum hujus universi ordinatarum in bonum electorum erunt effectus voluntatis salutis eorum, sive prædestinationis eorumdem.

Unde sanctum Doctorem sequuntur, Scotus in 2 dist. 20 quæstion. 2 et in 3 dist. 3 quæstion. 3 dist. 19 quæstion. unic. et dist. 23 art. 3, necnon dist. 32 quæstion. unic. art. 3 quem refert Villegas statim citandus, Nazarius in præsenti controversia unic. qui etiam artic. 1 hujus quæstion. controversia 2 notabili 4 in fine illius ait, hanc esse mentem Cajet. 3 part. quæstion. 1 art. 3 a nullo hucusque recentiorum intellectam ; ac propterea ab omnibus impugnatam, Bannez ad hunc artic. dub. 2. Eamdem etiam sententiam tuentur Galatinus libr. 7 de arcanis cap. 3 et sequentibus, Albertus Kampensis lib. 8 de liber. arbit. cap. 3 et lib. 10 in principio, Suarez lib. 3 de prædestin. cap. 7 et lib. 6 cap. 4, Granado tract. 6 de prædestinatione disp. 2 qui etiam disp. 1 refert Cartag., Driedonem, et Valentiam, Villegas controver. 15 referens Durandum dist. 41 q. 2 num. 7 et Hervæum q. 1. Tandem hoc ipsum docent plures ex recentioribus Thomistis.

Scotus Villega Nazar Cajet Banne: Galatin Albertu Kampensis Suare: Granad Cartag Dried Valenti Villega Duran Hervæi

§ III.

Proponitur ratio assertionis ex D. Thom. deprompta.

13. Ratio fundamentalis pro assertione Ratio autem fundamentalis hujus assertionis depromitur ex variis locis D. Thom. et potest sub hac forma proponi. Nam substantia prædestinati una cum cæteris aliis rebus naturalibus, potest cadere sub prædestinatione tanquam effectus illius, et est valde congruum, quod sic sub illa cadat, idque satis probabiliter denotant plura Scripturæ testimonia, et docent plures ex Patribus, ac tandem hoc cedit in maximam gloriam Christi, et electorum : ergo absolute dicendum est, prædictam substantiam prædestinati cadere sub prædestinatione tanquam verum effectum illius.

Consequentia videtur perspicua. Quoniam in iis, quorum neutra pars potest certo decidi;

decidi, qualiter in præsenti contingit, ut intuenti constabit, id absolute tenendum est, quod non repugnat, et est valde congruum ut ita sit, satisque probabiliter in testimoniis Scripturæ significatur, et denique in maximam Christi gloriam, ac electorum cedit. Et propterea communiter docent Theologi tribuendum esse Christo Domino quidquid ad ejus majorem excellentiam spectaverit, si aliunde non repugnet, sitque congruum, ut ei tribuatur; maxime si in testimoniis Scripturæ id probabiliter significetur. Nam quod deest de certitudine quoad hoc quod est dignitatem illam exprimi in testimoniis Scripturæ, suppletur per hoc quod res illa sit satis congrua, et ad magnam Christi dignitatem spectet : ac proinde si id etiam in magnam electorum excellentiam, qui post Christum sunt Deo charissimi, redundaverit, tunc potiori ratione affirmandum erit esse a Deo volitum, et determinatum.

14. Antecedens autem quoad primam partem, nempe substantiam ipsam prædestinati quoad suum *esse* substantiale, et alias res naturales, posse cadere sub prædestinatione, ut verum ejus effectum, nulli est dubium. Quoniam nulla apparet repugnantia in hoc, quod uno, et eodem voluntatis actu voluerit Deus condere substantiam prædestinati ad hoc ut æternam vitam consequatur. Sicut neque etiam apparet repugnantia in hoc, quod ex voluntate salvandi electos ortum quodammodo duxerit, quod Deus voluerit producere omnes res naturales, ex eo quod istæ ad salutem electorum, modo infra in hoc eodem dub. explicando, conducunt. Non secus (proportione tamen, et diversitate debita servata) ac in nobis contingit, quia ex imperio charitatis multoties elicimus actus humilitatis ordinis naturalis; et isti actus sunt effectus proximi virtutis humilitatis acquisitæ, et effectus remoti, et imperati respectu charitatis.

Potestque hoc ipsum explicari ex eo quod substantia prædestinati, et res naturales possunt cadere sub merito, ut ostenditur 1, 2 artic. ultim. et possunt esse objectum spei, ut docet D. Thom. 2, 2 quæstion. 17 art. 2 ad 1 et pro illis in ordine ad beatitudinem queunt fieri orationes, ut patet ex usu Ecclesiæ, et Angelico Doctore 2, 2 quæstion. 83 art. 6 in corpore et ad 3 necnon ad 4 et propterea, ut idem D. Thom. in hac q. art. 8 ex D. Gregorio notavit, ex eo quod Isaac rogavit Dominum, ut daret conceptum Rebeccæ, factum est ut ex illo conceptu natus fuerit Jacob, qui fuit prædestinatus. Constat autem, quod ea, quæ possunt cadere sub merito, spe, et orationibus, queunt etiam cadere sub prædestinatione tanquam effectus illius.

15. Probatur idem antecedens quoad secundam partem. Primo.

Quoad secundam vero partem, scilicet esse valde congruum, quod *esse* substantiale prædestinati cadat sub prædestinatione tanquam effectus ejus, probatur. Tum, quia prædictum *esse* substantiale prædestinati est indispensabiliter requisitum in ordine ad prædestinationem, et prædictum *esse* una cum hoc universo est productum tanquam quoddam instrumentum, quo manuducamur ad cognoscendum et laudandum Deum, quia hoc commune est ei cum omnibus rebus naturalibus, ut patet ex illo ad Romanos 1 : *Invisibilia Dei*, etc., *ita ut sint inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* Ubi etiam D. Thom. lectione 7 et ex illo Actor. 17 : *Non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens de cœlo.* Quod explicans Ambros. lib. 2 de vocatione gentium cap. 1 dicit, hoc testimonium esse creaturas naturales, quas experimur clamare Deum esse opificem earum, unde sic ait : *Cœlum ergo cunctaque cœlestia mare, et terra, omniaque quæ in eis sunt consona speciei suæ, ordinationisque concentu, protestabantur gloriam Dei, et prædicatione perpetua majestatem sui loquebantur authoris.* Unde Cyrillus lib. 2 et 3 contra Julian. refert Mercurium Trimegistrum, et Platonem dicentes : Deum ad hunc finem creasse mundum, ut ex illo cognosceretur, et laudaretur : et ex ejus cognitione desumpsisse Abrahamum cognitionem veri Dei, docent Clemens Alexandrin. lib. 6 stromatum, Nyssænus in oratione de laudibus Basilii, et in vita Gregorii Thaumaturgi, et hac ratione Philo in lib. quis sit hæres divinarum rerum, et Basilius Isaiæ 1 explicant illud quod dicitur Exodi 30, Deum appariturum in loco ubi offerebatur Thymiama, quia Thymiama significabat mundum : ex eo quod componebatur ex quatuor speciebus aromaticis, sicut universum ex quatuor elementis : et quando illud adoletur, idest, perfecte cognoscitur, facit apparere, et cognosci Deum.

Ad Rom. 1. D.Thom. Actor.17 Ambros. Cyrill. Trimegist. Plato. Clem. Alex. Nyssæn. Philo. Basil.

16. Constat autem esse valde congruum, ut id, quod est indispensabiliter requisitum, ad prædestinationem, sit adhuc cum primo producitur, et secundum suam substantiam, effectus ejusdem prædestinationis, ut ita prædestinatio, quippe perfectissima providentia, attingat quidquid ad prædestinan-

dum desideratur. Sicut etiam est valde congruum, ut inferiora, quæ cum effectu conducunt secundum suam substantiam, et primam productionem ad consecutionem beatitudinis, ex eo quod instituta, factaque sunt ad manuducendum in cognitionem, et laudem Dei, sint tunc effectus ejusdem prædestinationis, et volita ex amore æternæ vitæ, ut ita inferiora semper deserviant superioribus, qualia sunt electi : quod quidem est valde congruum naturis rerum inferiorum. Et quia hoc satis congruit perfectissimo agenti, operanti ex perfectissima, et universalissima providentia, ut nimirum hoc ipso quod aliqua secundum suam substantiam, et ut primo producta sunt, deserviant cum effectu ad consecutionem finis, ab eo efficaciter intenti, cadant etiam tunc sub sua providentia, intendente illum finem, sintque effectus illius.

Secundo. Tum etiam : quia antecedens quoad hanc secundam partem aperte sequitur ex ultima ejus parte, nimirum hoc pertinere ad maximam dignitatem Christi, et electorum : siquidem (ut supra dicebamus) est valde congruum ut Christo Domino tribuatur id, quod non repugnat, et ad majorem ejusdem dignitatem spectat : ac proinde idem etiam de electis, Deo post Christum charissimis, proportione servata, dicendum erit.

Tertio Tum denique : quia in nostra supernaturali beatitudine reperitur Deus intime unitus in ratione speciei intelligibilis, ut con-

D.Thom. stat ex iis, quæ ex D. Thom. quæstion. 12 articul. 2 hujus 1 part. diximus : ergo congruum fuit, ut ipsa substantia beati, et totus ordo inferior universi, secundum suam substantiam, et adhuc dum primo produceretur, ordinaretur ad eamdem beatitudinem ut ad finem : et per consequens fuerit effectus illius in genere causæ finalis, seu (quod in idem redit) fuerit effectus prædestinationis.

17. Patet consequentia. Quia congruum est, ut ubicumque Deus secundum suam substantiam specialiter fuerit unitus, exerceat ibidem rationem ultimi finis omnium aliorum illius generis, et inferiorum adhuc secundum primum *esse* eorum, secundum quod sunt illi inferiora. Et ita, quia Deus est personaliter unitus humanitati Christi, idcirco valde congruum fuit, et re ipsa ita evenit, quod Christus ut homo, esset finis humanitatis ejusdem, et totius universi, adhuc secundum suam substantiam, et primum suum *esse* considerati, ut ex D.

Idem. Thom. 3 part. q. 1 art. 3 dicemus.

Et similiter, quia Deus speciali modo propter unionem cum humanitate Christi, est præsens in Eucharistia, ideo congruum fuit, imo de facto ita contingit, ut Eucharistia esset eodem modo finis omnium sacramentorum, ut docet D. Thom. 3 part. I
quæstion. 63 articul. 6 et per consequens aliarum rerum ordinis naturalis, ut ex iis, quæ loco citato dicemus patebit.

Ac tandem, quia Deus secundum suam substantiam est speciali modo in hominibus justis, ut docet D. Thom. quæstion. 8 hujus 1 part. art. 3 ideo congruum fuit, et sic evenit, ut justi essent modo dicto finis omnium creaturarum, ut ostendit D. Thom. ad Roman. 8 lect. 6. Unde cum beatitudo supernaturalis requirat unionem essentiæ divinæ in ratione speciei intelligibilis cum intellectu nostro, nihil mirum, quod sit valde congruum, eam esse finem ipsius prædestinati, et omnium rerum naturalium, secundum suas species ac secundum suam substantiam, et primum *esse* consideratarum : et quod licet plura individua specierum corruptibilium ordinentur ad conservationem earum; nihilominus ultimate ordinentur ad finem prædestinationis.

Quoad tertiam vero partem, scilicet satis probabiliter hoc colligi ex testimoniis Scrip- P turæ, idem antecedens probatur. Tum ex illo ad Roman. 8 : *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt Sancti.* Quod testimonium adeo universaliter intelligunt D. Thom. et Patres ut ex illo colligant adhuc permissionem peccati, ut primo est, et peccatum ipsum materialiter sumptum, idest, quoad substantiam naturalem actus ut primo productam, esse effectum prædestinationis electorum, ut ex dicendis dist. 6 num. 8 et sequentibus constabit.

Quod si verba hæc Pauli adeo universaliter intelliguntur, ut ad ipsum actum peccati, et permissionem illius sic extendantur, cum tamen utrumqne quantum est ex se, et ex propriis meritis potius obsit, quam prosit ad finem prædestinationis, non est cur eadem verba (quippe ex se universalissima) ad substantiam prædestinati, ut primo productam, sine qua finis prædestinationis consequi nequit, necnon et eodem modo ad alias res ordinis naturalis, conducentes (modo tamen infra explicando) ad finem prædestinationis non extendantur, ut a D. Thom. ibidem lect. 6 extenduntur. T

Tum etiam ex illo ad Ephes. 1 : *Elegit* 19
nos in ipso ante mundi constitutionem ut es- C
semus

semus sancti. Ubi tanquam speciale beneficium refert Paulus, quod prædestinati fuerint electi a Deo ante mundi constitutionem. Si autem illa particula *ante*, non diceret antecessionem causalitatis ita ut mundi constitutio, et productio esset effectus electionis beatorum, tunc non esset peculiare in electis, quod ante productionem mundi essent voliti, ly *ante*, solum dicente prioritatem durationis, inter volitionem divinam, et constitutionem, seu productionem actualem universi : siquidem cuncta fuerunt hac antecessione volita ante mundi constitutionem, et productionem.

Tum denique ex illo Pauli 1 ad Corint. 3 : *Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura : omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Ubi Paulus loquitur de electis, ut colligitur ex D. Thom. ibidem lect. 1 et ad Romanos 8 lection. 6 in fine, et ita sanctus Doctor ait : *Omnia vestra sunt, idest, vestræ utilitati deservientia, secundum illud Romanor.* 8 : *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Quare cum, secundum sanctum Doctorem, verba hæc Pauli ad Romanos 8 denotent, omnia ita deservire prædestinatis, ut sint effectus prædestinationis eorum, ut ex eodem sancto Doctore ibidem dicebamus, consequens erit, ut hoc ipsum de his verbis ad Corint. 3 in quibus, juxta expositionem Angelici Doctoris, dicitur, omnia esse electorum, denotetur. Et propterea idem sanctus Doctor lect. 6 nuper citata, postquam dixit, dato nobis Dei Filio, dari etiam omnia cum illo, quatenus omnia cedunt in bonum nostrum, superiora quidem, nempe divinas personas, per modum finis, et ad fruendum, ac proinde ita ut electi sint effectus illius in genere causæ finalis, inferiora vero ad utendum, idest, in ordine ad utilitatem eorumdem electorum, et per consequens ita ut electi sint finis eorum, et ipsa sint volita propter illos, statim ad hæc omnia denotanda adducit prædictum testimonium ad Corint. 3 his verbis : *In ipso autem Filio Dei omnia existunt, sicut in primordiali præoperativa causa. Unde eo tradito nobis, omnia sunt data nobis, ut scilicet omnia cedant in bonum nostrum : superiora quidem, scilicet divinæ personæ ad fruendum, rationales spiritus ad convivendum, omnia inferiora ad utendum non solum prospera, sed etiam adversa* 1 *Corint.* 3 : *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei. Unde patet quod sicut in Psalmo dicitur; nihil deest timentibus eum.*

20. Probatur idem antecedens quoad quartam partem et quoad ultimam

Quoad quartam vero partem, nimirum hoc doceri a pluribus ex Patribus, idem antecedens satis probabiliter patet ex testimoniis eorum a nobis relatis, et ex iis, quæ 3 p. q. 1 art. 3 referemus.

Quoad ultimam vero partem, nempe id cedere in magnam Christi, et electorum dignitatem, prædictum antecedens satis liquet. Quoniam valde exaltat electos ut propria eorum substantia, ac proinde, et quidquid ad ordinem universi spectat, fuerit factum propter illos, et ex amore eorum, et non aliter : cumque quidquid ordinatur ad electos, ut tales, ordinetur etiam ad Christum ut ad primogenitum omnis creaturæ, seu ad primum prædestinatum, propter quem, et ex meritis cujus omnes electi prædestinati sunt, fit inde, ut eo ipso electi, etiam quoad suam substantiam, et per consequens totum universum, sint volita ex amore Christi, sintque effectus prædestinationis ejus : quod quidem (ut constat) non parum in gloriam ejusdem Christi Domini cedit.

21. Animadversio.

Advertendum tamen (ut plures evasiones præcludantur, et quomodo ratio facta, juxta qualitatem materiæ, maximam habeat vim, intelligatur) id quod supra innuimus, scilicet non posse ulla ratione ostendi, implicare, quod substantia prædestinati, aut aliæ res naturales, secundum suam substantiam, et ut primo productæ, sint effectus prædestinationis electorum : nec etiam implicare quod sint effectus alterius providentiæ, ut ex se constat : ac proinde nec posse affirmari, Deum necessario debuisse providere de productione substantiæ prædestinati, aut aliarum rerum naturalium per providentiam hanc prædestinationis, hoc ipso quod prædictas res naturales condiderit : sicut nec debuisse per aliam providentiam distinctam a prædestinatione, et eam excludentem, de illis, et earum productione providere, ut se patet. Nec tandem certo, et plane ex aliquo Scripturæ loco, aut aliunde constare, prædictas res naturales esse effectus prædestinationis quoad suam primam productionem : sicut nec etiam oppositum plane, et certo ex aliquo ex dictis capitibus constat.

Quare tam assertio nostra, quam opposita sententia solum congruentiis, et aliquibus indiciis suadenda est, ita ut ea pars eligatur, quæ potiores congruentias,

et indicia pro se habuerit. Constat autem non posse majorem congruentiam, majusque indicium ad aliquam ex his duabus partibus suadendam excogitari, quam eam non repugnare, et esse valde accommodatam naturis rerum, et satis probabiliter ab Scriptura, et Patribus insinuari, ac tandem in maximam Christi Domini, et electorum dignitatem cedere. Atque adeo cum hæc omnia in ratione facta pro nostra assertione contineantur, consequens erit, ut ex ea, ratione qualitatis materiæ de qua agitur, satis efficaciter prædicta assertio confirmata maneat.

22. Confirmatur primo. D.Thom. Confirmatur ratione, quam D. Thom. ad Rom. 8 et explicans illud : *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, his verbis adducit : *Quidquid fit in mundo, etiam si malum sit, cedit in bonum universi, quia ut Augustin. dicit in Enchir. : Deus adeo bonus, quod nihil mali esse permitteret, nisi esset adeo potens, quod ex quolibet malo posset elicere aliquod bonum, non autem semper cedit malum in bonum ejus, in quo est. Quod sicut corruptio unius animalis cedit quidem in bonum universi, in quantum per corruptionem unius generatur aliud, non tamen in bonum ejus quod corrumpitur : quia bonum universi est a Deo volitum secundum se, et ad ipsum ordinantur omnes partes universi. Et eadem ratio esse videtur circa ordinem nobilissimarum partium ad alias partes. Quia malum aliarum partium ordinatur in bonum nobilissimarum : sed quidquid fit circa nobilissimas partes, non ordinatur nisi in bonum ipsarum : quia de eis propter se cura habetur : de aliis autem propter ipsas, sicut medicus infirmitatem pedis sustinet, ut curet caput. Inter omnes autem partes universi excellunt Sancti Dei, ad quorum quemlibet pertinet quod dicitur Matth.* 25 : *Super omnia bona sua constituet eum : et ideo quidquid accidit circa ipsos, vel alias res, totum in bonum eorum cedit.*

Unde sicut partes minus nobiles universi, sunt volitæ ex amore nobilissimarum ordinis naturæ, ita tam istæ, quam illæ volitæ erunt ex amore aliarum partium, utrisque longe nobiliorum, scilicet ex amore electorum. Siquidem juxta D. Thom. mentem, ut ex contextu verborum, quæ ex eo retulimus, constat, ex prædestinatis ut talibus (ubi etiam Christus, ut eorum caput involvitur) tanquam ex partibus omnium nobilissimis, et ex aliis rebus ordinis naturalis resultat totum quoddam universum ex omnium rerum ordinibus coalescens, et in prædicto universo partes minus nobiles volitæ sunt ex amore nobilissimarum. Ac proinde res naturales, quæ comparatione electorum ut talium, sunt minus nobiles quam illi, erunt volitæ ex amore eorum : quamvis in se sint nobilissimæ in suo ordine, et secundum quod sunt superiores respectu aliarum rerum ejusdem ordinis, sint in collatione ad eas volitæ propter se, et illæ sint volitæ propter ipsas, ut prædictam nobilitatem, et excessum ac superioritatem habent.

23. Confirmatur ultimo. Confirmatur, et explicatur tandem. Quoniam sicut inferiora ordinis naturalis connexa sunt cum superioribus ejusdem ordinis, ita utraque habent suo modo connexionem cum rebus ordinis supernaturalis, et cum fine vitæ æternæ, non quidem tanquam cum fine proportionato, sed tanquam cum fine remoto, ad quem remote tandem ordinantur : at propter illam rationem hoc ipso quod Deus simul voluit partes minus nobiles, et nobilissimas ordinis naturalis, dicimus voluisse illas ex amore istarum, et non aliter, ex eo quod licet potuerit non sic velle illas; nihilominus quia oppositum non constat, et nexus rerum inter se hoc exposcit, ideo censendum est ita eas voluisse : ergo hoc ipso quod voluit res ordinis naturalis, et simul res ordinis supernaturalis, et finem vitæ æternæ, dicendum erit (dum oppositum non constaverit) voluisse illas ex amore istarum, non quidem tanquam finis proportionati, sed superexcedentis, et improportionati, licet potuerit aliter easdem velle.

Consequentia videtur legitima ex paritate jam insinuata. Unde, dum oppositum certo non constat, censendum est, Deum volentem aliqua, velle illa eo ordine, et nexu, quo inter se nexa sunt. Et ita quia prædictæ res naturales, sunt nexæ cum rebus supernaturalibus, et fine vitæ æternæ tanquam cum fine improportionato, et superexcedente, dicendum erit (dum oppositum ex Scriptura, aut Patribus, aut aliunde certo non constaverit, ut re vera in præsenti certo non constat) prædictas res naturales volitas esse ex amore supernaturalium, et fine vitæ æternæ electorum tan quam finis improportionati, et super excedentis. Major vero videtur perspicua.

Minor autem etiam constat : et propterea omnes res corporeæ ordinatæ sunt a Deo in hominem ut in finem : et ita de luminaribus

luminaribus cœli dicitur Deuteron. 4 quod creata sunt in ministerium multis vel cunctis gentibus. Et de cæteris rebus dicitur Psal. 8 quod subjectæ sunt pedibus hominis, quia creata sunt propter illum, ut docent Chrysost. hom. 8 et 14 in Genes., Ambros. epist. 38, Ruper. libr. 2 in Genes. cap. 11, Clemens Alex. lib. 2 pedag. c. 3. Unde hac ratione Genes. 1 de homine dicitur, quod sit factus ad imaginem Dei. Quia sicut Deus est dominus omnium, et per consequens finis illorum, qui potest cunctis pro sua voluntate uti, ita homo est dominus omnium rerum inferiorum, juxta illud : *Et præsit piscibus maris.* Et sic potest uti omnibus, et ordinare omnia in suam utilitatem, ex eo quod est finis eorum, ut explicant Aug. lib. 3 de Genes. ad literam, Basil. hom. 10 in Genes., Chrysost. hom. 2 ad Hebræos, Nyssænus homil. de creatione hominis, Isidorus, Theodoretus, Hugo de Sancto Victore in Genes., D. Thom. infra q. 96, et alii.

Sed inquires, an omnes, et singulæ res ordinis naturalis, sint effectus prædestinationis singulorum prædestinatorum? an vero satis sit quod omnes, et singulæ ex illis, sint effectus prædestinationis alicujus vel aliquorum ex prædestinatis? ita ut loquendo de prædestinatione totius corporis mystici electorum, omnes et singulæ res naturales, sint effectus prædestinationis prædicti corporis, quamvis non cujusvis ex membris illius?

Respondetur satis esse, quod hoc posteriori modo omnes, et singulæ res naturales, sint effectus prædestinationis electorum. Quia non omnes, et singulæ cum effectu conducunt ad hoc ut singuli consequantur vitam æternam, ut in parvulis baptizatis, et ante adultam ætatem obeuntibus, constat. Et ita illæ res naturales, erunt effectus prædestinationis, v. g. D. Antonii, quæ per modum objecti vel occasionis, cum effectu quoquo modo conduxerint ad hoc ut vitam æternam adipiscatur, vel habeat aliquod accidentale gaudium in cœlesti vita.

Unde substantia ipsa reprobornm, et quidquid circa eos fit, quod magis ostendat majorem illam misericordiam, quam Deus erga prædestinatos habuit, ac proinde ipsa æterna damnatio illorum prout est a Deo, est etiam effectus prædestinationis electorum : quia quodammodo ad jam dictos fines in electis cum effectu conducunt, et ideo optime dixit Aug. lib. 11 de Civit. Dei cap. 18 : *Neque enim Deus ullum, non dico Angelorum, sed vel hominum crearet, quem malum futurum esse præscisset, nisi pariter nosset quibus eos bonorum usibus accommodaret, atque ita ordinem sæculorum tanquam pulcherrimum carmen, etiam ex quibusdam quasi antithetis honestaret.* Quod etiam Apost. ad Rom. 9 explicuit dicens : *Sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Quod si id de æterna reproborum damnatione, ac proinde de permissione peccatorum ab illis commissorum, verificatur, multo magis de operibus moraliter bonis ab eisdem perpetratis, verum erit. Et propterea D. Thom. in hac q. art. 8 inquit, quod quilibet beatus in gloria gaudebit de bonis, quæ alius fecit : ac proinde (ut ex dictis constat) prædicta bona opera fuerunt a Deo volita ex amore beatitudinis electorum.

Ad Rom. 9.

D. Thom.

Cujus etiam peculiarem, quoad plurima opera reproborum, rationem tradidit idem sanctus Doctor 1, 2 q. 21 art. 4, nempe Deum pro omni actu bono præmium conferre, juxta illud Ecclesiastici ult. : *Cuncta, quæ fiunt sub Sole, adducet Dominus in judicium, sive malum, sive bonum,* idest, ut remunerationem pro bonis, supplicium autem pro malis operibus largiatur : ex eo quod cum ipse habeat rationem universalis judicis, cui incumbit de bono communi curare, inde est, ut ad eum spectet remunerare omnia opera bona, a quovis facta, et pœnam infligere pro quovis opere malo. Cumque opera bona ordinis naturalis, ab homine reprobo patrata, non semper remunerentur in hac vita, nec in alia, ubi damnatus est præmii incapax, propterea in aliis, nempe in prædestinatis remunerantur, quatenus prædestinati gaudium accidentale in beatitudine de illis habent.

Idem.

Eccles. 1ast. ultim.

Nec refert si objicias, non cohærere hæc cum illis, quæ disp. 4 n. 25 hujus tract. diximus. Nam juxta ibidem dicta status justitiæ originalis, secundum suam substantiam consideratus, non est effectus prædestinationis Adami, aut alicujus alterius puri hominis, sed alterius providentiæ : ergo nec ea, quæ ad hunc statum spectant : ac proinde neque totum hoc universum erit effectus prædictæ prædestinationis. Prima conseq. ex antecedenti videtur sequi. Quoniam ea, quæ pertinent ad aliquem statum, sunt effectus providentiæ illius status : ergo si status justitiæ

26. Objectio.

originalis non est effectus prædestinationis hominum, sed alterius providentiæ, nec etiam ea, quæ ad hunc statum spectant, erunt effectus illius. Secunda vero conseq. ex priori constat. Quoniam hoc universum spectavit ad statum justitiæ originalis, et in ordine ad illum productum est : et propterea omnia subjecta sunt primo homini, ita ut dum ille permaneret cum subjectione ad Deum, cuncta essent illi subjecta.

Enodatio Respondetur enim concedendo antecedens, et primam consequentiam, si consequens formaliter intelligatur, idest, si sensus illius sit, quod ea, quæ ad statum justitiæ originalis spectant prout ad illum spectant, sunt effectus providentiæ hujus status, non vero prædestinationis Adami, aut alterius puri hominis : secus vero si consequens materialiter intelligatur, idest, si sensus illius sit, quod illudmet, quod spectat ad prædictum statum, non possit etiam secundum suam substantiam seu quoad primam sui productionem esse effectus prædestinationis hominum. Et deinde neganda est secunda consequentia. Quoniam hoc universum, et spectat ad statum naturæ lapsæ ac redemptæ, et ad statum naturæ integræ, sive justitiæ originalis, habuitque secundum suam substantiam, seu secundum primam sui productionem imperari tam a providentia status justitiæ originalis, quam a providentia status naturæ lapsæ, et redemptæ, qualis est prædestinatio hominum : ex eo quod fuit productum propter hominem, ut pertinentem ad utrumque statum, tanquam propter duos fines partiales ex æquo intentos, et ideo cum hoc stat, ut prædestinatio v. g. non habuerit quasi imperare providentiam versantem circa statum justitiæ originalis, aut e converso, sed utraque debuerit imperare providentiam naturalem, a qua proxime provisum est huic universo quoad suam substantiam, seu de prima productione hujus universi.

Elucidatio solutionis. Explicatur hoc. Etenim Christus Dominus ut Redemptor, volitus est a Deo ut finis omnium rerum, et rationum in eis inventarum, de quibus per alias providentias provisum est, quæque ad ipsum congruenter ordinari possunt, ut tom. 5 tract. de Incarnatione dicemus. Ad hunc autem finem pervenitur duplici inter alias quasi linea, et via inter se non subordinata, licet uni et eidem fini, nempe Christo, ut Redemptori, tanquam fini communi subordinentur : sicut ad unam, et eamdem sanitatem acquirendam, potest simul duplici quasi via, duplicique medio inter se non subordinato iri, licet utrumque ad eamdem sanitatem ordinetur, ut cum quis ob prædictam sanitatem vult deambulationem, et sanguinis emissionem, licet unum ex his mediis non ordinet ad aliud. Ex his autem viis, quibus ad Christum Dominum, ut Redemptorem tanquam ad finem itur; prima est illa, quæ non est ex meritis Christi, seu per illum, ut per causam meritoriam, et hæc est via status justitiæ originalis, et alia, quæ ad hunc statum ordinantur, ut conditio hujus universi, quatenus ad prædictum statum pertinet : ita quidem ut justitia ipsa originalis, seu homo, ut in illa constitutus immediate, alia vero ad hunc statum conducentia mediate, et remote, modo alibi tacto, ad Christum Dominum ut ad finem ordinentur.

Ratio autem ob quam licet Christus Dominus ut Redemptor sit hujus status finis, non tamen comparetur per modum causæ meritoriæ respectu illius, nec prædictus status sit ex meritis Christi Domini, sumitur ex eo quod juxta Scripturam, et Patres gratia, et dona data per merita Christi, sunt dona gratiæ redemptivæ, et sanativæ, et Deus tantum voluit, ut darentur illis, qui erant captivi, et ægri; ac proinde gratia redemptiva et sanativa egebant, quales non sunt homines in statu naturæ integræ, sive justitiæ originalis, quippe qui prout in illo statu erant, nec ægri fuerunt, nec captivi.

Alia autem via, et quasi linea cum præcedenti connexa, licet ei non subordinata, qua ad eumdem Christum Dominum ut Redemptorem itur, quæque una cum præcedenti via ad eum sic sumptum, ut ad finem ordinatur, est via ex meritis Christi; nempe status naturæ lapsæ, et per Christi merita redemptæ, et alia quæ ad hominem sic acceptum ordinantur, qualia sunt omnia entia naturalia hujus universi, ut ad prædictum statum conducunt. Cæterum hæc in tractatu de Incarnatione tom. 5 fusius explicabuntur. Quibus tandem addendum est, quod juxta probabilem illum, etiam in via divi Thomæ, dicendi modum, quem disp. 4 hujus tractatus num. 26 et 54 tetigimus, hæc objectio locum non habet, ut consideranti notum erit. Additamentum

§ IV.

§ IV.

Respondetur argumentis primæ sententiæ.

27. Ad primum opositæ ententiæ.

Ad primum dicendum est, Apostolum loqui de effectibus proportionatis, et ejusdem ordinis cum prædestinatione; non vero de effectibus improportionatis inferioris ordinis, et remote solum, ac deficienter conducentibus ad consecutionem vitæ æternæ, quales sunt substantia prædestinati, et aliæ res ordinis naturalis, et a principio supernaturali, ut tali non productis, quatenus inde aliquam bonitatem supernaturalem, et intrinsecam non participant, per quam in finem supernaturalem proxime ordinentur, in quo sensu in præsenti de illis loquimur.

lucidatio olutionis.

Itaque effectus prædestinationis sunt in duplici differentia. Alii quidem supernaturales, et divini ordinis, qui quidem sunt proportionati, et proxime conducentes ad consecutionem æternæ vitæ, vel dicunt ipsam consecutionem vitæ æternæ, et alia ad ipsam conducentia, aut eamdem exornantia; et isti comprehenduntur adæquate sub vocatione, justificatione et glorificatione. Alii vero sunt ordinis naturalis, remote, improportionate, occasionaliter, aut ministerialiter conducentes ad vitam æternam : ex eo quod licet proxime non ordinentur in finem vitæ æternæ, eo modo quo actus virtutum naturalium in illum ex imperio charitatis ordinantur; attamen collato prædestinatis auxilio supernaturali, et efficaci, deserviunt ad finem prædestinationis. Ut cum prædestinatus bonæ indolis videns hoc universum ita admirabile, et Dei magnalia aperiens, movetur ex auxilio supernaturali ad laudandum suum opificem. Apostolus igitur loco citato non de istis, sed de illis effectibus loquebatur : et propterea eos optime sub vocatione, justificatione, et glorificatione comprehendit, quia re vera sub illis continentur.

cita jectio iitur.

Nec obest ad hoc ut aliquid sit effectus prædestinationis (ut ita objectio quædam obiter diluatur) quod se ipso solo non conducat cum effectu ad consecutionem vitæ æternæ, sed solum mediante auxilio supernaturali.

Non itaque hoc obest. Nam ut ex disp. 4 n. 50 constat, vocatio, seu prædicatio exterior, est effectus prædestinationis electorum : et similiter miracula Apostolorum, per quæ aliqui conversi, et salvati sunt; cum tamen illa extrinseca miracula, et prædicatio exterior non efficaciter deduxerint prædestinatos ad beatitudinem sine auxilio supernaturali; et efficaci, illis concesso. Unde Actorum 17 dicitur, quod prædicante Paulo crediderunt illi, quorum Deus aperuit corda, ut denotaretur, concurrisse ad illorum conversionem simul cum prædicatione Pauli auxilium efficax supernaturale, et intrinsecum, de facto aperiens corda prædestinatorum, et faciens ut ad Deum converterentur. Actor. 17.

28. Ad secundum.

Ad secundum respondetur, quod adhuc dato, Augustinum loqui de gratia, qua prædestinati sumus, ex parte effectus considerata, tunc tantum vult gratiam creationis non esse illam gratiam ex meritis Christi collatam, quæ est effectus proportionatus, et proximus prædestinationis, atque ejusdem ordinis cum illa. In quo etiam sensu subjunxit, Christum non fuisse mortuum, ut homines essemus, idest, tanquam propter finem proportionatum, et proximum : id namque optime asseruit solum competere justificationi nostræ, et aliis effectibus supernaturalibus, juxta ea, quæ tam in hac, quam in præcedenti disp. sæpe asseruimus. Cæterum nequaquam negat Augustinus, gratiam creationis, et quæcumque alia, quæ quoquo modo de facto conducunt ad finem prædestinationis, esse effectus remotos, improportionatos, et deficientes ipsius prædestinationis : non quidem præcise ut sistunt intra proprium ordinem naturalem, sed ut subordinantur auxiliis alterius ordinis, nempe supernaturalis, ut n. 26 explicuimus. Et in hoc etiam sensu non negat, Christum mortuum fuisse; ut homines essemus, nempe quatenus hoc, non sistendo in proprio ordine, sed ut subordinatur auxiliis alterius ordinis superioris, conducit remote, et improportionate ad finem prædestinationis; imo ex testimoniis ejusdem August. num. 11 adductis, constat ipsum non solum id non negare, sed asserere.

Eadem solutio sub alia forma.

Vel sub alia forma (quamvis re ipsa cum præcedenti coincidat) potest huic argumento ex testimoniis Augustini desumpto responderi, quod quando asseruit gratiam creationis non esse gratiam prædestinationis, atque adeo neque effectum illius, nec Christum mortuum fuisse, ut homines essemus, locutus fuit formaliter, et cum præcisione, idest, sistendo intra proprium ordinem naturalem (quod verissimum est) nec tollit quod gratia creationis, non sistendo in proprio ordine, sed ut subordinata ordini supernaturali, modo n. 32 ex-

plicando, sit effectus prædestinationis, et quod Christus mortuus fuerit, ut homines essemus, non sistendo in hoc ordine, sed cum subordinatione ad ordinem supernaturalem, cujus oppositum reperitur in justificatione, et aliis effectibus supernaturalibus. Hi namque cum præcisione ordinis, idest, sistendo in ordine proprio, atque adeo absolute, et simpliciter loquendo, sunt prædestinationis effectus : et ideo merito absolute loquendo protulit Augustinus, Christum fuisse mortuum, non ut homines essemus, sed ut justi essemus. Per quæ etiam patet ad id quod ex Patribus Africanis ibidem adducitur.

29. Ad primam confirmationem quoad priorem partem

Ad primam confirmationem neganda est sequela quoad utramque partem. Et ad probationem prioris neganda est major, si intelligatur eo modo, quo Pelagiani dicebant, dari causam nostræ prædestinationis, et primi effectus illius, et juxta dissidium, quod inter illos, et Augustinum erat. Etenim Augustinus contendebat contra Pelagianos, non dari causam prædestinationis, quia ex parte nostra non dabatur causa meritoria, aut dispositiva proxime primi effectus proportionati, et ejusdem ordinis cum ipsa prædestinatione, scilicet primæ vocationis ad fidem, ut constat ex pluribus locis Aug. præcipue in lib. de Prædestinatione Sanctorum c. 2, 3, 9, 10 et aliis, et lib. 1 ad Simplicianum q. 2 et in aliis plurimis libris. Non autem loquuntur August. et alii Patres de effectibus remotis, et improportionatis, ac inferioris ordinis ad prædestinationem, ut de creatione substantiæ prædestinati, et aliarum rerum naturalium.

Augu t.

Quod autem sit hic verus sensus, veraque intelligentia dissidii inter Pelagianos, et August. ac reliquos Patres, inde liquet. Quoniam Pelagius volebat, liberum hominis arbitrium ex suis naturalibus esse causam suæ fidei, et vocationis, quæ est primus effectus proportionatus prædestinationis : cum tamen Aug. in locis citatis, et reliqui Patres contenderent, prædictum arbitrium ex se non sufficere ad habendam fidem ; sed hanc ex dono Dei, seu ex gratia supernaturali haberi : et per consequens non ex nobis, sed ex supernaturali Dei gratia distingui nos ab infidelibus, et habere hos effectus proportionatos prædestinationis.

Et quoad probationem posterioris.

Ad probationem vero secundæ partis ejusdem sequelæ, respondetur, quod si fiat sermo (ut revera fit juxta modo dicta) de causa primi effectus proportionati, et proximi nostræ prædestinationis, qui assereret dari causam primæ vocationis, teneretur fateri, dari etiam causam nostræ prædestinationis ex parte effectus proportionati, de quo erat prædicta controversia, licet non admitteret, aut non admittere teneretur, dari ex parte nostra causam creationis nostræ substantiæ, aut totius mundi, quæ ponitur primus effectus prædestinationis : quia hic tantum est primus effectus improportionatus, et deficiens.

30. Ad secundam confirmationem.

Ad secundam confirmationem, respondetur, sensum Augustini tantum esse prædestinationem, et æternam vitam electorum efficaciter a Deo intentam, supponere peccatum originale, et naturam ipsam eo infectam in genere causæ materialis ; attamen tam ad naturam, quam ad permissionem prædicti peccati supponi in alio genere causæ : prædestinationem quidem in genere causæ directivæ, æternam autem vitam, efficaciter intentam, in genere causæ finalis : et propterea tam permissio illius peccati, quam natura ipsa possunt esse effectus prædestinationis. Per quod etiam ad id, quod ex D. Thom. ibidem adduc tur satis constat. Sed de his videantur quæ in hoc tract. disp. 1 num. 44 et 45 diximus, et in hac disp. num. 34 et 35 dicemus.

31. Ad tertiam

Ad tertiam confirmationem transeat antecedens, et distinguatur consequens primæ consequentiæ, quoad primam ejus partem : *Prius ordinantur ad finem naturalem*, quantum est ex meritis propriæ inclinationis, et ponderis naturæ, concedi poterit : quantum est ex vi ordinationis extrinsecæ primi agentis intellectualis, qui eas produxit, negari debet. Et deinde neganda est secunda pars ejusdem consequentiæ, necnon et posterior consequentia statim subsumpta. Et ad probationem primæ partis primæ consequentiæ, in qua secunda ejus pars, necnon et posterior consequentia innititur, patet ex dictis, antecedens illud esse verum de ordinatione intrinseca, et quantum est ex propriis meritis ; non autem de ordinatione extrinseca, qua agens intellectuale utens aliqua re, proxime, et ex propriis ordinata ad aliquem finem, et simul conducente saltim remote ad alium, potest uti illa per se primo, ut conducit ad hunc ultimum finem.

Elucidatio solutionis.

Explicatur hoc. Etenim sicut actus eleemosynæ habet duo, nimirum, et respicere suum proprium, et immediatum objectum, et conducere ad finem charitatis : et respectu

pectu prædicti actus secundum se, et ex propriis meritis sumpti, prius est quod respiciat proprium objectum : at respectu illius ut subest imperio charitatis, prius est quod respiciat proprium finem charitatis, et conducat ad ipsum, quam quod respiciat proprium objectum, quia ideo imperatur ut respicit proprium objectum, quia conducit secundum hunc respectum ad finem charitatis : ita in quavis re naturali, de facto, et cum effectu conducente ad effectum prædestinationis, sunt duo, scilicet respicere proprium finem naturalem, et ex extrinseca ordinatione prædestinantis respicere finem prædestinationis : et licet respectu prædictæ rei naturalis, secundum se, et ex propriis meritis sumptæ, sit prius quod respiciat proprium finem naturalem, quam finem prædestinantis : at respectu illius ut subest imperio prædestinantis, prius est quod respiciat proprium finem supernaturalem, quem ipse prædestinando intendit, quam quod respiciat proprium finem naturalem, quia idcirco productio illius rei naturalis imperatur a prædestinatione, quia ut respicit proprium finem naturalem, conducit cum effectu, sed remote, deficienter, ac improportionate, ad finem prædestinationis.

32. Unde sicut eleemosyna in genere causæ finalis habet propter illam rationem, esse effectum finis charitatis, et quoad primam suam productionem, esse imperative ab eadem charitate, ita propter eamdem proportionalem rationem res naturales quoad suam primam productionem erunt imperative a prædestinatione : et in genere causæ finalis etiam quoad suam primam productionem causabuntur a fine, quem intendit prædestinans, scilicet a beatitudine electorum. Ac tandem quemadmodum cum his cohæret, ut eleemosyna secundum suam substantiam, et quoad eamdem primam productionem, sit elicitive a virtute eleemosynæ, secundum quod respicit proprium objectum sistendo ibi, ita cum dictis cohæret ut res naturales licet imperative, seu (quod in idem quoad præsens redit) imperative remote, sint a Deo auctore supernaturali, et ut prædestinante; elicitive tamen, sive (quod in idem quoad præsens redit) imperative proxime procedant a Deo auctore naturali, ut respiciunt proprium finem. Et quemadmodum ad hoc ut actus eleemosynæ, secundum suam substantiam, et quoad primam productionem, ac tandem quoad primariam intentionem imperantis, sit imperative a charitate, non est necesse ut totus, et totaliter ab eadem charitate procedat; sed satis est quod per eam ordinetur in proprium finem ipsius charitatis, ac proinde charitas faciat, ut virtus eleemosynæ eliciat suum actum : ita ad hoc ut res naturales sint imperative a prædestinatione, non est necesse ut totæ, et totaliter ab illa attingantur; sed satis erit quod sint effectus illius ut conducunt ad finem ejusdem prædestinationis : atque adeo quod ordinentur ab ea in prædictum finem, et Deus ut auctor supernaturalis, et prædestinans, quodammodo faciat, ut ipsemet quatenus auctor naturalis provideat, et producat elicitive easdem res naturales, et ordinet illas in suum finem naturalem.

Animadversio.

Cæterum cum hoc stat, ut inter exemplum charitatis, imperantis actum eleemosynæ, et prædestinationem imperantem productionem rerum naturalium, sit duplex disparitas. Quarum primam in solutione ad ultimum hujus dub. explicabimus : aliam vero disput. 2 num. 111 hujus tractat. innuimus, dum ibidem diximus, providentiam naturalem, et supernaturalem non distingui adhuc virtualiter ex parte actus, sed ex parte objecti materialis, et modo ibidem explicato.

33. Ad tertium argumentum principale.

Ad tertium, concesso antecedenti, neganda est consequentia. Nam cum prædestinatio sit transmissio creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ per certa, et determinata media efficacia, potest habere effectus diversæ rationis, nempe media efficacia, sive proxima, sive remota : et finem per illa executum, necnon subjectum, quod per eadem media in vitam æternam transmittitur.

34. Ad quartum.

Ad quartum concedendum est antecedens, et distinguendum consequens primæ consequentiæ : *Debet præsupponi ipse Petrus ut subjectum capax talis boni,* in executione, et in genere causæ materialis, concedendum est : in intentione, et in genere causæ finalis, negari debet. Et deinde neganda est secunda consequentia. Per quod etiam ad probationem illius satis constat. Quoniam licet *esse* formæ accidentalis supponat in executione, et in genere causæ materialis *esse* subjecti; non tamen est necessarium ut illud in genere causæ finalis supponat : ac proinde nec volitio ejusdem formæ per modum intentionis debet præsupponere volitionem subjecti, ut constat in voluntate construendi domum propter inhabitationem in ea. Nam inhabitatio

illa, quæ se habet per modum cujusdam accidentis respectu domus, est prior in genere causæ finalis, et in intentione, quam ipsa domus; quamvis sit posterior quam illa in executione, et in genere causæ materialis : et ideo volitio prædictæ inhabitationis per modum intentionis sumpta, non præsupponit volitionem ejusdem domus.

35. Solutio inter arguendum data approbatur et defenditur.

Unde solutio ibidem data, juxta hæc tamen intellecta, et limitata, potest admitti, et ad impugnationem contra illam patet ex dictis, distinguendam esse majorem : *Ut re ipsa, et in effectu danda subjecto*, quod ante illam per aliam volitionem præsupponatur futurum, aut quod adhuc supposita illa volitione maneat præcise in ratione possibilis, neganda est : quod sit futurum, modo alibi dicto, ex vi ejusdem volitionis, qua est illi efficaciter volita gloria, concedenda est. Et similiter concedi etiam debet minor : sed neganda erit consequentia. Quia ad hoc ut per electionem efficacem ad gloriam sit volita ipsa gloria, ut re ipsa, et in effectu danda subjecto, satis est, quod per illam volitionem sit modo insinuato futurum subjectum, et in eodem instanti *in quo* habeat *esse* præsens in æternitate, et non est necesse ut ad talem volitionem præsupponatur alia volitio, per quam prædictum subjectum habeat rationem futuri.

Nam quemadmodum (ut in exemplo proposito persistamus) per voluntatem, qua efficaciter intenditur inhabitatio domus, potest efficaciter esse volita ipsa domus secundum suam substantiam, et primam productionem, et ideo volitio prædictæ inhabitationis non est necesse, ut præsupponat aliam voluntatem construendi domum, quamvis post talem volitionem per modum intentionis, subsequantur aliæ volitiones per modum executionis, quæ oppositum ordinem inter se habeant : ita in præsenti, proportione servata, philosophandum est. Diximus : *Proportione servata*, propter illa quæ infra dicemus.

36. Ad confirmationem quarti, quoad primam ejus robationem.

Ad confirmationem negandum est antecedens. Et ad primam probationem concedenda est major, et neganda minor. Quoniam ideo Deus providet generaliter de omnibus rebus naturalibus, quia providet specialiter de electis in ordine ad æternam vitam : et propterea ex voluntate efficaci dandi illis gloriam, in qua, virtute continentur omnia media, et quidquid ad illam cum effectu conducit, ortum duxit voluntas antecedens salvandi omnes homines, quia omnia auxilia procedentia ex hac voluntate, conducunt cum effectu ad finem prædestinationis electorum, modo tamen jam dicto.

Unde id, quod ibidem dicitur, scilicet providentiam generalem esse priorem subsistendi consequentia, quam providentiam specialem, tantum est verum ad hunc sensum, nimirum, quod non valeat : *Judam v. g. cadere sub providentia generali : ergo debet cadere sub speciali*, nempe sub prædestinatione, qua ipse prædestinatus sit : secus tamen si fiat sermo de prædestinatione, qua electi prædestinati sunt. Quia re vera bene valet : *Judas cadit sub generali providentia supernaturali : ergo etiam cadit, imo prius cecidit, sub providentia speciali*, non qua ipse, sed qua electi habuerunt prædestinari, ut ex dictis constat.

Et quoad secundam.

Ad secundam vero probationem dicendum est, quod licet demus, voluntatem antecedentem, et consequentem circa eumdem finem, et easdem omnino personas, ita inter se ordinari, ut illa sit prior, hæc vero posterior; non tamen si prædictæ voluntates non versentur circa eumdem finem, et easdem omnino personas. Quia tunc non se correspondent per modum voluntatis antecedentis, et consequentis, quarum una directe sit (ut sic dicamus) sub alia. Quare cum voluntas antecedens salvandi omnes homines versetur circa omnes illos simul sumptos, et voluntas consequens salvandi electos versetur peculiariter circa eos, inde est, ut non se mutuo correspondeant, modo dicto, per modum voluntatis antecedentis, et consequentis : et per consequens non sit necesse ut voluntas illa antecedens, sit prior, quam hæc consequens; sed potius ista sit prior illa, ut jam ostendimus. Unde (ut id obiter dicamus) voluntas antecedens salvandi omnes homines, non dicitur antecedens, quia præcedat voluntatem consequentem prædestinandi electos, sed propter aliam rationem tract. 4 disput. 9 n. 1 et deinceps dictam.

37. Objectio.

Nec obest, quod juxta solutionem hujus confirmationis, Deus habeat duplicem quodammodo voluntatem salvandi electos : unam quidem, et priorem, scilicet voluntatem consequentem : aliam vero, et posteriorem, nempe voluntatem antecedentem, qua vult omnes homines salvos fieri.

Enodatio.

Non itaque hoc obest, Quia licet voluntas hæc antecedens, quæ quantum est ex propriis meritis, et præcise sumpta, est inefficax, videatur prima facie superflua respectu electorum, si semel supponitur

voluntas

voluntas efficax dandi illis gloriam; re tamen vera, non est superflua, sed necessario ponenda. Tum, quia ex illa voluntate antecedente, proveniunt quasi elicitive sive proxime, et modo alibi dicto, auxilia sufficientia electorum ut talia, licet quod conducant cum effectu in illis ad finem vitæ æternæ, proveniat ex voluntate consequente, qua eliguntur. Tum etiam: quia, adhuc supposita voluntate prædestinandi electos, non potest divina voluntas propter summam actualitatem, et eminentiam suam esse suspensa circa hoc objectum, nimirum salutem omnium hominum, sumptam secundum se, et non attentis circumstantiis, seu per voluntatem antecedentem volibilem; sed necessario debet ad unam partem contradictionis terminari, ut ex dictis in tract. de Voluntate Dei disp. 5 n. 73 et deinceps constat. Quare cum supposita illa voluntate salvandi præ aliis efficaciter electos, nequeat habere voluntatem antecedentem, qua velit non salvare illos, ut ex se patet: nec voluntatem antecedentem, qua velit non salvare reprobos, quia non possent ob sua peccata reprobari, si non adesset prædicta voluntas antecedens salvandi illos: ex eo quod hac voluntate per modum intentionis sublata, auferretur etiam voluntas per modum electionis dandi auxilia sufficientia ad eamdem salutem, ac proinde ad vitanda peccata, sine quibus auxiliis nemini potest peccatum imputari: inde est, ut hoc ipso quod Deus velit salvare electos per priorem illam intentionem imperantem productionem omnium rerum naturalium, oportet quod his habeat voluntatem salvandi illos. Semel quidem efficaciter, et per providentiam specialem: semel autem inefficaciter, quantum est ex vi providentiæ generalis, cui attribuitur illa voluntas antecedens, quæ imperative est a providentia speciali, nempe prædestinatione.

3°. Ad ultimum

Ad ultimum distinguenda est major: si ordinentur ad finem prædestinationis, et sint effectus ejusdem, proximi, et proportionati, et ut tales ab illa eliciantur, vel imperentur, transeat: si vero sint effectus illius, remoti, improportionati, et deficientes, et ut tales ab illa imperentur, negari debet. Et deinde concedenda est minor: sed negari debet consequentia, si intelligatur de effectu prædestinationis remoto, et deficienti, qualiter substantia prædestinati, et aliæ res naturales sunt effectus prædestinationis.

Et ad primam probationem majoris, concesso antecedenti neganda est consequentia. Quia ut docet D. Thom. 2, 2 q. 2 art. 9 ad 1, in 3 dist. 18 q. 1 art. 1 et 5 et de Verit. q. 26 art. 6 charitas ordinat actus virtutum, etiam naturalium seu acquisitarum ab ipsa imperatos, constituendo illos intrinsece media, et effectus proportionatos in ordine ad finem ejusdem charitatis. Quia ex vi illius ordinationis vult illos, saltim in actu exercito, ut merita intrinsece condigna vitæ æternæ, ac proinde ut media proxima in ordine ad prælictum finem: et ita ex vi ejusdem ordinationis tribuit illis aliquid superadditum, et supernaturale ratione cujus proxime, et proportionate conducant ad illum, et habeant condignitatem intrinsecam meritoriam in ordine ad ipsum.

Ad primam probationem majoris. D. Thom.

Cæterum cum Deus prædestinat, et ex vi hujus prædestinationis producit debito tempore substantiam prædestinati, et formicam, v. g. non vult, nec producit illa ut media proxima, et proportionata in ordine ad finem prædestinationis, nec ut merita condigna, aut ut quid proxime disponens ad illum; sed ut quid remotum, et improportionatum, ac remote, et improportionate conducens ad prælictum finem. Et propterea non est necesse ut ex vi illius productionis ponat in illis aliquid supernaturale, ratione cujus proxime ordinentur in finem prædestinationis, eo modo, quo actus virtutum acquisitarum ex ordinatione charitatis participant aliquid intrinsecum, quo in finem illius ordinantur. Alioqui illa voluntas Dei prædestinantis non vellet in actu exercito has res naturales, esse propter finem prædestinationis, tanquam quid remote, et deficienter conducens ad illum; sed tanquam quid proxime, et proportionate ordinatum ad ipsum. Unde ea, quæ cadunt sub prædestinatione, non habent ex generali ratione, qua subsunt ejus imperio, participare aliquid supernaturale; sed ex speciali ratione ordinationis proximæ in finem illius. 39.

Per quod etiam ad secundam probationem patet. Nam ad hoc ut ille actus divinæ voluntatis, sit terminative transiens (quod idem de imperio, in quo prædestinatio ipsa formaliter in recto consistit, dicimus) satis est quod ponat in effectu bonitatem improportionatam, nempe quæ remote, et deficienter ordinetur in finem prædestinationis: ac proinde satis erit, quod ponat bonitatem naturalem, ut hoc modo conducentem in illum.

Ad secundam.

40. Ad tertiam. Ad tertiam probationem respondetur, quod ex quo capite effectus isti, nempe res naturales, sunt effectus prædestinationis deficientes, et remoti, debent correspondere tanquam causæ (ut sic dicamus) elicitivæ, seu proximæ in ratione ordinantis, providentiæ naturali : et ex quo capite omnis inclinatio, sive ordinatio (adhuc extrinseca, ut in præsenti contingit) in finem supernaturalem debet oriri a Deo auctore supernaturali, oportet ut hoc ipso quod producantur, quatenus conducunt remote, efficaciter tamen ad finem supernaturalem vitæ æternæ, debeat talis productio imperari a Deo ut providet per providentiam supernaturalem, et per consequens ut providet per prædestinationem, ut explicatum est.

Ad ultimam. Ad ultimam vero probationem distinguenda est major : per se solummodo, et cum præcisione sumptum, neganda est : adjunctis aliis effectibus, concedi potest. Et ita satis est ad hoc ut res naturales sint in prima productione effectus prædestinationis, quod postea mediante auxilio supernaturali, et efficaci, et adjunctis aliis, cum effectu conducant ad finem vitæ æternæ, ut patet etiam in vocatione, et justificatione. Nam illa non nisi adjuncta justificatione, et utraque non nisi adjuncto dono perseverantiæ, cum effectu conducunt ad finem vitæ æternæ.

DISPUTATIO VI.

De prædestinatione quoad alium ejus effectum, scilicet permissionem peccati.

1. Ut exacta notitia omnium effectuum prædestinationis habeatur, solum potest desiderari, suppositis iis, quæ in præcedentibus disputationibus diximus, quod explicemus, an permissiones peccatorum sint connumerandæ inter effectus prædestinationis : et propterea non poterat non post jam dicta, hoc in controversiam peculiariter vocari : et licet hujus disput. decisio ex jam dictis constet ; nihilominus ut hoc amplius pateat, et aliquibus argumentis adversariorum plene satisfiat, debuit sigillatim discuti.

DUBIUM UNICUM.

Utrum permissiones omnium peccatorum sint effectus prædestinationis electorum?

Data opera in titulo posita est illa particula : *Permissiones omnium peccatorum*, ut intelligatur de permissionibus omnium peccatorum tam electorum, quam reproborum : ut ita explicemus, an non solum permissiones peccatorum, quæ patrantur ab electis, sed etiam eorum, quæ fiunt a reprobis, sint effectus prædestinationis electorum?

§ I.

Sententia negans.

Partem negantem tuentur Vazquez in præsenti disp. 93 c. 2, Lessius lib. 11 de perfectionibus divinis c. 6, Arrubal disp. 82 c. 2, Herice tract. 3 disp. 30 c. 6, loquens de permissione peccati, quæ de facto contingit, Villegas controversia 15 c. 1 et 2, et alii. Vazquez. Lessius. Arruba. Herice. Villega.

Probatur primo. Nam juxta Augustin. cap. 14 de Dono perseverant. prædestinatio est præparatio gratiæ, et beneficiorum, quibus electi salvantur : ergo permissio peccati non erit effectus prædestinationis electorum. Patet consequentia. Quoniam permissio peccati potius est subtractio gratiæ, et beneficii auxilii efficacis, quo peccatum erat vitandum : ergo prædestinatio, quæ est præparatio gratiæ, et beneficiorum etc. non erit præparatio prædictæ permissionis : et per consequens nec talis permissio erit effectus illius. Primum argumentum Aug.

Confirmatur primo. Nam effectus prædestinationis conferuntur nobis per Christum, siquidem ipse est causa meritoria, et finalis omnium effectuum talis prædestinationis : at permissiones peccatorum nequeunt esse per Christum, siquidem ipse non est mortuus, nec in mundum venit, ut Deus permitteret nos peccare, sed ut nos a peccatis redimeret, et præservaret : ergo permissiones peccatorum nequeunt esse effectus prædestinationis electorum. 2. Confirmatio prior.

Confirmatur secundo. Quia alioqui possemus preces ad Deum fundere ut permitteret nobis peccare, siquidem licitum est deprecari Deum pro prædestinationis effectibus : hoc autem videtur absurdum, et contra illud orationis Dominicæ, *Et ne nos inducas in tentationem* : ergo etc. Secunda

Secundo, et principaliter. Nam permissio peccati non potest esse volita sive immediate, sive mediate, seu mediante pœnitentia ex affectu beatificandi electos : ergo non erit prædestinationis effectus. Consequentia satis constat. Antecedens autem quoad 3. Secundum principale argumentum

quoad primam partem probatur. Quoniam non conducit immediate, sed solum mediante pœnitentia, ad beatificandos homines : constat autem eo modo aliquid esse volitum ex affectu beatitudinis, quo conducit ad illam. Quoad secundam vero partem, scilicet quod non possit esse volita mediate ex affectu beatitudinis, idest, mediante pœnitentia, sine qua nullo modo ad eam conducit, probatur. Quia alioqui esset volita proxime ex amore ejusdem pœnitentiæ, ita ut prius esset volita pœnitentia, quam permissio esset volita a Deo, et per consequens quam esset futura : hoc autem fieri nequit.

Prima antecedentis probatio.

Tum, quia Deus volens pœnitentiam prius, quam permissionem peccati, teneretur velle non solum ipsam permissionem, sed etiam peccatum : quandoquidem volens efficaciter aliquid, debet velle omnia illa, sine quibus dari nequit, ac proinde Deus volens efficaciter pœnitentiam, deberet etiam velle tam permissionem peccati, quam peccatum ipsum, quod est materia pœnitentiæ, et sine quo hæc dari nequit. Sicut Deus volens efficaciter conversionem panis in corpus Christi, eo ipso debet velle productionem panis, si non sit productus : quia panis indispensabiliter requiritur ad talem conversionem per modum termini *a quo*, sive materiæ, circa quam illa conversio debet versari.

4. ecunda.

Tum etiam : quia alioqui Deus ex se ipso ante omnia opera nostra, et sine aliqua occasione ex parte hominum oblata, vellet pœnitentiam; siquidem vellet illam ante quam vidisset nostra peccata, imo et permissionem ipsorum, cum hæc omnia sint post ipsam pœnitentiam, ex cujus amore prædicta permissio fuit volita : hoc autem

ipient. 1.

videtur pugnare cum illo Sapientiæ 1 : *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum, sanabiles enim fecit nationes orbis terrarum, et non est in illis medicamentum exterminii,* quo innuitur, Deum ex se nec remedia peccati, neque ejus punitionem voluisse : quia hæc omnia supponunt patrationem vitiorum, et peccato-

mbros.

rum ipsorum, ut explicant Ambros. libr. de bono mortis cap. 4 et libr. de fide re-

Thom. illus.

surrectionis ante medium, D. Thom. infra quæstion. 49 artic. 2, Cyrillus lib. 2 de fide ad reginas cap. de eo quod Christus est

mas.

sanctificatus, et Damasc. libr. 2 de fide capit. 29 dicentes, Deum voluntate antecedente, et ex se ipso non posse velle punitionem, correctionem, aut pœnitentiam.

Tum deinde : quia alias potuisset quis licite peccare, siquidem quandiu perseverat bonitas intentionis, non potest electio esse mala, præcipue si sit erga medium omnino necessarium, sine quo finis bene intentus nequit consequi : eo enim ipso quod electio mala esset, vitiaret intentionem : ergo cum peccatum sit medium necessarium, et materia indispensabilis respectu pœnitentiæ, prius per modum finis volitæ, fiet inde, ut vel licite possit peccatum eligi, vel si non possit licite eligi, signum erit intentionem, qua intenta est pœnitentia, reddi vitiosam : cum electio medii illicita, reddat vitiosam intentionem finis. Tertia.

Tum denique : quia si Deus permitteret peccatum, ut illud per pœnitentiam sanaret, esset crudellis, ut innuunt Augustin. 2 conf. c. 3, D. Thom. 2, 2 quæst. 106 art. 3 ad 5. Non secus ac medicus censendus esset crudelis, si vellet, aut permitteret infirmitatem, ut illam sanaret. Ultima. Aug. D.Thom.

Tertio probatur, et simul præcedens argumentum confirmatur. Quoniam peccatum est majus malum, quam sit pœnitentia bonum : ergo permissio peccati non potest esse volita ex affectu pœnitentiæ, aut ex affectu beatitudinis : et per consequens nequibit esse effectus prædestinationis. Hæc secunda consequentia ex priori satis constat. Prior quoad secundam partem patet ex priori illius parte. Siquidem, ut modo dicebamus, permissio peccati non potest esse volita ex affectu beatitudinis nisi mediante pœnitentia : ex eo quod inter illam, et beatitudinem debet mediare pœnitentia ut medium proximius, quam eadem permissio; ac proinde ut medium ex cujus amore devenitur in amorem permissionis peccati. Prior autem ejusdem consequentiæ pars constat. Quoniam ad rationem prudentis provisoris, qualis est Deus, pertinet ut non permittat majora mala, ut inde eveniant minora bona. Antecedens autem probatur. Quoniam peccatum ut habet rationem offensæ, est malum infinitum, ut docet D. Thom. 3 part. quæstion. 1 art. 2, et nos ibidem dicemus : pœnitentia autem solum dicit bonum finitum, et limitatum. 5. Tertium argumentum. D.Thom.

Confirmatur. Quoniam innocentia habet majorem rationem boni, quam pœnitentia : ergo non potuit Deus permittere peccatum, per quod deperditur innocentia, ut inde eliciat pœnitentiam, et remedium illius. Consequentia videtur legitima : siquidem finis, propter quem permittitur peccatum, debet esse majus bonum, quam 6. Confirmatur.

illud quod habebatur sine illo : alioqui permitteret Deus majus malum, ut inde eveniret minus bonum, quod, ut modo dicebamus, est inconveniens.

Idem. Antecedens autem probatur. Tum, quia illud docet D. Thom. supra quæst. 20 art. 4 ad 4, ubi ait quod cæteris paribus melior est innocentia, quam pœnitentia. Unde innocentia importat dignitatem irreparabilem, quam non importat pœnitentia. Tum etiam : quia alias quoties Deus permittit aliquem peccare, toties ille deberet per pœnitentiam resurgere cum majori gratia, quam habuisset ante peccatum : nam bonum intentum per illam permissionem est major perfectio peccantis : et ista consistit in majori gratia, et charitate : hoc autem dici nequit, quandoquidem peccans sæpe resurgit cum minori dispositione, ac proinde cum minori gratia, quæ proportionatur dispositioni.

7. Ultimum argumentum. Ultimo. Nam infamia, et lassitudo sunt effectus peccatorum ut talium : et tamen nequeunt esse effectus prædestinationis : ergo neque permissiones eorumdem peccatorum poterunt esse prædestinationis effectus. Major est satis perspicua : et videtur satis insinuari in illo Sapientiæ 5 : *Lassati sumus in via iniquitatis.* Minor autem probatur. Quia effectus prædestinationis debent præfiniri, et prædeterminari per illam : at infamia v. g. orta ex peccato quatenus tali, nequit per prædestinationem prædeterminari : ex eo quod effectus alicujus causæ nequit prædeterminari non prædeterminata sua causa, et peccatum quatenus tale, sicut est extra causalitatem divinæ prædestinationis, ita etiam extra ejus prædeterminationem.

Consequentia vero etiam constat. Quoniam isti effectus sunt occasio humilitatis, et cognitionis propriæ infirmitatis, quemadmodum permissio peccatorum est occasio ejusdem humilitatis : ergo si prædicti effectus, quamvis conducant ad finem prædestinationis, nequeunt esse effectus illius, etiam permissio non poterit esse effectus prædestinationis, quamvis conducat ad finem ipsius.

§ II.

Sententia D. Thomæ præfertur.

8. Conclusio. Dicendum tamen est, omnes permissiones peccatorum tam in electis, quam in reprobis esse effectus prædestinationis electorum. Assertionem hanc quoad priorem partem, nempe quoad permissiones peccatorum, quæ patrantur ab electis, est D. Thom. 1, 2 quæst. 79 art. 4. Ubi loquens de excæcatione, quæ ad minus includit permissionem peccati, sic ait : *Respondeo dicendum, quod excæcatio est quoddam præambulum ad peccatum : peccatum autem ad duo ordinatur. Ad unum quidem per se, scilicet ad damnationem : ad aliud autem ex divina misericordia, vel providentia, scilicet ad sanationem, in quantum Deus permittit aliquos cadere in peccatum, ut peccatum suum agnoscentes humilientur, et convertantur. Sicut Augustin. dicit in lib. de natura, et gratia. Unde et excæcatio ex sui natura ordinatur ad damnationem ejus, qui excæcatur : propter quod ponitur etiam reprobationis effectus : sed ex divina misericordia excæcatio ad tempus, ordinatur medicinaliter ad salutem eorum, qui excæcantur, sed hæc misericordia non omnibus impenditur excæcatis, sed prædestinatis solum, quibus omnia cooperantur in bonum, sicut dicitur Roman. 8.* Angelicus Doctor. Probatur ex Patribus.

Quoad secundam vero partem, nempe quod permissio peccatorum in reprobis, sit effectus prædestinationis electorum, docuit eam Angelicus Doctor ad Roman. 11 lect. 2, ubi explicans illud Apostoli : *Numquid ergo sic offenderunt, ut caderent? absit,* sic inquit : *Dictum est, et probatum, quod cæteri Judæi præter electos sunt excæcati. Dicit ergo quæstionem movens : Numquid sic offenderunt ut caderent? quod potest dupliciter intelligi. Uno modo sic : Numquid Deus permisit eos offendere solum ut caderent, idest, propter nullam aliam utilitatem inde consequentem ; sed solum volens eos cadere. Quod quidem esset contra bonitatem divinam quæ tanta est, ut Aug. dicit in Enchir. quod nunquam permitteret aliquid mali fieri, nisi propter bonum, quod ex malo elicit. Unde et Job. 34 dicitur : Conteret multos, et innumerabiles, et stare faciet alios pro eis, et Apocalyp. 3 dicitur : Tene quod habes, ne alter accipiat coronam tuam. Quia scilicet Deus aliquos sic permittit cadere, ut quorumdam casus sit aliorum salutis occasio.* Idem.

9. Ipsemet Ac tandem quoad utramque partem eam docuit Angelicus Doctor, tum capit. 8 ad Roman. lection. 6 his verbis : *Inter omnes partes universi excellunt sancti Dei, ad quorum quemlibet pertinet, quod dicitur Matth. 25 : Super omnia bona sua constituet eum. Et ideo quidquid accidit vel circa ipsos, vel alias res, totum in bonum eorum cedit, ita quod*

quod verificatur quod dicitur Proverb. 11 : *Qui stultus est serviet sapienti. Quia scilicet etiam mala peccatorum in bonum justorum cedunt. Unde Deus specialem curam pro justis habere dicitur, secundum illud Psalm.* 33 : *Oculi Domini super justos, in quantum scilicet sic de eis curat, quod nihil mali circa eos esse permittit, quod non in eorum bonum convertat.* Tum etiam locis citatis pro nostra sententia in dubiis præcedentibus, ut intuenti constabit.

ugust. amasc. ssæn. selm. Beda. lossa. om. 8. mbros. ajetan. annez. ipa. ozar. nzalez umel. rnejo. olina. uarez. anado. artag. lug. Vict. 10. Ratio ında- entalis pro sser- one.

Idem etiam docuerunt Augustin. locis statim referendis, Damascen. lib. 2 de fide cap. 29, Nyssænus 8 lib. Philosophiæ, Anselmus, Beda, Glossa in illud Roman. 8 : *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Et Ambros. in Apologia David cap. 2 et 7. Unde hanc sententiam sequuntur Cajetan. artic. 5 hujus quæst., Bannez, Ripa, Nazarius, Gonzalez, Zumel, Cornejo, Molina, in hoc articulo, Suarez lib. 3 de Prædestinatione cap. 8, Granado tractatu 6 de Prædestinatione disp. 5 qui refert Cartagenam, et alios. Idem etiam sentit Hugo Victorinus lib. 1 de Sacramentis p. 4 cap 4.

Ratio autem fundamentalis hujus assertionis desumitur ex variis testimoniis Scripturæ et Patrum, quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam probabile est, multoties contineri in sacra Pagina, quod permissiones peccatorum tam in electis, quam in reprobis, sunt volitæ ex affectu beatitudinis electorum, ac proinde quod sunt effectus prædestinationis eorum, in hocque plura Patrum testimonia conspirant : ergo absolute dicendum est prædictas permissiones esse volitas propter beatitudinem electorum, esseque effectus prædestinationis eorumdem. Consequentia satis constat ex iis, quæ præcedenti disp. num. 13 diximus. Nam quoties agitur de divinis decretis, et de modo, quo Deus voluit aliquid, et per consequens, an sit effectus hujus, vel illius providentiæ, tunc si neutra pars possit colligi cum omnimoda certitudine ex Scriptura et Patribus, sed tantum verosimiliter, seu probabiliter, tunc debet illi parti assentiri, de qua probabiliter judicatur esse in sacra Pagina, et Patribus, quæque magis cedit in gloriam Christi Domini, et electorum, ut communiter admittunt Theologi : ergo cum certum sit, magis cedere in gloriam Christi, et electorum, quod permissiones peccatorum, tam in electis, quam in reprobis, sint volitæ ex effectu beatificandi electos, ac proinde sint effectus prædestinationis eorumdem, consequens erit, quod si semel hoc probabiliter in Scriptura, et Patribus inveniatur, debeat absolute admitti.

Antecedens quoad priorem partem scilicet quoad permissionem peccatorum in electis colligitur, tum ex illo ad Roman. 8 : *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Ut ibi explicant D. Thom. ut nuper vidimus, et D. Augustin. tomo septimo de Correctione, et gratia capite nono, ubi inquit : *Talibus Deus diligentibus eum omnia cooperatur in bonum usque adeo prorsus omnia ut etiam si qui eorum deviant, et exorbitant, etiam hoc ipsum* (idest materiale, et permissio peccati) *eis facial proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores.* Quæ verba re vera in hoc capite nono, ubi a nobis citantur, inveniuntur, secus vero in illo capite sexto a Villegas citato, ut disputatione quarta numero 49 adnotavimus : quamvis id Typographi incuriæ potius tribuendum esse existimemus : ex prædictis igitur verbis patet quod Deus prædictos electos ex intentione hujus majoris humilitatis, et docibilitatis permittit peccare : cumque hæc eorum major humilitas, sit ex fine eos beatificandi, et effectus prædestinationis electorum, ut ex dictis patet, inde est, ut de primo ad ultimum prædicta permissio sit ex intentione beatitudinis electorum, et effectus prædestinationis eorum. 11. Roman. 8. D.Thom. August. Villegas.

Tum etiam ex Psalm. 29 : *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.* Ubi ex eo quod David in abundantia sua dixerit se non movendum in æternum, voluit illum Dominus deserere, ut illa derelictio esset illi medicina contra superbiam, sicque media humilitate salutem consequeretur. Unde D. Augustin. libro de natura et gratia capite 14 explicans hoc testimonium, sic inquit : *Dixerat enim in abundantia sua, non movebor in æternum, et sibi tribuebat quod a Domino habebat. Quare ostendendum ei fuerat unde haberet, ut reciperet humilis quod superbus amiserat.* Quod etiam docuit libro de gratia, et libero arbitrio capite sexto, lib. 14 de Civitate capit. 13, in quo sensu explicat versiculum Psalm. 82 : *Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine.* Psal. 29. August. Psal. 82.

Tum deinde ex illo ad Roman. 11 : *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur.* Quæ verba sic explicat Aug. lib. 21 de Civitate Dei cap. 24 : *Deus permisit prædestinatos ex Judæis, et Gentibus incidere in peccatum infidelitatis, ut* Roman. 11. August.

de amaritudine illius pœnitendo confusi, et de dulcedine divinæ misericordiæ credendo conversi dicant illud Psalm. 30 : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus se.*

12. D.Thom. Cui etiam consonat Angelicus Doct. lect. 4 super prædictum caput his verbis : *Conclusit enim Deus, idest, concludi permisit omnia, idest, omne hominum genus, tam Judæos, quam Gentiles in incredulitate sicut in quadam catena erroris, Sapient.* 17 *una catena tenebrarum omnes erant colligati : ut omnium misereatur, idest, ut in omni genere hominum sua misericordia locum habeat. Sapient.* 11 : *Misereris omnium, Domine.* Et ut ostenderet sanctus Doctor de qua misericordia loquebatur, addidit : *Quod quidem non est extendendum ad omnes homines sigillatim, sed ad omnia genera hominum : fit enim hic distributio pro generibus singulorum, et non pro singulis generum : ideo autem Deus vult omnes per suam misericordiam salvari, ut ex hoc humilientur, et suam salutem non sibi, sed Deo adscribant Oseæ* 13 : *Perditio tua in te, Israel, tantummodo ex me auxilium tuum, ut omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus Deo.*

August. Unde D. Augustin. lib. secundo de peccatorum meritis cap. 17 sic inquit : *Ideo quisque nostrum bonum opus suscipere, agere, implere nunc scit, nunc nescit, nunc delectatur, nunc non delectatur : ut noverit non suæ facultatis, sed divini muneris esse, vel quod scit, vel quod delectatur, ac sic ab elationis vanitate sanetur : et sciat quam vere non de terra ista, sed spiritualiter dictum sit : Dominus dabit suavitatem, et terra nostra dabit fructum suum.* Quod etiam repetit ca-
Gregor. pite 19 ejusdem libri. Et D. Gregor. lib. secundo Moralium cap. 26 agens de divina gratia, sic ait : *Fit ut aliquando se hæc gratia utiliter subtrahat, et præsumenti menti, quantum in se infirmetur, ostendat. Tunc enim vere cognoscimus bona nostra unde sint, quando hæc quasi amittendo, sentimus quia a nobis servari non possunt.*

13. Quoad secundam partem antecedens probatur primo. [Romau. 11. Quoad secundam vero partem, scilicet quod verosimiliter, seu probabiliter in sacra Pagina multoties contineatur, permissiones peccatorum, quæ a reprobis committuntur, esse effectus prædestinationis electorum, probatur idem antecedens. Tum ex illo Roman. 11 jam citato ubi divus Paulus loquens de Judæorum ruina, sic inquit : *Numquid sic offenderunt, ut caderent? absit,* idest, numquid finis intentus a Deo, fuit casus illorum? absit. Sed (ut ibidem prosequitur Apostolus) *illorum delicto, salus est Gentibus, ut illos emulentur,* idest, ut habeant exemplum, ne superbiant, et cadant, sicut illi superbierunt, et ceciderunt. Et deinde prosequitur Apostolus : *Quod si delictum eorum divitiæ sunt mundi, et diminutio eorum divitiæ Gentium amissio eorum reconciliatio est mundi : fracti sunt rami ejus ut ego inferar. Nolo ergo vos ignorare fratres mysterium hoc, quod cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret.* In quibus, ut constat, satis denotatur, finem quem Deus intendit in permissione peccatorum Judæorum fuisse salutem Gentium, ut ibi explicat D. Thom. D.Thom ac proinde prædictam permissionem esse effectum prædestinationis electorum.

Tum etiam ex illo Roman. 9 : *Cum enim* Secund *nondum nati fuissent, aut aliquid boni egis-* Rom. 9 *sent aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei. Quia major serviet minori.* Ubi, ut vides, aperte docet divus Paulus, ex vocante, idest, ex gratia Dei vocantis, seu prædestinantis Jacob, et ut decretum hoc firmum maneret (ut ibi explicat D. Thom. lect. 1) dictum est Rebeccæ, D.Thom quod major (scilicet Esaü) serviet minori (nempe Jacob) idest, quod ei permissum fuerit, ut persequeretur Jacob. Et ita idem Angelicus Doctor ibidem inquit : *Intelligitur Esaü servisse Jacob, non directe, sed occasionaliter, in quantum persecutio quam ei intulit, in ejus bonum cessit, secundum illud Proverbiorum* 11 : *Qui stultus est, serviet sapienti.* Ac proinde permissio hujus servitutis, seu persecutionis, qua Esaü persecutus est Jacob fuit effectus prædestinationis Jacob : siquidem ex illa gratia Dei vocantis, et ut firmum maneret propositum Dei prædestinantis, subsecuta est.

Tum deinde ex illo Psalm. 9 : *Ut quid,* 14. *Domine, recessisti longe, despicis in oppor-* Tertio *tunitatibus.* Quem locum explicat D. Thom. Psal. 9 D.Thom ibidem de permissione persecutionis electorum, quam Deus dicitur facere in opportunitatibus, scilicet opportuno tempore : quia inde sancti proficiunt ad meritum vitæ æternæ. Tum denique ex Psalm. 57 : *Læ-* Ultimo *tabitur justus cum viderit vindictam, manus* Psal. 5 *suas lavabit in sanguine peccatoris.* Ubi D. Augustin. : *Justus qui videt vindictam pec-* Augus *catoris, proficit ipse, et mors unius valet ad vitam alterius.* Et per consequens, cum in executione ita sit, ut permissio peccati reprobi conducat ad salutem prædestinati, inde erit, ut hoc ipsum sit ordinatum in

mente

mente divina per modum intentionis ab æterno : et ex hac intentione salutis prædestinati, oriatur permissio peccati reproborum. Ut sic etiam appareat veritas ejus,
Ro- an. 9. quod Apostolus dixit ad Rom. 9 : *Sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Ubi illud verbum, *sustinuit*, idem
Thom. valet ac *permisit*, ut explicat D. Thom. in hoc art. in solutione ad tertium.

§ III.

Evasiones Vazquez, et præclusio illarum.

15. zquez. Occurrit Vazquez ex his non sequi, Deum voluisse ex primaria intentione suæ voluntatis permittere peccata propter bonum electorum, ut nos intendimus, sed propter alium finem communis providentiæ; viso tamem peccato, et sumpta ex eo occasione, ordinasse talem permissionem in bonum prædestinatorum. Et ad loca Scripturæ, et sanctorum Patrum inquit, intelligenda esse non de fine permissionis proprie, sed vulgari modo sumpto, vocando nimirum finem permissionis quodvis bonum ex ejus occasione quomodocumque etiam ex secundaria intentione secutum. Quia bonum electorum ex permissione peccati subsecutum, non est volitum eodem actu, quo est volita ipsa permissio ante prævisionem peccati, sed alio actu distincto præsupponente peccati visionem, et consequenter voluntatem permittendi.

16. nfi.- alio lutio- nis. ugust. Confirmatque hanc suam solutionem, tum ex August. lib. 11 de Genesi ad literam cap. 22 ubi quærit, quare creavit Deus Dæmonem, quem malum futurum præsciebat? et respondet, in hæc verba : *Non quia ipsum malum condidit, sed quia cum sciret eum ad hoc propria voluntate malum futurum ut bonis noceret, creavit eum ad hoc ut de illo bonis ipse prodesset.* Ac proinde juxta mentem Augustini, prius vidit invidiam Diaboli erga Sanctos, et deinde decrevit per aliam voluntatem, quod sancti proficerent ex ejus tentatione. Tum etiam : quia alioqui non posset non Deus velle peccatum si ante prævisionem illius permitteret illud propter bonum electorum, ut num. 3 ex eodem Vazquez dicebamus.

7. pu- atur lutio. Cæterum hæc solutio satis ex dictis corruit. Nam Scriptura, et Patres assignantes finem permissionis peccatorum, tam in electis, quam in reprobis, assignant pro fine bonum æternum electorum : ergo debent intelligi de fine, sive ratione finali proprie sumpta, necnon et de fine, ad quem ex primaria intentione Deus ordinat prædictam permissionem. Patet consequentia quoad primam partem. Quia verba Scripturæ et Patrum debent intelligi in sensu proprio, nisi aliquod absurdum inde sequatur, ut in præsenti non sequi ex solutionibus argumentorum patebit : alioqui, ut ex D. Augustin. communiter docent Theologi, nihil firmum in Scriptura, aut Patribus haberemus.

Quoad secundam vero partem eadem consequentia probatur. Quoniam inde divus Thom. et ejus discipuli colligunt, D Thom Incarnationem esse volitam ex primaria intentione propter remedium peccati, quia Scriptura et Patres hunc finem assignant, et si quis alius ab eis assignatur, ille etiam cedit in remedium peccati : ergo cum Scriptura, et Patres assignent pro fine permissionis peccatorum tam in electis, quam in reprobis finem prædestinationis electorum, seu æternam eorum beatitudinem : et si quis alius finis ibidem intervenit, totum hoc cedat in bonum electorum, ut ex jam dictis constat, consequens erit, ut debeant intelligi de fine volito per primariam intentionem, qua permissio est volita.

Maxime, quia hoc ipso quod Scriptura, et Patres toties absolute, et simpliciter loquantur de fine permissionis, de alio autem fine illius, præterquam de æterna beatitudine electorum, et de iis, quæ ad eam ducunt, mentionem non faciant : eo ipso satis probabiliter ex eis colligitur, illos loqui de fine permissionis ex primaria intentione : quia hic est finis absolute, et simpliciter ejus : nec est credibile illos toties loquentes de fine permissionis peccatorum omisisse semper finem primarium, soliusque secundarii mentionem semper fecisse : cumque hoc ipso quod Scriptura et Patres possint satis probabiliter de prædicto fine intelligi, sint absolute de illo intelligendi, ut jam ostendimus, consequens erit, ut juxta mentem Scripturæ, et Patrum, debeat dici, permissionem jam dictam esse ex primaria intentione volitam propter electos, et per consequens esse effectum prædestinationis eorum.

Confirmatur. Quia permissio peccati 18. potuit esse primo volita propter alios fines :

Confirmatur eadem impugnatio.

ergo etiam propter finem prædestinationis electorum, ad quem ipsa, et alii ejus fines conducunt : ergo cum Scriptura, et Patres hoc absolute, et simpliciter, et non limitando ad volitionem ex secundaria intentione proclament, dicendum est, sic fuisse volitam. Antecedens patet. Quia cum prædicta permissio sit bonum quoddam, et non bonum ultimum; debet esse primo volita ex amore alterius boni. Ex quo prima consequentia satis constat. Nam sicut conducit ad alia bona, conducet etiam, et potissimè ad finem prædestinationis : ergo sicut ex eo quod ad alia conducit, et ad illa, modo infra explicando, ordinatur, quia ipsa non est ultimum bonum, propterea potest esse primo volita ex amore alterius boni, ita propter eamdem, et majorem rationem potuit esse volita ex primaria intentione propter finem prædestinationis.

Secunda autem consequentia ex hac priori patet. Quoniam quoties aliquid non repugnat esse primo volitum propter aliquem finem, et illud esse volitum propter talem finem ex Scriptura, et Patribus absolutè, et simpliciter habetur : et alias est talis conditionis, ut si quem alium finem habeat, adhuc ipse conducit, et ordinatur ad finem illum, qui absolutè, et simpliciter ei assignatur, ita ut nunquam negetur esse propter talem finem primo volitum, debet intelligi, fuisse propter eum primo volitum. Alioqui quoties expresse, et formaliter non exprimitur in Scriptura, aut Patribus primarius finis, propter quem est volita aliqua res, ita ut id ex eis certo, et evidenter colligatur, non haberetur unde probabiliter colligeremus, quis esset finis, propter quem res illa in prima intentione est volita. Quia ut intuenti patebit, ex his solis capitibus potest id colligi.

19. Primum quod pro se adducit Vazquez infringitur.

Nec id, quo pro se adducit Vazquez ei favet. Non quidem primum ex testimonio August. desumptum. Nam admisso illo testimonio, negandum est ex eo sequi, quod prius viderit Deus invidiam Diaboli erga Sanctos, et postea alia voluntate ordinaverit permissionem illius peccati in profectum Sanctorum. Quoniam Deus voluit creare Angelos malos ad ostensionem suæ justitiæ erga illos, et suæ misericordiæ erga electos : et in hac voluntate includitur permissio peccati necessaria ad utrumque. Ac proinde in hac eadem permissione prævidit peccata Dæmonum, et in genere causæ finalis prius fuit permissio ipsa, et prævisio ejus, necnon et peccati, quam creatio Angelorum : siquidem creavit eos ad ostensionem suæ justitiæ erga eos, et misericordiæ erga electos, et in hoc involvitur prædicta permissio, et prævisio peccati.

20. Necnon et secundum.

Nec etiam secundum, quod pro se Vazquez adducit, ei favet. Tum quoniam licet Deus permittat peccata propter alios fines; et hanc permissionem infallibiliter concomitetur ipsum peccatum; non tamen propterea Deus vult peccatum : ergo licet permittat idem peccatum ex prima intentione ut justus surgat cautior, et tandem salvetur, non propterea debet velle peccatum. Tum etiam : quia, ut Vazquez loco citato num. 15 admittit, Deus vult ex prima intentione permittere peccatum eo fine, ut ostendat divitias gratiæ suæ erga electos, juxta illud Pauli : *Sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ* : nec ob id necessario debet velle peccatum : ergo etiam potest velle peccatum ea intentione, ut quis postea cautius resurgat, et vitam æternam consequatur absque volitione peccati. Rom. 9

21. Evasio Vazquez

Nec obest si cum eodem Vazquez, num. 15 dicas esse disparem rationem : quia ut prædestinatus resurgat, et pœniteat, necessario præsupponitur peccatum, et lapsus tanquam materia necessaria pœnitentiæ, et tanquam terminus *a quo* resurrectionis, et conversionis : et ita qui vult conversionem, et pœnitentiam alicujus, antequam videat ejus lapsum et peccatum, cogitur velle peccatum ipsum et lapsum, sine quo talis pœnitentia haberi nequit : at verò ut cognoscat prædestinatus liberalitatem, et misericordiam Dei erga illum, non requiritur peccatum ut materia, nec ut terminus *a quo*, ex quibus misericordia, et liberalitas Dei ostendatur : quia potest sufficienter ostendi ex sola permissione, ut condistincta a peccato.

Impugnatur primo.

Non itaque hoc obest. Tum quia Deus non tantum permittit peccata reproborum, ut ostendat prædestinatis concessisse gratiam præservantem eos à peccatis, sed ut ostendat illis, quod revocavit eos a peccatis : hoc enim significant illa verba, *ut ostenderet divitias gloriæ*. Nam, ut ait D. Thom. ibi, has divitias manifestavit Deus revocando prædestinatos a malo : et sic prædestinati non possunt istam gratiam talis revocationis cognoscere, nisi cognoscendo mala a quibus revocantur, postquam illa commiserunt : ergo sicut licet ista D. Thom.

mala

mala supponantur ad terminum *a quo*, sive per modum termini *a quo* ad prædictam revocationem, non sequitur quod si Deus permisit peccata, ut ostenderet prædestinatis, quod revocavit eos ab illis, voluerit ea peccata, a quibus eos revocavit : ita similiter non sequitur, quod si Deus permisit peccata prædestinati ut resurgeret cautior, et humilior, et tandem salvaretur, voluerit ipsa peccata, quamvis illa se habeant ut terminus *a quo* talis conversionis.

Tum etiam : quia id bene impugnat noster Cornejo loco citato, num. 17 ex eo quod nisi prædestinatus videat peccata reproborum, non potest cognoscere fuisse illis denegatam gratiam efficacem, et sibi concessam : ergo non ex sola cognitione permissionis, sed ex cognitione etiam peccati provenit, quod prædestinati cognoscant, et laudent Dei misericordiam erga eos : ergo peccata ipsa sunt materia necessaria ad hujusmodi cognitionem.

Neque etiam obest id, quod ulterius respondet Vazquez num. 16 quod quamquam ita sit in hac vita ratione status, sicut in impugnatione modo adducta dicebamus ; attamen satis est, quod in alia vita liberalitatem Dei cognoscant, et laudent ex præcisa cognitione permissionis peccati reproborum, cujus naturam potest ei ostendere Deus.

Non igitur hoc obest. Quoniam hanc etiam solutionem bene impugnat idem Cornejo, ex eo quod finis intentus a Deo in prædicto loco Pauli est cognitio illa, quæ habetur a prædestinatis in hac vita, ut colligitur ex verbis antecedentibus ibi : *Dicit enim Scriptura Pharaoni, quia in hoc ipsum excitavi te ut ostendam in te virtutem meam, et ut annuntietur nomen meum in universa terra* : ergo si in hac vita non potest Deus ostendere prædestinatis divitias misericordiæ suæ, nisi ostendendo illis peccata reproborum, consequens est, quod hujusmodi peccata sint etiam necessario requisita ad talem ostensionem. Unde inspectis omnibus satis constat, quomodo permissio peccati fuerit volita a Deo ex fine prædestinationis : ita ut ex primaria intentione, seu (quod ad præsens in idem redit) cum primum volita est, habuit esse voli tam ex intentione beatitudinis electorum.

§ IV.

Fit obviam argumentis primæ sententiæ.

Ad primum concedendum est antecedens, et neganda consequentia. Et ad probationem distinguendum est antecedens : et si intelligatur de permissione peccati secundum se, et ex propriis meritis præcise sumpta, concedendum est : secus vero si intelligatur de eadem permissione, ut ex Dei misericordia conducit, et ordinatur ad majus bonum prædestinatorum : et deinde neganda est consequentia. Quia ad hoc ut prædestinatio, quæ est præparatio gratiæ, et beneficiorum, sit etiam præparatio permissionis peccati, satis est, quod permissio sit bona, et a Deo, et quod ex Dei misericordia, et ordinatione conducat ad bonum, vel majus bonum prædestinati ut talis. 23. Ad primum oppositæ sententiæ.

Ad primam confirmationem concedenda est major, et neganda est minor, si intelligatur de permissionibus peccatorum, prout ex Dei misericordia ordinantur ad bonum prædestinatorum. Et ad probationem dicendum est, quod licet Christus non sit mortuus, ut Deus permittat peccata secundum id, quod præcise ex se habere poterant ; bene tamen secundum quod conducunt ex intentione, et misericordia Dei ad vitam æternam electorum. Hoc autem satis est ad id, quod intendimus, ut ex dictis patet. 24. Ad primam confirmationem.

Ad secundam confirmationem neganda est sequela. Et ad probationem dicendum est, non esse licitum deprecari pro prædestinationis effectibus involventibus ex parte nostra peccatum, quousque sine illo ex parte nostra patrato consequi non possumus, ut in permissione contingit. Potestque hoc explicari exemplo accessus alicujus ad non suam putantis esse suam : qui quidem potest esse meritorius vitæ æternæ, et consequenter effectus prædestinationis ; et tamen non potest peti a Deo : quia secundum se est peccatum : et similiter secundum se non conducit ad talem finem, sed solum propter ignorantiam. Quare cum permissio peccati de se non ordinetur ad beatitudinem, sed solum ex misericordia Dei elicientis bonum ex occasione peccati, non possumus illam a Deo exigere. 25. Ad secundam confirmationem.

Nec refert si objicias. Tum quod hinc solum habetur permissionem peccati secundum se non posse postulari a Deo ; secus tamen ut est bona prædestinato, et ut est 26. Objectio ex triplici impugnatione coalescens.

effectus prædestinationis illius : siquidem secundum istam rationem non est objectum inhonestum. Tum etiam : quia licitum est nobis appetere martyrium, et persecutionem tyranni, quatenus est necessaria, et conducens ad illud : ergo etiam licitum erit postulare permissionem peccati, ut est bona prædestinato, et effectus prædestinationis illius. Tum denique : quia si Deus potest velle permissionem peccati ob aliquem finem bonum, et honestum, non est cur justus non possit hoc ipsum velle, et appetere eo modo, quo a Deo volitum est.

Infringitur prima impugnatio. Non igitur hoc refert. Nam ad primam ex his impugnationibus, negandum est antecedens, ex eo quod qui petit non prohiberi malum a se ipso faciendum, virtualiter petit operationem ipsam peccaminosam : et ita objectum illud ut cadens sub illa petitione non est honestum. Ad secundam

Et secunda. vero impugnationem dicendum est, martyrium, solum posse licite peti quantum ad passivam tormentorum, et mortis tolerantiam, abstrahendo ab activa inflictione eorum, sicut Christus complacuit in propria passione et morte, et displicuit illi peccatum crucifigentium, ut docet D. Thom. 3

D. Thom. Et tertia. p. quæst. 47 artic. 6 ad 3. Ad ultimam vero impugnationem, respondetur esse disparem rationem. Quia Deus non tenetur vitare ne peccata fiant ab hominibus : et ita quamvis non prohibeat, sed permittat illa, non dicitur ea velle : quia ut effectus omissionis sit voluntarius, oportet ut omittens possit, et teneatur non omittere, teste D. Thom. prima secundæ, q. 6 art. 3; at vero nos tenemur prohibere ne peccata fiant a nobis.

27. Ad secundum argumentum principale. Ad secundum negandum est antecedens quoad secundam ejus partem. Quia licet inter effectus prædestinationis sint aliqui, qui possunt esse voliti immediate propter semetipsos, idest, non præcise ratione alterius; nihilominus sunt alii, qui non nisi mediante alio possunt conducere, ex eo quod secundum se potius avertunt a fine prædestinationis, quamvis ex Dei misericordia ad illum ordinentur, et ex intentione efficaci beatitudinis sint voliti, ut in permissione peccati contingit. Et ita isti effectus dicuntur esse voliti secundario,

Vazquez non quidem in eo sensu, quo vult Vazq. ut n. 15 hujus dub. vidimus; sed voliti ratione alterius, idest, quatenus ex Dei misericordia ad finem prædestinationis conducunt.

Cæterum sicut esse aliqua volita secundario, juxta sensum nunc dictum, seu ratione alterius, non extrahit illa a ratione voliti propter finem prædestinationis, et ex primæva illa intentione, qua sunt volita ratione alterius, ita nec extrahit illa a ratione effectus prædestinationis : hic enim non convertitur cum volito per se, seu non ratione alterius; sed cum volito ex intentione vitæ æternæ, prout abstrahit a volito per se, et a volito ratione alterius. Unde non bene Vazq. existimavit effectum prædestinationis converti cum volito per se, et ratione sui, modo dicto. Et ad probationem antecedentis quoad secundam ejus partem concedenda est sequela, sed neganda est minor.

28. Ad primam probationem minoris. Et ad primam in contrarium dicendum est, non esse necessarium, ut qui vult efficaciter aliquem finem, velit omnia ea, quæ quomodocunque ad adeptionem ejus desiderantur; sed sufficere si velit ea, quæ si ipse præstet, sufficienter consequetur finem, quamvis ad id requiratur aliquid aliud, dummodo sit talis conditionis ut posita voluntate efficaci ejus, qui intendit finem, debeat aliunde infallibiliter infallibilitate consequentiæ poni. At hoc ipso quod Deus permittat peccatum ex intentione pœnitentiæ, ponetur a creatura id, quod a Deo nequit poni, scilicet peccatum : ita ut hoc sit infallibile, non quidem infallibilitate, et necessitate consequentis, sed consequentiæ. Quia licet hoc consequens : *Petrus peccabit, si a Deo permittitur peccare*, sit liberum; nihilominus sequitur infallibiliter infallibilitate consequentiæ, quod si semel a Deo subtrahitur auxilium efficax, quo peccatum illud vitandum erat, sequetur actu per voluntatem Petri peccatum ipsius : et ita ex vi volitionis permittendi peccatum propter pœnitentiam, non tenetur Deus velle peccatum ipsum, sed ponere aliquid, nempe subtractionem suæ gratiæ efficacis, qua subtractione posita, infallibiliter sequetur per voluntatem Petri tale peccatum.

Quamvis cum hoc stet, ut in aliis casibus, et ex aliis capitibus, ex eo quod effectus sit talis conditionis, ut debeat esse a Deo, contingat, ut Deus volens alios fines efficaciter, debeat etiam velle ea, quæ requiruntur ad illos, quamvis non requirantur nisi per modum materiæ *circa quam*, aut termini *a quo* : ut in exemplo hujus probationis adducto de conversione panis in corpus Christi Domini, cernitur. Pro quo

quo etiam potest addi, quod si per impossibile Deus posset non concurrere ad productionem panis, sufficeret ad hoc ut Deus vellet conversionem ejus in corpus Christi Domini, quod ex vi voluntatis divinæ intendentis talem conversionem, sequeretur infallibiliter infallibilitate consequentiæ productio ejusdem panis ab alio. Sed de hoc exemplo latius alibi, quid dicendum sit aperiemus.

29. Ad secundam vero probationem ejusdem minoris distinguenda est sequela : *Ex se ipso*, idest, sine ulla occasione, sumpta vel ex parte operum nostrorum, vel ex parte fragilitatis nativæ nostræ naturæ, sive ex eo quod communiter solet contingere in nobis, neganda est : *Ex se ipso*, idest, ante opera nostra actualia seu peccata nostra, concedenda est. Videantur tamen ea, quæ disp. 8 dub. 1 hujus tractatus dicemus.

30. Nec contra hoc obest illud Sapientiæ 1 ibidem adductum, aut testimonia sanctorum Patrum. Quia solum volunt, Deum non voluisse medicamentum peccati ex se ipso in priori sensu ; non vero quod non voluerit illud ex se ipso, prout præcise dicitur voluisse ipsum ante prævisionem nostrorum peccatorum actualium.

Etenim licet Deus ex se ipso, idest, non desumpta occasione ex peccatis nostris jam futuris, voluerit pœnitentiam ; dicitur tamen non ex se ipso, sed occasione desumpta ex parte nostra voluisse illam. Quia ex eo quod per scientiam simplicis intelligentiæ, et ante omne decretum permittendi peccata, vidit fragilitatem, et peccabilitatem nostræ naturæ, cui naturaliter annexum erat, ut aliqui permitterentur deficere, voluit Deus simpliciter prius pœnitentiam ante omnia peccata prævisa, ut per illam possemus resurgere cautiores : et hoc sufficit ad verificandum quod Deus ex se non voluit medicamentum exterminii : quia illud non voluit nisi occasione nostræ fragilitatis.

Unde in hoc distinguitur pœnitentia ab aliquibus aliis virtutibus, quod istæ non supponunt ex se fragilitatem nostræ naturæ, ut religio, charitas, et aliæ, quarum actus possent esse in nobis etiamsi per impossibile impeccabiles essemus, secus vero pœnitentia. Potestque hoc ipsum magis explicari exemplo præcepti correctionis fraternæ, quod quidem non debet supponere prævisionem peccati, bene tamen fragilitatem, et peccabilitatem nostræ naturæ : et propterea dicitur impositum esse occasione desumpta ex parte nostra.

31. Ad tertiam ejusdem minoris probationem. Ad tertiam autem probationem, neganda est sequela. Nam peccatum non habet rationem medii respectu finis prædestinationis, aut pœnitentiæ. Unde peccatum nequit esse a Deo ; cum tamen si esset medium ad finem prædestinationis ex parte effectus, esset volitum a Deo : ac proinde nec potest esse volitum, et electum, ex eo quod Deus intenderit pœnitentiam : et licet permissio ipsius sit medium, modo tamen insinuato, ad consecutionem vitæ æternæ ; nihilominus nequit, propter rationem traditam, esse volita a prædestinato.

32. Ad quartam. Ad quartam tandem probationem distinguenda est sequela : *Ut illud per pœnitentiam sanaret*, præcise et sine majori aliquo fructu, sumptaque pœnitentia secundum se, transeat sequela : cum majori fructu, sive sumpta pœnitentia ut est pars universi, et requisita ad integrandum bonum hoc divinum ipsius universi, quod ex omnibus ordinibus rerum coalescit, neganda est. Deus autem non permittit peccatum propter pœnitentiam in priori sensu, sed in posteriori : et ita intendit quod prædestinatus resurgat cautior, et humilior, ut ita melius perseveret postea in gratia : et ut ostendantur divitiæ misericordiæ Dei erga electos, qui suis peccatis non obstantibus, in æternam patriam evecti sunt : ac tandem eamdem permissionem peccati vult propter pœnitentiam, ut est pars universi, et integrat bonum divinum ejusdem universi.

Unde non obest, sed potius prodest exemplum de medico ibidem adductum. Nam prudens medicus potest multoties permittere infirmitatem alicujus, ut ejus salus inde magis roboretur, et confortetur : et ita tibiam claudicantem solet medicus vulnerare ut eam magis sanet. Quæ solutio desumitur ex August. lib. de natura et gratia cap. 26 ubi refert idem argumentum ex Pelagio, et solvit illud dicens, quod sicut medicus curat claudum, ut rectius ambulet, ita Deus per pœnitentiam sanat peccata, ut rectius ambulemus. Et sicut medicus aliquando tibiam claudicantem, et infirmam vulnerat, ut magis sanet, ita Deus ut magis sanet animam a superbia, vel ignavia, permittit ut cadat in peccatum. Vnde subdit in fine capitis : *Sanat ergo Deus non solum ut deleat quod peccavimus, sed etiam ut præstet ne peccemus.* August.

33. Ad tertium argumentum principale prior solutio. Ferrara.

Ad tertium respondet Ferrara 3 contra Gentes cap. 71 et Cajet. 1 p. quæst. 22 art. 2 in solutione ad secundum, distinguendum esse antecedens : *Peccatum est majus malum, quam sit pœnitentia*, si peccatum consideretur in ratione malitiæ moralis, negari debet : si vero in ratione offensæ consideretur, iterum distinguendum est : et concedendum de pœnitentia secundum se sumpta, et negandum de eadem ut est pars universi, et integrat hoc bonum divinum illius. Quia prædictum bonum commune, ut tale, habet esse quodammodo ordinis adeo elevati, ut ejus bonitas sic considerata præemineat ratione hujus elevationis in sua bonitate malo, quod reperitur in peccato ut habet rationem offensæ : et ideo prædicta offensa permitti potest propter hoc bonum : et rursus hoc bonum propter æternam salutem prædestinatorum.

Elucidatur exemplo.

Potestque hæc solutio elucidari exemplo mutationum naturalium, in quibus solet contingere transitus a nobiliori ad ignobiliorem formam, ut dum mixtum resolvitur in elementa, vel ex homine generatur cadaver. Et licet formæ elementi, et cadaveris secundum se habeant rationem minoris boni, quam sit malum corruptio mixti, vel hominis ; nihilominus prædictæ corruptiones intenduntur a natura propter generationem elementi, et cadaveris, secundum quod ad complementum, et perfectionem universi spectant.

34. Secunda solutio.

Secundo respondetur, satis esse, quod finis, propter quem permittitur peccatum, sit valde necessarius, valdeque conducens ad perseverantiam, quæ in prædestinatione est maxime intenta. Et ita quia per humilitatem et cautelam, quam homo acquirit ex permissione peccati, efficitur satis humilis, et cautus : et mediis his virtutibus satis disponitur ad perseverandum, ideo potest Deus permittere peccatum propter tales virtutes. Unde ad rationem prudentis provisoris non pertinet, ut non permittat majora mala, ut inde eveniant minora bona, quando talia bona sunt valde congruentia ad consequendum finem ejus, de quo providet. Maxime quando provisor est universalissimus, qui debet providere de omnibus rebus, juxta naturam ipsarum : atque adeo non est contra rationem ejus, ut res defectibiles permittat deficere ob fines satis congruentes ad hoc ut suum ultimum finem consequantur. Quæ solutio innuitur aliqualiter a D. Thom. ad Rom. 8 lect. 6.

D.Thom.

35.

Tertio respondetur, quod licet pœnitentia adhuc ut est pars universi, non esset majus bonum, quam sit malum, peccatum ut offensa ; attamen quia deservit ad majus bonum, scilicet ad visionem beatam, quæ ut involvit divinam essentiam ut unitam in ratione speciei intelligibilis, est majus bonum, quam peccatum sit malum in ratione offensæ : propterea potest satis cordate propter pœnitentiam immediate ; et mediate propter æternam beatitudinem electorum permitti.

Tertia solutio

36. Ad confirmationem patet ex dictis. Ad illud autem quod ibidem dicitur, nimirum quod si Deus permittit peccatum propter pœnitentiam, deberet homo resurgere semper cum majori gratia, constat etiam ex dictis in hac proxime data tertia solutione. Adde satis esse quoad præsens quod homo saltim resurgat cum majori jure ad gloriam, ac proinde cum majori gratia in *esse* gratiæ : quia ultra gratiæ portionem correspondentem præsenti dispositioni, statim recuperat totum jus gratiæ præcedentis amissæ per peccatum : illamque in *esse* qualitatis, et formæ physicæ saltim in ingressu gloriæ recuperabit. Sed de hoc quid ex professo sentiendum sit tomo subsequenti, Deo dante, explicabimus.

Ad confirmationem ad illud quod ibi adtur.

Ad ultimum transeat major, et negetur minor. Et ad probationem dicendum est, quod etsi concedatur infamiam illam oriri non ex substantia actus peccaminosi, sed ex malitia et aversione ; nihilominus quia non sequitur physice ad illam sed moraliter, propterea potest prædeterminari a Deo non prædeterminata causa morali illius. Potestque hoc explicari exemplo prædeterminationis pœnæ damni, vel sensus, quæ demeritorie, et ut a causa morali sequitur ex peccato quatenus tali, et tamen Deus prædeterminat hanc pœnam, modo tamen infra explicando, licet non prædeterminet peccatum ut tale.

Ad ultimu argumentu

ARTICULUS III.

Utrum Deus aliquem hominem reprobet?

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod Deus nullum hominem reprobet. Nullus enim reprobat quem diligit : sed Deus omnem hominem diligit, secundum illud Sapient. : Diligis omnia, quæ sunt ; et nihil odisti eorum, quæ fecisti : ergo Deus nullum hominem reprobat.

1 dist 40, q. a. 1 et et 3 co c. ultir et

2 Præterea, si Deus aliquem hominem reprobat, oportet quod sic se habeat reprobatio ad reprobatos, sicut prædestinatio ad prædestinatos : sed prædestinatio est causa salutis prædestinatorum : ergo reprobatio erit causa perditionis reproborum. Hoc autem est falsum : dicitur enim Oseæ 13 : Perditio tua, Israël, ex te est, tantummodo ex me auxilium tuum : non ergo Deus aliquem reprobat.

Rom. l. 2 f

3 Præterea, nulli debet imputari quod vitare non potest : sed si Deus aliquem reprobat, non potest vitare quin

quin ipse pereat : dicitur enim Ecclesiastici 7 : Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ipse despexerit : ergo non esset hominibus imputandum, quod pereunt : hoc autem est falsum : non ergo Deus aliquem reprobat.

Sed contra est quod dicitur Malachiæ 1 : Jacob dilexi, Esaü autem odio habui.

Respondeo dicendum, quod Deus aliquos reprobat. Art. 1 ujus q. Q. 22, a. 2. Dictum enim est supra *, quod prædestinatio est pars providentiæ. Ad providentiam autem pertinet permittere aliquem defectum in rebus, quæ providentiæ subsunt, ut † dictum est. Unde cum per divinam providentiam homines in vitam æternam ordinentur, pertinet etiam ad divinam providentiam, ut permittat aliquos ab isto fine deficere, et hoc dicitur reprobare. Sic igitur, sicut prædestinatio est pars providentiæ respectu eorum, qui divinitus ordinantur in æternam salutem, ita reprobatio est pars providentiæ respectu illorum, qui ab hoc fine decidunt. Unde reprobatio non nominat præscientiam tantum, sed aliquid addit secundum rationem, sicut et providentia ut supra * dictum est. Sicut enim prædestinatio includit voluntatem conferendi gratiam et gloriam, ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, et inferendi damnationis pœnam pro culpa. Q. præced. rt. 1. Aug. b. 1 ad implic. . 2, et lib. 2 e præest. et rat. c. 2. Fulg. b. 1 de dup. rædest. Dei. Aug. b. 1 de rædest. et grat. . 6 et 9, et ad rt. fal. mpos. rt. 13, 14, 15, et nselm. le concord. rædest. cap. 2. Q. 19, rt. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod Deus omnes homines diligit, et etiam omnes creaturas, in quantum omnibus vult aliquod bonum : non tamen quodcumque bonum vult omnibus. In quantum igitur quibusdam non vult hoc bonum, quod est vita æterna, dicitur eos habere odio, vel reprobare.

Ad secundum dicendum, quod aliter se habet reprobatio in causando, quam prædestinatio. Nam prædestinatio est causa, et ejus, quod expectatur in futura vita a prædestinatis, scilicet gloriæ, et ejus quod percipitur in præsenti, scilicet gratiæ. Reprobatio vero non est causa ejus, quod est in præsenti, scilicet culpæ, sed est causa derelictionis a Deo. Est tamen causa ejus, quod redditur in futuro, scilicet pœnæ æternæ. Sed culpa provenit ex libero arbitrio ejus, qui reprobatur, et a gratia deseritur. Et secundum hoc verificatur dictum Prophetæ, scilicet : Perditio tua, Israël, ex te.

Ad tertium dicendum, quod reprobatio Dei non subtrahit aliquid de potentia reprobati. Unde cum dicitur, quod reprobatus non potest gratiam adipisci, non est hoc intelligendum secundum impossibilitatem absolutam, sed secundum impossibilitatem conditionatam, sicut supra † dictum est, quod prædestinatum necesse est salvari necessitate conditionata, quæ non tollit libertatem arbitrii. Unde licet aliquis non possit gratiam adipisci, qui reprobatur a Deo : tamen quod in hoc peccatum, vel illud tabatur ex ejus libero arbitrio contingit. Unde et merito sibi imputatur in culpam.

Prima conclusio est affirmativa.

Secunda conclusio : Reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, et inferendi damnationis pœnam pro culpa.

DISPUTATIO VII.

De reprobatione quoad an, et quid est? illius.

1. Quia ad eumdem tractatum, ad quem spectat agere de uno oppositorum, pertinet etiam sermonem da alio texere, propterea in hac quæst. in qua D. Thom. agit de prædestinatione, miscet etiam sermonem de reprobatione, ex eo quod prædestinationi opponitur.

DUBIUM I.

An detur in Deo reprobatio?

Sicut D. Thom. dum de prædestinatione agit, tunc primo loco de *an est?* ipsius sermonem instituit, ita in præsenti disputans de reprobatione, primo agit de *an est?* illius. Et ideo nos cum illo in hoc primo dubio de existentia ejusdem reprobationis inquirimus.

§ I.

Resolutio dubii.

Quia decisio præsentis dubii communis, et certa debet esse apud omnes catholicos, ideo breviter dicendum est, vere dari in Deo reprobationem. Assertio hæc est de fide. Habetur namque ad Roman. 9, ubi dicitur : *Volens Deus ostendere iram suam, et notam facere potentiam suam sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Quæ verba explicat ibidem D. Thom. lect. 4 de reprobatione malorum, Malach 1 : *Esaü autem odio habui.* Quod testimonium licet aliqui explicent de exclusione a primogenitura; tamen Paulus ad Roman. 9 intelligit illud de reprobatione a beatitudine. Quo etiam modo explicant eumdem locum August. lib. 1 ad Simplicianum q. 2 et in Enchirid. cap. 98. et alibi sæpe; Hieron. et D. Thom. ad Roman. 9, et alii sancti Patres. Item 2 ad Timoth 2 : *In magna domo non solum sunt vasa aurea, et argentea, sed et lignea, et fictilia, et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* Quæ verba D. Thom. ibidem lect. 3 et in hoc art. ad tertium exponit de bonis, et reprobis, circa quos versatur reprobatio. Unde assertionem hanc omnes Patres, et Theologi admittunt.

Conclusio. Rom. 9. D.Thom. Malac. 1. August. Hieronym. D.Thom. 2 Tim. 2. D.Thom.

Ratio autem prior, et fundamentalis per quam prædicta assertio non parum explicatur, potest desumi ex aliis Scripturæ locis, et ad hanc formam reduci. Quoniam in Scriptura illud vocatur reprobum, quod a suo fine deficit, quando habet omnia necessaria ad consecutionem illius : at certum est, plures esse qui deficiunt a consecutione sui finis, nempe æternæ beatitudinis, etiamsi habeant omnia requisita ad hoc ut eam consequantur : ergo certum etiam erit dari plures reprobos, ac proinde esse in Deo reprobationem. Hæc ultima consequentia ex priori aperte patet. Quoniam sicut hoc ipso quod dentur aliqui prædestinati, oportet dari in Deo prædestinationem, qua eos prædestinet, ita hoc ipso

2. Ratio prior et fundamentalis pro conclusione.

quod dentur plures reprobi, dabitur etiam in illo reprobatio, qua illos reprobet.

Prima vero consequentia ex priori aperte sequitur. Minor autem etiam patet. Nam certum est plures damnari juxta illud, Matt. 25. Matt. 25 : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, et Angelis ejus*, et hos deficere a consecutione sui ultimi finis, scilicet beatitudine etiamsi habeant omnia auxilia sufficientia ad talem consecutionem.

Genes. 1. Major vero etiam constat. Nam, quia terra (ut dicitur Genes. 1) producta est, ut germinet herbam virentem, et facientem fructum suum, si aquis irrigetur, ideo Hebr. 6. Hebræ. 6 reproba vocatur terra, quæ habens sufficientem humorem ad fructificandum, nihilominus ab hoc fine deficit, et ideo dicitur: *Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, etc. proferens autem spinas et tribulos reproba est.* Similiter quia finis mentis, et intellectus, est attingere verum, propterea quando deficit a veritate, quam potest attingere, vel propriis viribus, si sit veritas proportionata, vel viribus gratiæ, si sit improportionata, et supernaturalis, Rom. 1. dicitur reproba, ut patet ad Roman. 1 : *Tradit illos Deus in reprobum sensum*, permittendo nimirum eos male judicare de 2 Cor. 3. agendis, et 2 Corinth. 3. Homines corrupti mente, reprobi circa fidem vocantur, quia errant circa cognitionem veritatis fidei, ad quam intellectus deberet inclinari ex prædicatione, quam audierat : et tandem quia homo ratione suæ naturalis inclinationis ad bene moraliter operandum ducitur; et hic est quodammodo finis ejus, et ex auxiliis gratiæ inclinatur ad bona supernaturalia, idcirco qui ab utroque fine defecerunt, vocantur reprobi. Unde ad Titum cap. 1 dicitur : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, ad omne opus bonum reprobi.*

Ad Tit. 1.

3. Confirmatur. Confirmatur. Quia reprobum vocatur quod rejicitur, et explo litur, separaturque Psal. 117 ab aliis, juxta illud Psalm. 117 : *Lapidem* Marc. 8. *quem reprobaverunt ædificantes*, et Marci 8 Luc. 17. et Lucæ 17 : *Oportet illum reprobari a ge-* Jerem. 6. *neratione hac* ; Jerem. 6 : *Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos ;* Hebr. 12. Hebræ. 12 : *Esaü cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est*, idest, exclusus fuit a primogenitura : at plures erunt damnati, qui excludentur a beatitudine, et Matt. 13. separabuntur ab electis juxta illud Matth. 13 *Separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis :* ergo plures erunt etiam reprobi explosi ab eadem beatitudine : et per consequens erit in Deo reprobatio respectu eorum, seu (quod in idem redit) erunt in illo actus intellectus, et voluntatis, quibus explodantur, et rejiciantur ab æterna beatitudine, et damnationi sempiternæ deputentur.

4. Secunda, et fundamentalis ratio prædestinationis.

Secunda, et fundamentalis ratio assertionis est, quòd omnia opera Dei eo tendunt, ut divina attributa ostendatur : at non possunt omnia illa v. g. justitia vindicativa, et misericordia in eisdem personis manifestari, ut ex se constat : ergo sicut ad manifestandam misericordiam conveniens fuit, et de facto ita contigit, ut Deus plures ex creaturis intellectualibus prædestinaret, seu ad vitam æternam deputaret, ita ad vindicativam justitiam ostendendam conveniens erat, et ita factum est, ut plures etiam ex illis reprobaret, seu ad æternam mortem ab eo deputarentur.

Quæ ratio adducitur a D. Thom. super cap. 9 epistolæ ad Roman. lect. 4 his verbis : *Considerandum est, quod finis omnium divinorum operum est manifestatio divinæ bonitatis. Proverb.* 16 : *Universa propter semetipsum operatus est Dominus : unde supra dictum est, quod invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Tanta est autem divinæ bonitatis excellentia, quod non potest uno modo, nec in una creatura sufficienter manifestari : et ideo diversas creaturas condidit, in quibus diversimode manifestatur, præcipue autem in creaturis rationalibus, in quibus ejus justitia manifestatur quantum ad illos, quos pro eorum meritis punit, misericordia vero in illis, quos ex sua gratia liberat : et ideo ut utrumque in hominibus manifestaretur, quosdam misericorditer liberavit, sed non omnes.* D. Thom.

5. Confirmatur.

Confirmatur. Quoniam oportebat ut libertas, et defectibilitas arbitrii creati manifestaretur, et simul vires, quæ nobis ex gratia conferuntur : ergo sicut ad manifestandas vires gratiæ, quibus homines in æternam beatitudinem perducuntur, oportuit ut homines prædestinarentur, et id de facto contigit, ita etiam ad manifestandam libertatem, et defectibilitatem arbitrii creati, oportuit ut plures ex hominibus a consecutione vitæ æternæ delicerent ac proinde ut reprobarentur, seu (quod in idem redit) per actus intellectus, et voluntatis divinæ disponeretur, ut a prædicta consecutione delicerent, idque ita de facto accidit.

Quæ confirmatio desumitur ex D. Thom. D. Thom. in

in 1 ad Anibaldum dist. 40 quæst. unica art. 3 his verbis : *Ordinavit ergo divina providentia ab æterno humanam naturam ad beatitudinis consecutionem per liberum arbitrium, quod quia deficere potest per se ipsum, a solo autem Deo indeficientiam habet, ideo ab æterno proposuit, quod quosdam permitteret deficere ; quibusdam vero auxilia apponeret ne deficerent, ut in utrisque manifestaretur virtus gratiæ, et defectus naturæ.*

§ II.

Objectiones contra prædicta, et solutio earum.

6. Objectio prima. Sed objicies primo contra secundam rationem assertionis, falsum esse, quod in una, et eadem persona non posset Deus manifestare, tum suam misericordiam, tum etiam suam justitiam. Nam de facto in prædestinatis ostendit suam misericordiam prædestinando illos, et simul justitiam puniendo ipsos pro suis culpis in hac vita.

7. Secunda. Secundo contra ejusdem rationis confirmationem objicies. Defectibilitas, et libertas arbitrii creati, necnon vires gratiæ sufficienter manifestarentur per hoc, quod Deus permitteret peccata, quamvis inde non sequeretur æterna punitio . ergo ob prædictum finem non oportuit esse in Deo reprobationem. Consequentia videtur legitima. Antecedens autem probatur. Quia hoc ipso quod Deus permitteret peccata, peccarent homines, et ibidem eorum libertas, et defectibilitas patefieret, necnon et vires gratiæ : siquidem ea absente per prædictam permissionem, statim succumbit arbitrium creatum, et ea præsente in bono persistit.

8. Tertia. Tertio objicies, quod si in Deo daretur reprobatio respectu malorum, daretur utique in eo liber mortis, sicut datur liber vitæ : hoc autem est contra D. Thom. et communem Theologorum sententiam : ergo, etc. Sequela probatur. Quoniam propterea datur in Deo liber vitæ, quia per suos actus intellectus, et voluntatis, quibus creaturas intellectuales prædestinat, designat eas in vitam æternam : ergo cum admissa reprobatione designet etiam plures ex eisdem creaturis intellectualibus in æternam mortem, dabitur etiam eo liber mortis.

9. Quarta. Quarto. Nullus sapiens excludit, quantum ex parte sua est, a fine consequendo id, quod propter consecutionem ejusdem finis produxit : sed Deus omnes homines propter beatitudinem fecit : ergo quantum ex ipso est, nullum ab eadem beatitudine consequenda excludit, seu reprobat.

Confirmatur. Quia alioqui semel supposita voluntate, qua Deus vult omnes homines salvos fieri, quam docet Apostol. 1 ad Timoth. 2 fieret inde, tum quod Deus haberet voluntates incomposibiles. Aliam quidem, qua vellet omnes homines salvare : aliam autem, qua aliquos ab æterna salute excluderet. Quæ duæ voluntates videntur esse inter se incomposibiles. Tum etiam, quod illusorie et ficte vellet salutem æternam omnium hominum : siquidem quos ex una parte invitat ad eam, et vult voluntate antecedente illam consequi, ex alia positive, efficaciter, et absolute excludit ab eadem æterna salute consequenda. Cum tamen Deus sciat, quod ad consecutionem beatitudinis sit necessarium, ut ipse non habeat prædictam voluntatem absolutam, et efficacem excludendi reprobum ab illa, sed potius habeat oppositam voluntatem, quæ sit etiam absoluta, et efficax in ordine ad tribuendam eamdem beatitudinem. Confirmatur. 1 Tim. 2.

10. Quinta. Concil. Aur. et Trident. Quinto objicies, quod Concilium Arausicanum can. 25 et Concil. Trident. ses. 6 can. 17 damnant eos, qui dicunt, Deum aliquem prædestinare ad malum, sicut prædestinat ad bonum : ergo Deus neminem reprobavit : siquidem reprobatio nihil aliud est, quam prædestinatio ad malum pœnæ.

11. Ultima. Ultimo. Quia non est tribuendum Deo, quod crudelitatem sapit : ergo nec quod homines reprobet. Patet consequentia. Quia crudelitatem videtur sapere quod Deus habeat actum efficacem, et absolutum, quo velit aliquem perpetuo excludere a gloria, et permittere peccatum, ut per punitionem illius resplendeat divina justitia : at totum hoc importat reprobatio : ergo, etc.

12. Ad primam objectionem. Ad primam ex his objectionibus respondetur, per punitionem in hac vita inflictam prædestinatis non splendere divinam justitiam perfecte, et quantum eam decet sicut per largitionem bonorum gratiæ præcise hujus vitæ non manifestatur misericordia Dei perfecte, et quantum est decens : et ideo oportuit ut per inflictionem pœnæ æternæ alterius vitæ manifestaretur, ut ita sicut misericordia ostenditur tribuendo bonum infinitum, nempe Deum clare visum, ita justitia elucescat auferendo, et excludendo reprobos ab eodem bono.

Accedit, quod ad ostensionem justitiæ alicujus Principis spectat, ut multoties non ignoscat peccatis commissis, sed quantum fieri possit condignam de eis vindictam sumat. Constat autem peccata contra Deum commissa, esse digna pœna æterna, et exclusione a regno cœlesti : et ideo oportet ut multoties prædicta pœna puniantur.

13. Ad secundum. Ad secundam objectionem facile respondetur, non ostendi sufficienter libertatem, et defectibilitatem, quæ est in homine, tum ad finaliter impœnitendum, tum ad deficiendum a consecutione æternæ vitæ, nisi permittatur finaliter impœnitere, et deficere a prælicta consecutione : sicut etiam non ostenditur quomodo non sit debitum donum perseverantiæ et salus æterna, ac proinde quomodo ex mera liberalitate Dei hæc proveniant, nisi Deus aliquos ab æterna vita excludat : et propterea oportuit hanc exclusionem circa aliquos a Deo fieri.

14. Ad tertiam. D.Thom. Ad tertiam respondetur cum D. Thom. de Veritate quæst. 7 art. 8 his verbis : *De eo quod in libro scriptum habetur, habet aliquis aliquam notitiam præ aliis privilegiatam. Unde et respectu illorum scitorum a Deo liber dici debet, de quibus aliquam specialem notitiam præ aliis habet. Est autem in Deo duplex cognitio, scilicet simplicis notitiæ, et scientia approbationis. Scientia simplicis notitiæ communis est omnibus bonis et malis* (sicut etiam scientia visionis sub hac præcisa denominatione concepta), *scientia autem approbationis est bonorum tantum, et ideo bona habent aliquam privilegiatam cognitionem in Deo præ aliis, ratione cujus in libro conscribi dicuntur; non autem mala, et ideo non dicitur liber mortis, sicut dicitur liber vitæ.*

15. Ad quartam. D.Thom. Ad quartam respondetur cum D. Thom. in 1 ad Anibaldum dist. 40 q. unic. art. 3 in solutione ad 3 his verbis : *Dicendum, quod humana natura habet quidem ordinem ad beatitudinem, non tamen necessarium, cum possit deficere : et ideo ut naturæ conditio manifestetur, Deus permittit, quod aliqui ab illo bono deficiant.* Unde ad formam objectionis, distinguenda est major : si illud quod propter consecutionem alicujus finis productum est, habeat tendere defectibiliter in illum, neganda est. Quia tunc integrum est sapienti, qui speciem, seu naturam illam producit, permittere aliquando, ut in aliquibus individuis deficiat a consecutione sui finis, ut ita provideat de ea secundum suam naturam. Si vero illud, quod propter talem finem productum est, petat tendere indefectibiliter in illum, transeat : et eodem proportionali modo distinguenda est minor : et neganda consequentia.

16. Ad confirmationem quoad priorem partem. D.Thom. Ad confirmationem respondetur, negando sequelam quoad utramque partem. Quoad primam quidem, tum quia ut exponit D. Thom. loco citato ex 1 sent. ad Anibaldum, et 1 p. quæst. 19 art. 6 ad primum, verba illa Pauli quibus inquit, Deum velle omnes homines salvos fieri, intelliguntur de solis electis, et prædestinatis, et ita cum hac voluntate non est incomposibilis alia voluntas, qua velit aliquos alios ex hominibus a regno cœlesti excludere, ut ex se patet. Tum etiam : quia licet verba illa Pauli intelligantur de omnibus hominibus, quatenus Deus voluntate antecedente, non vero consequente vult omnes homines salvos fieri (ut ex Damasceno explicat D. Thom. loco proxime citato ex hac 1 p.) nihilominus cum hac voluntate non est incomposibilis alia voluntas, qua velit aliquos ex illis damnari, quia prædictæ voluntates tendunt ad objectum sub diversis rationibus, et motivis, ac diversimode sumptum, et propterea possunt ad invicem compati. Damasc.

17. D.Thom. Hoc autem optime explicuit D. Thom. ibidem his verbis : *Considerandum est, quod unumquodque secundum quod bonum est, sic est volitum a Deo : aliquid autem potest esse in prima sui consideratione, secundum quod absolute consideratur bonum vel malum, quod tamen prout cum aliquo adjuncto consideratur, quæ est consequens consideratio ejus, e contrario se habet. Sicut hominem vivere est bonum, et hominem occidi est malum secundum absolutam considerationem : sed si addatur circa aliquem hominem quod sit homicida, vel vivens in periculo multitudinis, sic bonum est, eum occidi, et malum est eum vivere. Unde potest dici quod judex justus antecedenter vult, omnem hominem vivere : et consequenter vult, homicidam suspendi. Similiter Deus antecedenter vult, omnem hominem salvari, sed consequenter vult, quosdam damnari, secundum exigentiam suæ justitiæ.*

Et quoad secundam partem. August. Hilar. Quoad secundam vero partem negatur eadem sequela, cujus probatio est unum ex argumentis Semipelagianorum contra D. August. ut constat ex lib. ejus de Dono perseverantiæ, et ex Hilario in epistola ad eumdem August. quæ habetur ibidem. Quare ad illam respondetur, voluntatem, qua Deus vult, omnes homines salvos fieri,

fieri, fore illusoriam, fictitiam et nullam, si esset in Deo alia voluntas antecedens, qua nollet aliquorum salutem : quia tunc verificaretur Deum sub eodem motivo velle et nolle hominum salutem, quod implicat; aut si Deus eis, quos voluntate consequente vult a gloria excludere, non concederet ex vi voluntatis illius antecedentis auxilium vere sufficiens ad consecutionem æternæ salutis.

Cæterum nulla est implicatio, aut fictio si voluntate consequente velit a gloria excludere aliquos consideratos, ut partes universi, in quibus debet ostendi defectibilitas naturæ ; et ut hoc etiam est congruum ad ostensionem justitiæ punitivæ Dei : quamvis eosdem consideratos secundum se, et ut præcedunt ad has circumstantias, velit salvos fieri, eisque tribuat auxilia sufficientia ad hoc ut suam æternam salutem consequantur. Nam licet videat illa non sortitura effectum; videt tamen id non oriri ex defectu auxiliorum, sed ex defectu hominum : et ita non sunt illusorie, aut ficte eis collata : sicut non illusorie propinatur alicui medicamentum sufficiens ad salutem recuperandam, quamvis propinans sciat non sortiturum effectum ex defectu infirmi : siquidem ad hoc ut vere atque ex animo tribuatur, satis est, quod medicamentum sit ex se sufficiens ad præstandam salutem.

18. Nec obest quod in eadem probatione adducitur, nempe requiri ad consecutionem æternæ salutis, quod Deus non habeat positivam, et efficacem voluntatem damnandi; sed potius requiratur positiva, et efficax voluntas Dei respectu æternæ salutis eorum, qui salvandi sunt.

Non itaque hoc obest. Quoniam carentia illius decreti efficacis, et positio istius non requiruntur ad *posse*, sed solum ad ipsum actuale *consequi* beatitudinis : et ideo licet Deus positive, et efficaciter excludat aliquem a consecutione æternæ vitæ; nihilominus manet in illo *posse* sufficiens respectu illius. Videantur tamen ea, quæ in tract. de Volunt. Dei disp. 10 num. 121 et 122 diximus.

19. Ad quintam objectionem respondetur, Concilia loqui de prædestinatione ad malum culpæ, non vero ad malum pœnæ, de quo in præsenti loquimur.

Ad quintam objectionem. Ad ultimam respondetur ex D. Thom. in 4 dist. 50 quæst. 2 art. 4 quæstiuncula 3 ad primum, et ex Capreolo in 1 dist. 41 q. 1 art. 2 ad quintum. Quod licet sit crudelitas velle aliquem punire solum ex intentione puniendi; non tamen ex intentione complendi bonum universi, et ostendendi justitiam punitivam Dei, et declarandi magis defectibilitatem arbitrii creati, et misericordiam divinam erga prædestinatos, qui sunt fines reprobationis. Quia non esset omnimoda bonitas in universo, nisi Deus vellet malos æterna pœna punire : et per consequens nisi vellet aliquos homines reprobare.

Ultimam. Thom. Capreol.

DUBIUM II.

An reprobatio consistat in actu voluntatis, vel intellectus divini, et quisnam ille sit?

Decisio hujus dubii fere constat ex iis, quæ in simili de prædestinatione diximus : et ideo paucis absolvendum est. 20.

§ I.

Diversæ sententiæ.

Prima sententia asserit, reprobationem consistere in actu divinæ voluntatis, quo Deus vult non tribuere reprobis æternam salutem, sive quo vult eos a consecutione ejusdem salutis deficere. Ita Doctores illi, qui prædestinationem in actu voluntatis divinæ essentialiter consistere dicunt, quosque disp. 2 num. 2 hujus tract. retulimus : et licet ex fundamentis ibidem adductis, proportionabiliter tamen ad præsens applicatis, possit hæc sententia suaderi; nihilominus denuo breviter sic probatur. Quoniam actus reprobationis est actus divinæ justitiæ : actus autem justitiæ est actus voluntatis, et in illo essentialiter consistit : ergo etiam reprobatio. Major probatur, tum ex illo Psal. 24 : *Universæ viæ Domini misericordia, et veritas,* scilicet justitia. Quare cum reprobatio non sit actus misericordiæ Dei, erit utique actus divinæ justitiæ. Tum etiam : quia Deus reprobat propter peccata reprobi : et propterea Oseæ 13 dicitur : *Perditio tua, Israël : tantummodo in me auxilium tuum :* at actus reprobandi, seu excludendi ab æterna beatitudine propter peccata, est actus divinæ justitiæ.

Primum argumentum primæ sententiæ. Psal. 24. Oseæ 13.

Secundo. Quoniam reprobatio opponitur electioni : ergo erit essentialiter actus voluntatis. Antecedens probatur. Nam hoc ipso quod quis ex duobus eligit unum præ altero, accipit unum, quod est eligere, et alterum rejicit, quod est reprobare : at 21. Secundum.

hæc electio, et rejectio sunt actus inter se oppositi : ergo, etc. Consequentia vero etiam constat. Quoniam actus contrarii sunt actus ejusdem potentiæ : ergo sicut electio consistit in actu voluntatis, ita etiam reprobatio.

22. Secunda sententia. Secunda sententia asserit, reprobationem consistere essentialiter in actu intellectus; hunc autem non esse actum imperii, sed judicii, quo Deus judicat reprobos non esse eligendos ad beatitudinem. Ita Doctores illi qui sentiunt prædestinationem consistere in actu judicii; quique disp. nuper citata num. 39 a nobis adducti sunt. Potestque probari. Nam reprobatio opponitur prædestinationi, quatenus dicit approbationem prædestinatorum : sed prædestinatio secundum hanc rationem consistit in actu judicii, ut ex iis, quæ loco citato adducta sunt, constat : ergo reprobatio etiam consistet in actu judicii, quo Deus judicat aliquos non esse eligendos ad beatitudinem. Major probatur. Nam reprobatio non opponitur prædestinationi quatenus dicit præparationem mediorum ad finem : siquidem prædestinatio præparat prædicta media : reprobatio vero nequit præparare media in ordine ad finem per illam intentum, scilicet ostensionem justitiæ punitivæ, ex eo quod nequit præparare peccata, quæ sunt media in ordine ad prædictum finem : ergo reprobatio opponitur prædestinationi, quatenus dicit approbationem eligendorum : siquidem debet esse opposita prædestinationi; et non apparet aliquid aliud, in quo ei opponatur.

23. Confirmatur. Confirmatur. Quoniam actus imperii distinctus a judicio non debet admitti in divino intellectu, ut constat ex iis, quæ ex prædictis authoribus loco citato a n. 41 usque ad 49 adduximus, et licet daretur talis actus, non posset reprobatio in eo consistere : ergo cum propter oppositionem, quam habet cum prædestinatione debeat consistere in actu intellectus, non poterit non in alio præterquam in judicio jam dicto consistere. Consequentia videtur legitima. Antecedens autem quoad secundam partem, nempe, quod adhuc admisso in Deo actu imperii distincto a judicio, nequeat in illo reprobatio consistere, sic probatur. Quoniam imperium versatur circa executionem mediorum, reprobatio autem Dei nequit circa media requisita ad finem reprobationis, nempe peccata, versari, alioqui sicut Deus est causa meritorum, ita esset causa peccatorum.

24. Tertia sententia. Tertia sententia collocat reprobationem, tam in actu intellectus, quam in actu voluntatis ex æquo importatis Hanc sequuntur Doctores illi, qui hoc idem de prædestinatione sentiunt, quosque disp. 2 num. 8 adduximus. Fundamentum hujus sententiæ simile est illi, quo suaderi solet prædestinationem consistere ex æquo in actibus intellectus, et voluntatis. Quia reprobatio aliquando exprimitur nominibus spectantibus ad voluntatem, ut constat ex illo Malach. 1 : *Esaü autem odio habui.* Aliquando vero nominibus spectantibus ad intellectum : et propterea reprobi vocantur præsciti; et reprobatio diffinitur per hoc quod sit præscientia iniquitatis non finiendæ, etc. ut constat ex iis, quæ docet D. Thom. in opusculo de reprobatione, quod tribuitur ipsi, et circumfertur in fine hujus 1 p. : ergo signum est reprobationem consistere ex æquo in utroque actu; alioqui non bene explicaretur indiscriminatim, modo per unum modo per alium.

Malac. D.Tho

Confirmatur. Nam reprobatio non minus importat quod sit ordinatio aliquorum in mortem æternam, quam quod sit efficax ordinatio eorumdem in illam : ergo non minus consistet in actu intellectus, quam in actu voluntatis. Patet consequentia. Quoniam ex quo capite est ordinatio, consistet in actu intellectus, cujus proprium est ordinare; et ex quo capite est efficax, consistet in actu efficaci voluntatis, a quo derivatur omnis efficacia, quæ in actibus intellectus reperitur.

Confirmatur

§ II.

Sententia D. Thomæ et ejus fundamentum.

25. Conclusio. Dicendum tamen est, reprobationem supponere actum voluntatis divinæ, essentialiter tamen esse actum intellectus Dei, nempe imperium, quo imperat permissionem peccati, sive negationem suæ gratiæ efficacis, et permissionem finalis impœnitentiæ, ut ita reprobo sua culpa peccanti, et in peccato perseveranti infligat pœnam damnationis æternæ, et sic ostendatur divina justitia punitiva, et tandem alii fines a Deo intenti subsequantur. Assertionem hanc quoad omnes suas partes tuetur D. Th. in hoc art. 3. Quoad primam quidem, dum inquit : *Sicut enim prædestinatio includit voluntatem conferendi gratiam et gloriam, ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, et inferendi*

D.Thom

rendi damnationis pœnam pro culpa. Quare cum prædestinatio tantum præsuppositive, et in obliquo includat juxta mentem D. Thom. voluntatem conferendi gratiam et gloriam, ut constat ex iis, quæ ex eodem sancto Doctore disp. 2 a num. 49 hujus tract. asseruimus, fiet inde, ut juxta eumdem Angelicum Doctorem, reprobatio solum in obliquo, et pro connotato indispensabili, ac præsuppositive includat actus voluntatis ad illam requisitos.

26. Et quoad secundam. Quoad secundam vero partem, nimirum consistere in actu intellectus, qui sit imperium, necnon et quoad primam partem jam dictam asseritur etiam ab eodem D. Thom. in hoc eodem artic. 3 dum docet, reprobationem esse partem divinæ providentiæ, his verbis : *Ad providentiam autem pertinet permittere aliquem defectum in rebus, quæ providentiæ subduntur, ut supra dictum est. Unde cum per divinam providentiam homines in vitam æternam ordinentur, pertinet etiam ad divinam providentiam, ut permittat aliquos ab isto fine deficere : et hoc dicitur reprobare. Sic igitur sicut prædestinatio est pars providentiæ respectu eorum, qui divinitus ordinantur in æternam salutem, ita reprobatio est pars providentiæ respectu illorum qui ab hoc fine decidunt.* Constat autem ex iis, quæ loco citato a num. 49 ex eodem D. Thom. diximus, quod providentia, juxta sancti Doctoris mentem, consistit essentialiter, et in recto in actu intellectus, qui sit imperium, et connotat, ac præsupponit actum voluntatis, qui est intentio finis, et electio mediorum.

Quod etiam docuit idem sanctus Doctor in 1 ad Anibaldum dist. 41 quæst. unica art. 3 et dist. 40 quæst. etiam unica art. 1 dicens, quod reprobatio supra præscientiam addit rationem providentiæ.

27. Et quoad ultimam. Quoad ultimam vero partem idem etiam docuit D. Thom. in hoc eodem art. in verbis primo loco a nobis in hoc eodem dub. relatis, ut ex statim dicendis magis patebit. Nec non in solutione ad secundum, ubi constituens discrimen inter prædestinationem et reprobationem inquit : *Dicendum quod aliter se habet reprobatio in causando, quam prædestinatio. Nam prædestinatio est causa et ejus, quod expectatur in futura vita a prædestinatis, scilicet gloriæ, et ejus, quod percipitur in præsenti, scilicet gratiæ. Reprobatio vero non est causa ejus, quod est in præsenti, scilicet culpæ; sed est causa derelictionis a Deo, est tamen causa ejus, quod redditur in futuro, scilicet pœnæ æternæ; sed culpa provenit ex libero arbitrio ejus, qui reprobatur, et a gratia deseritur.* Ubi, ut vides, effectus reprobationis, qui a D. Th. ponuntur, sunt derelictio Dei, seu permissio culpæ, et finalis impœnitentiæ, sive perseverantiæ in illa usque ad mortem, necnon pœna æterna, non tamen culpa ipsa : sicut prædestinationis effectus sunt gratia et gloria, et quæ ad illam conducunt, proveniuntque a Deo.

Et ita sicut prædestinationis imperium est illud, quo Deus imperat executionem gratiæ, et aliorum in ordine ad consecutionem vitæ æternæ, ita reprobationis imperium versabitur circa prædictam derelictionem : ut ita reprobus sua culpa, et ex defectu sui liberi arbitrii peccans, et in suo peccato usque ad finem vitæ persistens puniatur pœna æterna pro illa, et ostendatur vindex Dei justitia, etc. Siquidem apud sanctum Doctorem licet peccatum permissum conducat ad inflictionem pœnæ per modum meriti ad illam ; hoc tamen non est a Deo ; nec effectus reprobationis : et ideo solum superest Deo per modum medii, quod proxime ab illo causetur in ordine ad finem reprobationis ipsa permissio peccati, finalisque impœnitentiæ. Et licet alia, quæ sunt a Deo, et ad prædictam permissionem conducunt (si vere cadunt sub reprobatione) sint (modo infra dicendo) effectus ejusdem reprobationis, nihilominus explicatis prædictis mediis ex parte Dei se tenentibus, scilicet permissionibus peccati, et finalis impœnitentiæ, ibidem omnia alia explicata, et numerata manent. Sicut, explicato præcipuo medio in ordine ad consecutionem gloriæ, scilicet gratia, seu donis gratiæ, explicantur ibidem alia, quæ sunt a Deo, et ad prædictum finem conducunt. Unde sanctum Doctorem, quoad omnes hujus assertionis partes, communiter tuentur ejus discipuli, quos disp. 2 num. 50 hujus tract. circa prædestinationis essentiam retulimus.

28. Ratio fundamentalis pro assertione. Ratio autem fundamentalis hujus assertionis tacta est in verbis ex D. Thom. relatis; quæ tamen majoris claritatis gratia potest ab hanc formam reduci. Quoniam reprobatio est pars divinæ providentiæ : ergo connotabit præsuppositive, indispensabiliter tamen, actum divinæ voluntatis, scilicet intentionem finis, et electionem mediorum; et consistet formaliter in imperio, non qualicumque, sed quo Deus imperat derelictionem reprobi, seu permissionem culpæ, et perseverantiæ usque ad

mortem in illa; ut ita reprobus sua culpa peccans, pœna æterna puniatur : et alii fines jam insinuati, et a Deo intenti subsequantur.

Consequentia videtur perspicua. Quia providentia divina connotat actus voluntatis, scilicet intentionem finis, et electionem mediorum, ut connotata indispensabilia, et præsupposita, et consistit formaliter in imperio eorum mediorum, quæ sunt a Deo, et conducunt, ordinanturque per illam in ordine ad finem ab eo intentum, ut constat ex iis, quæ disp. 2 a num. 49 hujus tract. diximus. Cumque hæc media in præsenti, si formaliter de mediis ut talibus loquamur, nequeant esse alia præter derelictionem a Deo, seu permissionem culpæ, et perseverantiæ in illa usque ad mortem, in ordine ad hoc ut reprobus sua culpa peccans puniatur pœna æterna, ut ita sequantur alii fines a Deo intenti, qualis est ostensio suæ justitiæ punitivæ, etc. non poterit non reprobatio in prædicto imperio, quod circa hæc versatur, consistere.

Antecedens autem probatur. Nam ad providentiam divinam per modum partis illius spectat imperare executionem permissionis aliquorum defectuum in rebus, ac proinde imperare aliquando permissionem culpæ in hominibus, seu derelictionem gratiæ : ut ita sua culpa, non vero ex defectu Dei. peccantes, et in peccato persistentes, deficiant a consecutione sui ultimi finis, et pœna æterna puniantur. Quia nisi Deus permitteret, sive imperaret executionem hujus permissionis, et derelictionis gratiæ usque in finem vitæ, non ostenderetur quantum fas est vindex justitia Dei ; neque subsequerentur in universo plura alia bona, de quibus Deus debet propter bonum ejusdem universi providere, ut constat ex iis, quæ D. Thom. quæst. præcedenti art. 2 et 3 contra Gent. cap. 163 docet : ergo cum hæc ad reprobationem spectent, fiet inde, ut sit pars divinæ providentiæ.

§ III.

Objiciuntur, et diluuntur aliqua contra rationem D. Thomæ.

29. Prima objectio contra rationem factam.

Nec refert si contra rationem hanc objicias primo, falsum esse, quod ad divinam providentiam spectet permittere, quod homines deficiant a consecutione sui ultimi finis, seu imperare media, scilicet derelictionem gratiæ in ordine ad hoc : quoniam ad providentiam perfectissimam spectat providere, ut id, quod cadit sub ea, consequatur infallibiliter suum ultimum finem : ergo cum divina providentia sit perfectissima, et sub ea homines elevati ad finem supernaturalem cadant, potius spectabit ad eam curare, ut de facto prædictum finem consequantur, quam providere de mediis, scilicet derelictione gratiæ, qua derelictione posita, infallibile est, eos suum finem non consecuturos.

Consequentia videtur perspicua, et simul etiam antecedens. Quia cum providentia sit ordinatio rei provisæ in suum finem per certa media, fit inde, ut ad perfectissimam providentiam spectet ordinatio rei provisæ in suum finem per media perfectissima, et congruentissima omnium, qualia sunt ea, per quæ infallibiliter finis comparatur : et per consequens ad eam pertineat providere, ut id quod sub ea cadit, consequatur infallibiliter suum ultimum finem.

30. Diluitur.

Respondetur enim negando antecedens. Et ad probationem debet etiam negari antecedens, si sensus illius sit (ut re vera est) quod quidquid cadit sub divina providentia, seu sub providentia perfectissima, debet ita a Deo regi, et provideri, ut de facto, et infallibiliter suum ultimum finem, et in omnibus suis individuis consequatur. Quoniam ad perfectissimam providentiam tantum pertinet, ut habeat vim ad istum effectum, et quod juxta regularem modum providendi, de unoquoque juxta suam naturam provideat : ac proinde quod de creaturis defectibilibus a suo fine, quales sunt homines, defectibiliter provideat, idest, curando ut aliqui ex illis suum ultimum finem consequantur, et alii ab eo deficiant : ut ita ex una parte splendeat in aliquibus defectibilitas, et insufficientia naturæ ad prædictum finem consequendum, et ex alia in aliis vires gratiæ. Sicut etiam hoc ipso quod natura humana est defectibilis, et elevata fuit ad dona gratiæ, qualia sunt perseverantia per totum vitæ cursum, aut per longum tempus in gratia, et sic de aliis, propterea pertinet ad suavem, et perfectissimam Dei providentiam, ut aliqui ex hominibus per totum vitæ tempus perseverent in gratia, quam semel acceperunt : et alii per longum tempus in ea persistant : et tandem alii ab utroque deficiant.

31. Elucidatur testimonio D. Thom

Potestque tota hæc solutio elucidari eleganti testimonio D. Thom. quæstione præcedenti art. 2 ad secundum, ubi cum sibi objecisset,

objecisset, quod *Omnis sapiens provisor excludit defectum, et malum quantum potest ab iis, quorum curam gerit* : ac proinde vel Deum non esse omnipotentem, vel non curare, et providere de rebus : siquidem multa mala in eis inveniuntur, sic respondet : *Ad secundum dicendum, quod aliter est de eo, qui habet curam alicujus particularis, et de provisore universali. Quia provisor particularis excludit defectum ab eo, quod ejus curæ subditur, quantum potest, sed provisor universalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius. Unde corruptiones, et defectus in rebus naturalibus dicuntur esse contra naturam particularem; sed tamen sunt de intentione naturæ universalis in quantum defectus unius cedit in bonum alterius, vel etiam totius universi. Nam corruptio unius est generatio alterius, per quam species conservatur. Cum igitur Deus sit universalis provisor totius entis, ad ipsius providentiam pertinet, ut permittat quosdam defectus esse in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum universi perfectum. Si enim omnia mala impedirentur, multa bona deessent universo. Non enim esset vita Leonis, si non esset occisio animalium : nec esset patientia martyrum, si non esset persecutio tyrannorum. Unde dicit Augustin. in Enchir. Deus omnipotens nullo modo sineret malum aliquod esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens, et bonus, ut benefaceret etiam de malo.* Quare non mirum quod Deus, qui non solum est provisor hujus vel illius hominis, sed totius naturæ humanæ, et insuper totius naturæ creatæ, permittat aliquos homines deficere a consecutione sui ultimi finis, ut ita de universo provideatur quoad discrimen, et varietatem omnium graduum, et relucentiam divinæ justitiæ vindicativæ, et aliorum bonorum, quæ inde universo ac crescunt.

Ex quo etiam fit, non referre si cum Pesantio infra q. 28 disp. 1 cui hæc D. Thom. ratio displicet, objicias secundo. Quod licet divina providentia debeat permittere aliquos alios defectus; non tamen ut suaviter provideat de creaturis intellectualibus, debet permittere, ut deficiant a suo ultimo fine : ergo, etc. Antecedens probatur. Quoniam ideo debent permitti a Deo per suam providentiam alii defectus, ut v. g. corruptio aquæ, quia nisi esset corruptio ista non essent aliæ generationes in universo : ex eo quod generatio unius semper debet esse cum corruptione alterius : at acquisitio ultimi finis per creaturam intellectualem non debet esse per hoc, quod aliæ creaturæ intellectuales illum non consequantur, et ita optime possent omnes illæ suum finem consequi : ergo non est cur, ut Deus suaviter de prædictis creaturis provideat, debeat juxta regularem et communem cursum suæ providentiæ permittere, ut aliquæ ex illis a suo ultimo fine, scilicet æterna beatitudine, deficiant.

Ex dictis igitur hæc objectio manet soluta : et ita negandum est antecedens. Et ad probationem dicendum est, majorem esse veram, si ly *ideo* reddat causam sufficientem, non vero adæquatam. Unde licet ratio ibidem adducta sit sufficiens ad hoc ut Deus permittat corruptionem aliquarum rerum, ut aliæ generentur ex eodem subjecto et materia; attamen propter alios fines potest etiam Deus permittere alios defectus, ut quod aliquæ creaturæ rationales deficiant a suo ultimo fine ad manifestandam defectibilitatem arbitrii creati, et justitiam divinam vindicem, etc. Enodatur.

Accedit, quod nisi Deus permitteret aliquos deficere a consecutione æternæ vitæ, non esset ita magna misericordia illa, quam habuit erga prædestinatos. Quia hæc crescit intensive, ex eo quod Deus elegerit eos aliis relictis, oportuit autem divinam misericordiam cum tota hac intentione manifestari, et hominibus commendari. Et ita hîc quodammodo intervenit (ut sic dicamus) corruptio unius propter generationem alterius, idest, quod reprobi deficiant ab æterna beatitudine consequenda, ut eam prædestinati gloriosius consequantur, et (ut loquitur Paulus) ostendantur divitiæ bonitatis Dei in vasa misericordiæ. Additamentum.

Nec deinde refert si tertio objicias, quod etsi detur reprobationem esse partem utcumque divinæ providentiæ, non tamen inde fiet consistere in imperio. Quoniam tantum est pars negativa, seu consistens in negatione, aut carentia quadam imperii Dei. Et ratio est. Tum, quia propterea reprobatio in Scripturis explicatur nominibus negativis, ut patet ex illo Matth. 18 : *Non est voluntas ante Patrem vestrum, ut pereat unus de pusillis istis* : ut per hoc denotetur, quod erga damnationem hominum, non habet Deus actum positivum, et cap. 25 : *Nescio vos*, et similiter D. Thom. in hoc art. ad 1 ait, quod *In quantum Deus non vult homini hoc bonum quod est vita æterna* 33. Tertia objectio. Matt. 18 et cap. 25 D. Thom.

(ac proinde non habet actum imperii circa hoc) *dicitur reprobare.*

Tum etiam : quia cum ad actualem consecutionem vitæ æternæ desideretur, quod Deus positive eligat ad illam, habeatque actum imperii positivum erga media, consequens erit, quod ut quis non consequatur eamdem æternam vitam, sitque reprobus, sufficiat quod Deus non habeat prædictos actus. Tum denique : quia permissio peccati, aut denegatio gratiæ, quæ sunt media ex parte Dei in ordine ad finem reprobationis, tantum consistunt in aliquo privativo, aut negativo, scilicet in non tribuendo gratiam efficacem in ordine ad consecutionem æternæ vitæ, et ita sat erit ex parte Dei, quod non habeat voluntatem, ac proinde nec imperium tribuendi illam.

34. Enervatur quoad primam probationem.

Non itaque hoc refert. Nam antecedens est falsum, et contra perfectionem divinæ providentiæ, ad quam spectat, ut de omnibus, et circa unumquodque positive, et libere disponat ac provideat, ut constat ex iis, quæ in tract. de volunt. Dei disp. 5 n. 73 diximus. Et ad primam probationem in contrarium respondetur. Quod etiam in Scriptura reprobatio explicatur nominibus positivis. Ut constat ex illo Malach. 1 : *Esaü autem odio habui ;* et Ecclesiastici 33 : *Quare dies diem superat, et lux lucem, et annus annum, etc. a Domini scientia separati sunt, et immutavit tempora, et separavit homines, et ex ipsis benedixit, et ex ipsis maledixit, et humiliavit.* Ubi, ut patet, dicitur prædestinatorum, et reproborum discrimen esse a divina sapientia, sicut discrimen diei, seu luminis majoris et minoris, quod certum est fieri per actum positivum Dei : sicuti etiam certum est, maledictionem, et humiliationem activam Dei esse positivum actum ipsius.

Malac. 1.
Eccles. 33.

35. Additamentum primum.

Adde primo. Consuetum esse in Scriptura terminum negativum sumere pro contrario positivo, ut Exodi 18 : *Non bonam rem facis,* idest, laboriosam; et propterea subditur statim : *Stulto labore consumeris.*

Exod. 18

Levit. 10. Levitic. 10 : *Ignem alienum, quod eis præceptum non erat,* idest, quod eis fuerat prohibitum Psal. 42 : *A gente non sancta,* idest, peccatrice. Unde nihil mirum esset, quod reprobatio, quæ est quid positivum, explicaretur in Scriptura per terminum negativum.

Psal. 42.

Additamentum secundum.

Adde secundo. Prædictum testimonium Matth. 18 male explicari de reprobatione. Nam potius intelligitur de voluntate salvandi. Reprobatio enim alicujus, dato quod esset sola negatio, non esset non habere voluntatem, ut pereat aliquis : quandoquidem per hoc potius significatur voluntas saltim antecedens salutis omnium ; sed esset non habere voluntatem, ut reprobus salvetur. Ex quo etiam id, quod intendimus magis elucidatur. Nam sicut hæc voluntas antecedens salutis omnium non est negatio, sed potius actus positivus, ut fatentur adversarii, et nihilominus significatur per negationem actus, ita licet reprobatio significetur per negationem electionis et dilectionis, potest esse actus positivus.

Ex quo ad illud, quod ex D. Thom. adducitur, dicendum est cum Bannez in hoc artic. dub. 2. Quod D. Thom. satis se explicat in corpore articuli inquiens, reprobationem intrinsece claudere voluntatem permittendi cadere reprobos in culpam, deficere a fine. Ex eo autem quod in solutione ad 1 explicet istam permissionem per negationem, non licet inferre, quod non verificetur etiam affirmative, ac proinde de actu positivo, quod Deus voluerit permittere, ut reprobi peccent, et deficiant a vita æterna : quandoquidem licet bene sequatur : *Petrus vult non dare eleemosynam : ergo non vult dare illam ;* non tamen e converso : et ideo hoc ipso quod Deus habuerit voluntatem illam positivam, de qua in corpore articuli, bene sequitur, quod non habuerit voluntatem dandi gloriam reprobis.

Ad secundam vero probationem respondetur, quod si quid convinceret, etiam probaret, omnes homines possibiles, et non futuros, fuisse reprobatos à Deo : cum circa illos non habuerit actum eligendi eos ad gloriam. Deinde addimus, quod licet ad consecutionem beatitudinis requiratur actus positivus divinæ voluntatis ; non tamen inde fit, quod ad hoc ut Deus aliquem reprobet, sufficiat carentia talis actus. Quia divina voluntas ob summam actualitatem suam nequit manere suspensa, et sine omni actu circa quodvis objectum in particulari sumptum, ut in tract. de Volunt. Dei citata disp. 5 num. 73 diximus. Maxime quia cum illa reprobatio debeat esse libera, et ex intentione Dei, et non a casu, non potest consistere in pura negatione, et suspensione actus; sed debet fieri per actum positivum, ut ita sit perfecte libera. Per quod etiam ad ultimam probationem hujus objectionis satis constat.

§ IV.

Solutio argumentorum aliarum sententiarum.

37. Ad primum primæ sententiæ neganda
Ad est major, si de reprobatione, formaliter, et
mum in recto considerata intelligatur. Et ad pri-
imæ mam probationem dicendum est, quod ut
iten- verificetur, omnes vias Domini esse mise-
æ. ricordiam, et veritatem, seu justitiam, satis est, quod omnia ordinentur ad utrumque attributum manifestandum, ut re vera or-
hom. dinantur, ut constat ex iis, quæ D. Thom. supra q. 21 art. 1 et 3 docet. Unde quoad præsens, certum est, reprobationem esse volitam a Deo ad ostendendam suam majorem misericordiam erga prædestinatos, et justitiam vindicem erga reprobos.

Ad secundam vero probationem transeat major, et distinguenda est minor : et si intelligatur de ipso actu reprobandi secundum id, quod præsuppositive includit, transeat : secus vero si intelligatur de illo secundum id, quod de formali, et in recto importat. Quia secundum hanc rationem non respicit formaliter facere justum, ut bonum est, sed ut verum agibile est. Et ita non est formaliter actus justitiæ, quæ respicit justum ut bonum, non ut verum.

38. Ad secundam distinguendum est ante-
Ad cedens : et si intelligatur de reprobatione
cun- secundum id, quod præsuppositive dicit,
um. transeat : si vero de eadem secundum id, quod de formali, et in recto importat, negandum est antecedens. Et ad probationem respondetur quod sicut prædestinatio ut dicit electionem, non importat id, quod in recto pertinet ad ipsam, sed tantum id, quod in obliquo, et pro connotato affert, ita ex hoc quod secundum hanc rationem opponatur reprobationi, non sequitur quod opponatur illi secundum id, quod ad eamdem reprobationem in recto spectat; sed solum secundum id, quod pro connotato importat, quatenus sicut prædestinatio secundum prædictam rationem dicit actum voluntatis, quo quis eligitur ab beatitudinem, ita reprobatio affert etiam pro connotato alium actum voluntatis aliquo modo oppositum electioni ad gloriam : et
hom. secundum hæc intelligendus est D. Thom. de Verit. q. 6 art. 1 ultim. Ubi loquitur de oppositione, quæ est inter prædestinationem, et reprobationem, secundum id, quod pro connotato, et in obliquo important.

). Ad fundamentum secundæ sententiæ concedenda est major, intellecta de prædestinatione quatenus dicit approbationem efficacem prædestinatorum, et neganda est minor, ut constat ex iis, quæ disput. 2 num. 64 diximus. Ad fundamentum secundæ sententiæ.

Ad confirmationem negandum est antecedens quoad utramque partem. Quoad primam quidem, propter illa, quæ loco citato, a num. 73 asseruimus. Quoad secundam vero propter ea, quæ in hoc dub. dicta sunt. Et ad probationem pro hac secunda parte, dicendum est, quod etsi divinum imperium, in quo consistit reprobatio, non versetur circa peccata, tanquam circa media volita, et imperata; superest tamen illi debitum medium, circa quod versatur, scilicet denegationem gratiæ efficacis, seu derelictionem gratiæ : qua posita infallibile est infallibilitate, et necessitate consequentiæ, reprobum sua culpa peccaturum : et hoc sufficit ad hoc ut reprobatio consistat in divino imperio, ut explicatum est. Ad confirmationem.

Ad fundamentum tertiæ sententiæ respondetur, difficultatem hanc non esse decidendam ex iis præcise, quæ in Scriptura habentur, ut in simili de prædestinationis essentia disp. 2 n. 33 diximus. 40.

Ad confirmationem vero dicendum est, imperium intellectus utpote intrinsece præsupponens electionem voluntatis, et connotans illam, habere non solum rationem ordinationis utcumque, sed etiam rationem ordinationis efficacis, ut ex dictis disp. 2 num. 69 et 70 hujus tractatus satis constat.

DISPUTATIO VIII.

De causis et effectibus reprobationis.

Semel explicatis? *an est?* et *quid est?* reprobationis, statim sese offert de causis, et effectibus ejus discutere, ut ita quidquid ad eam pertinet pro captu nostro maneat explicatum. 1.

DUBIUM I.

An Deus habuerit voluntatem absolutam et efficacem, qua intendit excludere aliquos a regno cœlesti, et infligere eis æternæ damnationis pœnam, antequam illorum peccata præviderit? an vero post prævisionem eorum, et dependenter ab illis ut a causa, vel ratione meritoria illius voluntatis?

Quia ex intelligentia tituli plura pendent,

quæ ad naturam reprobationis meliùs capiendam non parum conducunt, quæque ad decisionem hujus dubii necessaria sunt, ideo primo loco illum explicabimus.

§ I.

Explicatio tituli.

Notabile primum. Pro tituli intelligentia notandum est primo. Consulto in eo fieri sermonem de voluntate, qua Deus intenderit excludere aliquos a regno, et punire ipsos æterna pœna, non vero de reprobatione ipsa formaliter, et in recto sumpta. Quoniam cum hæc (juxta dicta) consistat in imperio divini intellectus jam explicato : et certum sit, imperium hoc (si semel datur) præsupponere electionem mediorum, et futuritionem inadæquatam eorum, ac proinde prævisionem, saltim inadæquatam, tam ipsorum, quam materiæ circa quam versantur, scilicet tam permissionum peccatorum, quam eorumdem peccatorum, propterea non inquirimus peculiariter de ipsa reprobatione formaliter sumpta, an sit ante prævisionem peccatorum, vel post eorum prævisionem? sed id tantum peculiariter sciscitamur de voluntate, qua Deus intenderit excludere aliquos a regno cœlesti, et punire eos pœna æterna. Unde in præsenti dubio nomine reprobationis, intelligimus reprobationem radicaliter, et initiative sumptam, in prædicta voluntate consistentem.

Diximus, imperium reprobationis supponere electionem mediorum, et futuritionem inadæquatam eorum, etc. propter illa, quæ disp. 9 n. 2 dicemus, quæ proportione servata debent ad præsens applicari. Nam sicuti per electionem bonorum operum, quæ sunt media in ordine ad acquirendam vitam æternam, fiunt prædicta opera inadæquate futura, et per ipsam prædestinationem redduntur adæquate futura, ita etiam per electionem, qua Deus eligit permissionem malorum operum, fit ipsa permissio, quæ est medium ad finem intentum per reprobationem, inadæquate futura, at ipsa mala opera habent infallibiliter infallibilitate consequentiæ futuritionem inadequatam, et per ipsam reprobationem eodem proportionali modo sunt adæquate futura.

2. Secundum. Secundo notandum est. Quod cum inquirimus, an prædicta voluntas Dei excludendi a regno, et puniendi pœna æterna reprobos, sit post prævisionem peccatorum, et dependenter ab eis ut a causa meritoria illius? non est sensus : an merita mala, seu peccata sint causa talis volitionis quoad ejus entitatem? quia de hoc nulla potest esse disceptatio. Nec etiam peculiariter inquirimus, an sit causa meritoria illius quoad terminationem activam? an vero quoad terminationem passivam? sed an sit causa meritoria prædictæ voluntatis quoad terminationem sive activam, sive passivam, non determinando cujusnam terminationis sint causa meritoria? Quia hoc pendet ex iis, quæ in tract. de Voluntate Dei disp. 3 n. 26 et deinceps diximus. Nam si res creatæ potuerint esse causæ, aut rationes respectu terminationis activæ volitionis divinæ, tunc merita mala, erunt causa, vel ratio meritoria prædictæ terminationis ; secus vero si tantum potuerint esse causa vel ratio terminationis passivæ, et ideo quoad hoc sensus tituli tantum est, an mala opera sint causa, vel ratio meritoria prædictæ volitionis quoad terminationem quæcumque illa sit) quæ sub merito malo cadere potest, sed circa hæc videantur ea, quæ in prædicto tract. diximus.

3. Ultimum. Ultimo notandum est. Consulto in titulo inquisitum esse, an prædicta voluntas reprobandi sit post prævisionem peccatorum, et dependenter ab illis ut a causa, sive ratione meritoria talis voluntatis? Quia in præsenti non intendimus, an prævisio peccatorum præcedat utcumque prædictam voluntatem? Sed an ita præcedat, ut ipsa peccata prævisa, sint actu causa meritoria talis voluntatis? Quamvis etiam explicabimus, an præviso peccatorum præcedat voluntatem reprobandi, necne?

§ II.

Sententia prior testimoniis Scripturæ et Patrum suadetur.

4. Prima sententia asserit, voluntatem prædictam, tam ut dicit exclusionem a regno, quam intentionem puniendi pœna æterna, esse post prævisa opera, seu merita mala reproborum, et hanc voluntatem dari dependenter ab his meritis malis, seu peccatis tanquam a causa meritoria illius; sive hæc merita mala sint personalia tantummodo, ut in adultis baptizatis; sive tantum sit peccatum originale, ut in infantibus decedentibus sine baptismo; sive utrumque

utrumque, ut in infidelibus adultis. Ita Henricus quodlibeto 4 quæstion. 19, Scotus in 1 distinct. 41 § *Potest aliter dici*, Molina in præsenti, artic. 5 disput. 3, Valentia in hac quæstion. part. 2 puncto 3, Villegas controversia 16 cap. 3 referens Mayronem, Aquilam, Tartaretum, Lichetum, O'Kamum, Gabrielem, Rubionem, Osorium, Camerasium, Argentinam, Catharinum, Horantium, Viguerium, Stapletonium, Bononiam, Turrianum, Lessium, Torres, et alios. Idem etiam tenet noster Cornejo in hac quæstion. disp. 2 de causa reprobationis, quam adjunxit post explicationem, et disputationes circa omnes articulos hujus quæst., et alii plures ex junioribus.

Henric. Scotus. Molina. Valentia. Villegas. Mayron. Aquila. Tartar. Lichet. O'Kam. Gabriel. Rubion. Osor. Camer. Argent. Cathar. Horant. Viguer. Staplet. Bonon. Turrian. Lessius. Torres Cornejo.

Probatur primo ex Scriptura. Nam 2 Regum 14 dicitur : *Non vult Deus perire animam, sed retractat cogitans, ne penitus pereat qui abjectus est*, et Sapientiæ 1 : *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum*, et infra : *Impii manibus, et verbis accersierunt illam*, nempe mortem æternam, quæ est pœna peccati. In quibus testimoniis satis significatur, Deum ex se, seu ante prævisa peccata aliquorum, neminem a gloria excludere, nisi provocetur impiorum peccatis.

Primum argumentum ex auctoritate. Regum 14. Sapient. 1.

Confirmatur primo. Nam si daretur reprobatio ante prævisionem peccati, tunc non posset verificari illud Isaiæ 30 : *Expectat Dominus ut misereatur vestri*, et illud ejusdem Isaiæ 5 : *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci, expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas*, et illud 2 Petri 3 : *Patienter agit propter vos, nolens perire aliquos ex vobis, sed omnes ad pœnitentiam reverti*. Nam quomodo expectat quod scit non esse futurum, quodque ipse ante prævisum usum voluntatis creatæ voluit, et effecit non esse futurum. Et quomodo non debuit ultra aliquid facere, cum reprobus posset respondere, quod ultra potuisset facere, scilicet non reprobare ante prævisum peccatum, et per consequens non auferre ex vi hujus reprobationis auxilium efficax. Et tandem quomodo habet actum nolitionis respectu perditionis aliquorum, si ante prævisum peccatum, et ex se eos reprobavit, seu voluit exclusionem a regno, et mortem æternam eorum.

5. Confirmatur primo. Isaiæ 30. Isaiæ 5. 2 Petri 3.

Confirmatur secundo. Quia in Concilio Valentino sub Lothario Imperatore capit. 3 sic dicitur : *Fideliterque fatemur prædestinationem electorum ad vitam, et prædestinationem impiorum ad mortem. In electione tamen salvandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum, in damnatione vero perituroruni meritum malum præcedere justum judicium Dei.* Constat autem, quod per justum judicium Dei reprobantur homines : ergo si ad justum judicium Dei præcedit meritum malum, præcedet utique meritum hoc ad reprobationem : ac proinde reprobatio fiet dependenter ab illis, tanquam a causa meritoria ejus. Patet hæc ultima consequentia. Quoniam hoc ipso quod merita mala præsupponantur ad reprobationem, pertinet ad suavem Dei providentiam, et ad eius justum judicium, quod hoc ipso quod velit reprobare, reprobet propter prædicta merita mala.

6. Confirmatur secundo. Concilium Valentin.

Secundo probatur ex Augustin. tom. 2 epistol. 105, ubi loquens de Deo ait : *Cujus vult miseretur non justitiæ sed misericordiæ gratia : et quem vult obdurat*, seu (quod in idem redit) reprobat, *non iniquitate sed veritate vindictæ*. Vindicta autem supponit culpam, qua quis lacessitus ulciscitur, et infra : *Quærimus meritum obdurationis, et invenimus*. Deinde tomo 3, Enchir. capit. 99 : *Miseretur* (inquit) *Deus magna bonitate, obdurat nulla iniquitate : ut nec liberatus, de suis meritis glorietur, nec damnatus, nisi de suis meritis conqueratur. Sola enim gratia redemptos discernit a perditis, quos in unam perditionis concreverat massam ab origine ducta causa communis, nempe peccatum originale*. Et libr. 3 adversus Julianum capit. 18 : *Bonus est Deus : justus est Deus : potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est. Non potest quemquam sine meritis damnare, quia justus est*, et epistola 106 : *Quemquam vero immeritum, et nulli peccato obnoxium si Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur*. Quod etiam docuit quæstion. 2 ad Simplicianum, et lib. de Correctione et gratia capit. 3 et 7, de Prædestinat. Sanct. capit. 8 et 9 et lib. 6 Hypognost. sæpissime repetit causam reprobationis esse peccatum originale. Et ideo sanctus Thomas quæstion. 6 de Veritat. artic. 2 ad 9 expresse fatetur, quod secundum August. ratio reprobationis, est in hominibus peccatum originale.

7. Secundum etiam ab auctoritate. August. D. Thom.

Tertio probatur ex D. Prospero, qui ad objectiones vincentianas ad duodecimam ex illis, loquens de malis hominibus : *Voluntate* (inquit) *ceciderunt, et quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati*. Et ad cap. Gallor. c. 3 mentionem faciens de iis, qui post vitam bonam male agunt, ita in-

8 Tertium. Prosper.

quit : *Non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quia prædestinati non sunt; sed ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt.* Et in sententia super cap. 8 asserit : *Qui salvantur, ideo salvi sunt, quia Deus voluit illos salvos fieri : et qui pereunt, ideo pereunt, quia perire meruerunt*, et tandem ad excerpta Genuens. ad dub. 8 : *Cum aliqui pereunt, non dubitemus ipsorum meritis deputari quod pereunt : et cum aliqui liberantur, non audeamus diffinire quod digni fuerunt liberari, quos utique possit Deus juste damnare, si vellet.* Et similiter sanctus Fulgentius libr. 1 ad Monimum c. 23 : *Iniquos* (ait) *quos præscivit Deus hanc vitam in peccato terminaturos, prædestinavit supplicio interminabili puniendos.*

Fulgent.

9. Quartum D. Thom.

Quarto probatur ex D. Thom. super epist. ad Rom. c. 9 lect. 3 ubi sic ait : *Manifestum est enim quod justitia distributiva bonum locum habet in iis, quæ dantur ex debito : puta si aliqui meruerunt mercedem, ut plus laborantibus major merces donetur. Non autem habet locum in iis, quæ sponte, et misericorditer aliquis dat, puta si aliquis duos pauperes in via inveniens, det uni quod potest, vel disponit in eleemosynam dare, non est iniquus sed misericors. Similiter si aliquis, duobus æque ipsum offendentibus, uni dimittat offensam, et non alteri, est misericors uni, et justus ad alterun, neutri vero iniquus. Cum enim omnes homines, propter peccatum primi hominis, damnationi nascantur obnoxii, quos Deus per suam gratiam liberat, sola misericordia liberat. Et sic quibusdam est misericors, quos liberat : quibusdam autem justus, quos non liberat : neutris autem iniquus.* Ubi, ut vides, juxta mentem D. Thom. ideo Deus juste non liberat, sed reprobat, quia ad hanc justam reprobationem supponitur peccatum originale primi parentis, et omnes homines illo infecti : et propterea quos reprobat, juste propter illud reprobat. Sicut etiam, propter eamdem rationem, misericorditer liberat, et prædestinat, seu (quod in idem quoad præsens, propter ea, quæ disp. 9 num. 2 dicentur, redit) eligit ad æternam vitam alios, quos eodem peccato infectos prævidit.

10. Confirmatur. Idem.

Confirmatur. Nam idem sanctus Doctor de Veritate q. 6 art. 2 ad 9 ait, peccatum esse rationem reprobandi homines. Et art. 1 ad ultimum, inquit, quod reprobare hominem est judicare illum indignum, ut admittatur ad beatitudinem. Constat autem indignitatem ad beatitudinem non posse aliunde, quam ex peccato oriri. Et in hac quæst. art. 5 in solutione ad 3 asserit, quod Deus voluit in aliquibus ostendere suam bonitatem per modum misericordiæ parcendo : et ideo eos prædestinavit ad gloriam. Ubi perspicue videtur docere prædestinationem supponere peccatum originale, et totam massam naturæ infectam in primo parente : siquidem finis prædestinationis fuit ostendere bonitatem Dei per modum misericordiæ parcendo : et per consequens etiam reprobatio præsupponet saltim peccatum originale, hocque erit causa, vel ratio illius : siquidem ex eadem massa quosdam misericorditer prædestinavit, et quosdam juste reprobavit.

11. Prior evasio ad testimonia adducta

Nec refert si ad omnia hæc testimonia occurras primo, intelligenda esse de reprobatione quoad pœnam sensus, quæ in inferno luitur : non vero quoad alia, quæ in eadem reprobatione involvuntur : et ita pœna sensus præfinitur juxta tantitatem delictorum, et attendendo ad illa jam prævisa.

Impugnatur primo. Cornejo

Nam contra hoc insurgit Cornejo disp. citata dub. 1. Quod sicut præcipua vita beatorum consistit in sola visione Dei, et non in delectatione sensuum, ita etiam præcipua mors damnatorum sita est in carentia divinæ visionis, quæ est pœna damni æterni, et non in carentia delectationis sensitivæ : ergo si Deus ex se, et non propter peccata ex parte hominum vult eos excludere a gloria, absolute, et simpliciter dicetur, velle mortem æternam eorum, quamvis non velit eos punire supplicio sensitivo, quousque videat eorum peccata : ac tandem absolute, et simpliciter dicetur, eos reprobare ex se, et non propter peccata : siquidem essentialis (ut sic dicamus) reprobatio in hac exclusione a visione beatifica consistit. Et ita male Scriptura, et Patres absolute, et simpliciter dixissent, homines propter peccata a Deo reprobari.

Secund

Accedit primo, quod illa exclusio a gloria, est pœna damni : ergo sicut quia pœna sensus habet rationem pœnæ, non potest esse volita, nisi propter culpam, ita nec exclusio a gloria. Patet consequentia. Quia sicut præmium non potest esse volitum nisi propter meritum, ita nec pœna, nisi propter culpam.

Tertio

Accedit secundo, quod ex vi hujus solutionis non occurritur his testimoniis, in quibus asseritur, reprobationom fuisse factam propter peccatum originale. Nam huic nulla pœna sensus correspondet.

Nec

Nec etiam refert si secundo occurras, exclusionem a gloria posse dupliciter considerari. Primo secundum quod tantum dicit denegationem cujusdam indebiti beneficii. Vel secundum quod habet rationem pœnæ : et quod per hæc testimonia solum intenditur, quod exclusio a gloria, ut habet rationem pœnæ, sit propter peccata : secus vero ut habet rationem indebiti beneficii. Cæterum ad hoc ut absolute, et simpliciter dicatur Deus homines reprobare, et non propter peccata, satis est quod ex se, et non propter illa velit illos excludere a gloria primo modo sumpta : quippe cum inde infallibiliter, infallibilitate saltim consequentiæ, sequatur quod eos statim ab eadem gloria per modum pœnæ, et propter illorum peccata excludet.

Nam contra hoc arguit idem Cornejo. Quia postquam homines semel ordinati sunt ad gloriam, non potest non carentia gloriæ habere rationem pœnæ : sed Deus voluntate antecedente ordinavit omnes ad gloriam per illum actum, quo voluit omnes homines salvos fieri, quantum erat ex se : ergo posita hac voluntate non potest exclusio a gloria non habere rationem pœnæ : ac proinde nullus remanebit locus distinctioni illi exclusionis a gloria, quatenus habet rationem indebiti beneficii, vel rationem pœnæ. Consequentia cum minori videtur perspicua. Major autem probatur. Quia non potest supposita tali ordinatione, carentia gloriæ habere rationem puræ negationis, sed necessario erit privatio rei, aliquo modo debitæ, et consequenter habebit rationem pœnæ.

§ III.

Eadem sententia rationibus fulcitur.

Deinde ratione probatur eadem sententia. Primo. Quoniam reprobare aliquem est odio illum habere : sed Deus neminem odio habet, nisi propter culpam : ergo nec illum reprobat, nisi propter eamdem culpam : ac proinde reprobatio præsupponet præscientiam culpæ, et hæc erit, modo in explicatione tituli jam dicto, causa reprobationis. Utraque consequentia videtur perspicua. Minor vero constat ex illo Sapientiæ 11 : *Diligis omnia, quæ sunt, et nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Per quæ verba denotatur, Deum non nisi propter culpam, quæ sola ab ipso non est, odio habere suas creaturas, quæ secundum omnem aliam rationem ab eo sunt. Et ratio tacta illam suadet. Quoniam quidquid aliud est in creatura, præter peccatum, est participatio divinæ bonitatis, et perfectionis : Deus autem nequit odio habere aliquem propter id, quod a sua divina bonitate, et perfectione participat. Major autem etiam liquet. Quoniam odio habere aliquem, est velle illi malum : at Deus reprobando hominem vult illi omne summum malum, nempe privationem summi boni, pœnamque æternam : ergo reprobare aliquem est odio illum habere.

14. Confirmatur. Confirmatur. Quoniam excludere aliquem ab æterna beatitudine ante prævisa demerita, ac proinde reprobare illum absque causa ex parte reprobi, nec decet divinam bonitatem, nec etiam ejus justitiam, aut paterna viscera, quæ erga creaturas rationales habet : ergo non reprobat illas ante eorum prævisa demerita, quæ sint causa ex parte earum talis reprobationis. Consequentia est legitima. Antecedens autem probatur. Quoniam, ut ex se constare videtur, non est consentaneum divinæ bonitati, et paternis ejus visceribus, ut non excitatus a culpis hominum, et demeritis eorum, velit illis tantum malum, tantamque pœnam, quanta est privatio æternæ beatitudinis, et deputatio ad æternos cruciatus, et pœnas. Sicut etiam non videtur satis congruere divinæ justitiæ, ut in damnatione impiorum, et remuneratione justorum, ac proinde in reprobatione illorum, et prædestinatione horum, non attendat, neque excitetur a meritis, vel demeritis ipsorum. Quod enim genus justitiæ esset deputare aliquæ æternis cruciatibus absque prævisis ejus demeritis, et non propter suam culpam? Etenim, licet Deus utendo jure supremi Domini, quod supra omnem suam creaturam habet, possit quidquid sibi placuerit, et eo modo quo voluerit, circa illas disponere : attamen si ut ordinarius (ut sic dicamus) judex consideretur, quo pacto in reprobatione se habet, nequit servatis justitiæ legibus, aliquem supplicio æterno deputare, nisi propter ejus peccata prævisa.

15. Secunda ratio. Secundo probatur. Nam reprobatio hominum supponit præscientiam peccati originalis, quod est sufficiens causa reprobationis : ergo datur ex parte nostra causa illius. Antecedens probatur. Quia reprobatio hominum supponit prædestinationem, sicut negatio affirmationem : prædestinatio etiam nostra supponit prædestinationem

Christi, et hæc supponit peccatum originale, in cujus remedium Christus venit : ergo de primo ad ultimum reprobatio hominum supponit peccatum originale, et istud erit causa prædictæ reprobationis.

16. Confirmatur primo. Confirmatur. Quia permissio primi peccati saltim originalis, non potest esse effectus reprobationis : ergo erit causa illius. Consequentia videtur legitima. Quoniam non ob aliud prædicta permissio non ponitur causa reprobationis, nisi quia est effectus illius, sicut non ob aliud merita prædestinatorum non sunt causa prædestinationis, nisi quia sunt effectus illius, ut art. 5 disp. 10 n. 45 latius dicetur. Antecedens autem probatur. Quia ejusdem peccati non datur duplex permissio : sed peccatum originale intelligitur permissum, et futurum, antequam intelligatur reprobatio : ergo permissio ejusdem peccati non potest oriri ex ipsa reprobatione.

Confirmatur secundo. Confirmatur secundo. Quia Deus potuit hominem reprobare propter peccatum originale, cum secundum se sit sufficiens causa reprobationis, et fuit decens divinæ bonitati quod ita faceret, ne homines ullo, vel apparenti colore possent de Deo conqueri : ergo de facto reprobavit homines propter prædictum peccatum.

17. Tertia ratio. Tertio. Nam in Deo etiam postquam prævidit peccata, non intelligimus, quod ex se habeat simplicem affectum, et voluntatem antecedentem excludendi aliquem a beatitudine : ergo multo minus habuit ex se voluntatem efficacem, et consequentem ante prævisa peccata, qua voluerit prædictam exclusionem. Antecedens videtur perspicuum, siquidem adhuc præviso peccato originali providit de adventu Christi in remedium illius, et ut omnes homines æternam salutem consequerentur. Et ita non utcumque habuit voluntatem antecedentem salvandi illos, sed providit de remedio, ex se sufficientissimo, et abundantissimo in ordine ad hunc finem.

Consequentia vero probatur. Quia voluntas consequens, et efficax alicujus finis magis opponitur voluntati boni contrarii, quam voluntas antecedens talis finis : sed repugnat aliquem ex se habere voluntatem antecedentem alicujus boni, et voluntatem etiam antecedentem boni contrarii : sicut repugnat ex se habere complacentiam de salute alicujus, et simul sub eadem ratione habere complacentiam de infirmitate ipsius : ergo cum Deus ex se habuerit voluntatem antecedentem salvandi omnes, et ob hanc rationem nequeat habere ex se aliam voluntatem antecedentem reprobandi aliquos : multo minus poterit habere ex se, et ante prævisa peccata voluntatem consequentem, et efficacem reprobandi aliquos, seu excludendi eos a regno.

§ IV.

Assertio prior.

18. Præmittatio Pro decisione hujus dubii notandum breviter est, quod in reprobatione, seu voluntate excludendi aliquos a regno cœlesti, et puniendi eos pœna æterna, duæ quasi voluntates, modo alibi tacto, distinctæ involvuntur, ut ex terminis ipsis constat, prima excludendi a regno, secunda intendendi etiam æternam pœnam reprobis.

Prima conclusio. His ergo suppositis, dicendum est primo, quod si loquamur de voluntate, qua Deus intendit infligere pœnam æternam reprobis, sive illa pœna sit sensus, sive damni, tunc datur causa reprobationis, seu prædictæ voluntatis, ex parte reprobi se tenens, nempe peccatum, sive peccata illius : et per consequens Deus neminem absolute, et ex se reprobat, seu intendit ut æterna pœna puniatur, ante prævisam perseverantiam finalem ejus in peccato anterioritate in omni genere causæ, sed dependenter ab illa, necnon a prædicto peccato ut a causa, sive ratione ejus meritoria. Assertio hæc satis videtur expressa in Scriptura. Nam Psal. 29 dicitur : *Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia.* Ubi Cajet. per *vesperum* non intelligit tempus vespertinum, sed tenebras mentis, et peccata. Et ita sensus horum verborum est, quod Deus non det fletum, vel puniat, nec punitionem intendat, quin videat animam prius peccatis obtenebratam ac proinde quin propter illa ut propter causam, sive rationem meritoriam intendat punitionem : siquidem, ut supra dicebamus, pertinet ad suavem Dei providentiam, quod hoc ipso quod intendat punitionem, intendat illam propter peccata usque ad finem vitæ perseverantia, si semel ante talem voluntatem ea prævidit.

Probat ex Scriptura. Psalm 29. Cajet.

Et Apocal. 11 : *Iratæ sunt gentes, et advenit ira tua.* Ubi Rupertus : *Hic est ordo justitiæ divinæ ut nulli irascatur; et velit punire nisi prius fuerit iratus contra Deum, peccando contra illum.* Oseæ 13 : *Occurram eis quasi ursa raptis catulis, et disrumpam interiora*

Apocal. 11. Rupert. Oseæ 13

interiora jecoris eorum. Ursa enim non nisi provocata irascitur, nec appetit vindictam : ita Deus non nisi peccatis provocatus punit, aut punire vult.

19. Et ex Concil. Patribus ac Theologis. Concil. Valent. August. Prosper. D.Thom.

Unde assertionem hanc docent Concilium Valentinum c. 3, August. locis in hoc dubio n. 7 relatis, et lib. ad articulos sibi falso impositos art. 11, Prosper. c. 3 ad cap. Gallorum, D. Thom. super epistolam ad Rom. c. 9 lect. 2 his verbis : *Præscientia peccatorum potest esse aliqua ratio reprobationis ex parte pœnæ, quæ præparatur reprobatis, in quantum scilicet Deus proponit se puniturum malos propter peccata, quæ a se ipsis habent* Et communiter Patres ac Theologi.

Ratio fundamentalis pro assertione.

Ratio autem fundamentalis hujus assertionis tacta est in locis jam citatis. Nam universaliter loquendo inflictio pœnæ necessario præsupponit culpam, et prævisionem ejus, tanquam meritum (ut sic dicamus) in ordine ad illam, ut ex se, et ex communi Theologorum, et sapientum conceptione constat : ergo si loquamur de reprobatione quoad hunc effectum, nempe inflictionem pœnæ, et voluntatis, qua intenditur infligi, dabitur causa meritoria reprobi respectu illius, ac proinde Deus ab æterno non disposuit punire reprobum nisi pro peccato illius.

20. Prior objectio.

Nec refert si objicias primo, quod etsi Deus nullum ex adultis beatificet, nisi propter merita; nihilominus antequam hæc prævideantur tanquam causa, prædestinat illos : ergo quamvis Deus nemini infligat pœnam æternam nisi pro peccatis, poterit ex sola sui voluntate præparare illi prædictam pœnam, ac proinde antequam ea ut causam talis voluntatis prævideat.

luitur.

Respondetur enim concedendo antecedens, et negando consequentiam. Et ratio disparitatis est. Quod inflictio pœnæ æternæ non potest aliquo modo sortiri rationem doni gratuiti, et necessario involvit justitiam vindicativam, et exercitium ejus; quod quidem supponit culpam ut causam illius. Intentio autem efficax dandi gloriam, adhuc per modum coronæ, habet rationem doni gratuiti, ut disp. seq dicemus, quatenus nimirum in signo rationis antecedit præscientiam meritorum. Unde ipsa gloria non solum appellatur in Scripturis corona justitiæ, sed etiam gratia : et propterea non est necesse ut intentio illius supponat prævisionem meritorum, tanquam causam ipsius.

1.

Accedit primo (per quod præcedens discrimen magis explicatur) quod semel dato ipsam intentionem gloriæ, dandæ adhuc per modum coronæ, comparari respectu electorum per modum cujusdam maximi, et valde gratuiti beneficii, ut loco citato ostendemus, non sit eis aliquod injuriæ genus, sed potius maxima gratia in hoc quod tantum donum, quod tanti illis interest, præparetur ipsis, et non ex prævisis eorum meritis. Cæterum cum intentio reprobandi, et infligendi pœnam æternam reprobo non comparetur cum eo per modum beneficii, quod illi intersit, sed per modum cujusdam maximi mali, videtur ei aliquod injuriæ genus quodammodo irrogari in hoc, quod sit in Deo intentio efficax infligendi eidem reprobo tantum malum, et pœnam, et non ex eo quod ipse prævideatur tanto malo dignus propter sua peccata. Ac tandem hoc ipsum cum suavi Dei misericordia, et providentia videtur pugnare. Additamentum primum.

Accedit secundo, quod ut bene notavit Damasc. punitio, et volitio puniendi, est de secundaria intentione Dei : secus vero voluntas eligendi ad gloriam adhuc per modum coronæ. Et propterea Deus non habet illam priorem voluntatem nisi occasione sumpta ex peccatis : secus vero hanc posteriorem. Cæterum hæc omnia infra n. 63 et 65 et disp. 9 n. 99 et 102 magis explicabuntur. Secundum. Damasc.

Nec etiam refert si objicias, Deum ante prævisionem peccatorum velle punire reprobum, ut ostendat justitiam suam : ergo prius vult æternam illius pœnam, quam quod prævideat ejus peccata. Consequentia videtur legitima. Antecedens probatur. Nam finis reprobationis est ostensio justitiæ punitivæ Dei : ergo prius Deus vult punire, quam permittere peccata : quia facta collatione inter punitionem, et permissionem, punitio est medium immediatius ad ostensionem justitiæ punitivæ Dei, quam permissio : et medium immediatius fini debet esse prius volitum : ergo etiam debet velle punire prius quam prævideat peccata siquidem ista sunt posteriora permissione eorum. 22. Secunda objectio.

Respondetur enim distinguendo antecedens : si ly *ante*, dicat antecedentiam in genere causæ finalis, concedendum est : si vero dicat antecedentiam in genere causæ materialis, vel prioritatem subsistendi consequentia, negandum est. Et eodem proportionali modo distinguendum est consequens. Contra quod nihil obest probatio Enodatur.

antecedentis ibidem adjuncta, ut intuenti constabit. Quia solum probat ostensionem divinæ justitiæ, et punitionem esse priorem in genere causæ finalis, quam permissionem peccati; non vero quod peccatum ipsum, imo et quodammodo, ac reductive ipsa permissio non sint prius in genere causæ materialis, et meritoriæ, seu in genere meriti mali, quam punitio. Peccatum quidem, quia est materia, et id ratione cujus punitio debet versari erga homines: permissio vero quatenus se tenet ex parte peccati ut conditio omnino requisita ad illud, ut se habet per modum causæ meritoriæ. Unde non sequitur quod punitio sit volita prius prioritate subsistendi consequentia, seu prioritate *in quo* adhuc rationis, quam sit prævisum peccatum : quod sufficit ad hoc ut salvetur, Deum non velle punire nisi ex suppositione peccati, suppositione quidem in genere causæ materialis, et meritoriæ.

23. Elucidatur solutio. Potestque hoc explicari exemplo Incarnationis supra tacto, quæ in genere causæ finalis fuit prius volita, quam ordo naturæ. Cæterum quia hæc prioritas non fuit prioritas subsistendi consequentia, seu prioritas *in quo* adhuc secundum rationem, sed solum prioritas causalitatis : et quia ipsum peccatum ut materia circa quam debet versari redemptio fuit prius, ac proinde habuit prioritatem in genere causæ materialis respectu illius, ideo Incarnatio non fuit volita nisi præviso peccato, et in remedium ipsius.

Corollarium. Ex quibus omnibus fit, idem dicendum esse de permissionibus posterioribus (excepta prima) eorum peccatorum, propter quæ reprobus damnatur. Quoniam istæ non decernuntur a Deo nisi post prævisum primum peccatum, primamque permissionem : et ratio est. Quoniam permissiones posteriores dantur in pœnam peccati præcedentis : et ideo ad Rom. 1 dicitur : *Propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum, et in passiones ignominiæ.* Videatur D. Thom. ibidem et 1 art. 2 q. 87 art. 2 et q. 79, 3 ad 1.

Ad Rom. 1. D. Thom.

§ V.

Assertio secunda.

24. Secunda conclusio. Dicendum est secundo, quod si loquamur de reprobatione quoad voluntatem excludendi a regno, non quidem prout talis exclusio habet rationem pœnæ, sed prout dicit adhuc positivam denegationem illius, ut est beneficium quoddam indebitum, tunc non datur causa illius ex parte reprobi, ac proinde Deum intendere excludere reprobos a regno ante prævisa eorum peccata, seu independenter ab eorum prævisione, et non propter illa ut propter causam meritoriam prædictæ voluntatis. Diximus : *ac proinde Deum intendere* etc. Quia in hoc dub. non loquimur de voluntate Dei, qua ordine executionis vult punire, aut excludere a regno; sed de voluntate horum ordine intentionis sumpta. Assertio hæc aperte colligitur ex testimonio illo Scripturæ ad Roman. 9 : *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est : Jacob dilexi, Esaü autem odio habui*, quod disp. 9 n. 23 et deinceps agentes de electione ad gloriam ante prævisa merita perpendemus. Ad Rom. 9.

Et eam sicut etiam priorem docuit D. Thom. in 1 ad Anibaldum dist. 41 q. unic. art. 3. Nam initio hujus articuli sibi objicit : Tum, Deum reprobare ex justitia : justitiam autem habere respectum ad opera nostra : et per consequens præscientiam nostrarum operationum, esse causam reprobationis. Tum etiam, voluntatem, præcipue Dei, non esse nisi de bono : sed reprobatio, et voluntas damnandi non est bonum nisi ex ordine ad meritum præcedens : ergo præscientia operationum est causa reprobationis. Tum denique, injustitiam esse ex parte voluntatis, si Deus vult damnationem alicujus absque prævisione præcedentis culpæ. Probatur auctoritate divi Thom.

Cum igitur sanctus Doctor hæc tria sibi objecisset, occurrit in hæc verba : *Respondeo dicendum, quod voluntati divinæ de salute hominis, duplex voluntas opponi videtur, scilicet voluntas de contradictorio, secundum quod vult, aliquem non salvare : et voluntas de contrario, secundum quod vult damnare aliquem. Prima quidem voluntas non requirit aliquam rationem ex parte voliti : cum salus gloriæ non sit debitum humanæ naturæ. Non enim requiritur ratio, quare non dem alicui, cui dare non debeo. Sed voluntas damnationis respicit rationem volili in damnato : cum damnatio ex debito inferatur. Quia finis damnationis est Dei justitia, detrimentum autem damnationis ex parte nostra, non solum sunt opera mala hujus, vel illius, sed etiam naturæ infectio. Reprobatio ergo, quæ utramque prædictarum voluntatum includit, habet* (intellige quoad posteriorem rationem) *causam quasi finem, divinam justitiam : habet vero quasi rationem volili non de necessitate præscientiam operationum :*

operationum : sed ad hoc sufficit præscientia infectionis naturæ. Et per hoc patet solutio ab objecta Nam primæ rationes (scilicet tres memoratæ) *concludunt quod reprobatio habeat pro ratione voliti præscientiam operationis, vel cujuscumque, ex quo juste damnatio sequatur.*

25. Angel. Doct. Idem etiam docet sanctus Doctor art. 5 hujus q. in solutione ad 3 ubi postquam in Dei voluntatem refudit quod aliqui prædestinentur, et alii reprobentur, addidit : *Neque tamen propter hoc est iniquitas apud Deum, si inæqualia non inæqualibus præparat. Hoc enim esset contra justitiæ rationem si prædestinationis effectus ex debito redderetur, et non daretur ex gratia. In iis enim, quæ ex gratia dantur, potest aliquis pro libito suo dare cui vult plus, vel minus, dummodo nulli subtrahat debitum absque præjudicio justitiæ. Et hoc est, quod dicit pater-familias Matth.* 20 : *Tolle quod tuum est, et vade : an non licet mihi quod volo facere?* Quod etiam docuit idem sanctus Doctor ad Rom. 9 lect. 3 et alibi sæpe

26. Ratio fundamentalis pro assertione. Ratio autem fundamentalis hujus assertionis adducta est a D. Thom in verbis citatis. Quoniam denegatio beneficii indebiti, quatenus talis est, non fit, ut est sub hoc conceptu præciso, ob demerita ejus, cui denegatur, alioqui illa denegatio non haberet puram rationem denegationis indebiti, sed etiam rationem pœnæ : ergo exclusio a regno beatitudinis ordine intentionis considerata, ut præcise dicit denegationem illius per modum beneficii indebiti, et voluntas talis exclusionis, non fit prævisione demeritorum, et dependenter ab illis : ac proinde respectu illius non datur causa meritoria ex parte reprobi.

27. Prima objectio. Nec refert si objicias primo, quod etsi Deus nulla facta suppositione, aut promissione, nulli debeat suum regnum; nihilominus supposita elevatione, qua omnes homines in supernaturalem beatitudinem elevavit, quodammodo constituit se ipsum debitorem conferendi eis prædictum regnum, nisi per ipsos steterit, ex eo quod graviter contra Deum delinquant : ergo in illo priori antequam prævideatur peccatum, non potest denegare regnum per modum indebiti beneficii. Consequentia videtur legitima. Antecedens autem etiam constat. Quia hoc ipso quod omnes homines in supernaturalem beatitudinem elevavit, voluit, quantum est ex se, illos salvare, ac proinde conferre illis regnum, nisi per ipsos steterit, seu nisi ipsi impedimentum peccando præstiterint.

Solutio. Respondetur enim. Quod ex hoc quod Deus omnes homines ad supernaturalem beatitudinem elevaverit, non ideo constituit se quodammodo debitorem perducendi omnes illos in vitam æternam, sed tantum aliquos ex ipsis, ut disp. 1 dub. 2 diximus. Et ad probationem in contrarium dicendum est, quod ex vi illius voluntatis, qua Deus voluit omnes homines salvos fieri, tantum habetur, quod considerata beatitudine secundum se, et ut præcisa ab aliis circumstantiis, voluit Deus voluntate antecedente, illam omnibus conferre ; non tamen attentis aliis circumstantiis : istæ autem non solum sunt demerita hominum, sed vel quod oppositum, nempe non conferre illam aliquibus, sit conveniens ad ostensionem divinæ justitiæ, vel misericordiæ erga electos : vel ad ostendendum quomodo prælicita beatitudo est donum gratiæ, nulli in particulari debitum : et propterea illa voluntas antecedens includit has tacitas conditiones, et plures alias : et ita etiam ante prævisionem peccatorum potest Deus denegare aliquibus in particulari suam beatitudinem, propter hanc adjunctam circumstantiam, nimirum, quia judicat, esse conveniens ostendere, quomodo beatitudo illa sit indebita cuilibet homini in particulari.

28. Secunda. Nec etiam refert si secundo objicias, non esse composibiles has duas voluntates, nimirum quod Deus deneget alicui beatitudinem per modum beneficii indebiti, et simul deneget illam per modum pœnæ post prævisa peccata : ergo assertio hæc secunda non cohæret cum priori. Antecedens probatur. Quoniam denegare alicui beneficium per modum beneficii indebiti, est denegare illud non ex demeritis : et denegatio prædicti beneficii per modum pœnæ, est denegatio ejusdem ex demeritis : ergo hæ duæ voluntates non cohærent inter se.

Evertitur. Respondetur enim negando antecedens. Et ad probationem distinguendum est antecedens : *Non ex demeritis*, idest, præscindendo a demeritis quantum est ex vi illius conceptus, concedendum est : *Non ex demeritis*, idest, negando, et excludendo illa adhuc concomitanter, negari debet. Nam sicut quod aliquid non debeatur alicui, non tollit quo minus possit simul illud demereri, ita quod aliquid denegetur per modum indebiti beneficii, non aufert quod simul denegetur alio titulo, nempe ob demerita, et per modum pœnæ.

§ VI.

Fit obviam argumentis primæ sententiæ ex testimoniis Scripturæ et Patrum petitis.

29. Ad primum oppositæ sententiæ desumptum ex testim. Scripturæ.

Ad primum ex testimoniis Scripturæ desumptum, respondetur, in illis tantum denotari, quod reprobatio quoad punitionem, et voluntatem illius, non detur nisi dependenter a peccato in genere causæ materialis, et post prævisionem illius, ac proinde, quod non sit prior prioritate *in quo* adhuc secundum rationem, quam peccatum, et prævisio illius. Quamvis cum hoc stet, quod eadem punitio, non quidem quatenus est malum, et pœna reprobi, sed ut conducit ad bonum universi, et ad ostensionem justitiæ divinæ, sit volita in ordine ad nostros conceptus, independenter a peccato ut a causa meritoria. Quia ad punitionem sic sumptam, non habet (ut sic dicamus) Deus, modo alibi tacto, quasi excitari ex peccatis, sed modo etiam ibidem insinuato, ex bonitate, et perfectione universi, necnon ostensionis suæ justitiæ. Licet non possit tunc velle prædictam pœnam, propter ostensionem v. g. suæ justitiæ, nisi simul eamdem, quatenus est pœna reprobi, velit dependenter ab ejus malis meritis, sive peccatis, ut a causa meritoria.

30. Ad primam confirmationem.

Ad primam confirmationem negandum est antecedens. Et ad probationem dicendum est, quod etsi Deus reprobet, modo dicto in secunda assertione, ante prævisa demerita, optime stat, quod expectet ut misereatur nostri. Quia patienter sustinet peccatores, ut convertantur : nec statim eos in gehennam tradit, sed tribuit auxilia sufficientia, quibus possint converti. Sicut etiam verificatur, quod non debuit ultra aliquid facere : siquidem, etsi deneget auxilia efficacia, necnon et regnum : denegat tamen illa tanquam quid indebitum. Et tandem illud 2 Petri 3. 2 Petri 3 : *Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*, optime etiam salvatur. Siquidem non obstante, quod reprobet aliquos voluntate consequente, habet tamen voluntatem antecedentem salvandi omnes.

Ad secundam confirmationem. Concil. Valent.

Ad secundam confirmationem, patet etiam ex dictis Concilium Valentinum loqui de reprobatione quoad damnationem, et pœnam, et voluntatem illam infligendi, et propterea ibidem concluditur : *In damnatione autem perniciosorum meritum malum præcedere justum Dei judicium.*

31.

Ad secundum principale ex testimoniis Augustini coalescens, respondetur, Augustinum in tribus prioribus testimoniis loqui de reprobatione quoad damnationem, et pœnam, et quoad voluntatem infligendi illam : et in duobus sequentibus solum velle, reprobationem non esse sine demeritis. Et tandem in aliis testimoniis ibidem relatis loquitur etiam de reprobatione quoad pœnam. Adde, Augustinum multoties solum velle, peccatum originale fuisse causam, quoad sufficientiam, et modo statim explicando, in ordine ad reprobationem : non tamen actu assumptum fuisse ad illam per modum causæ meritoriæ; sed potius permissionem talis peccati fuisse, juxta ea, quæ n. 36 in hoc eodem dub. dicemus, effectum reprobationis in iis, qui propter illud damnantur. Unde hoc etiam modo potest intelligi D. Thom. dum in q. 6 de Verit. art. 2 ad 9 ait quod secundum August. peccatum originale est ratio reprobationis.

Ad secundum ex testimoniis Augustini.

D. Thom.

Ad tertium ex testim. Prosperi et Fulgentii.

Ad tertium ex Prosperi testimoniis petitum patet ex dictis. Unde cum inquit, quod homines mali, quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati etc. et alia his similia, loquitur de non prædestinatione, prout est idem ac reprobatio : et de eadem reprobatione quoad pœnam, et voluntatem, eam infligendi.

Ex quo etiam ad id, quod ex sancto Fulgentio ibidem adducitur, satis constat.

Ad quartum ex testimon. D. Thomæ.

Ad quartum ex Angelici Doctoris authoritate depromptum, eodem modo dicendum est, quod in illo cap. 9 super epist. ad Rom. lection. 3 loquitur de non liberatione, contrarie sumpta, prout dicit deputationem ad pœnam æternam, et respectu eorum, qui propter originale damnantur. Circa hos autem certum est, Deum esse justum : ex eo quod propter prædictum peccatum æternaliter eos punit.

32. Ad confirmationem.

Ex quo ad confirmationem ex eodem Angelico Doctore desumptam, dicendum est, eum in duobus prioribus testimoniis loqui de reprobatione quoad pœnam, et de justo judicio Dei quoad illam. Ad tertium vero testimonium ibidem adductum, constabit ex iis, quæ in hoc eodem dub. ad secundum ex ratione petitum, dicemus.

Secunda solutio inter arguendum data admittitur et defenditur.

Ex quo fit secundam solutionem ibidem inter arguendum insinuatam esse admittendam. Et ad impugnationem, neganda est major. Quia saltim ordine intentionis carentia illa gloriæ, ut a Deo intenta per modum exclusionis a regno ut sub illo præciso conceptu jam dicto, non intelligitur habere rationem pœnæ. Adde, falsum esse id, quod ibidem supponitur,

supponitur, scilicet illam voluntatem antecedentem salvandi omnes, esse ante voluntatem efficacem salvandi electos præ aliis non electis, ac proinde ante voluntatem excludendi non electos a regno ut est beneficium indebitum. Quia re vera talis voluntas est post præelectionem efficacem, qua prædestinati præ reprobis electi sunt : ex eo quod prædicta voluntas antecedens est, quasi effectus imperatus electionis prædestinatorum præ reprobis : sicut et auxilia sufficientia inde derivata, sunt effectus imperati ejusdem electionis, ut supra disp. 4 n. 61 diximus.

acitæ bjec- tioni curri- tur.

Unde (ut per hoc tacita quædam objectio solvatur) voluntas mittendi Redemptorem, non oritur imperative a voluntate salvandi omnes, sed a voluntate glorificandi Christum, ut Redemptorem. Quia voluntas salvandi homines non est finis *cujus gratia* ad quem ordinetur Christus, sed potius e contra res se habet.

§ VII.

Respondetur fundamentis primæ sententiæ ex ratione desumptis.

33. Ad ima n ionem positæ nten- tiæ.

Ad primum distinguenda est major : *Reprobare aliquem, est odio illum habere*, prout odium præcise dicit inflictionem mali formaliter talis, seu pœnæ, et voluntatem illius, ita ut sensus illius sit, quod ad hoc tantummodo extenditur reprobatio, neganda est : *Reprobare aliquem, est odio illum habere*, prout odium dicit tam inflictionem pœnæ, et voluntatem illius, quam denegationem indebiti beneficii, nempe gloriæ, et gratiæ efficacis ad vitandum peccatum, propter quod reprobus damnatur, concedenda est. Et deinde distinguenda est minor : et concedenda de odio, prout dicit inflictionem mali, et pœnæ, et voluntatem illius : neganda vero de odio, prout dicit denegationem indebiti beneficii, sive voluntatem illud denegandi. Et tandem distinguendum est consequens primæ consequentiæ : et concedenda est consequentia, intellecta de reprobatione quoad pœnam : et neganda de eadem ut dicit denegationem indebiti beneficii, etc.

34. Ad nfir- atio- em.

Ad confirmationem negandum est antecedens, juxta dicta. Quia non dedecet divinam bonitatem ut deneget sua dona indebita, quoties, et quibus voluerit, etiamsi in illo priori non intelligeretur prævidere aliqua demerita, quæ sint actu causa meritoria talis denegationis : et ita tunc non reprobat deputando ad pœnam, sed denegando id, quod non debet. Nec est contra divinam justitiam, quod hoc modo reprobet, dummodo quoad secundam partem ejusdem reprobationis, nimirum quoad pœnam, et voluntatem infligendi eam, ita se habeat, ut saltim quoties voluerit procedere per modum ordinarii judicis, non habeat voluntatem puniendi, nisi propter prævisionem peccati.

35. Ad secun- dam ratio- nem.

Ad secundum concesso antecedenti de præsuppositione peccati originalis in genere causæ materialis, neganda est consequentia in sensu jam dicto, et intellecta de causa actualiter influente, non vero de sola causa quoad sufficientiam. Et ad probationem concedendum est reprobationem hominum supponere prædestinationem aliorum hominum, et ad hanc supponi prædestinationem Christi, et tandem istam supponere peccatum originale, non quidem ut actu, et in exercitio opponitur gratiæ Redemptoris seu redemptivæ, et gloriæ ei correspondenti, eamque actu excludit, sed ut est morbus naturæ, et ut opponitur justitiæ originali, et ad summum in actu signato, et quoad sufficientiam gratiæ Redemptoris, ac proinde reprobationem hominum supponere peccatum originale, secundum istam rationem ultimam sumptum. Cæterum hinc non fit, prædictum peccatum originale esse causam reprobationis actu in eam influens, quoad integrum ejus effectum, bene tamen influens quoad sufficientia. Quia ad illud prius requirebatur, ut præsupponeretur ad illam secundum quod actu, et in executione opponitur gratiæ Redemptoris efficaciter ordinatæ in gloriam, necnon, et gloriæ ei correspondenti, actuque, et in exercitio exclu lit.

36. Eluci- datur solutio.

Explicatur hoc. Etenim licet peccatum originale, quod, modo dicto, in illo priori præcessit, et fuit prævisum, habuerit etiam esse causam sufficientem reprobationis omnium hominum, non tamen pro illo priori de facto fuerunt aliqui ex hominibus propter illud reprobati. Nam sicut juxta valde probabilem sententiam gratia Adæ in statu innocentiæ prout sic, non intelligitur esse ex meritis Christi, neque consequenter effectus prædestinationis Adæ, siquidem prout sic non intelligebatur efficaciter ordinata ad gloriam ejus : bene tamen eadem gratia, secundum quod fuit reparata per Christum, ut disp. 4 n. 25 diximus, ita similiter peccatum originale, præcise se-

cundum quod intelligebatur opponi statui innocentiæ, et justitiæ originali, neque fuit actu, et in exercitio causa reprobationis alicujus, neque dicebat ordinem ad reprobationem, actu et in exercitio habitam; sed solum consideratur in illo priori tanquam morbus naturæ, et causa ex se sufficiens reprobationis per modum meriti, et occasionis, in cujus remedium prædestinatus est Christus Dominus. Unde secundum quod præinteHigitur ante prædestinationem aut reprobationem hominum, non fuit prævisum de facto ut actualis causa reprobationis. Non secus, proportione tamen servata, ac idem peccatum originale, collatum cum Incarnatione, est sufficiens ad demerendum illam; et tamen non supponitur ad eam per modum causæ meritoriæ actu influentis : alioqui potius impediret, quam (ut sic dicamus) conduceret ad eamdem Incarnationem. Si vero consideretur idem peccatum, secundum quod opponitur modo insinuato, gratiæ Redemptoris, sic intelligitur posterius quodammodo reprobatione eorum, qui propter illud peccatum damnantur : et per consequens permissio talis peccati sub hac consideratione, vere fuit effectus reprobationis.

37. Alia ejusdem argumenti solutio ex Bannezio.

Ex quo etiam aliter respondetur ad idem argumentum cum Bannez in præsenti q. art. 5 negando consequentiam factam de primo ad ultimum. Quia non procedit in eodem genere causæ. Etenim reprobatio præsupponit prædestinationem Christi in genere causæ finalis, hoc est, totus effectus reprobationis præsupponit effectum prædestinationis Christi in genere causæ finalis. Et rursus effectus prædestinationis Christi præsupponit aliquem effectum reprobationis in genere causæ materialis, circa quam exercendus erat. Erat enim prædestinatus ut esset Salvator, et Redemptor hominum peccatorum : et ideo præsupponuntur homines peccatores permittente Deo. Et ita consequentia illa, intellecta de reprobatione ut est exclusio a regno per modum indebiti beneficii, non valet. Quia non procedit in eodem genere causæ; sed ab uno ad aliud genus causæ fit transitus.

38. Ad primam confirmationem.

Ad primam confirmationem negandum est antecedens, si intelligatur de permissione peccati originalis, prout opponitur, modo nuper insinuato, gratiæ Redemptoris. Et ad probationem dicendum est, quod quamvis unius peccati non sit nisi una dumtaxat permissio secundum rem; bene tamen duplex permissio secundum rationem. Nam sicut unum, et idem peccatum potest considerari, ut præcise opponitur justitiæ originali, et secundum quod opponitur gratiæ Redemptoris, ita potest respectu illius dari duplex permissio, virtualiter, sive secundum rationem distincta. Ex quibus prior illa permissio, intelligitur esse ante reprobationem, posterior vero est effectus illius.

39. Ad secundam confirmationem.

Ad secundam confirmationem respondetur, quod etsi demus, Deum potuisse reprobare propter peccatum originale quoad omnes effectus reprobationis : et hoc fuisse decens divinæ bonitati; nihilominus quia oppositum ob alios fines Deum decet, ideo quoad omnes præ lictos effectus non reprobavit homines propter originale. Nec hinc fit, posse vel apparenti colore homines de Deo conqueri : siquidem in exclusione a regno per modum indebiti beneficii, et denegatione gratiæ efficacis nulli fit injuria : quandoquidem nec regnum cœleste, nec gratia efficax sunt debita.

Secundo principaliter, et satis consequenter ad ea, quæ juxta nostram sententiam diximus, respondetur, tum ad hoc secundum argumentum, tum etiam ad ejus confirmationes. Ad argumentum quidem distinguendo primam partem antecedentis : *Supponit præscientiam peccati originalis*, tanquam alicujus, quod saltim secundum aliquid sui, solum sit prius in genere causæ materialis, prout genus hoc præcise dicit materiam *circa quam*, concedenda est, quia re vera prædicta reprobatio præsupponit præscientiam peccati tanquam alicujus, quod saltim, secundum aliquid sui, est prius in prædicto genere causæ, quatenus præsupponit prædestinationem Christi Redemptoris, in quo involvitur dependentia a peccato ut a materia *circa quam* : *Supponit præscientiam peccati originalis*, tanquam alicujus, quod sit prius in genere causæ meritoriæ, quæ ad speciale aliud genus causæ materialis solet reduci, vel in genere causæ finalis, aut efficientis, neganda est, juxta dicta, nempe de reprobatione, ut dicit voluntatem illam excludendi a regno. Et deinde negari debet idem antecedens quoad secundam ejus partem, scilicet peccatum originale esse causam sufficientem meritoriam reprobationis ut dicit prædictam voluntatem excludendi a regno. In quo sensu debet intelligi hæc posterior pars antecedentis, ut aliquid contra nos probet.

Secundo principaliter, et satis ejusdem argumenti

Nec contra hæc aliquid convincit probatio antecedentis. Nam concesso quod reprobatio 40.

Ad probationem antecedentis.

probatio hominum supponit prædestinationem in genere causæ finalis, et ex parte objecti, et quod hæc supponit etiam in eodem genere causæ prædestinationem Christi, ac tandem quod prædestinatio Christi supponit peccatum originale per modum materiæ *circa quam*, seu in cujus remedium Christus venit, negandum est hinc fieri, reprobationem hominum secundum considerationem dictam supponere peccatum originale per modum causæ meritoriæ, de qua in præsenti fit sermo (siquidem ut est voluntas excludendi a regno per modum indebiti beneficii sumpto, non pendet a meritis) sed supponere illud, modo insinuato, per modum materiæ *circa quam*, quatenus prædicta reprobatio supponit prædestinationem Christi Redemptoris, ac proinde peccatum originale ut requisitum per modum materiæ *circa quam*, ad prædictam redemptionem. Et ita concesso, in sensu dicto, antecedente hujus probationis, neganda est consequentia, si consequens intelligatur de causa per modum meriti, et de reprobatione, ut dicit prædictam intentionem excludendi a regno.

Et ratio est. Quia fit transitus ab uno in aliud genus causæ : ita ut ex eo quod peccatum originale sit prius quam prædestinatio, et reprobatio in genere objecti, sive materiæ *circa quam*, colligatur esse prius illa in genere causæ materialis, non qualiscumque, sed dispositivæ, et meritoriæ : qui modus argumentandi solet esse vitiosus. Nam cum diversæ prioritates nihil sint aliud, quam diversæ causalitates, fit inde, ut sicut ex eo quod aliquid causet in uno genere causæ, non semper soleat recte colligi quod causet in alio genere, ita neque ex eo quod aliquid sit prius in uno genere causæ, solet semper recte colligi debere esse prius in alio genere : siquidem potest contingere quod habeat conditiones requisitas ad prioritatem, et causalitatem in uno genere, non vero in altero, sicut in præsenti contingit, ut ostensum est.

41. Secunda solutio primam confirmationem.

Ad primam confirmationem negandum est antecedens, loquendo in iis, in quibus peccatum originale non fuit remissum. Et ad probationem transeat major : sed distinguatur minor : *Peccatum originale intelligitur permissum, et futurum antequam intelligatur reprobatio*, anterioritate in genere causæ materialis, seu materiæ *circa quam*, et in sensu super dicto, transeat minor : anterioritate in genere causæ finalis, aut meritoriæ, aut secundum aliam rationem, et modum causandi, vel in genere causæ efficientis, neganda est, si intelligatur de reprobatione ut dicit voluntatem seu intentionem excludendi a regno jam explicatam. Et deinde negari etiam debet consequentia. Quia permissio prædicti peccati oritur ex ipsa reprobatione tam in genere causæ efficientis quam in genere causæ finalis, quatenus aliquo l objectum, seu effectus reprobationis, est finis prædictæ permissionis.

42. Elucidatur solutio.

Declaratur hoc. Etenim in hoc distinguitur justitia originalis a permissione peccati, qua amissa est, quod licet justitia originalis sit posterior prædestinatione Christi Domini in genere causæ finalis ; nihilominus Christus non fuit causa meritoria illius. Cæterum permissio prædicti peccati non solum fuit posterior prædestinatione Christi in genere causæ finalis, quatenus propter Christum, et ejus gloriam permissum est; verum etiam fuit effectus quodammodo meritorum Christi : non quidem ita ut merita ista fuerint causa positiva illius secundum se sumptæ; sed quia fuerunt causa negativa prædictæ permissionis : quatenus ex eo quod Christus non applicuit sua merita in ordine ad hoc ut tribueretur auxilium efficax, per quod vitaretur peccatum, et non daretur permissio illius, ortum quodammodo habuit prædicta permissio, et denegatio auxilii efficacis.

Unde cum permissio ista supponat Christum Dominum tam in genere causæ finalis quam in genere causæ efficientis et meritoriæ in sensu explicato, potuit esse, et de facto fuit effectus prædestinationis Christi, et aliorum hominum, nec non effectus reprobationis eorum, qui propter prædictum peccatum damnantur : siquidem ea quæ supponunt Christum, et ejus merita tam in genere causæ finalis, quam in genere causæ meritoriæ, sunt effectus prædestinationis, necnon et reprobationis, si fuerint permissiones illorum peccatorum, propter quæ reprobi damnantur; ita quidem ut reprobatio ex parte objecti quasi per se primo intenti in collatione ad alia, quæ sub eadem cadunt, sit causa finalis illius, et ratione actus reprobationis habeat esse causam quodammodo efficientem respectu ejusdem. Quamvis cum hoc stet quod peccatum illud permissum, sit prius in genere causæ materialis, prout genus istud præcise dicit prioritatem per modum materiæ *circa quam* in sensu explicato : et per consequens etiam ipsa permissio, ut se tenet ex parte peccati, et est quid requisitum ad illud ut habet se

per modum materiæ *circa quam*, est etiam prior saltim reductive in hoc eodem genere causæ : non tamen, ut dictum est, peccatum ipsum potest esse prius in genere causæ materialis, et dispositivæ, seu in genere causæ meritoriæ respectu reprobationis, ut dicit voluntatem seu intentionem excludendi a regno, quatenus est beneficium indebitum, ut in solutione ad secundum argumentum modo dicebamus.

Secunda solutio ad secundam confirmationem.

Ad secundam vero confirmationem patet ex dictis, quomodo Deus, saltim secundum communem cursum, non potuerit homines reprobare, seu habere intentionem excludendi illos a regno, ut habet rationem indebiti beneficii propter peccatum originale eorum, ita ut prædictum peccatum sit causa meritoria illius.

43. Ad tertiam rationem oppositæ sententiæ.

Ad tertium concedendum est antecedens, et neganda consequentia. Et ad probationem neganda est major. Quoniam voluntas antecedens de largiendo aliquo bono, et voluntas consequens de eo denegando versantur circa diversa objecta formaliter sumpta : secus vero duæ voluntates antecedentes, quarum una sit largiendi, alia vero denegandi aliquod bonum, ut in tract. de Voluntat. Dei disp. 9 n. 21 et 23 diximus : et ideo istæ sunt incomposibiles; secus vero illæ, ut ibidem explicuimus.

DUBIUM II.

Utrum detur causa reprobationis quoad primam permissionem primi peccati cum effectu conducentis ad æternam damnationem reprobi?

44. Explicatio tituli.

Postquam explicuimus, an Deus ex prævisis meritis malis, intendat excludere reprobos a suo regno, ut habet rationem indebiti beneficii? et an etiam intendat æternam eorum damnationem ante eadem merita prævisa? ac proinde an detur causa meritoria (modo in explicatione tituli dubii præcedentis tacto) respectu harum voluntarum? restat ut explicemus, an ante prævisa aliqua demerita, seu independenter ab eorum prævisione habeat Deus voluntatem, qua velit primam permissionem primi peccati cum effectu conducentis ad æternam damnationem reprobi? et per consequens an etiam neganda sit causa meritoria ex parte reprobi respectu talis permissionis?

Hoc autem dubium alii aliis verbis illud excitant, nimirum an detur causa meritoria ex parte reprobi, respectu primi effectus reprobationis? Vel an detur ex parte ejusdem reprobi causa meritoria omnium effectuum reprobationis? Cæterum omnes isti inquirendi modi in idem, vel fere in idem redeunt. Nam primus effectus reprobationis ab ea quasi elicitus, nihil est aliud, quam prima permissio primi peccati efficaciter, seu cum effectu conducentis ad damnationem reprobi : et hoc ipso quod detur causa prædictæ permissionis, dabitur etiam causa reliquarum permissionum necnon et aliorum effectuum reprobationis, quæ habent quasi elici intra suam lineam ab eadem reprobatione, de quibusque solet inquiri, an detur causa ex parte reprobi omnium illorum? ut constat ex iis, quæ dubio præced. diximus, et ex iis quæ art. 5 disput. 10 num. 3 dicemus.

Alii inquirendi modi in idem coïncidunt

45. Animadversio.

Diximus, quod primus effectus reprobationis ab ea quasi elicitus est prima permissio primi peccati cum effectu conducentis ad damnationem reprobi. Nam reprobatio habet aliquos effectus quasi elicitos, idest, circa quos proxime versatur, et non mediante alia parte objectiva divinæ providentiæ : et inter hos connumeratur prima permissio primi peccati jam dicta per modum primi effectus ejusdem reprobationis. Alii vero sunt effectus quasi imperati ipsius, idest, qui procedunt ab illa remote, ex eo quod quasi applicat aliam partem objectivam divinæ providentiæ, ad illos proxime in suo ordine causandos : et hoc modo ipsa substantia reprobi dicitur effectus reprobationis, non quidem quia proxime ab illa intra suam lineam causetur : sed quia quasi applicat providentiam naturalem, ad hoc ut ipsi quasi deserviat respectu finis illius, in ordine ad quem diriguntur media per eamdem reprobationem. Non secus ac etiam prædestinatio habet suos effectus quasi elicitos, ut vocationem, justificationem, et glorificationem : et alios quasi imperatos, qualis est substantia v. g. prædestinati, et alii, qui proveniunt ab aliqua alia parte divinæ providentiæ quasi applicatæ ab eadem prædestinatione ad hoc ut ipsi deserviat respectu finis, in ordine ad quem eadem prædestinatio sua media dirigit, et ordinat.

§ I.

Proponitur prior sententia.

46

Partem affirmantem tuentur plures ex Doctoribus, quos dubio præced. retulimus. Probatur

Probatur primo. Nam in pluribus ex prædictis testimoniis ibidem allatis, non utcumque dicitur homines reprobari propter peccata; sed constituitur discrimen inter prædestinationem, et reprobationem, quod illa non fit propter merita, secus vero ista: at hoc discrimen nequit subsistere, nisi verum sit dari causam primi effectus reprobationis, seu permissionis primi peccati jam dictæ: ergo, etc. Consequentia cum majori patet. Minor autem probatur. Quoniam etiam prædestinatio quoad aliquem ejus effectum, nimirum collationem gloriæ, necnon quoad effectus intermedios datur in executione propter meritum: et ita unus effectus prædestinationis, nempe meritum, est causa v. g. prædicti effectus ultimi, nimirum collationis gloriæ: ergo ut subsistat discrimen positum inter prædestinationem et reprobationem, oportet ut ex parte nostra non detur causa primi effectus prædestinationis (et propterea, ut ex infra dicendis constabit, absolute, et simpliciter nullam habet causam) cum tamen detur causa ex parte reprobi respectu primi effectus suæ reprobationis.

Confirmatur. Tum quia in Tridentino ses. 6 de justificat. c. 11 sic dicitur: *Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur*. Si autem prima permissio peccati non esset propter peccatum in genere causæ materialis dispositivæ, et meritoriæ ad illam præsuppositum, et ad eamdem in alio genere causæ, modo tamen infra explicando, subsecutum, non posset verificari quod Deus semel justificatos non deserit, nisi prius ab illis deseratur: siquidem ipsi non nisi suo peccato illum deserunt. Tum etiam: quia id significavit D. Thom. 1 p. q. 94 art. 4 ad 5. Ubi inquit, quod in tentatione non est subventum Adæ, quia jam præcesserat peccatum in animo, et ad divinum auxilium recursum non habuit. Constat autem ibidem fieri sermonem de prima permissione peccati Adæ. Tum denique: quia idem sanctus Doctor, 2, 2 q. 2 art. 5 ad 1 ait, quod auxilium gratiæ quibuscumque divinitus datur, misericorditer datur: quibus autem non datur, in pœnam præcedentis peccati non datur saltim originalis.

Secundo. Nam peccatum illud, quod in prima permissione committitur, seu primum peccatum cum effectu conducens ad damnationem reprobi, habet requisita ad hoc ut sit causa ejusdem primæ permissionis: ergo, etc. Antecedens probatur. Nam in genere causæ materialis præsupponitur prædictum peccatum tali permissioni. Tum, quia est id circa quod versatur permissio. Tum etiam: quia peccatum illud opponitur gratiæ efficaci, per quam vitandum erat, et per consequens positio illius peccati disponit in genere causæ materialis ad carentiam talis gratiæ, in qua consistit permissio: ergo poterit esse causa respectu prædictæ permissionis, seu respectu denegationis, et carentiæ gratiæ efficacis. Patet consequentia. Quia ideo peccatum respectu reprobationis ex parte pœnæ sumptæ, habet esse causam, quia præsupponitur in genere causæ materialis, et dispositivæ in ordine ad illam: ergo si hoc eodem modo præsupponitur ad permissionem, qua permittitur, erit causa respectu illius.

49. Confirmatur primo.

Confirmatur primo. Nam quod permissio primi peccati, et peccatum ipsum sint simul in eodem instanti, nihil obest ad hoc ut peccatum illud sit causa meritoria talis permissionis: ergo sicut prædictum peccatum potest esse causa meritoria aliarum permissionum, ita et permissionis, qua permittitur. Consequentia videtur legitima. Antecedens autem probatur. Quoniam in eodem signo, in quo Deus ab æterno decrevit punire reprobos propter sua peccata, habuit voluntatem permittendi peccata; et nihilominus ista fuerunt causa reprobationis ex parte pœnæ, et intentionis infligendi illam, ex eo quod in genere causæ materialis ad utrumque præsupponebantur: ergo etiamsi in eodem instanti sint simul permissio primi peccati, et peccatum ipsum; nihilominus hoc poterit esse causa permissionis, qua permittitur, ex eo quod semper præcedit illam in genere causæ materialis.

Confirmatur secundo. Quoniam illa prima permissio est malum respectu hominis: siquidem ea posita, infallibiliter sequitur peccatum: at non est malum culpæ, cum talis permissio sit a Deo: ergo erit malum pœnæ: ac proinde peccatum illud erit causa meritoria ipsius: quandoquidem certum est pœnam non infligi nisi propter meritum culpæ. Confirmatur secundo.

§ II.

Expeditur difficultas hujus dubii.

50. Conclusio.

Dicendum tamen est, reprobationem, quantum ad primam permissionem primi peccati efficaciter conducentis ad damna-

tionem reprobi, non habere causam meritoriam ex parte ejusdem reprobi. Assertio
Probatur ex Scriptura. hæc videtur innui a Paulo ad Rom. 9 : *An non habet potestatem figulus luti ex eadem*
Rom. 9. *massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Ubi prædestinati nuncupantur vasa facta in honorem : et reprobi vasa facta in contumeliam, ut
2 ad Timot. 2. constat ex eodem Paulo 2 ad Timotheum 2, et Deus formans nos appellatur figulus, ut
Isaiæ 45. Jerem. 18. patet ex Isaiæ 45 et Jeremiæ 18. Si ergo est in potestate figuli ut pro sua voluntate ex eadem massa luti aliud vas in honorem formet, et aliud in contumeliam, sive sine tali honore, et absque eo quod nullum ei superaddatur ornamentum, ex eo quod ista non habent esse debita massæ luti, cur Deus pro sua libera voluntate non poterit hominem reprobare quantum ad primum effectum reprobationis, scilicet primam permissionem cadendi in peccatum primum, per quod reprobus damnatur? seu (quod in idem redit) quantum ad denegationem primæ gratiæ efficacis, per quam prædictum peccatum vitandum erat : siquidem gratia illa non est debita.

Ad Rom. 9 et 11. Quod etiam non obscure insinuavit Paulus in eodem c. 9 ad Rom. dum dixit : *O homo, tu quis es qui respondeas Deo?* et c. 11 : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* Quoniam si datur causa primi effectus reprobationis, scilicet permissionis primi peccati, propter quod damnatur reprobus, facile esset solvere quæstionem Pauli : nec oporteret recurrere ad altitudinem scientiæ Dei, et ad secreta consilia divina, ad reddendam rationem, quare Deus homines reprobet. Siquidem semel data causa reprobationis quoad primam permissionem jam dictam, satis facile solveretur quæstio, cur Deus aliquem reprobet? imo cur alium prædestinet, de quibus ibidem Paulus inquirit.

51. Et ex Patribus ac Theologis. August. D.Thom. Idem etiam docuit Augustin. relatus a D. Thom. art. 5 hujus q. in solutione ad 3 dum tract. 26 super Joann. dixit : *Quare hunc trahat, et illum non trahat, noli velle dijudicare, si non vis errare.* Nam, ut modo dicebamus, data causa primi effectus reprobationis, facile, et absque errore poterit dijudicari hunc trahi, et illum non trahi : quia ille qui non trahitur præbuit causam per peccatum primo commissum : secus vero qui trahitur.

Idem. Et hoc ipsum tuetur sanctus Thom. in hoc art. dicens : *Sicut enim prædestinatio includit voluntatem conferendi gratiam, et gloriam, ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, et inferendi damnationis pœnam pro culpa.* Unde sicut primæ gratiæ, seu primæ vocationis, sive auxilii divinæ gratiæ, quæ est primus effectus prædestinationis, non datur causa ex parte prædestinati, ex eo quod prædicta vocatio est primus effectus prædestinationis, ita permissionis primi peccati, propter quod reprobus damnatur, nulla dabitur causa ex parte reprobi : siquidem prædicta permissio est primus effectus reprobationis hoc ipso quod reprobatio includat voluntatem permittendi primum peccatum, et damnandi pro eo. Unde sententiam hanc sequuntur Magister in 1 dist. 41 ubi Durandus quæstion. 2, Ricardus, et Albertus Magnus apud Carthusianum quæstion. 1, Gregor. quæstion. unica art 2, Capreolus quæst. unica, Ferrara 3 contra Gent. cap. 61, Cajet. in præsenti, Bannez art. 5 hujus quæst. dub. 3, Zumel quæst. 4, Alvarez libr. 11 de auxiliis disput. 110, Bellarmin. lib. 2 de gratia et liber. arbit. cap. 10 et 16, Granado tractat. 8 de causa reprobationis disput. unica, favet Soto in fine 4 sent., ac tandem eam tuentur multi alii doctissimi Thomistæ. Mag Dura Ric Albe Magn Cart sia Gre Capr Ferr Caj Ban Zum Alv Bella Grat Sot

52 Ratio autem fundamentalis hujus assertionis innuitur a sancto Doctore, et potest ad hanc formam reduci. Quoniam respectu permissionis primi peccati non potest aliud peccatum esse causa illius, alioqui illa permissio non esset primi peccati : neque etiam est causa illius, peccatum illud primo permissum : siquidem hoc est simpliciter posterius, quàm ipsa permissio : ergo non datur causa meritoria prædictæ permissionis : seu (quod in idem redit) causa demeritoria gratiæ efficacis, per quam illud peccatum erat vitandum. Patet consequentia. Quoniam solummodo peccatum potest esse causa prædictæ permissionis, et non aliud nisi vel peccatum illud primum, quod tunc permittitur, vel peccatum aliud, quod sit prius illo. Rat func meni pr asse tio

53 Nec refert si cum adversariis occurras, hinc solum fieri, nullum peccatum actuale esse causam primæ permissionis primi peccati, quod efficaciter, seu cum effectu conducit ad damnationem reprobi ; non tamen quod peccatum originale, quod præsupponitur ad reprobationem, non sit causa prædictæ primæ permissionis. Eva

Non itaque hoc refert. Nam in primis si loquamur Ever prim

loquamur de iis, quibus peccatum originale non remittitur, ac proinde propter illud damnantur, habet permissio illius esse primum effectum reprobationis, sicut etiam quando aliqui propter prædictum peccatum, tanquam propter causam meritoriam non damnantur, ex eo quod illis fuit remissum, licet ratione illius tanquam occasionis aliquo modo conducentis ad alia peccata damnentur, tunc permissio ipsius est aliquo modo effectus reprobationis, ut ex dictis, et ex jam dicendis amplius patebit : ergo respectu talis permissionis nulla dabitur causa ex parte reprobi, qui propter peccatum originale damnatur : siquidem prædictum peccatum originale nequit esse causa suæ permissionis, ut ex dictis n. 50 constat.

Confirmatur. Quia adhuc permissio, qua Adamus fuit permissus cadere in peccatum, potuit esse effectus reprobationis eorum, qui damnantur propter peccatum originale, quatenus cum effectu conducit ad eamdem damnationem : sicut etiam potuit esse effectus prædestinationis Adami, quatenus cum effectu conduxit ad hoc ut cautior, et humilior resurgeret : ergo tale peccatum, adhuc ut fuit in Adamo, non potuit, saltim secundum communem cursum, esse causa reprobationis quoad primum ejus effectum, seu quoad primam permissionem primi peccati cum effectu ad illam conducentis. Antecedens patet. Quia oratio Stephani pro Paulo fuit effectus prædestinationis Pauli, ut ex dictis disput. 4 num. 81 constat : et similiter permissio, qua quis permittitur inducere alium ad peccatum finale, est effectus reprobationis ejus, ut ex iis, quæ dubio 3 hujus disput. dicemus, constabit : ergo similiter permissio, qua Adamus permissus est committere peccatum illud originale, propter quod alii damnantur, ex eo quod illius etiam fuerunt participes, et in eo, vel in aliis ab ipso quodammodo ortum ducentibus e vita exciderunt, poterit esse effectus reprobationis eorum et prædestinationis Adami, quatenus ad ejus majorem humilitatem conduxit. Consequentia vero probatur. Quia ut prædictum peccatum esset causa primæ permissionis jam dictæ, nempe primæ permissionis, quæ est primus effectus reprobationis, deberet esse causa permissionis, qua ipsummet permittitur. Quod, ut constat, et ex solutionibus argumentorum patebit, repugnantiam involvit.

Deinde. Nam si fiat sermo de reprobo, cui peccatum originale remittitur, et per consequens non damnatur propter illud tanquam propter causam meritoriam, tunc non reprobabitur post prævisionem ejus, seu (quod in idem quoad præsens redit) dependenter ab eo ut a causa meritoria reprobationis quoad aliquem ejus effectum, ac proinde hæc prævisio ad talem reprobationem tanquam ratio meritoria illius non conducet : siquidem hoc ipso quod peccatum illud remittatur, non sic conducit cum effectu ad hoc ut reprobus damnetur : nec potest ullo modo ratione ipsius ut causæ meritoriæ damnari.

55. Responsio adversariorum.

Unde nihil obest id, quod prædicti adversarii addunt, ut huic impugnationi satisfaciant, nimirum quod etsi peccatum originale remissum sit, quoad reatum pœnæ æternæ, potest tamen manere quoad reatum pœnæ temporalis (ut communiter docent Theologi) et per consequens potest etiam manere quoad reatum, sive debitum carendi gratia efficaci in ordine ad vitandum peccatum : quoniam homo contraxit hoc debitum per peccatum originale, et cum denegatio prædictæ gratiæ efficacis, seu permissio peccati sit pœna temporalis, potest manere post peccatum originale remissum.

Corroboratur ex D. August.

Et propterea D. August. epistola 105 loquens de reprobatione Esaü, cui remissum fuit peccatum originale ; necnon, et de hoc mysterio prædestinationis, et reprobationis, et expendens locum illum ad Roman. 9 : *Cum nondum nati fuissent aut aliquid boni egissent, aut mali,* ex Malach. cap. 1 desumptum, sic ait : *In quam sententiam beatus Apostolus etiam testimonium Prophetæ longe posterioris assumpsit : Jacob dilexi, Esaü autem odio habui, ut intelligeretur hoc apertum postea per Prophetam quod antequam illi nascerentur erat in Dei prædestinatione per gratiam. Quid enim diligebat in Jacob antequam natus, fecisset aliquid boni, nisi gratuitum misericordiæ suæ donum. Et quid oderat in Esaü antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum. Nam neque in illo diligeret justitiam, quam nullam ille fecerat, neque in isto odisset naturam, quam bonam ipse perfecerat.* Constat autem Deum reprobantem Esaü, et tunc odientem in illo peccatum originale, quod in sua æternitate videbat illi fuisse remissum, non alia ratione posse prædictum peccatum odisse, nisi quia propter illud, eoque præviso infligebat illi hanc pœnam temporalem, nimirum primam permissio-

nem primi peccati actualis, propter quod damnandus erat, et ea mediante permissionem aliorum peccatorum, propter quæ fuit damnatus.

56. Rejicitur. Ex dictis igitur nihil obest hoc quod prædicti adversarii addunt. Quoniam non possunt inter se cohærere, quod Deus remittat peccatum originale reprobo, et quod propter illud tanquam propter causam meritoriam permittat illi primum peccatum, propter quod damnatur. Et ratio est. Nam istæ duæ voluntates, scilicet velle efficaciter remittere peccatum originale alicui, et velle efficaciter eumdem damnare, aut excludere a regno propter peccatum originale remissum, vel remittendum, tanquam propter causam meritoriam, sunt repugnantes inter se, et incompatibiles : sed Deus de facto habuit voluntatem efficacem remittendi aliquibus reprobis peccatum originale quoad culpam, et pœnam æternam : ergo non potuit simul habere voluntatem efficacem damnandi eosdem propter peccatum originale remittendum tanquam propter causam meritoriam : ac proinde nec voluntatem efficacem permittendi, modo dicto, propter prædictum peccatum, quod cadant in peccatum actuale, ratione cujus damnentur : siquidem hæc voluntas est virtualis volitio damnandi propter peccatum originale, ut propter primam rationem meritoriam talis damnationis.

Utraque consequentia patet, necnon et minor. Quia secundum fidem est certum, aliquos baptizatos damnari, quibus remissa fuit culpa originalis. Major vero probatur. Quia si Deus haberet illas duas voluntates, verificarentur de illo duæ contradictoriæ, nimirum quod vellet efficaciter, et non vellet efficaciter remittere peccatum originale reprobis baptizatis. Vellet quidem ex hypothesi : et non vellet, quia vult damnare propter illud, ut propter causam meritoriam. Implicat enim remissum omnino esse peccatum ab illo judice, qui vult propter illud, ut propter causam meritoriam punitionis, punire.

57. Additamentum primum. Concil. Trident. Rom. 8. Accedit primo. Quod peccatum originale non plene remitteretur in baptizatis, sed aliquid damnationis maneret in illis : cujus oppositum diffinitur in Conc. Trid. sess. 5 can. 5 ex illo Pauli ad Rom. 8 : *Nihil damnationis est in iis, qui sunt in Christo Jesu renati* : ergo etc.

Secundum. Accedit secundo. Quod derogat suavi legi Dei, qua statuit se non amplius recordaturum de peccatis semel remissis : sed si post remissum peccatum originale maneret debitum, et meritum carendi auxiliis divinis, per quorum substractionem homo relinqueretur in peccato finali, mediante quo incurreret æternam damnationem, revera rediret culpa originalis semel remissa quantum ad effectum spiritualis, et æternæ pœnæ, quod non est dicendum

Adde tertio. Quia alias ultra illa quatuor vulnera naturæ contraherent homines per peccatum originale aliud quintum vulnus, scilicet incurrendi permissionem peccati, et debitum carendi auxiliis efficacibus : siquidem non minus per istud vulnerantur potentiæ animæ, quam per illa, quod tamen esse falsum ostendit D. Thom. 1, 2, q. 85 art. 3. Ter D.T

Nec est simile de pœnalitatibus, et aliis vulneribus animæ. Nam cum istæ sint pœnæ temporales, et reatus temporalis pœnæ possit manere absque læsione divinæ misericordiæ, et justitiæ post remissam culpam, ut de facto justus decedens in gratia sæpe manet obnoxius pœnæ temporali Purgatorii, et post remissam culpam originalem manet homo obnoxius vulneribus fomitis, præsertim, quia ut inquit Concilium in canone præallegato, hæc relinquuntur homini ad agonem, ut ei sint materia certaminis, et majoris meriti. Debitum autem, et meritum carendi auxiliis gratiæ est pœna spiritualis per se conducens ad æternam damnationem, ac proinde debet remitti ad remissionem culpæ. Nequit enim intelligi homo post remissam culpam originalem cum debito, et merito carendi divinis auxiliis, sicut nec cum reatu pœnæ æternæ : utrumque enim debitum, est effectus intrinsecus, licet secundarius ipsius culpæ, ac per consequens nequit sublata culpa remanere. 5

59 Testimonium D. Augustini explicatur Gonzalez Nec probatio ex testimonio August. adducta urget. Nam, ut optime notavit Gonzalez in præsenti disp. 77 sect. 4 ex D. August. ibidem, et ex D. Thom. super eadem verba Apostoli, lect. 2, illa dilectio Jacob, et odium Esaü, refertur tam ad eorum personas quantum ad temporalem dignitatem, quatenus ibidem dicitur, *et major serviet minori*, quam ad eosdem quantum ad spiritualem dignitatem, quatenus minor electus est ad gloriam, et major est reprobatus. Et primo modo intellecta, tunc peccatum originale causa fuit de facto, quod Esaü quoad prædictam dignitatem reprobaretur : quia illi voluit Deus dare justam pœnam, quam noluit sumere ex Jacob, licet

licet juste potuisset; sed misericorditer illum præferre voluit. Et huic non obstat quod Esaü remissum fuerit peccatum originale : quia, ut modo dicebamus, reatus pœnæ temporalis manet etiam remissa culpa. Unde in hoc tantum sensu voluit August. peccatum originale esse causam prædicti odii; non autem quod fuerit causa reprobationis, et odii, quo ab æterna beatitudine exclusus est.

§ III.

Corollarium notatu dignum ex dictis in hoc et præcedenti dubio deducitur.

60. Prior explicatio divinorum actuum circa reprobationem.

Ex iis igitur, quæ in præsenti, et in præced. dub. diximus, colligitur, quomodo ordinandus sit processus divinorum actuum circa reprobationem. Hoc autem potest explicari duobus modis. Primo quidem si dicatur, quod ut ostenderet Deus quam liberaliter, et absque ullo debito elegerit prædestinatos ad gloriam, ac proinde magis apparerent divitiæ misericordiæ divinæ erga illos, voluit hanc gratiam reprobis denegare, eosque a regno cœlesti tanquam a dono quodam eis indebito excludere. Nam cum tam electi, quam reprobi sint ex eadem massa, inde est, ut hoc ipso quod eis denegetur electio ad regnum cœleste, ipsumque regnum, satis innotescat, quomodo etsi prædestinati sint electi ad illud, nihilominus non debeatur eis talis electio : et per consequens ibidem magis splendent divitiæ misericordiæ divinæ erga eosdem prædestinatos. Deinde hoc ipso quod Deus habeat voluntatem excludendi reprobos a regno tanquam a dono quodam omnino eis indebito, habuit etiam voluntatem denegandi eis gratiam efficacem, qua prædictum regnum comparandum est : et per consequens habuit etiam voluntatem permittendi peccatum, in quo reprobus usque ad finem vitæ perseveret : et tandem peccato hoc præviso, habuit voluntatem ostendendi iram suam vindicem, et ex hac voluntate voluit punire eum æterna pœna propter prædictum peccatum, ut ita prædictam iram in tali punitione ostendat.

61. Secunda melior explicatio.

Secundo et melius potest hoc explicari si dicatur, quod ex voluntate quam Deus habuit ostendendi divitias misericordiæ suæ erga prædestinatos, voluit tum negare reprobis cœleste regnum tanquam donum omnino eis indebitum, tum etiam ostendere iram suam vindicem erga reprobos. Nam sicut magis apparet beneficientia (ut sic dicamus) figuli erga aliqua vasa, ex eo quod non solum ea in vasa honoris finxerit, sed etiam ex eo quod ex eadem massa formaverit illa in vasa honoris, cum tamen alia ex illa eadem massa in vasa contumeliæ effecerit, ita misericordia Dei erga prædestinatos magis apparet, ex eo quod non solum elegerit illa in vasa gloriæ, sed etiam ex eadem massa reliquerit alios, et finxerit eos in vasa contumeliæ ad ostendendam iram suam vindicem.

Nam quod reprobi sint deputati in vasa contumeliæ ad ostendendam justitiam Dei vindicem, satis ostendit quam felices fuerunt prædestinati, et quam misericorditer Deus erga illos se gesserit; siquidem non solum non sunt ad id deputati, sed potius in æternam beatitudinem sunt electi; cum tamen potuerint ad prædictum finem deputari : et ex Dei gratia, et misericordia erga illos provenerit, quod non fuerint ad talem finem destinati. Et ita licet misericordia Dei esset, seu appareret extensive major, si omnes homines prædestinaret, attamen eadem misericordia est, seu apparet major intensive erga prædestinatos, ex eo quod ipsi soli sint electi, et reprobi fuerunt exclusi, et ad iram Dei vindicem ostendendam deputati.

62. Deinde ut Deus ostenderet suam justitiam vindicativam in reprobis, voluit eos æterna pœna punire, et ex voluntate eos sic puniendi, permisit ut peccarent, et in peccato usque ad finem vitæ perseverarent, ita quidem, ut ordine intentionis prius in genere causæ finalis voluerit punitionem, quam permissionem perseverandi in peccato, et hanc prius, quam primam permissionem illius : quamvis in genere causæ materialis, et dispositivæ prius voluerit prædictas permissiones, quam punitionem : ac proinde licet prius simpliciter voluerit punitionem, quia prioritas in genere causæ finalis est simpliciter prior, quam prioritas in aliis generibus causarum; attamen prioritate secundum quid, et in genere causæ jam dicto, prius sunt volitæ prædictæ permissiones : sicut etiam in genere causæ materialis dispositivæ, et non qualiscumque, sed meritoriæ prius fuit peccatum illud perseverans usque ad mortem, quam voluntas puniendi. Nam hæc voluntas est talis conditionis, ut non possit non ex parte objecti pendere in prædicto genere causæ, tum a permissione peccati, tum a

peccato ipso : et ideo volitio puniendi, ac permittendi peccatum, et perseverantiam in illo, necnon et peccatum ipsum, non solum fuerunt in eodem signo *in quo* reali, sed etiam in eodem signo *in quo* adhuc rationis, quamvis cum prioritate, et posterioritate *a quo* jam explicata.

63. Animadversio. Diximus, voluntatem puniendi esse talis conditionis, ut non possit non pendere ex parte objecti in genere causæ materialis dispositivæ, non vero meritoriæ, a permissione peccati, et in eodem genere causæ dispositivæ, et non qualiscumque, sed meritoriæ, a peccato ipso : non tamen hoc de voluntate ostendendi divinam justitiam asseruimus. Quia voluntas ista ostensionis justitiæ Dei, si cum præcisione, et secundum ea, quæ in recto, et formaliter affert sumatur, sedem habet inter voluntates, quæ sunt de primaria intentione divina : et ita non est necesse ut sic accepta, intelligatur esse posterior peccato in genere causæ materialis et meritoriæ.

Unde talis voluntas non est actus justitiæ, sed actus charitatis, quo Deus se, et sua bona vult : qui quidem, ut constat, non petit, si modo dicto sumatur, ut intelligatur esse posterior quam peccatum : quamvis prædictus actus ostendendi justitiam Dei, consideratus secundum ea, quæ concomitanter, ac necessario involvit, et infert, debeat pendere a permissione et peccato, quatenus illa ostensio debet esse et relucere in punitione peccati, ut n. 62 innuebamus.

Cæterum punitio est quodammodo de secundaria intentione Dei, quia non est volita nisi occasione peccati, et ex prævisione illius, quamvis sit in eodem signo *in quo* una cum ipso. Et ideo punitio præsupponit in genere causæ materialis dispositivæ, sive meritoriæ (quæ ad causam materialem solet etiam reduci) peccatum ipsum : ac proinde satis probabile erit, quod hoc peccatum erit prius simpliciter, non quidem prioritate *in quo*, sed *a quo*, quam punitio. Quia probabile est prioritatem in isto genere causæ meritoriæ hoc exposcere, saltim quando id, quod est causa meritoria, non est in genere causæ finalis effectus illius respectu cujus habet rationem meriti, ut in meritis malis contingit, quorum quidem permissiones sunt effectus in genere causæ finalis voluntatis puniendi, prædicta tamen merita mala non sunt effectus in eodem genere causæ finalis prædictæ voluntatis : ex eo quod non sunt a Deo. Diximus, id probabile esse : quia ad hunc nostrum dicendi modum id non est necessarium ; sed quamvis oppositum asseratur, juxta ea quæ num. præcedenti diximus optime defendi potest.

64. Corollarium. Herice Ex quo etiam sit, non ita bene dixisse Herice tract. de prædest. disp. 33 num. 37 non posse inter se cohærere, quod Deus reprobet ante prævisa demerita, et quod non velit punitionem æternam nisi post eadem demerita : ex eo quod hoc ipso quod Deus velit excludere aliquem a regno ante prævisa demerita, vult illum punire pœna æterna : quia hoc sequitur ex illo : quandoquidem non datur status medius inter hoc quod est aliquem excludi a regno cœlesti, et eum pœna æterna puniri.

Ratio corollarii. Ex dictis igitur constat, non ita bene quoad hoc dixisse Herice. Quia licet ex exclusione a regno sequatur infallibiliter, saltim infallibilitate consequentiæ, quod ab eo exclusus, pœna æterna sit multandus ; attamen hæc duo sunt inter se distincta : et ita poterit unum eorum esse volitum ante prævisionem peccati, seu independenter a tali prævisione ut a causa meritoria ; non vero aliud. Sicuti licet posito primo effectu reprobationis, ponendi sint infallibiliter alii effectus, ex eo quod Deus efficaciter statuit positionem omnium illorum, et quod ab uno eatur in alium ; nihilominus quia isti effectus sunt inter se distincti, propterea potest respectu primi effectus non dari causa ex parte nostra, bene tamen respectu effectuum subsequentium.

Adnotatio. Imo quamvis respectu effectuum subsequentium, quales sunt permissiones posteriorum peccatorum, necnon et punitionis, detur causa ex parte nostra ; nihilominus satis est, quod non detur causa respectu exclusionis a regno, et primæ permissionis, ad hoc ut absolute et simpliciter possit dici reprobationem esse ante prævisa demerita. Nam cum voluntas excludendi a regno, sit ordine intentionis prior, et quasi prima radix totius reprobationis, inde est, quod hoc ipso quod voluntas hæc sit ante prævisa demerita, debeat absolute, et simpliciter dici, quod reprobatio est ante prævisionem demeritorum. Sicut etiam hoc ipso quod prima permissio peccati propter quod reprobus damnatur, non sit propter prævisa demerita, dependenterque ab illis ut a causa meritoria, potest absolute, et simpliciter dici, reprobationem esse ante illa, seu esse independentem ab illis ut a causa meritoria.

meritoria. Non secus ac dicitur, prædestinationem esse ante prævisionem meritorum, seu independentem ab illis ut a causa meritoria, hoc ipso quod respectu primi effectus illius non detur causa meritoria.

Alia animadversio.

Cæterum cum his omnibus stat, quod ad defensionem sententiæ D. Thom. et nostræ, satis sit, reprobationem quoad voluntatem excludendi a regno, seu (quod in idem quoad præsens redit) quoad voluntatem denegandi regnum tanquam indebitum beneficium, et quoad primam permissionem peccati, propter quod reprobus damnatur, esse ante prævisa demerita, seu esse independentem ab illis ut a causa meritoria : quamvis hinc (ut modo tangebamus) sequatur, quod absolute, et simpliciter dicendum sit, reprobationem fieri ante prævisa demerita, seu independenter ab illis, ut a causa meritoria.

§ IV.

Diluuntur argumenta primæ sententiæ.

65. Ad primum.

Ad primum respondetur, concedendo majorem, quoad voluntatem, qua Deus intendit punire reprobos, et juxta ea, quæ dubio præced. n. 18 et deinceps diximus : et negando minorem, et ad probationem dicendum est, quod licet prædestinatio quoad aliquem ejus effectum, nimirum collationem gloriæ, detur in executione propter meritum ; attamen meritum hoc non habet homo ex se, et ex propriis viribus, sed ex gratia. Cæterum peccata, quæ sunt merita ad reprobationem quoad pœnam, et intentionem puniendi, sunt in nobis ex nobis, et non ex Deo. Et ita in hoc discriminantur inter se prædestinatio et reprobatio, hocque discrimen in prædictis locis innuitur. Ex quo etiam aliud sequitur, nempe bona merita prævisa non esse causam meritoriam prædestinationis, seu (quod in idem quoad præsens redit) intentionis dandi gloriam : quia hoc ipso quod sunt a Deo ex intentione gratuita dandi gloriam ut coronam, sunt effectus hujus gratuitæ voluntatis : et ideo non possunt esse causa meritoria illius, ut disp. 9 n. 78 et deinceps dicemus : secus tamen merita mala collata cum reprobatione quoad intentionem infligendi pœnam. Tum, quia non sunt effectus alicujus gratuitæ voluntatis Dei. Tum etiam : quia nullius voluntatis divinæ sive gratuitæ, sive alicujus alterius possunt esse effectus : et ita cum non procedant ab illa, possunt esse causa meritoria, propter rationes dictas, voluntatis et intentionis infligendi pœnam.

D. Thom.

Unde D. Thom. super cap. 9 epist. ad Rom. lect. 2 in fine, sic inquit : *Præscientia meritorum non potest esse aliqua ratio prædestinationis . quia merita præscita cadunt sub prædestinatione. Sed præscientia peccatorum potest esse aliqua ratio reprobationis ex parte pœnæ, quæ præparatur reprobis, in quantum Deus proponit se puniturum malos propter peccata, quæ a se ipsis habent, non a Deo : justus autem proponit se præmiaturum propter merita quæ a se ipsis non habent : juxta illud Oseæ* 13 : *Perditio tua ex te, Israel : tantummodo in me auxilium tuum.* Et in hoc eodem sensu potest exponi id, quod ex Aug. epist. 105 adduci solet, nempe : *Quærimus meritum obdurationis* (seu probationis) *et invenimus,* quæ scilicet sit in nobis ex nobis respectu ultimi effectus ejusdem reprobationis. *Quærimus autem meritum misericordiæ* (seu prædestinationis) *nec invenimus :* quia etiam quantum ad ultimum effectum non invenimus causam quæ sit ex nobis.

August.

66. Ad confirmationem.

Ad confirmationem dicendum est, primam probationem ibidem allatam ex Concilio Trident. non esse contra nos : quia sensus Concilii est Deum non privare gratia habituali semel justificatos, nisi etiam ipsi prius natura in aliquo genere causæ peccatum mortale committant, propter quod deserunt Deum, propter quodque merentur gratia sanctificante privari, ratione cujus deseruntur a Deo. Cæterum ista derelictio per gratiam sanctificantem non est primus effectus reprobationis ; sed alia eam præcedens.

Ad secundam.

Ad secundam vero probationem ex testimonio D. Thom. desumptam respondetur, quod ad summum probat, peccatum Adæ præcessisse primam derelictionem Dei in genere causæ materialis dispositivæ ; non vero in genere causæ materialis dispositivæ et meritoriæ, de qua in præsenti fit sermo. Ad ultimam autem probationem respondetur, eam potius esse pro nobis, siquidem eo ipso quod denegatio auxilii, de qua ibi loquitur D. Thom. sit in pœnam præcedentis peccati saltim originalis, jam supponit primam permissionem primi peccati præcedentis saltim originalis, atque adeo hæc prima permissio rationem pœnæ habere non poterit.

67.

Ad secundum repondetur, negando antecedens. Et ad probationem admisso ante-

Ad secundum argumentum. cedenti distinguendum est consequens : et si sensus illius sit, quod ideo præcise peccatum est causa meritoria reprobationis ex parte pœnæ, quia præsupponitur ad illam in genere causæ materialis, negandum est : si vero sensus fuerit, esse causam meritoriam ex parte pœnæ, tum propter hoc, tum etiam quia in executione est simpliciter prius quam illa, et non procedit ab ea, concedendum est. Et deinde neganda est consequentia.

Explicatur solutio. Explicatur hoc. Etenim inter primum peccatum collatum ex una parte cum permissione illius, et ex alia cum pœna ratione peccati inflicta, est magnum discrimen. Quoniam tale peccatum est in executione simpliciter prius quam inflictio pœnæ, et non procedit ab eadem pœna : at respectu permissionis, qua permittitur, non est in executione simpliciter prius, quam ipsa permissio, quin potius in executione, et (ut sic dicamus) in genere causæ quasi efficientis permissive et indirecte, habet permissio esse prior per modum causæ removentis prohibens, seu removentis gratiam efficacem, quæ si daretur, non esset tale peccatum : ac proinde prædicta permissio quodam modo, et indirecte, ac permissive est (ut sic dicamus) causa peccati, ad hunc dumtaxat sensum, quod removet gratiam efficacem, quam Deus non tenetur dare, quæque si esset, impediretur peccatum.

D.Thom. Unde D. Thom. ad Roman. 1 lect. 7 et 1, 2 quæst. 79 ait : quod Deus indirecte tradit hominem in reprobum sensum, vel indurat, quatenus non dat gratiam, per quam impediretur peccatum. Quamvis non ideo, ut innuebamus, Deus sit ullo modo re vera causa peccati : quia non tenetur præbere illam gratiam efficacem, quæ si esset, impediret prædictum peccatum. Quare cum meritum, sive respectu pœnæ, sive respectu præmii, debeat esse simpliciter prius, vel in intentione, vel saltim in executione, quam præmium, vel pœna, ex eo quod habet rationem viæ respectu utriusque, quæ quidem debet esse simpliciter

D.Thom. prior, ut docet D. Thom. in hac 1 p. q. 64 art. 4 et insuper non debeat in genere causæ efficientis procedere, sive directe, sive indirecte, adhuc modo explicato, a præmio, vel pœna; propterea primum peccatum, propter quod reprobus damnatur, non potest esse causa meritoria permissionis, qua permittitur; bene tamen respectu pœnæ, propter discrimen jam dictum.

68. Replica. Nec obest si urgeas quod in ordine intentionis est volita a Deo pœna æterna reprobis propter eorum peccata, tanquam propter causam meritoriam ; et tamen peccata non sunt simpliciter priora ordine intentionis, quam pœna : ergo pari ratione licet primum peccatum, propter quod reprobus damnatur, non sit ordine executionis prius, quam permissio illius; nihilominus poterit esse causa meritoria permissionis, qua permittitur. Consequentia videtur certa ex paritate rationis. Major vero ex dictis constat.

Mino proba triplic ter. Minor autem, in qua est difficultas, probatur. Tum, quia pœna est volita per modum finis : id autem quod sic est volitum, debet esse simpliciter prius ordine intentionis. Tum etiam : quia usquedum sit permissio peccati ordine intentionis, nequit esse in eodem ordine peccatum, sicut usquedum sit eadem permissio ordine executionis, nequit esse peccatum in eodem ordine : ergo cum volitio pœnæ sit ordine intentionis absolute, et simpliciter prior, quam prædicta permissio, siquidem ista habet se per modum medii respectu illius, fiet inde, ut volitio pœnæ, et pœna ipsa sit etiam prior ordine intentionis, quam peccatum. Tum denique : quia nisi permissio, ac proinde pœna, essent simpliciter priores ordine intentionis, quam peccatum, nihil obesset quominus hoc prævideretur in hoc ordine ut absolute, et simpliciter futurum, antequam videretur permissio : quod tamen repugnat, siquidem non videtur a Deo, nisi in voluntate permittendi illud.

69. Pric solut Respondetur enim primo negando consequentiam. Et ratio disparitatis est. Quod prioritas simpliciter ordine intentionis attenditur penes prioritatem in genere causæ finalis : et ideo licet in hoc ordine dentur aliæ causalitates, ut ex statim dicendis patebit; nihilominus, quod fuerit prius in genere causæ finalis, erit absolute, et simpliciter prius in prædicto ordine intentionis, quamvis sit posterius in aliis generibus causarum, ibidem inventis. Unde cum causa meritoria in quocumque ordine solum influat in genere causæ efficientis moralis, quæ ad causam dispositivam et materialem solet reduci, inde est, ut licet in ordine intentionis influat, non debeat esse absolute, et simpliciter prior in hoc ordine; sed satis erit, quod in suo genere habeat prioritatem.

Cæterum prioritas simpliciter ordine executionis attenditur, penes hoc quod aliquid sit prius in genere causæ efficientis :

et

et ita quamvis pendeat ab aliis in hoc ordine, et in aliis generibus causarum ac proinde in prædictis generibus sit posterius, non idcirco desinit esse absolute, et simpliciter prius in ordine executionis. Quare cum meritum, sive bonum, sive malum, quale est peccatum, influat, ut nuper dicebamus per modum causæ efficientis moralis, oportet ut in prædicto ordine executionis debeat esse absolute, et simpliciter prius, quam id respectu cujus est meritum.

70. Secunda solutio probabilis.

Secundo probabiliter responderi potest, concedendo majorem, et negando minorem : non quidem quia peccatum sit finis pœnæ, aut permissionis, quo permittitur, sed quia desideratur, et pertinet ad ordinem intentionis in genere causæ materialis et meritoriæ : et non est posterius in genere causæ finalis, quam pœna, aut permissio, ex eo quod non nectitur cum pœna, nisi mediante permissione : et permissio non est finis illius, ac proinde neque ipsa pœna. Unde sicut quod pertinet ad ordinem executionis, et desideratur ad executionem alterius, ita ut non sit posterius eo in genere causæ efficientis, est secundum hanc rationem absolute, et simpliciter prius illo in ordine executionis, quia hinc sumitur prioritas ista absolute, et simpliciter talis in hoc ordine, ut patet in materia prima collata cum forma substantiali, et materiali, quæ quoad suam essentiam actualem præcise sumptam, quoad id quod in recto affert, est hoc modo prior ordine executionis, quam essentia actualis formæ, ex eo quod desideratur ad executionem prædictæ formæ ex ea educenda ; et in executione prius quodammodo terminatur actio agentis ad eam, quam ad prædictam formam, ac proinde secundum hunc conceptum præcisum, non est posterius forma in genere causæ efficientis, seu non pendet ab illa ut a termino prius secundum suam essentiam actualem in executione attacto : ita quod pertinet ad ordinem intentionis tanquam aliquid desideratum ad aliud ibidem intentum, erit absolute, et simpliciter prius illo, si fuerit prius eo in genere causæ materialis dispositivæ, sive in genere causæ meritoriæ, quæ tam ad causam materialem, quam ad efficientem solet reduci, et non fuerit posterius in genere causæ finalis. Quia posterioritas simpliciter in hoc ordine respectu alterius, sumitur ex eo quod ab illo in genere causæ finalis pendeat; et illud est prius absolute, et simpliciter alio in prædicto ordine, quod modo dicto desideratur ad ipsum, et non est effectus in genere causæ finalis respectu illius.

71. Ad primam probationem minoris.

Unde ad primam probationem minoris distinguenda est major : *Est volita per modum finis,* respectu permissionis peccati, concedenda est : respectu ipsius peccati, negari debet. Et eodem proportionali modo debet distingui minor : et concedi, si sensus illius sit, quod id quod est volitum per modum finis, debet esse prius simpliciter ordine intentionis, quam illud respectu cujus est finis : secus vero si sensus fuerit, quod debet esse simpliciter prius ordine intentionis, quam id respectu cujus non est finis, ut in præsenti contingit.

72. Ad secundam.

Ad secundam vero probationem dicendum est, quod etiam ordine intentionis inveniuntur plures causalitates diversarum causarum, quoties finis intentus, ab illis pendet. Et propterea intentio creandi electos pendet ordine intentionis in genere causæ finalis ab æterna beatitudine, propter quam tanquam propter finem intenduntur creari, et in genere causæ materialis, per se requisitæ ad talem intentionem, ab ipsa substantia prædestinati. Cæterum quia prioritas simpliciter in hoc ordine respectu alterius, attenditur non quidem penes hoc quod non pendeat ab illo in genere causæ (ut sic dicamus) efficientis, et in sensu num. 67 hujus disp. dicto, sed in hoc quod desideretur modo insinuato ad ordinem intentionis respectu illius, et nihilominus non pendeat in genere causæ finalis ab eo, ideo licet peccatum non intelligatur esse, usquedum sit permissio, ac proinde potiori ratione usquedum sit volitio pœnæ, quia tam volitio ista, quam permissio, et peccatum sunt in eodem signo *in quo* etiam rationis; nihilominus peccatum est absolute, et simpliciter prius causalitate, seu prioritate *a quo,* quam permissio illius, necnon quam sit volita ipsa pœna : quia non est volita nisi propter peccatum tanquam propter meritum ipsius, et non habet rationem finis respectu talis peccati.

73. Ad tertiam.

Ad tertiam vero probationem neganda est major, si intelligatur de antecessione *in quo* adhuc secundum rationem : siquidem per hoc quod peccatum ordine intentionis sit absolute simpliciter prius, quam permissio, non significatur, quod sit prius illa in aliquo signo *in quo* adhuc secundum rationem, ac proinde nec quod non pendeat quodammodo ab illa, ut a causa permissiva illius :

et ideo nequit peccatum prævideri ut futurum, antequam videatur permissio, si ly *antequam*, dicat antecessionem *in quo* adhuc secundum rationem.

74. Ad primam confirmationem. Ad primam confirmationem hujus secundi argumenti respondetur, obstaculum ad hoc ut peccatum sit causa meritoria suæmet permissionis, non provenire præcise ex eo quod sit in eodem instanti cum illa, sed ex hucusque dictis, quæ nullatenus in eodem peccato respectu reprobationis per modum pœnæ, nec respectu aliarum permissionum peccatorum militant, ut ex dictis constat.

75. Ad secundam confirmationem. Ad secundam confirmationem dicendum est, permissionem secundum se præcisive sumptam non esse formaliter, et (ut sic dicamus) in recto malum respectu hominis, nec culpæ, nec pœnæ, sed esse quid disconveniens respectu illius, ad eum modum quo qualitates, v. g. quibus homo non bene se habet possunt esse illi disconvenientes absque eo quod sint respectu illius malum, vel culpæ, vel pœnæ. Cæterum præter hoc habet permissio peccati quod in obliquo, et indirecte pertineat quodammodo respectu hominis ad malum culpæ, quatenus culpa hominis supponit, et connotat permissionem tanquam id, ex quo infallibilitate consequentiæ, et indirecte, modo supra num. 67 explicato, sequitur.

DUBIUM III.

Quinam, juxta dicta, sint effectus reprobationis?

76. Quamvis ex hucusque dictis non difficulter colligatur, qui sint reprobationis effectus; nihilominus majoris claritatis gratia, aliqua circa eos in hoc dub. dicemus, ut ita simul aliquibus objectionibus melius occurratur.

§ I.

Proponitur prior assertio.

Prima conclusio. Dicendum ergo est primo, primam permissionem primi peccati, propter quod reprobus damnatur, et perseverantiæ in illo, necnon permissiones aliorum peccatorum, propter quæ etiam damnatur, et perseverantiæ in illis, et similiter ipsam damnationem, seu pœnam æternam, et carentiam divinæ visionis etiam ut indebiti beneficii, esse effectum reprobationis, quamvis peccatum ipsum permissum extra effectus ejusdem reprobationis connumerandum sit. Assertio hæc quoad omnes suas partes defenditur ab omnibus Doctoribus dub. præced. pro nostra sententia adductis, et satis sequitur ex dictis. Et quidem quoad priorem, nempe quoad primam permissionem peccati, propter quod reprobus damnatur, constat ex iis, quæ num. 44 et 60 hujus disp. et deinceps asseruimus. Quoad secundam vero partem, nimirum quoad reliquas permissiones in ea ennumeratas satis liquet. Tum ex priori. Nam cum prima permissio primi peccati propter quod reprobus damnatur, sit causa reliquarum permissionum, quas recensuimus, ut dub. præced. num. 44 dicebamus, consequens est, ut hoc ipso quod prima permissio sit effectus reprobationis, debeant etiam cæteræ permissiones subsecutæ, esse effectus illius.

Tum etiam ex illo ad Roman. 9 : *Cujus vult miseretur, et quem vult indurat.* Ubi induratio contraponitur misericordiæ, quatenus sicut misericordiæ dona, quibus salvamur, sunt effectus prædestinationis, ita induratio, seu permissiones subsecutæ ad primam permissionem, sunt effectus reprobationis. Tum denique ex August. lib. de Dono perseverantiæ cap. 14 ubi ait : quod sicut prædestinationis effectus, est gratiæ appositio, ita reprobationis æternæ, quodammodo videtur esse induratio.

Rom.

Augu

77. Et quo: utra que simu ex Scri tura Patr bus

Et deinde suaderi potest utraque pars. Tum ex illo Pauli dubio præcedenti adducto : *Si Deus volens ostendere iram suam, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum.* Ubi verbum, *sustinuit*, dupliciter exponitur. Primo pro eo quod est permittere absolute, et sine limitatione, ut notavit D. Thom. in præsenti art. 5 in solutione ad tertium, et 3 contra Gent. cap. 161 ut ita indiscriminatim denotetur quamlibet permissionem peccati, propter quod reprobus damnatur, esse effectum voluntatis Dei, qua vult ostendere iram suam vindicem, seu voluntatis reprobandi, de qua in his verbis Apostolus loquitur. Secundo sumitur pro eo quod est expectare patienter, ut advertit idem Angelicus Doctor, necnon Anselmus ibidem, et Chrysostomus homil. 16 ad Rom. ut per hoc innuatur, quod Deum patienter permittere, et sustinere plura reproborum peccata, et quod in eis perseverent, absque eo quod de illis statim vindictam sumat, est effectus voluntatis ostendendi iram suam, seu reprobationis eorum,

D.Th.

Anse Chr sos

eorum, conducens ad hoc ut acrius postea de illis ulciscatur : ac proinde ad hoc ut justitia ejus vindicativa magis splendeat : quod quidem in idem redit ac dicere, prædictas permissiones esse effectus reprobationis.

Necnon ex ratione D.Thom.

Tum etiam ratione, quam innuit D. Thom. in hoc art. quæ potest ad hanc formam reduci. Quoniam sicut reprobatio est pars divinæ providentiæ, ita debet providere de mediis, quæ sub ea cadunt : ergo oportet ut provideat de permissionibus jam dictis, ac proinde etiam oportebit, ut istæ sint effectus ejusdem reprobationis. Antecedens ex dictis disp. 2 n. 129 constat. Secunda vero consequentia ex prima et ex antecedenti constat. Prior autem sic probatur. Nam cum Deus media reprobatione puniat reprobos propter prædicta peccata, et intendat in hac punitione relucentiam suæ justitiæ, oportet ut eadem reprobatione pro videat de mediis in ordine ad hunc finem : media autem ad prædictum finem deservientia, non sunt ipsa peccata, ut statim dicemus, sed permissiones prædictæ : ergo oportet ut Deus de illis per suam providentiam, nempe reprobationem provideat.

78. Effugium.

Nec refert si dicas, quod ex vi hujus rationis non sequitur Deum debere providere de prædictis mediis, quoad suam substantiam consideratis per hanc specialem providentiam, nimirum reprobationem; sed satis esse quod ex vi providentiæ generalis provideat de illis, quoad suam substantiam consideratis, et quod postea ex vi reprobationis ordinentur in pœnam æternam damnatorum, ut ita reluceat justitia vindicativa Dei.

Præcluditur.

Nam contra hoc est, quod sicut gratia sanctificans est medium valde proprium, et accommodatum ad finem prædestinationis, ita prædictæ permissiones ad finem reprobationis : ergo sicut propter illam rationem, et propter magnam efficaciam prædestinationis pertinet ad eam providere de hoc medio secundum suam substantiam considerato, ita etiam propter eamdem proportionalem rationem spectabit ad reprobationem, quod provideat de prædictis permissionibus secundum suam substantiam consideratis.

79. Probatur eadem con lusio quoad tertiam partem.

Tertia vero assertionis pars (nempe ipsam æternam damnationem, et carentiam divinæ visionis jam dictam, esse effectum reprobationis) ex duabus prioribus satis constat. Quando quidem providentia attingens efficaciter media conducentia ad aliquem finem, debet etiam attingere finem exequibilem per talia media : ergo si semel reprobatio attingit efficaciter prædictas permissiones, quæ sunt id, quod per modum medii conducit efficaciter ex parte Dei ad æternam damnationem, et carentiam visionis ipsius Dei jam explicatam, oportet ut etiam attingat efficaciter eamdem damnationem.

Accedit, quod reprobatio, quippe efficax, non potest non habere aliquem effectum ad extra : constat autem nullum effectum esse magis proprium, quam æterna damnatio, et carentia visionis beatificæ : siquidem per reprobationem excluduntur homines ab æterna beatitudine, et cruciatibus sempiternis deputantur : ergo, etc.

Et quoad ultimam.

Ultima autem assertionis pars ex iis, quæ disp. 4 num. 1 asseruimus, satis constat. Quandoquidem effectus reprobationis debet esse a Deo, quippe cum Deus media sua reprobatione illum causet : at peccatum quatenus tale, nequit procedere a Deo : ergo, etc.

§ II.

Objectiones contra dicta in priori assertione.

80. Objectio prima.

Sed objicies primo, quod illa prima permissio peccati, propter quod reprobus damnatur, nequit habere rationem pœnæ, ut dub. præc. n. 52 et deinceps dicebamus : ex eo quod nullam supponat culpam, quæ sit meritoria illius : ergo non potest pertinere ad justitiam vindicativam, quæ solum punit culpam, et per consequens neque ad reprobationem, quæ essentialiter includit actum justitiæ vindicativæ.

81. Secunda.

Secundo. Nam videtur esse nimia crudelitas in Deo, quod permittat primum peccatum ex intentione damnandi reprobum. Si enim esset satis crudelis medicus ille, qui permitteret infirmitatem gravem in aliquo, ut illum sanaret, quanto majoris crudelitatis erit permittere gravissimam animæ mortem, qualis est peccatum mortale, eo fine ut homo ille æterna damnatione puniatur. Maxime quando nullum præcessit demeritum ad permissionem, ut in permissione primi peccati contingit.

82. Tertia.

Tertio objicies cum Suarez lib. 5 de reprobatione cap. 7 quod non est effectus reprobationis, nisi qui a Deo fit ex intentione jam deliberata damnandi hominem propter peccata sua : permissiones autem peccato-

rum excepta unica permissione finalis impœnitentiæ, non procedunt ex hac intentione divina : cum hæc intentio fundetur in culpa hominis, non utcunque spectata, sed ut jam desperata, et finali.

Confirmatur. Confirmatur ex eodem Suarez. Nam ex voluntate reprobandi per se tantum sequitur pœna alterius vitæ, quæ est pure vindicativa. Nam pœnæ hujus vitæ, quantum est ex parte Dei, medicinales esse possunt, si homo velit converti : ergo sola pœna alterius vitæ, et permissio finalis impœnitentiæ, quæ adhuc ex parte Dei non est medicinalis, possunt esse reprobationis effectus.

83. Ultima. Ultimo objicies, quod si carentia visionis Dei sumatur, ut dicit carentiam indebiti beneficii, et condistinguitur contra ipsammet, ut est pœna, tunc non poterit in executione esse effectus reprobationis, nam talis carentia in executione supponit culpam : ergo in executione non habebit rationem indebiti beneficii, sed solum rationem pœnæ, ac proinde non poterit secundum rationem indebiti beneficii in executione talis, esse effectus reprobationis. Hæc posterior consequentia patet ex priori. Prior vero etiam constat : siquidem indebitum beneficium ut tale, non præsupponit necessario culpam.

Confirmatur. Confirmatur. Quoniam carentia visionis Dei non solum supponit culpam, verum etiam non alia ratione mandatur executioni, nisi mediante peccato : ergo non habebit rationem indebiti beneficii, sed solum rationem pœnæ.

84. Ad primam objectionem. Ad primam ex his objectionibus concesso antecedenti, neganda est secunda consequentia. Non enim necessarium est, ut omnes effectus reprobationis sint actus justitiæ vindicativæ Dei, sed sufficit quod ordinentur ad manifestationem prædictæ justitiæ, ut in præsenti contingit.

85. Ad secundam. Ad secundam respondetur, Deum non permittere peccatum hominum ex efficaci voluntate damnandi illum, si talis damnatio consideretur secundum se, et ut præcise est malum hominis, quoniam hoc feritatis, vel sævitiæ rationem haberet; sed permittit prædictum peccatum ex intentione efficaci damnandi hominem propter ostensionem, et relucentiam (ut sic dicamus) practicam justitiæ punitivæ, et majorem ostensionem suæ misericordiæ erga prædestinatos : hoc autem non est crudelitas vel sævitia. Nam sicut potest absque feritate, vel sævitia causare aliquod malum in homine propter majus bonum, ut patet ex illo Joan. 5 ubi dicitur, cæcum illum natum fuisse sine visu, ut manifestarentur opera Dei in illo, et cap. 11 dicitur, mortem Lazari fuisse pro gloria Dei, et ad Roman. 9 quod Deus posuit, et excitavit Pharaonem, ut ostenderet in illo justitiam suam punitivam, ita poterit velle aliquem effectum bonum, qualis est permissio peccati, et derelictio in illo, necnon et punitio, ut ita ostendat suam justitiam punitivam : ex eo quod relucentia talis justitiæ est majus bonum, quam sit malum punitio alicujus hominis illi irrogata propter sua peccata. Joan. 5. Joan. 11. Rom. 9.

86. Elucidatur solutio. Explicatur magis hoc. Etenim in infligendis pœnis hominibus duo possunt esse vitia, nempe crudelitas, et sævitia seu feritas, ex quibus crudelitas dicit excessum in infligendis pœnis propter peccata. Unde Seneca lib. 2 de clementia, inquit : *Illos ergo crudeles vocabo, qui puniendi causam habent* (idest, qui puniunt propter delicta) *modum non habent*, quia nimirum in ea excessum committunt. Feritas vero, seu sævitia est per quam quis in pœnis inferendis, non attendit ad culpam puniti, sed solum in ejus cruciatu delectationem capit, ut notavit D. Thom. 2, 2 q. 119 art. 2, Deus autem neque in reprobatione, neque in permissione peccati orta ex efficaci affectu ostendendi justitiam punitivam in aliquod ex his vitiis incidit. Non quidem in primum, nimirum crudelitatem, quippe qui pœnas citra condignum infligit, et propterea Psalm. 102 dicitur : *Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis*, et Isaiæ 27 : *Numquid juxta plagam percutientis se percussit eum?* Ubi Cyrillus ostendit Deum punire homines citra condignum. Seneca. D. Thom. Psal. 102. Isaiæ 27. Cyril.

Et similiter neque incurrit vitium feritatis, seu sævitiæ, quia non punit non attenta culpa, ex eo quod delectationem capiat in pœnis puniti secundum se : siquidem non vult mortem peccatoris, nisi provocatus peccatis hominum, et propter relucentiam divinæ justitiæ. Nam ideo Isaiæ quinto dicitur : *Væ qui trahitis iniquitatem, etc. et quasi vinculum plaustri peccatum.* Ubi Cyrillus ait, peccatores trahere a Deo peccatum, idest, peccati pœnam, quasi si trahant plaustrum, multum laborantes suis peccatis, ut provocent Deum ad inferendam pœnam; imo in tali permissione intenta propter relucentiam divinæ justitiæ apparet summa ratio providentiæ universalis Dei, cui proprium est permittere defectus in aliquo particulari, Isaiæ 5. Cyrillus.

particulari, ut servetur bonum, et ordo
) Thom. universi, ut explicat D. Thom. in præsenti quæst. 22 art. 2 ad secundum : et ita permittit peccata in hominibus propter majus universi bonum coalescens ex manifestatione justitiæ divinæ erga reprobos, et majoris misericordiæ erga prædestinatos.

87. Ad tertiam bjectionem. Ad tertiam objectionem transeat major, et negetur minor. Nam licet intentio damnandi fundetur in culpa hominis non utcumque spectata, sed jam desperata et finali, quatenus in genere causæ materialis, et meritoriæ eam ex parte objecti præsupponit, ut explicatum est; non tamen ita ut sola permissio finalis impœnitentiæ sit effectus prædictæ intentionis. Nam sicut posita conditione finalis impœnitentiæ, cæteræ aliæ permissiones peccatorum, propter quæ reprobi damnantur cum effectu conducunt ad æternam damnationem, ita etiam supposita prædicta conditione omnes illæ procedunt modo explicato ex intentione damnandi. Non secus, proportione tamen servata, ac licet gratia sanctificans non nisi posito dono perseverantiæ in illa sit effectus prædestinationis, attamen hoc posito, etiam ipsa secundum suam substantiam oritur ex intentione efficaci beatificandi homines, habetque rationem effectus respectu prædestinationis.

Ad confirmationem. Ad confirmationem negandum est antecedens. Et ad probationem dicendum est, quod licet pœnæ hujus vitæ, quantum est ex parte Dei, medicinales esse possent, ex eo quod oriri queunt ex voluntate antecedente salvandi omnes ; attamen ut oriuntur non utcumque ex parte Dei, sed ipsius ut reprobantis, nunquam sunt de facto medicinales respectu reproborum, sed cum effectu, et efficaciter conducunt ad pœnam æternam, et justitiam vindicativam, et hoc satis est ad hoc ut possint oriri ex voluntate efficaci damnandi, et ex eo originem ducentes sint effectus reprobationis.

88. Ad ultim. Ad ultimam respondetur, quod carentia visionis Dei, ut in executione posita supponit necessario culpam, ex qua parte habet rationem pœnæ, non vero ex qua parte est carentia indebiti beneficii : quamvis secundum communem cursum nequeat dari in executione prædicta carentia ut est carentia indebiti beneficii, quin simul detur ipsamet ut habet rationem pœnæ, ex eo quod supposita elevatione hominum in finem supernaturalem, nemo de facto caret visione beatifica, adhuc ut est indebitum beneficium, nisi habeat peccatum, et in illo moriatur. Unde concesso antecedenti, juxta modo dicta, negari debet utraque consequentia, et ad probationem prioris, ex qua pendet vis posterioris, patet ex dictis.

89. Ad confirmationem. Ex quo etiam ad confirmationem constat. Nam ideo de facto, et secundum communem cursum, carentia visionis Dei non mandatur executioni nisi supposito peccato : quia de facto semper est conjuncta secum, ut habet rationem pœnæ, et non nisi conjuncta, executioni mandatur. Non vero quia prædicta carentia id per se, et formaliter exposcat. Et ideo integrum fuit Deo elevare homines ad beatitudinem voluntate inefficaci, et antecedente; simulque voluntate consequente potuit decernere, ut aliqui ex hominibus ad eadem beatitudine efficaciter acquirenda deficerent, præcise ut ostenderet, quomodo hæc beatitudo non est debita; necnon et propter alios fines, non desiderantes permissiones peccatorum, nec versantes circa peccata ut circa materiam *circa quam*, et propterea prædicta carentia visionis Dei, hominibus indebitæ, potest in executione habere rationem pœnæ, et simul carentiam indebiti beneficii.

Additamentum. Adde, quod etiamsi prædicta carentia, ut est carentia indebiti beneficii, supponeret de facto, et secundum communem cursum permissionem peccatorum, et peccata ipsa; non tamen propterea non esset carentia indebiti beneficii. Quia secundum istam rationem non supponeret peccata, ut merita ad eam, sed ut dispositiones pure sistentes in ratione dispositionum : quamvis ipsamet, ut habet rationem pœnæ, supponat eadem peccata, ut merita in ordine ad illam.

90. Replica. Sed urgebis, quod gloria non potest in executione dari per modum indebiti beneficii, et simul per modum præmii : ergo nec denegari tanquam indebitum beneficium, et simul tanquam pœna.

Confirmatur. Confirmatur. Quoniam carentia visionis Dei hoc ipso quod cadat sub meritis malis, et sit debita, non potest ulla ratione esse indebita : erga non potest non secundum omnem sui rationem habere rationem pœnæ.

Solutio replicæ. Respondetur, concedendo antecedens, et negando consequentiam. Nam licet unum et idem bonum non possit tribui propter merita, esseque debitum propter illa, et simul non esse debitum; potest tamen prædictum bonum denegari. Tum quia non

adsunt ex parte ejus, cui tribuendum est merita bona; ratione quorum ei sit debitum, et illi tribuatur. Tum etiam : quia habet plura mala merita, propter quæ incurrit debitum, ut ipsi non concedatur, seu propter quæ sit illo indignus : et secundum illam priorem rationem denegatur per modum indebiti beneficii : et secundum posteriorem per modum pœnæ.

Et confirmationis. Ad confirmationem respondetur concedendo antecedens, et negando consequentiam. Quia ad hoc ut carentia visionis beatificæ non habeat secundum omnem sui rationem, quod sit pœna, non est necessarium quod ipsamet carentia sit indebita, sed satis est quod bonum cujus est carentia, nempe visio Dei, non sit debitum, ex eo quod reprobus non habet bona merita, ratione quorum illud mereatur; et simul habet merita mala, ratione quorum est ei debita carentia prædicti boni. Et ita ex illo priori capite potest ei denegari visio Dei, ut bonum indebitum : et simul ex hoc posteriori capite tribui eidem carentia prædicti boni per modum pœnæ, et ut privatio debita ratione suorum demeritorum.

§ III.

Statuitur assertio secunda.

91. Conclusio secunda. Dicendum est secundo, ipsam substantiam reprobi esse etiam effectum suæ reprobationis. Assertionem hanc tuentur plures ex Doctoribus disp. 5 num. 12 adductis : et sequitur ex ibidem dictis ex Angelico Doctore, ad hanc tamen formam redactis. Quia sicut prædestinatio est imperium efficax, quo deputantur homines ad æternam beatitudinem, ita etiam reprobatio est imperium efficax, quo reprobi deputantur sempiternis cruciatibus, et æternæ carentiæ visionis Dei : ergo sicut prædestinatio extenditur ad substantiam prædestinati tanquam ad effectum illius, ita etiam reprobatio ad substantiam reprobi tanquam ad ejus effectum. Patet consequentia. Quia sicut proprium est prædestinationis extendi ut ad suum effectum, tum ad media, tum etiam ad id, quod per illa media dirigendum est in finem, nempe subjectum prædestinatum, et proterea diffinitur per hoc, quod sit transmissio efficax creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ, ita etiam proprium erit reprobationis respicere ut ejus effectum, tum media conducentia ad hoc ut reprobus deficiat a consecutione vitæ æternæ propter relucentiam divinæ justitiæ, ac proinde media requisita ad hoc ut deputetur æternis cruciatibus, tum etiam subjectum, quod defecturum est a tali consecutione, quodque prædictis pœnis deputandum est : ergo sicut propter illam rationem substantia prædestinati, est effectus suæ prædestinationis, ita etiam propter eamdem, substantia reprobi erit etiam effectus suæ reprobationis.

92. Confirmatur primo Confirmatur primo ex iis, quæ citata disp. 5 num. 22 et 25 ex divo Augustino, et ex D. Thom. asseruimus, sub hac tamen forma dispositis. Quoniam substantia reprobi est effectus prædestinationis electorum, quatenus efficaciter concludit ad manifestationem majoris misericordiæ Dei erga prædestinatos : ergo etiam erit effectus reprobationis ejusdem reprobi. Patet consequentia. Quia non conducit ad hanc ostensionem majoris misericordiæ erga electos, nisi quatenus reprobi deficiunt a consecutione vitæ æternæ, et æternis cruciatibus traduntur : ergo prælicta substantia proximius, et immediatius est effectus reprobationis, ratione cujus efficaciter permittitur hic defectus, et substantia illa traditur prædictis cruciatibus, quam prædestinationis electorum mediante qua habet ordinari ad majorem manifestationem misericordiæ Dei erga eosdem electos.

93. Confirmatur secundo Confirmatur secundo ex dictis disp. citata. Nam si substantia reprobi est effectus prædestinationis electorum, ex eo quod a Deo ordinatur ad majorem gloriam, et felicitatem eorum, quæ quidem felicitas ex parte objecti est finis prædestinationis illorum, quare non sufficiet ad hoc ut sit effectus reprobationis ejusdem reprobi, quod ordinetur a Deo ad finem suæ reprobationis, qui est relucentia divinæ justitiæ in illo? et propterea Proverb. 16 dicitur de impio, creatum fuisse in hunc finem, his verbis : *Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum.* Impium autem non creavit Deus secundum quod impius est : unde ideo dicitur creatus in diem malum, quia ejus substantia, et entitas creata est ad hoc, ut in die malo judicii, atque vindictæ, ostendat Deus in ipso suam justitiam punitivam : et sane si, ut dictum est, non dedecet Deum velle aliquid propter relucentiam divinæ justitiæ, congruum est, ut sicut voluit substantiam prædestinati propter ostensionem suæ misericordiæ, ita etiam velit substantiam reproborum propter manifestationem

Prov. 1

manifestationem suæ justitiæ punitivæ, ut hac ratione in substantiis creatis non solum misericordia, sed etiam justitia splendeat.

§ IV.

Objectiones contra secundam assertionem, et enodatio earum.

94. Objectio prima. Ex quo fit, nihil referre si objicias primo, prædestinationem esse priorem reprobatione : siquidem finis istius ex parte objecti ordinatur ad finem illius etiam ex parte objecti, ut modo innuebamus : ergo si substantia reprobi, est effectus prædestinationis electorum intelligetur futura ante reprobationem, et consequenter nequibit esse effectus illius.

olutio. Ex dictis igitur constat nihil hoc referre. Quoniam substantia reprobi, ut jam innuimus, est intra lineam providentiæ, effectus remotus prædestinationis, et proximus reprobationis. Sicut idem actus humilitatis remote, et prius oritur a charitate, quatenus applicat virtutem humilitatis ad illum eliciendum, ordinatque ipsum in proprium charitatis finem ; et deinde proxime ab ipsa humilitate. Unde quemadmodum hoc non tollit concursum utriusque virtutis in ordine ad prædictum actum, sic etiam quod substantia reprobi sit effectus prædestinationis electorum, non tollet, quominus sit etiam effectus reprobationis reproborum.

95. cunda jectio. Neque etiam refert si objicias secundo, quod substantia reprobi est effectus voluntatis antecedentis, qua vult Deus omnes homines salvos fieri : sed hæc præsupponitur ad reprobationem : siquidem reprobatio dicit positivam permissionem, qua Deus permittit, et ordinat, aliquos homines deficere a consecutione vitæ æternæ, ad quam erant elevati per prædictam voluntatem antecedentem : ergo ante reprobationem supponentur substantiæ reproborum causatæ per talem voluntatem . et per consequens non erunt reprobationis effectus.

onfirmatio lius. Et confirmatur. Nam licet voluntas illa antecedens non sit efficax in ordine ad finem intentum, nempe in ordine ad æternam vitam, est tamen efficax quoad auxilia sufficientia requisita ad illam : ergo etiam erit efficax respectu productionis substantiæ reprobi, et potentiarum illius. Patet consequentia. Nam hæc omnia requiruntur ad *posse* simpliciter, respectu mediorum sufficientium ad consecutionem vitæ æternæ : et ideo sicut substantia reprobi, et potentia naturalis illius sine auxiliis gratiæ non sufficiunt ad talem consecutionem, sic nec prædicta auxilia sine substantia ipsius prædestinati, et ejus potentiis naturalibus, ut ex se constat : ergo sicut auxilia sufficientia sunt effectus illius voluntatis, quia requiruntur ad *posse*, ita etiam propter eamdem rationem, substantia reprobi erit effectus illius.

96. Diluitur objectio. Non itaque hoc refert. Nam major distinguenda est : *Substantia reprobi est effectus voluntatis antecedentis, qua vult Deus omnes homines salvos fieri*, si substantia illa consideretur secundum quod est subjectum capax beatitudinis, concedi poterit : si consideretur secundum quod ejus productio de facto, et cum effectu conducit ad finem reprobationis, qui est relucentia divinæ justitiæ, in hoc quod reprobus ille deficiat a consecutione vitæ æternæ, et damnetur, neganda est. Et deinde transeat minor, et juxta nuper dicta concedatur prima consequentia : sed distinguatur consequens secundæ juxta distinctionem datam in majori propositione.

Itaque substantia illa reprobi tota procedit a voluntate antecedente, qua Deus vult omnes homines salvos fieri, et tota a reprobatione, qua a Deo reprobatur, quamvis sub diversa ratione. Quoniam a voluntate illa antecedente procedit secundum quod talis substantia est subjectum capax beatitudinis, non vero secundum quod deservit, et cum effectu conducit ad finem intentum per reprobationem : cæterum a reprobatione oritur, quatenus cum effectu conducit ad prædictum finem.

Elucidatur solutio. Et ratio hujus est. Nam respectu unius, et ejusdem boni potest esse voluntas antecedens, qua tale bonum sit volitum alicui subjecto ; et voluntas consequens, per quam sit volitum, ut subjectum illud non consequatur prædictum bonum, sed potius deficiat ab ejus consecutione, ut constat ex iis, quæ in tractatu de Voluntate Dei disp. 9 num. 21 et 23 diximus. Unde si illa voluntas, qua antecedenter et inefficaciter est volitum tale bonum prædicto subjecto, habeat cum inefficacia ad illud simul efficacitatem in ordine ad principia sufficientia, seu ad tribuendum *posse* simpliciter, quo acquiritur, ut in voluntate antecedente salutis omnium hominum contingit, tunc ex vi illius voluntatis procedent, tum auxilia

sufficientia in ordine ad æternam salutem, tum etiam substantia ipsa, et potentiæ naturales, desideratæ ad hoc, ut per voluntatem illam antecedentem sint homines elevati ad æternam beatitudinem : quia totum hoc requiritur ad *posse* simpliciter respectu prædictæ beatitudinis.

97. Et similiter hoc ipso quod illa voluntas consequens, qua est volitum ut prædicta substantia deficiat a consecutione talis boni, scilicet salutis æternæ, ac proinde damnetur, sit efficax, potest eadem substantia, ut cum effectu conducit ad defectum hujus consecutionis, et ad damnationem æternam propter relucentiam divinæ justitiæ, esse effectus prædictæ reprobationis : siquidem utraque voluntas, nimirum illa antecedens, et hæc consequens reprobandi, sunt in eodem signo *in quo*, et possunt versari modo dicto circa idem subjectum, et idem bonum ; illa quidem volendo inefficaciter, quod subjectum eo fruatur ; et volendo efficaciter quod habeat *posse* simpliciter respectu illius : hæc vero volendo efficaciter, quod ab hac fruitione deficiat : et ita voluntas reprobandi non erit minus efficax ad ponendum illud subjectum in ordine ad suum finem, nempe relucentiam divinæ justitiæ, quam voluntas illa antecedens in ordine ad suum, nempe ostensionem viscerum misericordiæ Dei volentis voluntate antecedente omnes homines salvos fieri. Per quod ad confirmationem satis patet.

98. Tertia objectio. Nec etiam obest si tertio objicias, quod ea quæ procedunt ex voluntate reprobandi, et damnandi, sunt volita ex prævisione peccati tanquam causæ meritoriæ : siquidem nemini est volita damnatio æterna, nisi propter sua peccata : ergo substantia reprobi nequit esse effectus suæ reprobationis. Patet consequentia. Quoniam substantia ista est principium, et causa peccati : principium autem meriti, sive boni, sive mali, non potest cadere sub merito : ergo hoc ipso quod effectus reprobationis debeat procedere a peccato tanquam a causa meritoria illius in ordine ad finem reprobationis, nequibit prædicta substantia esse effectus suæ reprobationis.

Enodatur. Respondetur enim negando antecedens intellectum de causa meritoria non solum respectu carentiæ visionis Dei, et pœnæ æternæ ; sed etiam respectu omnium effectuum reprobationis, ut constat ex iis, quæ in hac eadem disputat. num. 50 et deinceps asseruimus. Et ita prima permissio primi peccati, propter quod reprobus damnatur, est effectus reprobationis : cum tamen non cadat sub peccato illo tanquam sub causa meritoria. Cæterum cum hoc stat, ut quamplures alii effectus reprobationis sin voliti, modo supra explicato, propter peccatum tanquam propter causam meritoriam illorum. Sicut etiam cum his cohæret omnes effectus ejusdem reprobationis, esse etiam effectus peccati in genere causæ materialis ; non quidem meritoriæ, licet (ut in hac disp. num. 62 et 63 asserebamus) causa meritoria connumeretur inter causas materiales, et constituat peculiarem quamdam speciem illius) sed causæ materialis dispositivæ, et in eo sensu, quem in hac disp. num. 67 innuebamus, primam permissionem primi peccati, propter quod reprobus damnatur, procedere a peccato ipso in genere causæ materialis dispositivæ, quatenus tale peccatum removet prohibens, et incomposibile cum illa prima permissione, et voluntate permittendi prædictum peccatum, ut ibidem diximus.

99. Quar object. Nec deinde obest si quarto objicias, quod peccatum originale transfusum ad posteros, est prius reprobatione ; siquidem est prius prædestinatione Christi, ut num. 35 hujus disp. et deinceps dicebamus, et hæc præsupponitur reprobationi : sed hoc peccatum sic transfusum præsupponit substantiam omnium hominum productam : ergo etiam reprobatio supponet illam : ac proinde nulla substantia poterit esse effectus illius.

Everti tur. Respondetur enim, quod peccatum originale transfusum, est prius reprobatione in genere causæ materialis, seu materiæ *circa quam ;* non quidem proximæ et immediatæ, sed solum remotæ, quatenus peccatum hoc supponitur per modum prædictæ materiæ ad prædestinationem Christi quæ in genere causæ finalis, et efficientis negative (modo tamen in hac disput. n. 42 explicato) præsupponitur ad eamdem reprobationem : non tamen prædictum peccatum est prius reprobatione in alio genere causæ. Unde major propositio intellecta de illa sola prioritate in genere causæ materialis, seu materiæ *circa quam* jam explicatæ, concedenda est. Deinde distinguenda est minor : *Peccatum sic transfusum præsupponit substantiam omnium hominum productam*, ita ut totum hoc præsupponatur in genere causæ efficientis ad peccatum transfusum, et in genere causæ materialis, seu materiæ *circa quam* tantummodo ad reprobationem, concedenda est : ita ut ad utrumque præsupponatur

ponatur in genere causæ efficientis, negari debet. Ac tandem distinguendum est consequens primæ consequentiæ : et concedenda est consequentia de præsuppositione in genere causæ materialis, sive materiæ *circa quam* respectu reprobationis : neganda vero de præsuppositione in genere causæ efficientis. Ac proinde debet negari secunda consequentia : siquidem ex hoc quod peccatum originale transfusum, sit prius in genere causæ materialis, quam reprobatio : et rursus substantia hominum producta, sit prius in genere causæ efficientis, quam peccatum ut transfusum, et prius in genere causæ materialis, sive materiæ *circa quam* reprobatione, colligitur, reprobationem non esse priorem in genere causæ efficientis, quam prædicta substantia. Qui modus arguendi est vitiosus, cum certum sit, ex prioritate unius respectu alterius in uno genere causæ, non licere colligere, non posse esse posterius in alio.

100. uinta jectio. osper.

Nec tandem obest si quinto objicias ex Prospero, qui respondens ad tertiam objectionem Vincentianam, quæ præsentem difficultatem continebat, sic loquitur : *Nemo a Deo ideo creatus est, ut periret : ut nascantur homines, conditoris est beneficium : ut autem pereant, prævaricatoris est meritum.*

fringi- tur.

Respondetur enim ex dictis, sanctum Prosperum solum velle, neminem creatum esse a Deo ut periret, ita ut Deus ex se hoc velit quatenus est malum creaturæ ; non tamen quod propter relucentiam divinæ justitiæ, ac proinde propter majus bonum non creaverit plures ex hominibus. Unde absolute loquendo verum est id, quod Prosper inquit, nempe neminem creatum esse a Deo ut periret : quia per hoc denotatur, fuisse volitam creationem propter malum hominis, quia malum ejus. Et similiter verum etiam est id, quod statim addit, scilicet quod ut nascantur homines, est Dei beneficium. Quia licet productio hominum reproborum sit a reprobatione, ut causa remota, et applicante providentiam naturalem, qua immediate providetur de illa productione ; attamen illa productio ut a providentia naturali, de qua in prædictis verbis sermo fit, est magnum beneficium hominum, quia per illam tribuitur eis suum *esse* naturale, et ordinatur tale *esse* in proprium finem naturalem ejusdem hominis. Ac tandem optime etiam ibidem concluditur, quod ut pereant, prævaricatoris est meritum : siquidem licet substantia ipsa reprobi non procedat a suo peccato ut a causa meritoria, attamen ejus damnatio, ut habet rationem pœnæ fit propter peccatum tanquam propter causam meritoriam.

§ V.

Posteriores assertiones.

101. Tertia conclusio.

Dicendum est tertio, omnia bona naturalia concessa reprobis, necnon et omnia dona supernaturalia eisdem tributa esse effectum suæ reprobationis. Assertionem hanc tuentur Bannez art. 2 hujus quæst. Bannez. dub. 2, Granado tract. 6 de prædestinatione Granado. disp. 2 et disp. 3 n. 10 et plures alii ex recentioribus Thomistis, qui scripta sua prælo nondum mandarunt. Et sequitur ex iis, quæ ex D. Thom. in tribus disputationibus de ef- D.Thom. fectibus prædestinationis diximus. Quoniam omnia hæc conducunt cum effectu ad damnationem reprobi. Tum, quia ex eis majorem pœnam, saltim accidentalem, habebit considerans, quod cum posset per sua naturalia, adjuta tamen per gratiam, pœnas illas, et carentiam divinæ visionis effugere, sua tamen culpa noluit. Tum etiam : quia ideo Deus dereliquit illum, et permisit ut tandem damnaretur, quia suis naturalibus facultatibus, elevatis tamen per illa dona gratiæ, abusus est, ut ex dictis in hoc dub. constat. Unde sicut omnia bona naturalia, et supernaturalia, pertinentia ad gratiam redemptivam, prædestinatis concessa, quæ cum effectu conducunt ad gloriam eorum, sunt effectus suæ prædestinationis propter maximam efficaciam illius, ita omnia bona concessa reprobis, erunt propter eamdem rationem effectus suæ reprobationis, quatenus saltim per modum occasionis ad finem ejusdem reprobationis efficaciter conducunt.

Corroboratur auctoritate Scripturæ et Sanctorum. Chrysost.

Unde D. Chrysost. homil. 15 super ad Roman. 8 ad illa verba : *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, sic inquit : *Quemadmodum his* (scilicet diligentibus Deum) *auxilio sunt ea etiam, quæ nocumentum afferre videntur, sic iis, qui illum non amant, vel ea nocent, quæ auxilium afferunt.* Ubi sicut nomine diligentium Deum intelligit Chrysostomus prædestinatos una cum Apostolo loco citato, et D. Thom. ibidem, ita nomine non diligentium, intelligit reprobos, etiamsi pro aliquo tempore Deum ament. Juxta illud August. tom. 7 August. lib. de Correctione et gratia cap. 9 asserentis : eos qui ad tempus sunt filii Dei, et ta-

men non sunt prædestinati, non dici filios respectu præscientiæ Dei, illius nimirum qua filii usque ad finem vitæ præsciuntur, et tamen de his inquit Chrysostomus etiam ea, quæ auxilio sunt nocere illis, sicut prædestinatis sunt auxilio quæ eis nocere videbantur : et ita sicut ista proveniunt prædestinatis propter prædictam rationem, ex prædestinatione, ita propter eamdem, provenient illa reprobis ex reprobatione. Quod etiam innuit idem August. sive author Soliloquiorum animæ ad Deum tom. 9 operum August. cap. 28, ut sequenti assertione dicemus.

102. Prior objectio. Nec necesse erit denuo referre id quod junior quidam objicit, nimirum quod dona supernaturalia conceduntur reprobis ex voluntate salutis eorum : ergo non ex voluntate suæ damnationis.

Evertitur. Non itaque hoc refert. Nam ex dictis in hoc dub. satis constat, quomodo auxilia sufficientia gratiæ tota possint esse a voluntate antecedente salutis hominum, et tota a voluntate consequente reprobationis eorum. Ab illa quidem ut sufficienter inclinant ad ea, quibus vita æterna consequenda est ; ab hac vero quatenus inefficaciter ad prædicta inclinant, et ratione hujus, necnon auxilii efficacis ad actum oppositum in *esse* actus, et materialiter consideratum cum effectu conducunt, ad hoc ut reprobus deficiat a consecutione vitæ æternæ. Quia, ut dicebamus, non est inconveniens, ut idem effectus (qui secundum diversas rationes, et modo dicto, deservit tum ad consecutionem alicujus finis, tum ad hoc ut quis deficiat ab ejus consecutione) oriatur a voluntate antecedente ejusdem finis, et a voluntate consequente, qua volitum est, ut talis finis cum effectu non acquiratur : ita ut totus ab utraque voluntate, et sub diversa ratione procedat.

103. Secunda objectio. Nec etiam obest, si secundo objicias, quod si ratio pro assertione facta, esset alicujus roboris, etiam probaret, quod omnia dona naturalia, et supernaturalia concessa prædestinatis, sint etiam effectus reprobationis damnatorum : hoc autem concedi nequit, ut communiter docent Theologi : ergo, etc. Major videtur certa. Quoniam hæc omnia conducunt cum effectu ad majorem pœnam reproborum.

Enodatur. Respondetur enim concedendo majorem quoad effectus ordinis naturalis prout oriuntur a providentia naturali, et negando eam quoad effectus supernaturales, proxime et quasi elicitive dimanantes a prædestinatione, ut sunt auxilia efficacia, et donum perseverantiæ, etc. Deinde minor quoad priores effectus neganda est, et concedenda quoad posteriores. Ratio autem concedendi majorem quoad priores effectus est. Quia cum prædicti effectus pure naturales quoad omnem realitatem intrinsecam, quam afferunt, oriantur proxime, et (ut sic dicamus) quasi elicitive a providentia naturali, non inconvenit, quod duæ aliæ providentiæ ex parte nostri modi concipiendi ab ea distinctæ, habeant remote imperare eosdem effectus : ita tamen ut subordinata quadam ratione hoc fiat, quatenus reprobatio applicat ex parte nostri modi concipiendi providentiam naturalem ad hoc ut eosdem effectus ad prædictam reprobationem conducentes proxime causet : prædestinatio vero applicet utramque ad hoc ut de eisdem effectibus, modo nuper dicto provideat : ex eo quod totum hoc conducit ad majorem gloriam electorum, estque effectus prædestinationis Et ita in hoc processu prius absolute, et simpliciter influit prædestinatio applicans utramque ex his providentiis. Deinde reprobatio applicans providentiam naturalem. Ac tandem ipsa providentia naturalis.

104. Additamentum. Diximus concedendam esse majorem, quoad hos effectus naturales prout oriuntur a providentia naturali. Quoniam de eisdem, ut oriuntur a prædestinatione, ut ab applicante providentiam naturalem ad hoc, ut de eisdem effectibus provideat in ordine ad finem prædestinationis, ac proinde ut sunt effectus prædestinationis, debet negari eadem major propter rationem modo dictam, nempe quia ad hoc ut secundum istam rationem essent effectus reprobationis, desiderabatur, quod reprobatio applicaret prædestinationem, ut de eisdem effectibus providet, quod tamen in præsenti non contingit : ex eo quod prædestinatio applicat utramque providentiam, nempe naturalem, et reprobationem ad omnes suos effectus causandos.

Ratio ejusdem solutionis quoad posteriorem partem. Ex quo etiam ratio negandi eamdem majorem quoad alios effectus supernaturales, qui procedunt proxime, et quasi elicitive a prædestinatione, constat. Quoniam isti effectus hoc ipso quod proxime, et quasi elicitive oriantur a sola prædestinatione, solum possent esse effectus reprobationis, ex eo quod applicative, seu (quod in idem quoad præsens redit) imperative remote orirentur ab illa. At, ut nuper dicebamus, reprobatio, quippe applicata quoad

quoad omnes suos effectus quoquo modo ab ea provenientes a prædestinatione, nequit eam ad suos effectus proximos applicare : sicut si daremus quod omnes actus eliciti a temperantia, essent imperative, et applicative a virtute charitatis, nequiret temperantia imperare, sive applicare charitatem ad actus, qui proxime et elicitive ab eadem charitate procedunt.

Ad roba-onem ajoris undæ jectio-nis.

Unde ad probationem majoris, quatenus contra solutionem datam potest urgeri, dicendum est, quod licet prædicti effectus tus supernaturales cum effectu conducant ad hoc, ut reprobus magis crucietur in inferno ; non tamen conducunt per modum effectus reprobationis, sed per modum causæ ejus ex parte objecti materialis consideratæ, seu per modum causæ omnium effectuum illius etiam primi : ex eo quod etiam primus effectus reprobationis, est effectus prædestinationis electorum. Sicut licet merita Christi conducant cum effectu ad prædestinationem nostram; non tamen id contingit, quia sunt effectus illius, sed quia sunt causa ejusdem ex parte objecti, seu quia sunt causa omnium effectuum etiam primi nostræ prædestinationis. Et ratio est eadem utrobique. Quia sicut prædestinatio Christi, est prior simpliciter et absolute, quam nostra prædestinatio ; ita nostra prædestinatio est absolute, et simpliciter prior reprobatione.

105. onclu-sio ltima.

Dicendum est ultimo, totum hoc universum ordinis naturalis esse etiam effectum reprobationis reproborum. Assertio hæc videtur satis colligi ex præcedentibus assertionibus, et ex iis, quæ disp. 5 num. 11 et deinceps diximus, dum explicuimus an totum hoc universum sit effectus prædestinationis electorum. Potestque hoc explicari, et probari, tum quia ex his rebus naturalibus occasionem desumpserunt reprobi ad suam perditionem. Tum etiam : testi-

ugust. monio Augustini in Soliloquiis cap. 28 his verbis : *Attamen mors peccatorum pessima, illorum, inquam, quos antequam faceres cœlum et terram secundum abyssum multam judiciorum tuorum occultorum, semper autem justorum præscivisti ad mortem æternam, quorum dinumeratio nominum, et meritorum pravorum apud te est : qui numerum arenæ maris dinumerasti, et dimensus es profundum abyssi, quos reliquisti in immunditiis suis, quibus omnia cooperantur in malum, et ipsa etiam oratio vertitur in peccatum : ut si etiam usque ad cœlos ascenderint, et caput eorum nubes attigerit, et inter sidera cœli collocaverint nidum suum, quasi sterquilinium, in fine perdantur.*

106. Expen-ditur primo testimo-nium August.

Ubi duo expendenda sunt. Primum est Augustinum dixisse, omnia cooperari in malum reprobis : et per consequens omnia naturalia erunt effectus suæ reprobationis. Sicut propter similia verba Pauli, quibus inquit, omnia cooperari in bonum prædestinatis, colligunt Sancti, totum hoc universum esse effectum suæ prædestinationis. Quamvis ex his verbis (ut sic objectio tacita diluatur) non liceat inferre, quod etiam dona propria supernaturalia prædestinatorum sint effectus reprobationis, sicut propter verba relata Pauli circa prædestinatos, non debet dici, quod Christus, et ejus merita, sint effectus nostræ prædestinationis. Et ratio est eadem, ut nuper dicebamus, utrobique. Quia sicut Christus est simpliciter prius volitus, quam nostra salus, ita etiam salus hominum prædestinatorum, et effectus a prædestinatione, quasi elicitive, et proxime ab ea causati, sunt prius simpliciter voliti, quam sit reprobatio. Sed hæc ex dictis assertione præcedenti satis constant.

107 Expendi-tur secundo.

Secundum est, sanctum Doctorem addidisse : *Et ipsa oratio vertitur in peccatum.* Nam si hæc in peccatum vertitur, idest, occasionaliter, et ex malitia reproborum conducit ad hoc ut inde magis fremant in inferno contra Deum, magisque in peccatis ibi obstinati sint ; quanto magis id de aliis rebus naturalibus hujus universi dicendum est, quod occasionaliter, et ex malitia reproborum ad majorem ipsorum damnationem conducant, sintque suæ reprobationis effectus. Ut ita in omnibus his rebus naturalibus non minus justitia Dei vindex, quam misericordia splendeat, quatenus sicut omnes illæ creatæ sunt ad ostendendam misericordiam divinam erga prædestinatos, ita etiam ad manifestandam justitiam vindicem erga reprobos.

ARTICULUS IV.

Utrum prædestinati eligantur a Deo ?

Inf. q. 21 a. 1 corp. et 1 dist. 41 art. 1 et 2, et verit. q. 6 a. 1 corp. et 2, et Roman. 9 lect. 2 c. 3.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod prædestinati non eligantur a Deo. Dicit enim Dionys. * 4 cap. de div. nomin. quod sicut Sol corporeus non eligendo omnibus corporibus lumen immittit, ita et Deus suam bonitatem : sed bonitas divina communicatur præcipue aliquibus secundum participationem gratiæ et gloriæ : ergo Deus absque electione gratiam et gloriam communicat, quod ad prædestinationem pertinet.

2 Præterea, electio est eorum, quæ sunt : sed prædestinatio ab æterno est etiam eorum, quæ non sunt : ergo prædestinantur aliqui absque electione.

3 Præterea, electio quamdam discretionem importat :

* Cap. 4, circa princip. arg.

sed Deus vult omnes homines salvos fieri, ut dicitur 1 Timot. 2 : ergo prædestinatio, quæ præordinat homines in salutem, est absque ele tione.

Sed contra est quod dicitur Ephes. 1 : Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.

Respondeo dicendum, quod prædestinatio secundum rationem præsupponit electionem, et electio dilectionem. Cujus ratio est. Quia prædestinatio, ut dictum † est, est pars providentiæ : providentia autem, sicut et pru dentia, est ratio in intellectu existens præceptiva ordinationis aliquorum in finem, ut supra † dictum est. Non autem præcipitur aliquid ordinandum in finem, nisi præexistente voluntate finis. Unde prædestinatio aliquorum in salutem æternam præsupponit secundum rationem, quod Deus illorum velit salutem, ad quod pertinet electio et dilectio. Dilectio quidem in quantum vult eis hoc bonum salutis æternæ. Nam diligere est velle alicui bonum, ut supra dictum * est. Electio autem in quantum hoc bonum aliquibus præ aliis vult, cum quosdam reprobet, ut supra dictum † est. Electio tamen, et dilectio aliter ordinantur in nobis, et in Deo, eo quod in nobis voluntas diligendo non causat bonum, sed ex bono præexistenti incitamur ad diligendum, et ideo eligimus aliquem, quem diligamus, et sic electio dilectionem præcedit in nobis : in Deo autem est e converso. Nam voluntas ejus, qua vult bonum alicui diligendo, est causa, quod illud bonum ab eo præ aliis habeatur. Et sic patet quod dilectio præsupponitur electioni secundum rationem, et electio prædestinationi. Unde omnes prædestinati sunt electi, et dilecti.

† Art. 1 hujus q.
† Q. 22 a. 1.
* Q. 20 a. 2 et 3.
† Art. 3 hujus quæst.

Ad primum ergo dicendum, quod si consideretur communicatio bonitatis divinæ in communi, absque electione bonitatem suam communicat, in quantum scilicet nihil est, quod non particip t aliquid de bonitate ejus, ut supra dictum * est. Sed si consideretur communicatio istius, vel illius boni, non absque electione tribuit, quia quædam bona dat aliquibus, quæ non dat a iis. Et sic in collatione gratiæ, et gloriæ attenditur electio.

* Q. 6 a. 4. † In corp. art. et q. 20 art. 2. * August. ser. 11 de ver. Apost. aliquantulum à princip. tom. 10.

Ad secundum dicendum, quod quando voluntas eligentis provocatur ad eligendum a bono in re præexistente, tunc oportet quod electio sit eorum, quæ sunt, sicut accidit in electione nostra. Sed in Deo est aliter ut dictum † est. Et ideo sicut dicit Augustin. * eliguntur a Deo qui non sunt, neque tamen errat qui elegit.

† Q. 19 art. 6.

Ad tertium dicendum, quod (sicut supra † dictum est) Deus vult omnes homines salvos fieri antecedenter (quod non est simpliciter velle, sed secundum quid) non autem consequenter, quod est simpliciter velle.

Conclusio est affirmativa.

DISPUTATIO IX.

De modo quo Deus elegit prædestinatos ad gloriam.

1. Quia ex dictis in hoc tract. constat prædestinatos fuisse electos ad gloriam, propterea in hac disp. solum de modo, quo electi sunt, inquirimus. Sed quoniam modus, qui specialem difficultatem quoad hoc ingerit, est, an omnino gratuito, et ante prævisionem meritorum? an vero ex justitia, et post prævisa merita electi fuerint? idcirco ad hoc explicandum præsentem disp. principaliter instituimus.

DUBIUM I.

An juxta sacram Scripturam electio efficax prædestinatorum ad gloriam fiat omnino gratis, et ante prævisionem meritorum? an vero non sit omnino gratuita, sed ex justitia et post prævisa merita eorum?

Quia de actibus liberis divinæ voluntatis non potest nobis constare, nec quoad substantiam, nec quoad modum ipsorum, nisi ex sacra Scriptura, et ex aliis fontibus ex hoc mari dimanantibus, propterea agentes de electione libera prædestinatorum ad gloriam, et de modo, quo Deus in illa se habuit, primo loco inquirimus, quid circa hoc, juxta sacram Scripturam, dicendum sit.

§ I.

Explicatio tituli.

Pro tituli intelligentia notandum est primo, in eo aliquid ut certum supponi, et aliquid in dubium vocari. Supponimus enim dari in Deo absolutam, et efficacem voluntatem eligendi prædestinatos ad gloriam. Tum, quia id aperte constat ex Scriptura, in qua sæpissime fit sermo de speciali voluntate, qua Deus elegit ad gloriam prædestinatos, prout condistinctos a reprobis. Hæc autem est voluntas absoluta et efficax, ut patet ex illo Lucæ 12 : *Nolite timere pusillus grex : quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Quem locum noster Cyrillus, Beda, et alii intelligunt de prædestinatis, ut condistinctis a reprobis : in quorum comparatione, prædestinati sunt pusillus grex : et de his inquit non esse illis timendum : quia complacuit Patri eorum dare ipsis regnum. Si autem hæc voluntas esset conditionalis, et non efficax, tunc ex vi hujus voluntatis, qua complacuit Deo dare illis regnum, non haberent magis unde excuterent timorem, quam reprobi : quia etiam circa hos habuit Deus voluntatem inefficacem, et conditionalem tribuendi illis idem regnum.

Nota primu
Lucæ
Cyrill Bed

Et similiter id constat ex Matth. 24, ubi dicitur : *Propter electos breviabuntur dies illi;* et rursus : *Ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Certum est autem, dies illos non esse abreviandos propter electos conditionaliter et inefficaciter, quales sunt etiam reprobi, ac proinde solum esse abreviandos propter electos efficaciter et absolute, nimirum prædestinatos. Sicut etiam satis patet electos inefficaciter. et conditionaliter posse adhuc in sensu composito induci in errorem; secus vero electos absolute et efficaciter : et ita non de illis, sed de istis dicitur : *Ut in errorem inducantur si fieri potest, etiam electi.*

Matt.

Tum etiam : quia id constat aperta ratione. Nam certum est prædestinatos, qui ad gloriam sunt electi, consequi absolute, et

et efficaciter eamdem gloriam : ergo oportet ut sit in Deo voluntas absoluta, et efficax eligendi eos ad illam ; alioqui daretur aliquis effectus absolute, et efficaciter executus, quin absolute et efficaciter esset volitus, et electus a Deo : quod quidem aperte repugnat : siquidem nihil absolute, et efficaciter fit, nisi Deo id eodem modo volente, ut in bonis contingit, vel id permittente, ut in malis accidit.

2. Vocamus autem in dubium, an hæc voluntas efficax, et absoluta eligendi prædestinatos ad gloriam, sit omnino gratuita, et ante prævisionem meritorum? an vero non omnino gratuita, sed ex justitia, et post prævisa merita? Consulto autem non inquirimus de ipsa prædestinatione formaliter, et in recto sumpta prout dicit imperium divini intellectus; sed de intentione, seu electione, qua antecedenter ad prædictum imperium divina voluntas vult, et eligit quosdam ex hominibus præ aliis ad gloriam. Quoniam de prædestinatione formaliter sumpta, et consistente in imperio, certum est præsupponere electionem mediorum et meritorum, quibus gloria comparanda est, ut constat ex iis, quæ disp. 2 n. 52 diximus.

Non est autem certum, sed potius valde controversum, an intentio illa, qua Deus intendit dare prædestinatis gloriam (quæque vocatur electio, ex eo quod per hanc intentionem certis quibusdam hominibus præ aliis vult Deus prædictam gloriam conferre) sit prior quam media, seu merita deservientia ad consecutionem illius.

Sicut etiam consulto inquirimus de electione ad gloriam, ut denotetur, hîc non fieri sermonem de electione ad gratiam sanctificantem, quæ est effectus electionis ad gloriam : aut de prima vocatione, sive primo effectu prædestinationis. Quia de his art. 5 disputandum est, dum ibi inquisierimus, an ex parte prædestinati detur causa ordinis naturalis vel supernaturalis, respectu omnium effectuum, seu primi effectus suæ prædestinationis? sive (quod in idem quoad præsens redit) an Deus voluerit dare illis primum effectum suæ prædestinationis per volitionem omnino gratuitam? an vero post prævisa merita, et dependenter ab illis.

3. Secundo notandum est, data etiam opera in titulo non inquisitum esse, an hæc voluntas eligendi prædestinatos, sit omnino gratuita, et sine meritis ipsorum? vel non omnino gratuita, sed ex justitia et cum meritis? sed quæsitum esse an sit omnino gratuita, et ante prævisa merita? vel ex justitia, et post eorum prævisionem? Quia sive fiat hoc vel illo modo, idest, ante, vel post prævisionem meritorum, nunquam fit in adultis sine meritis : sive illatis ex vi illius voluntatis, si sit gratuita : sive præcedentibus ad eam, si non sit omnino gratuita, sed ex justitia, et post prævisionem eorum.

Fietque hoc manifestius si consideretur, quod cum Deus in processu prædestinationis efficaciter decreverit dare prædestinatis non solum gloriam, sed etiam gratiam, et merita, per quæ gloriam consequantur, consequens est, ut dupliciter possit intelligi, Deum se habuisse in hoc processu. Primo quidem si prius intelligatur decrevisse dare gratiam, et merita, et postea pro meritis retribuere gloriam : et tunc electio ad gloriam fiet ex justitia, et post prævisa merita, atque adeo non sine illis. Si vero e contra contingat, quod prius intelligatur, Deum efficaciter decrevisse dare prædestinatis gloriam, seu elegisse eos ad illam, et ex ista efficaci electione quasi motum fuisse ad tribuendum ipsis gratiam et merita, quibus dictam beatitudinem consequantur , tunc electio ad gloriam facta erit omnino gratis, et ante omnem prævisionem meritorum, ly *ante* dicente prioritatem causalitatis ; nunquam tamen erit sine illis : siquidem efficaciter illa infert ut posteriora. Ex quo etiam clarior manet titulus dubii. Nam idem est inquirere, an electio prædestinatorum ad gloriam fiat omnino gratis et ante prævisionem meritorum? ac quærere, an fiat hoc posteriori modo? sicut etiam idem est sciscitari, an fiat ex justitia, et post prævisa merita? ac inquirere, an fiat illo priori modo?

4. Notabile tertium. Ex quo etiam tertio notandum est, quod alii aliis verbis, ad breviorem formam redactis, dubium hoc excitant : an nimirum electio efficax hominum ad gloriam, sit ante prævisa merita, vel post prævisionem eorum? Cæterum hic inquirendi modus in idem coïncidit cum eo, quo præsens dubium nos excitavimus. Nam licet demus, non repugnare , quod adhuc prævisis meritis Deus decernat non dare gloriam propter illa, et ex justitia, sed ex pura misericordia, et ex motivo illius; nihilominus secundum communem cursum, oppositum continget, ex eo quod si prædicta electio sit post prævisa merita, tunc pertinet ad suavem Dei providentiam, ut propter illa eligat ad gloriam, ac proinde quod illa elec-

tio non sit ex pura misericordia, sed ex justitia, ut ex jam dicendis amplius constabit. Unde licet prævisis peccatis, non ideo Deus propter illa debeat velle punitionem, sed possit uti sua misericordia erga peccatores, ut in prævisione peccati originalis contingit; attamen semel prævisis meritis ad gloriam, quodammodo debet juxta communem cursum, et suavem suam providentiam velle tribuere gloriam ex justitia, seu propter illa, vel ordine executionis, si in solo hoc ordine ea præviderit, vel etiam ordine intentionis, si in utroque ordine ab eo prævisa fuerint. Sicut etiam hoc ipso quod prædicta electio sit ante prævisa merita, oportet ut sit omnino gratuita, et non ex justitia, seu modo alibi tacto, intuitu meritorum, et propter dicta merita, ut ex infra dicendis magis patebit.

Diximus: *Modo alibi tacto intuitu meritorum, et propter dicta merita*, ut hæc recte cohæreant cum iis, quæ disp. 8 num. 24 hujus tract. et in tract. de Volunt. Dei disp. 10 n. 10 diximus.

5. Explicatur magis. Potestque hoc ipsum (nimirum quomodo ad suavem Dei providentiam spectet, ut si semel prævideat merita, det propter illa, et ex justitia beatitudinem) explicari ex eo quod dupliciter posset intelligi, Deum prævidentem merita, non velle dare propter illa, seu ex justitia beatitudinem. Vel quia talia merita in ordine ad hunc finem omnino concomitanter et per accidens ibi præessent, seu non magis ad illa attenderetur, ac si non præessent, nec præviderentur: et si hoc modo intelligatur, tunc planum est, Deum non juxta suavem modum suæ providentiæ procedere: sicut si rex videns merita militis in bello, nollet ullo modo propter illa, et in remunerationem, sed mere gratis, ac non attendendo ad merita dare illi aliquod officium, pro quo obtinendo miles certavit: quia tunc (formaliter loquendo) manerent irremunerata illa merita.

Secundo posset intelligi, Deum prævidentem merita, non velle propter illa, et ex justitia tribuere beatitudinem: quia licet attendat ad merita, et ea prævideat, et prærequirat; non tamen movetur ex motivo justitiæ, sed ex puro motivo misericordiæ. Quia totum hoc conjunctum, nimirum *dare gloriam homini ex meritis* vult ex solo motivo misericordiæ: ex eo quod prædictum conjunctum habeat se ut objectum *quod* pure materiale; et ratio *sub qua* volendi, tantum sit motivum misericordiæ.

Cæterum hic modus procedendi admitti nequit. Tum, quia hoc ipso quod in eo prærequirantur merita prævisa, prærequiritur etiam debitum dandi beatitudinem. Et ideo Deus, saltim secundum communem cursum, nequit non dare eam propter merita, et ex justitia: alioqui ordine intentionis præcederet prædictum debitum ex parte hominis, et in eodem ordine irremuneratum maneret (formaliter loquendo) tale meritum: siquidem non tribuitur illi aliquid in remunerationem. Tum etiam: quia ubi intercedit, et prærequiritur debitum per se petitum, non potest intercedere pura misericordia et liberalitas. Et ideo juxta suavem modum providendi Dei in idem redit, quod intentio, qua Deus intendit dare prædestinatis gloriam præ reprobis, sit ante prævisa merita, et quod talis electio sit omnino gratuita. Sicut etiam in idem coïncidit, esse post prævisionem meritorum, et esse ex justitia.

6. Notab. quartum. Quarto notandum est, quod licet titulus hujus dubii, secundum id quod in eo expresse continetur, tantum intelligatur de electione ad gloriam eorum, qui in adulta ætate moriuntur: quia hi solummodo habent propria merita; nihilominus implicite, et quoad aliquid etiam intelligitur de electione parvulorum, qui ante adultam ætatem decedunt. Nam licet ipsis nequeat esse volita beatitudo ex justitia per ordinem ad illos, idest, propter propria eorum merita, seu bona opera ab eis elicita; attamen si semel electio adultorum est omnino gratis, et ante prævisionem meritorum, tunc etiam electio parvulorum ad gloriam, erit ante voluntatem tribuendi eis gratiam sanctificantem. E contra vero si electio adultorum est ex justitia, et post merita prævisa, tunc electio parvulorum ad vitam æternam, erit post voluntatem infundendi eis gratiam sanctificantem, ut ex paritate rationis constare videtur: et ita ex decisione hujus dubii quoad adultos, manet eadem proportionalis difficultas omnino soluta quoad id, quod circa eam peterat de parvulis dubitari.

§ II. *Opinio prior.*

7. Primum argumentum. Prima sententia asserit, electionem, qua Deus intendit dare prædestinatis gloriam, non fuisse, juxta sacram Scripturam, omnino

nino gratuitam, et ante prævisa merita; sed post prævisionem eorum, sive ex justitia. Ita Doctores quos dub. 3 hujus disp. num. 70 referemus. Probatur primo
25. ex illo Matth. 25 : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum.* Et rationem reddit : *Esurivi enim, et dedistis mihi manducare.* Per quæ verba non solum redditur ratio, quare detur electis regnum, sed etiam quare eis præparatum sit, seu quare ad illud electi sint. Unde sicut eis datur ex justitia, et post prævisa merita, quia tribuitur propter opera in his verbis recensita, ita erit eis per æternam electionem post prævisa merita, et ex justitia volitum, et præparatum : siquidem etiam dicitur fuisse eis præparatum propter prædicta opera. Unde eadem ratione ad reprobos dicitur : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est, etc. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare.* Certum autem est causalem istam in reprobis non solum reddere rationem, quare actu cruciantur igne inferni, sed quare sit illis prædicta pœna præparata : et ita nemini Deus præparat prædictam pœnam, nisi post prævisa illius peccata.

Secundo, hanc eamdem causam præpa-
in- rationis regni cœlorum per merita non mi-
n. .2. nus diserte tradit Paulus 1 ad Corinth. 2
64. verbis desumptis ex cap. 64 Isaiæ : *Oculus non vidit, etc. quæ præparavit Deus, iis qui diligunt illum.* Ubi illud, *iis qui diligunt illum*, secundum communem modum, causam præparationis indicat. Sicut si quis diceret, regem destinasse equum, vel vestem, aut quid aliud pretiosum ascendentibus muros civitatis ad expugnandam aliquam urbem, significaret non aliter dare decrevisse, seu hoc præmium voluntate sua præparasse, quam propter prædictam causam, et ex meritis belli, et hoc non solum esset verum respectu voluntatis, qua postea in executione vellet tribuere præmium; sed etiam respectu primæ voluntatis, qua primo intendit, et præparavit prædictum præmium. Nam si gratis alicui destinasset dare, etiamsi postea cum de se benemeritum intelligeret, non diceretur bene merenti, aut bene decertanti præparasse, sed Petro, aut Joanni donare voluisse, quos postea dignos tali præmio esse cognovit.

Et confirmari, ac explicari potest hoc ipsum, ex eo quod loco illius, quod habet Paulus, *iis qui diligunt illum*, habet Isaias secundum vulgatam, *expectantibus te*, et subjungit, *occurristi lætanti, et facienti justitiam*. Et 70 vertunt, *occurret enim facientibus justitiam*. Ubi expectatio illa eorum, quibus bona Deus præparat, occursusque prædictus Dei, causam, seu rationem, nempe merita, respectu prædictæ præparationis aperte significat, ac proinde non dari in Deo talem præparationem, seu volitionem gloriæ, nisi post ipsa, et post prævisionem eorum.

Tertio probatur ex illo Matth. 20 : *Sedere autem ad dexteram meam. non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo* : paratum scilicet propriis meritis, ut explicat Epiphanius lib. de hæresibus, Cyrillus lib. 10 Thesauri c. 67, Chrysost. hom. 35 in Matth. 9. Tertium. Matt. 20. Epiphan. Cyrillus. Chrysost.

Quarto probatur ex illo ad Rom. 8 : *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri, etc.* Ubi Aug. lib. de Prædest. Dei cap. 2 et 3, Hieron. ibi, et alii Patres dicunt, sensum hujus loci esse Deum prædestinasse ad gloriam illos, quos sibi devotos futuros esse præscivit. 10. Quartum. Rom. 8. D. August. Hieron.

§ III.

Vera sententia, et primum ejus fundamentum.

Dicendum tamen est, electionem, seu intentionem efficacem, qua prædestinati, electi sunt ad gloriam, fuisse juxta sacram Scripturam omnino gratis ante prævisionem meritorum; non vero ex justitia, et post prævisa merita. Ita sancti Patres, et Theologi, quos dub. 2 et 3 n. 45 et n. 78 hujus disp. referemus. Conclusio.

Assertionem hanc probat D. Th. in argumento *sed contra*, ex illo ad Ephes. 1 : *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti, et immaculati in conspectu ejus*, etc. Ubi loquitur Apostolus de electione speciali prædestinatorum ad gloriam, solis ipsis conveniente, scilicet de electione absoluta et efficaci. Nam in verbis immediate præcedentibus explicans (ut bene notavit D. Th. ibidem) quo modo Deus benedixit nos in spe in præsenti, sed in futuro benedicet in re; et ponens præteritum pro futuro propter certitudinem hujus benedictionis, sic inquit : *Benedictus Deus, et Pater Domini mei Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo*, statim subdit verba a nobis relata, *sicut elegit nos in ipso*, etc. Constat autem prædestinatos, et solos illos esse absolute et efficaciter benedictos omni Fundamentum primum illius. D.Thom. Ad Eph. 1. D.Thom.

benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.

D.Thom. Et propterea D. Thom. explicans hæc verba lect. 1 applicat ea ad solos prædestinatos, his verbis : *Benedixit inquam nos, licet nostris meritis maledictos, in omni benedictione spirituali, scilicet quantum ad animam, et quantum ad corpus : tunc enim erit corpus spirituale* 1 *Corint.* 15 : *Seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale, benedictione inquam habita in cœlestibus, idest, in cœlo.* Ergo cum Paulus statim addidit : *Sicut elegit non in ipso*, etc. loquitur de electione propria prædestinatorum, quæ est absoluta et efficax. Patet consequentia. Quia Paulus adducit hæc ultima verba, ut ostenderet quam certum sit prædestinatos esse nunc benedictos omni benedictione spirituali in spe, et postea in re in futuro ; et quam legitime ratione hujus certitudinis apposuerit præteritum pro futuro : siquidem ita hoc eveniet sicut electi sunt ad prædictam benedictionem : ergo sentit quod electio illa, ex qua hoc certo dimanavit, fuit electio efficax, et absoluta : alioqui non posset inde omnimodam certitudinem prædicti eventus convincere.

Et deinde, ut denotaret, hanc electionem fuisse omnino gratis, et ante prævisa merita, non dixit, nos electos esse, quia eramus sancti : sic enim innueret, fuisse electos propter merita prævisa, et ex justitia : sed dixit, *ut essemus sancti*, ut significaret esse electos ante prævisa merita, et per consequens omnino gratis. Quia ex ista electione ortum duxit, ut essemus sancti, et haberemus merita, ut optime expendit, et Aug. arguit Augustinus libro 8 de Prædestinatione Sanctorum capite 18 et 19.

11. Evasio. Vazquez. Nec refert solutio Gabrielis Vazquez et aliorum asserentium, Paulum in hoc testimonio non loqui de electione ad gloriam, sed de electione ad gratiam. Tum quia Augustinus inquit, quod electi, de quibus loquitur Paulus, sunt electi per electionem gratiæ : et paulo ante dixerat idem Augustinus : elegit eos per electionem gratiæ, si autem gratia non ex operibus : at si sentiret, Paulum loqui de electione ad beatitudinem, non vocaret eam electionem gratiæ, nec diceret eam non esse ex præcedentibus meritis, cum beatitudo non tribuatur sine illis. Tum etiam : quia ait, illos esse electos, ex eo quod secundum propositum sunt vocati. Constat autem non esse electos ad beatitudinem, quia sunt vocati secundum propositum Dei, sed potius e contra : ideo sunt vocati, quia sunt electi, et prædestinati ad beatitudinem. Nam, ut patet ex eodem Paulo in epistola ad Romanos, vocatio secundum propositum Dei, est effectus prædestinationis.

Non itaque hæc solutio refert. Tum, quia testimonium hoc explicat glossa ordinaria de electione ad gloriam, his verbis : *Gratis facit, gratis prædestinando, per ipsum Christum*, et similiter interlinealis : *Elegit nos* (inquit) *ut eum conspiciamus*, et in eodem sensu explicant idem testimonium Chrysostomus homil. 1 in cap. 1 ad Ephes., Ambros., Theophylactus, Hugo Victorinus, Sedulius ibidem, necnon et Angelicus Doctor lect. 1.

Tum etiam et maxime, quia August. perpetuus est in explicatione hujus loci de electione ad gloriam, et ita lib. 6 Hypognosticon, cap. 6, de prædestinatis inquit : *Regnum cœlorum eis esse prædestinatum sine dubitatione dicendum est. Hoc enim Apostol. Paulus probat cum ante, eos prædestinatos et electos esse testatur, quam mundus constitueretur : scribens enim Ephes. dicit : Elegit nos*, etc. lib. 5 contra Julian. c. 4 explicat eumdem locum de illis, de quibus dicitur Rom. 8 : *Quos autem prædestinavit, illos et vocavit, justificavit, et glorificavit.* De quibus etiam postea subdit : *Ex his nemo periit, quacumque ætate moriantur.* Lib. de Prædest. sanctor. c. 17 intelligit dictum locum de electione, per quam Deus justificat, et glorificat electos, perducitque ad beatitudinem. Item c. 18 sequenti intelligit de prædestinatis a Deo in laudem gloriæ ejus, quibus omnia cooperantur in bonum. Hi autem sunt illi, qui ad æternam vitam sunt electi. Et tandem, ut alia omittamus lib. de Correct. et grat. c. 7 expresse intelligit testimonium hoc de elect. prædest. ad gloriam. Post multa enim, quæ de electione prædestinatorum dixit, subdit : *Electi autem sunt ad regnandum cum Christo.* Et infra : *Illos elegit ad obtinendum regnum suum.* Remanet ergo locum illum intelligendum esse de electione prædestinatorum ad gloriam.

Unde non bene Vazquez in præsenti, disp. 89 cap. 8 explicat hæc ultima verba ex August. lib. de Correct. et grat. desumpta, de regno in semine, idest, de gratia, quæ est semen regni cœlestis et beatitudinis. Nam hæc explicatio contradicit contextui Aug. Etenim electio ad regnandum in semine, sive ad gratiam, non habet infallibiliter

liter conjunctam beatitudinem actu assecutam. Quoniam prædictum regnum in semine, commune est tam reprobis, quam prædestinatis. Aug. autem ibi loquebatur de electione speciali prædestinatorum, quæ non convenit reprobis : et de regno, quo peculiariter potiuntur prædestinati, non vero reprobi; ac proinde de electione ad regnandum, quæ habet infallibiliter connexam beatitudinem actu consecutam debito tempore. Et ita de his electis sic August. inquit : *Horum si quisquam periit, fallitur Deus : sed nemo eorum periit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam periit vitio humano vincitur Deus . sed nemo eorum periit, quia nulla re vincitur Deus : electi sunt autem ad regnandum cum Christo, etc.* Ubi etiam expendendum est, Augustinum ex eo intulisse, neminem horum electorum perire, quia electi sunt ad regnum cum Christo. Constat autem solam electionem efficacem ad gloriam esse causam hujus, quod est prædestinatos non perire, ut ex se, et ex jam dicendis dub. 3 hujus disp. patebit.

13. Infringitur primum, quod pro se adducit Vazquez.

Nec ea, quæ in favorem suæ solutionis supra adduxit idem Vazquez ad suadendum, hoc testimonium Apostoli intelligendum esse præcise de electione ad gratiam, ei favent. Non quidem primum, nempe quod Aug. dixit electos, de quibus loquitur Paulus, fuisse electos per electionem gratiæ, et quod paulo ante dixit : *Si autem gratia, non ex operibus, etc.* Quoniam electio ad beatitudinem non ideo nuncupatur ab Aug. electio gratiæ, quia sit electio ad solam gratiam; sed quia est omnino gratuita, ut ex eodem Aug. dub. sequenti expendemus : et ideo ipse in hoc testimonio se explicat in hæc verba : *Profecto electi sunt per electionem, ut dictum est, gratiæ, non præcedentium meritorum suorum.* Et clarius lib. de Patientia cap. 20 : *Hanc* (inquit) *electionem non præcedentium in bonis operibus meritorum, sed electionem gratiæ, demonstrans Apostolus, inquit : Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt : si autem gratia, jam non ex operibus, etc. Hæc est electio gratiæ, idest, electio, qua per Dei gratiam homines eliguntur : hæc est inquam electio gratiæ, qua omnia bona merita præveniuntur humana : si enim ullis bonis meritis datur, jam non gratis donatur, sed debita redditur.* Constat autem in his verbis loqui Aug. de electione ad beatitudinem, de qua intelliguntur verba illa : *Reliquiæ per electionem salvæ factæ sunt*, et tamen inquit (ut vidimus) esse electionem gratiæ, idest, non ex meritis, seu propter merita prævisa.

Et similiter tract. 86 in Joan. : *Quid ergo* (inquit) *elegit in non bonis? Non enim electi sunt, quia boni fuerunt, qui boni non essent, nisi electi essent, alioquin gratia jam non est gratia si præcessisse contendimus merita. Hæc quippe electio gratia est, de qua dicit Apost. : Sic ergo in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt.*

14. Ad id quod in eadem probatione addit Vazq.

Ex quo etiam constat, falsum esse id, quod in hac probatione addit Vazquez nempe, quod si Augustin. sermonem texeret de electione ad gloriam, nequaquam diceret eam esse sine præcedentibus meritis. Etenim nihil certius apud August. quam electionem prædestinatorum ad gloriam fieri ex mera liberalitate Dei, et sine præcedentibus meritis prædestinatorum : quamvis inde non fiat beatitudinem tribui in executione sine meritis. Quoniam aliud est electionem ipsam ad gloriam fieri sine meritis præcedentibus : et aliud beatitudinem tribui sine meritis, ut infra dub. 3 dicemus. Quia licet nullis meritis nostris præcedentibus habeat Deus intentionem eligendi nos ad gloriam; attamen ex mera liberalitate, et gratis eligimur, ut in executione consequamur illam per merita nobis concessa, et illata ex efficacia talis intentionis, ut loco citato dicemus.

15. Infringitur secundum, quod pro se adducit Vazq.

Neque etiam secundum, quod pro se adducit Vazquez, ei opitulatur. Quoniam illa particula causalis *quia*, tantum significat, vocationem secundum propositum Dei esse priorem in genere causæ materialis, et dispositivæ, quam electionem ad gloriam : non quidem sumpta electione secundum se, sed ex parte sui termini, idest consecutionis illius. Quo etiam modo explicandum est prædictum testimonium, et eadem particula causalis, si intelligeretur de electione ad gratiam. Quia tunc vocatio secundum propositum Dei, nequit esse causa efficiens aut finalis electionis ad gratiam, sed causa materialis, et dispositiva non quidem illius electionis secundum se sumptæ, sed solum ex parte sui termini, nimirum ipsius gratiæ, respectu cujus habet rationem causæ dispositivæ et materialis.

16. Prior impugnatio contra dicta. August. Hieron. Secunda.

Nec tandem obest si in favorem Vazquez urgeas contra ea, quæ diximus. Tum quod Augustin. lib. de Prædestinat. Sanct. cap 19, Hieron. contra Rufinum, et alii Patres intelligunt hoc testimonium Pauli de electione gratiæ, sive ad gratiam. Tum etiam : quia si in prædicto testimonio sermo esset

de electione ad gloriam, non diceremur eligi, ut essemus sancti : siquidem illa particula *ut*, significat finem electionis : esse autem sanctum non est finis electionis ad gloriam, sed dispositio ad illam obtinendam. Tum deinde : quia illam epistolam scribit Paulus omnibus Ephesis, quos vocat sanctos, et fideles in principio capitis : at inter omnes Ephesos fideles multi erant reprobi : ergo nomine electorum non intelligit ibi electos ad gloriam, sed ad gratiam. Tum denique : quia multoties in Scriptura appellantur electi absolute, et sine addito illi, quibus tribuitur fides, vel gratia, etiamsi non adipiscantur gloriam : unde omnes Colossenses cap. 3 epistolæ Pauli ad illos, et cuncti Thessalonicenses epist. 2 cap. 2 ad eosdem, et omnes fideles ad Titum 1 et 1 Petri, 1 vocantur electi ; cum tamen certum sit, non omnes illos fuisse prædestinatos, et electos ad gloriam : ergo etiam in prælicto testimonio Pauli, quod pro nostra assertione adduximus, potest sumi pro electione ad gratiam, et non ad gloriam.

Tertia.

Ultima.

Colos. 3. 2 ad Thessal. 2. Ad Tit. 1. 1 Petri 1.

17. Ad primam impugnationem.

Respondetur enim ad primam ex his impugnationibus, Augustinum, et alios Patres tantum voluisse, electionem ad gloriam fuisse electionem gratiæ, idest, gratuitam, sive ad gratiam, hoc est, ad gratiam consummatam, quæ est idem cum gloria.

Adde, quod licet Aug et alii Patres dixissent, testimonium hoc intelligi de electione ad gratiam, non tamen ob id negasse, quin potius adstruisse, intelligendum etiam esse de electione ad gloriam. Nam licet in reprobis electio efficax ad gratiam non sit electio efficax ad gloriam ; attamen in prædestinatis electio efficax ad gratiam, est re ipsa electio efficax ad gloriam : et ideo eliguntur efficaciter ad illam, quia efficaciter eliguntur ad istam.

18. Ad secundam.

Ad secundam vero respondetur, quod licet non sit finis electionis ad gloriam, ut nos simus sancti per gratiam sanctificantem viæ, imo nec per gratiam sanctificantem patriæ ; est tamen effectus illius, et objectum materiale per se inspectum ab eadem electione, sub propria et formali ratione ipsius : hoc autem sufficit ad hoc ut possit dici, nos electos esse ad gloriam, ut essemus sancti. Sicut licet charitas terminetur ad proximum, ut ad objectum materiale ; et ad bona spiritualia, quæ illi vult tanquam ad effectus ; nihilominus hoc sufficit ad hoc ut etiam dicatur, charitatem esse ad hoc, ut per eam diligamus proximum, et velimus illi prædicta bona. Et sicut prædicta bona possunt se habere per modum dispositionis ad charitatem, licet non sint finis volitionis Dei, qua voluit charitatem infundere, ita gratia viæ potest esse dispositio ad gloriam, quamvis gratia viæ non sit finis electionis, qua a Deo volita est prædestinatis ipsa gloria.

19. Ad tertiam Augus

Ad tertiam concedatur major, et transeat minor ; sed negetur consequentia. Nam, juxta regulam Scripturæ, quæ traditur ab August. lib. 3 de Doctrina Christiana cap. 32, lib. contra Donatistas cap. 20 et tract. 70 in Joan. et latius ab Ambros lib. 1 de vocatione Gentium cap. 3 ; pro qua etiam videri potest Martinez lib. 10 Hypotepo-seon regula 40. Quando in sacra Scriptura fit sermo ad populum, tunc aliquando fit sermo ad illum, ac si omnes ex illo essent justi, aliquando vero, ac si essent peccatores. Quo loquendi modo frequenter utitur Paulus, ut notavit Hieron. c. 63 Isaiæ, et ita in hoc testimonio, in quo inquit Paulus ad Ephes. nos electos esse ad gloriam, ut essemus sancti, loquitur cum illis, ac si omnes illi essent sic electi. Unde August. epist. 56 q. 6 hoc modo explicat illud, quod habetur in epist. ad Rom ubi omnes Israelitæ vocantur electi propter patres eorum : ex eo quod licet aliqui ipsorum essent reprobi, attamen propter prædictam consuetudinem Scripturæ, loquitur ad omnes, ac si omnes essent electi : ex eo quod aliqui eorum erant ex electis.

Ambros

Marti-nez.

Hieron

Augus

Et similiter idem Aug. quæst. 117 in Genes. ait Christum Joan. 6 omnes suos Apostolos vocasse electos, cum dixit, duodecim : *Ego vos elegi* : quia licet Judas non fuerit efficaciter electus ad beatitudinem (de qua electione ibi loquebatur) attamen quia nomine melioris partis intelliguntur cæteri, juxta Scripturæ phrasin, propterea sub nomine electorum, etiam Judas intellectus fuit. Quæ expositio debet necessario admitti etiam ab adversariis quatenus, etsi daremus, August. loqui de electione ad gratiam in eo sensu, in quo ipsi volunt ; attamen valde credibile est, non omnes Ephesos fuisse electos ad gratiam efficaciter habendam, et ideo Paulus propter rationem, et phrasin Scripturæ jam dictam, ita loquitur ad illos, ac si omnes essent sic electi.

Augus Joan. 6

20. Ad ultim D.Tho

Ad ultimam vero impugnationem negetur antecedens, juxta doctrinam D. Thomæ infra quæst. 24 art. 2 ad ultimum his verbis . *Vita gratiæ non habet rationem finis, sed rationem ejus, quod est ad finem. Unde*

ad

ad vitam gratiæ non dicitur aliquis eligi, nisi in quantum vita gratiæ ordinatur ad gloriam : et propter hoc illi qui habent gratiam, et excidunt a gloria, non dicuntur esse electi simpliciter, sed secundum quid. Quod
ugust. etiam docuit Augustin. lib. de Correct. et grat. cap. 7. Ad id autem quod ad probationem antecedentis adducitur, constat ex nuper dictis in solutione ad præcedentem impugnationem. Et hæc de primo fundamento assertionis. Quod ideo latius prosecuti sumus, quia D. Thom. eo ad idem intentum utitur ; et aliqui ex recentioribus dicunt prædictum testimonium non esse ad rem ad assertionem nostram confirmandam : ac proinde Angelicum Doctorem, non bene in argumento *sed contra* probasse, prædestinatos fuisse efficaciter electos ad gloriam.

§ IV.

Fundamentum secundum veræ sententiæ.

21. ecundum undamentum diver- testiioniis alesens.

Secundo probatur assertio ex aliis Scripturæ testimoniis. Et primo ex illo Lucæ 12 : *Nolite timere pusillus grex : quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* In quo plane loquitur Christus Dominus de voluntate efficaci dandi gloriam, quæ nomine regni significatur, ut supra in hoc dub. num. 12 dicebamus. Quare, cum dicat tribui prædestinatis ex complacentia, et beneplacito Patris, satis indicat dari ex mera gratia et non ex meritis : quandoquidem quod ex meritis tribuitur, non habet, proprie loquendo, dari ex complacentia, et beneplacito, sed ex justitia. Qua etiam ratione Augustin. lib. 3 Hypognost.
. Au- ust. cap. 14 explicat illud ad Galat. 1 : *Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam, ut revelaret filium suum in me*, sic inquit : *Non dixit : cum voluissem ego; sed cum placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit, non per meritum meum, sed per gratiam suam.*

Et similiter in testimonio hoc, quod ex Paulo modo adducebamus, hæc eadem veritas continetur. Nam in eo condistinguit Paulus vocationem per gratiam, et segregationem ex utero matris ; et hanc prius constituit, ut radicem illius : ergo ante electionem ad gratiam præcessit segregatio, seu electio ad gloriam : ac proinde prædicta electio non fuit ex meritis, quæ sunt posteriora ipsa gratia.

Et deinde Joan. 15 dicitur : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Quæ verba Augustin. lib. de Patientia cap. 20, 21 et 22 intelligit de electione efficaci ad gloriam : at vis et energia eorum non salvaretur, si prædicta electio fuisset post prævisa merita. Nam tunc Apostoli prius elegissent Deum, quam Deus efficaciter elegisset illos ad gloriam : siquidem prius meruissent vitam æternam per amorem, quo dilexissent illum, ut ultimum finem præ omnibus rebus ; ac proinde elegissent illum præ omnibus illis. Joan. 15. August.

Et tandem ad Ephes. 1 : *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum, secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ.* Et post pauca : *In quo nos sorte vocati sumus prædestinati secundum propositum ejus.* Ubi D. Thom. lect. 4 notat, prædestinationem appellari sortem, quia Deus per modum sortis secundum occultam providentiam, non ex alicujus meritis prædestinat : in quo sensu intelligit illud ad Coloss. 1 : *Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum.* Quod etiam advertit D. August. in illud Psal. 30 : *In manibus tuis sortes meæ.* Ubi per sortes, gratiam prædestinationis intelligit, quæ non contingit electis ex aliquibus meritis etiam prævisis, sed ex mera Dei voluntate : quam explicant illa verba : *Secundum propositum voluntatis ejus.* Unde idem D. August. lib. 2 contra duas epistolas Pelagianorum cap. 10 et lib. de Correct. et grat. cap. 7 : *Electi sunt* (inquit) *quia secundum propositum vocati sunt : propositum autem non suum, sed Dei. De quo alibi dicitur : ut secundum electionem, propositum Dei maneret, et alibi non secundum opera nostra (inquit), sed secundum propositum suum et gratiam.* 22. Ephes. 1. D. Thom. Colos. 1. August. August.

§ V.

Fundamentum ultimum pro vera sententia.

Ultimo probatur assertio optimo testimonio Pauli ad Rom. 9 : *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei :* quia major serviet minori. Sicut scriptum est : *Jacob dilexi, Esaü autem odio habui.* Ubi nomine dilectionis, qua a Deo dilectus est Jacob, et nomine odii, quo ab eo, odio habitus est Esaü, significatur ab Apostolo voluntas illa, qua Deus 23. Rom. 9.

voluit dare prædestinatis vitam æternam, eligendo eos ad illam : necnon voluntas qua voluit eamdem vitam æternam, per modum indebiti beneficii denegare reprobis. Et tamen hæc discretio et electio dicitur facta fuisse antequam aliquid boni vel mali egissent, et non ex operibus, sed ex vocante : ut per hoc inter alia denotaretur, prædictam electionem ad gloriam fuisse factam non ex meritis, ac proinde gratis, et ex mera voluntate vocantis, seu eligentis ante prævisionem meritorum.

24. Expenditur primo testimonium Pauli. August.

Confirmatur, et explicatur vis hujus testimonii ex iis, quæ docet August. lib. 1 ad Simplicianum q. 2 et alibi sæpe. Nam expendens hunc locum, advertit primo, Apostolum valde consulto dixisse, quod Isaac ex uno concubitu genuit Jacob et Esaü, tum ut auferretur suspicio, qua posset quis suspicari prædestinationem Jacob refundendam esse in merita parentum, quæ habebant, quando illum genuerunt : et reprobationem Esaü in demerita eorum, ex eo quod essent in peccato, in conceptu, sive generatione illius. Tum etiam, ut tolleret ab astrologis ansam referendi has adeo diversas sortes ad varios astrorum aspectus, in quibus hi duo fratres nati essent.

Expenditur secundo.

Secundo advertit, data opera asseruisse Apostolum : *Cum nondum nati essent, aut aliquid boni egissent, aut mali,* ne quis has easdem diversas sortes prædictorum fratrum ad mala, vel bona opera uniuscujusque eorum præcedentia referret.

Expenditur tertio.

Tertio denique animadvertit, idcirco Apostolum addidisse : *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est, etc.* ut significaret, electionem unius, et exclusionem alterius jam dictam non in diversitatem operum subsequentium, seu in merita, vel demerita prævisa, sed solum in puram Dei voluntatem refundendas esse : et hoc denotasse Paulum, cum asserit : *Miserebor cujus misereor, et misericordiam præstolabor cui miserebor.* Et iterum : *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Et rursus : *Cui vult miseretur, et quem vult indurat.* Et tandem : *O homo, tu quis es, ut respondeas Deo? Numquid dicet figmentum ei, qui se finxit, quare me fecisti sic?* Quæ verba multoties repetit August. ut ostendat electionem ad gloriam non fuisse factam ex meritis prævisis, sed ex gratuita voluntate divina.

Quibus omnibus accedunt omnia illa testimonia, quibus in tractatu de Scientia Dei disp. 10 num. 31 et deinceps probavimus, non posse esse in Deo præscientiam alicujus futuri, ante voluntatem efficacem Dei de eodem futuro. Nam ex vi horum testimoniorum tollitur scientia media præcedens electionem ad gloriam : et ea sublata nequit electio efficax ad gloriam ex prævisis meritis fieri, propter ea, quæ hucusque diximus.

25. Prior evasio. Lessius Molina.

Nec refert si occurras primo, cum Less. lib. de Prædestinatione sect. 3 num. 32, et Molina in præsenti art. 5 disp. 1 memb. 11 et aliis asserentibus, testimonium hoc ex Paulo desumptum, non esse intelligendum de electione ad gloriam, et exclusione ab illa; sed de electione Jacob ad bona quædam temporalia, a quibus exclusus est Esaü.

Præcluditur.

Non itaque hoc refert. Nam etsi concedamus, prædictum testimonium intelligi de prædicta electione ad talia bona temporalia; nihilominus debet etiam intelligi de electione Jacob ad vitam æternam, et exclusione (jam dicta) Esaü ab illa, et sub typo horum duorum fratrum, de electione ad beatitudinem, et exclusione (jam explicata) ab illa omnium hominum, qui electi, vel exclusi sunt. Nam ita intelligunt prædictum testimonium Chrysost., Theodoretus, Anselmus, Beda, Sedulius, et sanctus Thom. in expositione hujus loci : et eadem expositio habetur in commentariis, quæ tribuuntur Athanasio, et Ambrosio, quam etiam tradunt Hieronym. Malach. 1, Anastasius Nyssænus in quæstionib. Scripturæ q. 59, August. lib. 1 ad Simplician. q. 2 epist. 105 et 106 et in Enchir. cap. 98 et 99, lib. de Correct. et grat. cap. 7 et de Dono persever. cap. 11, Hugo Victorinus in quæstionibus super epistolam ad Roman., Cajetan. et communiter recentiores, tam Scholastici, quam Scripturarii.

Chrysost. Theodor. Anselm. Beda. Sedul. D.Thom. Athanas. Ambros. Hieron. Anastas. Nyssæn. August. Hug. Vict. Cajetan.

Tacita objectio diluitur.

Nec talis sensus credendus est spiritualis, sed omnino literalis, utpote, qui a prædictis Patribus et Doctoribus proponitur tanquam primus, et immediatus, maximeque cohærens ipsi contextui. Ubi absque dubio sermonem facit Paulus de ipsis singularibus personis Jacob et Esaü. Quamvis, quia prædictæ personæ fuerunt capita duorum populorum, assumuntur a Paulo tanquam typus et figura cunctorum electorum, necnon et reproborum : et propterea utitur nominibus ad electionem et reprobationem spectantibus. Ait enim : *Ut secundum electionem propositum Dei maneret.* Quæ verba denotant firmum Dei decretum,

cretum, quo homines ad vitam æternam
hes. 1. elegit : ut patet ad Ephes. 1 : *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Et rursus : *Prædestinati secundum propositum voluntatis suæ.*

26. Unde ex hoc eodem contextu Apostoli in prædicto cap. 9 ad Roman. et 8 præcedenti, colligunt sancti Patres Latini et Græci, Apostolum loqui de prædestinatione et reprobatione. Nam illa verba cap. 8 : *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imagini filii sui.* Et illa : *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat, quis est qui condemnet?* Et quæ sublit in cap. 9 : *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Et illa : *Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat,* non sunt coarctanda ad personam aliquam particularem, vel ad misericordiam, aut negationem beneficiorum temporalium : sed universaliter intelligenda de misericordia, seu prædestinatione et reprobatione, comparatione bonorum supernaturalium. Quod verba illa subsequentia in eodem cap. confirmant : *Quod si Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam : quos et vocavit non solum ex Judæis, sed etiam ex Gentibus, etc.* Certe *vasa iræ apta in interitum* non dicuntur nisi reprobi, qui a supernaturali fine deficiunt, *et vasa misericordiæ* dicuntur prædestinati ad vitam æternam. Quod indicant illa verba : *Quæ præparavit in gloriam.*

7. unda sio. entia. Nec etiam refert, si occurras cum Valentia hîc puncto 4, titulo *Objectiones quædam,* § *Ad primam objectionem,* Paulum solum velle excludere opera jam facta, non vero futura et prævisa. Quia solum voluit, quod Jacob non fuit electus ex operibus factis in tempore priusquam nasceretur; licet fuerit electus ex operibus, quæ facturus erat, prævisis tamen in æternitate.

erti- ur. gust. Non igitur hoc refert. Quoniam solutionem hanc optime impugnat Augustin. epist. 105 ad Sixtum expendens hunc eumdem locum, sequentibus verbis : *Mirum cum his coarctantur angustiis, in quanta se abrupta præcipitent, metuentes retia veritatis : ideo inquiunt, nondum natorum alium oderat, alium diligebat, quia eorum futura opera prævidebat. Quis istum acutissimum sensum defuisse Apostolo non miretur? Hoc quippe ille non vidit, quando sibi velut adversantis objecta quæstione, non id potius tam breve, tam apertum, tam sicut isti putant verum absolutumque respondit? Cum enim rem stupendam proposuisset : quomodo de nondum natis, nec aliquid agentibus boni aut mali, recte dici potuerit, quod unum Deus dilexerit, alium odio habuerit? ipsi sibi objecta quæstione, motum exprimens auditoris. Quid ergo dicemus? inquit. Numquid iniquitas apud Deum? absit. Hic ergo erat locus ut diceret quod isti sentiunt, futura enim Deus opera prævidebat, quando minori majorem serviturum esse dicebat. Non autem hoc Apostolus dicit : sed potius ne quisquam de suorum operum audeat meritis gloriari, ad Dei gratiam, et gloriam commendandam, voluit valere quod dixit,* etc.

Confirmatur ex eodem August. lib. 1 contra duas epistolas Pelagianorum c. 7, ubi concludit : *Propter quod profecto desipitis, qui dicente veritate : Non ex operibus, sed ex vocante dictum est, vos dicitis ex futuris operibus, quæ Deus illum facturum esse præsciebat, Jacob fuisse dilectum : atque ita contradicitis Apostolo dicenti : Non ex operibus, quasi non posset dicere : Non ex præsentibus, sed ex futuris operibus.* Confirmatur impugnatio. August.

28. Tertia evasio. Ex quo etiam fit, nihil obesse, si tertio cum aliis occurras, vel dicendo Apostolum solum voluisse excludere, electionem ad gloriam fuisse propter merita prævisa facta ex viribus naturæ, non vero ex viribus gratiæ. Ita Faustus Regiensis in lib. 3 de libero arbit. cap. 6. Vel asserendo cum pluribus ex junioribus, ex hoc loco Apostoli solum concludi, electionem ad gloriam non fuisse factam ex meritis prævisis, etiam in gratia fundatis, quasi pro qualitate eorum Deus decreverit homines eligere : ac proinde in hoc sensu electionem fieri ex sola, et libera Dei voluntate. Non tamen docere Paulum, prædictam electionem factam fuisse ante præscientiam meritorum ex gratia procedentium : per quam Deus præcognovit merita futura ex hypothesi quod liberum arbitrium in talibus, vel talibus circumstantiis constitueretur. Nam authores hujus solutionis fatentur dari in Deo scientiam illam mediam, per quam Deus ante omne decretum suæ voluntatis in eo existens, cognoscit omnia futura contingentia tam conditionata, quam absoluta. Unde ex hoc capite non parum infirmatur testimonium Pauli ad assertionem nostram confirmandam : siquidem in ea non solum intendimus, electionem ad gloriam non esse ex justitia, et propter opera meritoria Faustus Regiens.

prævisa, nec Deum pro qualitate eorum decrevisse eligere homines ad gloriam; sed etiam talem electionem fuisse priorem prævisione prædictorum operum : ex eo quod ex vi illius sunt futura.

Impugnatur primo. Ex dictis igitur hæc etiam solutio satis corruit. Tum, quia Aug. locis citatis absolute asserit, electionem ad gloriam non

Secundo. fuisse ex meritis futuris. Tum etiam : quia ratio, quam adducit, probat intentum tam ex operibus factis ex viribus naturæ, quam ex viribus gratiæ, ut intuenti constabit : et ita in Enchir. cap. 98 explicans magis hoc ipsum, et prædictum testimo-

August. nium Pauli, sic inquit : *Qua in re si futura opera vel bona hujus, vel mala illius, quæ Deus utique præsciebat, vellet intelligi, nequaquam diceret, non ex operibus ; sed diceret ex futuris operibus, eoque modo istam solveret quæstionem ; imo nullam, quam solvere opus esset, faceret quæstionem.* Quæ ratio, ut consideranti constabit, suadet intentum, tam quoad opera facta ex viribus naturæ, aut gratiæ, quam quoad hoc quod est, non præcessisse in Deo præscientiam meritorum, ante prædictam electionem ad gloriam.

29. Tertio. Confirmatur et explicatur. Quoniam si Deus ex operibus prævisis, factis ex viribus naturæ, aut gratiæ, eligeret homines ad beatitudinem, aut prædicta merita prævideret, antequam eos ad eamdem beatitudinem eligeret : tunc mysterium de electione hominum ad gloriam, et de voluntate excludendi eos ab illa, non esset inscrutabile : siquidem facile posset reddi ratio illius, asserendo Deum eos elegisse, quorum bona opera prævidit, et eos exclusisse a gloria, quorum mala opera ab eo prævisa sunt; sive talis electio v. g. fuerit facta pro qualitate meritorum, ut aliqui ex adversariis volunt; sive tantum prædicta bona merita fuerint prævisa in aliquibus, et in aliis non : siquidem tunc facile posset reddi ratio voluntatis eligendi ad gloriam, si diceretur, eos fuisse electos ad illam, qui prævisi sunt bene operaturos. Et per consequens, ut bene dicebat Aug. hoc modo istam solveret quæstionem; imo nullam, quam solvi opus esset, faceret quæstionem. Cujus oppositum satis indicavit Apost. dum loquens de hoc mysterio

Ad Rom. 11. exclamavit dicens : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus.*

Prosper. Quocirca Prosper. lib. 1 de vocat. Gent. cap. ultim. inquit : *Profunditas illius quæstionis, quam secundum admirationem Apostoli impenetrabilem confitemur, per liberi arbitrii velle, et nolle non solvitur. Quia licet insit ei malum nolle, tamen nisi donatum, non habet bonum velle : et illud contraxit natura per culpam, hoc recepit natura per gratiam, sed quid illud sit, quod hæc eadem natura in omnibus hominibus ante reconciliationem mala in omnibus misera, non in omnibus justificatur, et a pereuntibus quadam sui parte discernitur ab eo, qui venit quærere, et salvare quod perierat, humano sensu prorsus non potest indagari.* Restat ergo quod prædestinatio omnino facta est sine illa præscientia.

Accedit, quod, ut in tract. de Scient. Quart. Dei disp. 11 n. 14 probavimus, non possunt hæc duo inter se cohærere, nimirum quod scientia media, et prævisio operum bonorum per illam ante electionem Dei, sit simpliciter necessaria ad talem electionem, et nihilominus quod Deus non eligat ad beatitudinem dependenter a meritis prævisis, cujus oppositum una cum suis sequatibus docet Suarez : ex quo hæc solutio Suarez quoad ultimam ejus partem de scientia media, quam modo impugnamus, desumpta est.

Nec deinde refert, si cum juniore quo- 30. dam ad tertiam impugnationem modo adductam de inscrutabilibus mysteriis dicas, quod cum dicitur mysterium electionis ad gloriam, et exclusionis ab illa esse inscrutabile, non debet intelligi de eo secundum se, et formaliter sumpto, sed secundum illa, quæ præsupponit. Nam Deus per scientiam mediam prægnovit, quod D. Petrus v. g. si poneretur in his, vel in illis occasionibus, consensurus erat Deo vocanti, et in gratia perseveraturus : si autem collocaretur in certis aliis occasionibus, dissensurus erat divinæ vocationi. Et similiter si Judas constitueretur in hac vel illa serie occasionum, bene operaretur, et perseveraret in gratia : non vero si in aliis occasionibus collocaretur. Et tamen Deus pro sua libera voluntate, et ob occultissima judicia voluit constituere Judam in illa serie occasionum, in qua male usque ad finem vitæ operaturus erat : e contra vero D. Petrum in illis occasionibus constituit, in quibus prævidit bene usurum gratia, et in ea perseveraturum.

Quod igitur inscrutabile est, quodque in solam divinam voluntatem, et occultissima Dei judicia referri debet, tantum est, quod Deus

Deus collocaverit D. Petrum in illa serie, et ordine rerum, in quo bene, et perseveranter usurus erat gratia : non vero in iis occasionibus, in quibus eadem perseveranter abusurus erat : e contra vero in Juda acciderit. Cæterum semel hoc supposito, quodque ad divinam prædestinationem præsupponitur, non est inscrutabile, cur Deus Judam reprobaverit, et D. Petrum prædestinaverit : siquidem hujus potest optima ratio reddi ex prævisione boni usus gratiæ in uno, et abusus ejusdem in alio.

31. Infringitur primo. August. Secundo.

Verum hæc solutio non satisfacit. Tum quia satis impugnata est ex illis, quæ ex D. August ad impugnandam secundam evasionem n. 27 adducta sunt. Tum etiam : quia nititur in hoc, quod detur scientia media, per quam ante omne decretum divinæ voluntatis præsciat Deus quid creata voluntas, si ponatur in his vel illis occasionibus, operatura sit : cum tamen hanc scientiam esse impossibilem, multis in tract. de Scientia Dei a disput. 10 usque

Tertio.

ad disp. 12 ostenderimus. Tum deinde : quia Paulus loquens in personis Esaü et Jacob de hoc mysterio, secundum se sumpto, ut sancti Patres docent, recurrit ad solam Dei voluntatem ad hoc ut assignet causam, seu quasi causam dilectionis Dei respectu Jacob, et odii respectu Esaü. Et ita postquam dixit, hanc dilectionem, et odium esse ante prævisa merita, vel demerita, et ex vocante, seu ex proposito efficaci Dei prædestinantis, quo voluit unum alteri præeligere, objicit sibi : *Numquid iniquitas est apud Deum?* idest, si Deus ante prævisionem meritorum, vel demeritorum habet voluntatem eligendi, vel excludendi a regno, ac proinde mysterium hoc est inscrutabile, et ad solam Dei voluntatem, occultissimaque ejus judicia referendum est, fiet inde, ut iniquus sit, et injustus, ac personarum acceptor. Et respondet hoc longe abesse a Deo : quia pro sola sua voluntate potest ad suum cœleste regnum quem voluerit eligere, vel ab eo excludere : ex eo quod de propriis bonis, et indebitis potest quisque pro suo libero arbitrio disponere : et ideo ad solvendam prædictam objectionem, adducit Paulus

Exod.33.

testimonium illud Exodi 33, ubi dixit Dominus Moysi : *Miserebor cui misereor, et misericordiam præstabo cui miserebor :* seu secundum literam nostram : *Miserebor cui voluero,* etc.

D.Thom.

Unde D. Thom. exponens hæc eadem verba Apost. lect. 3 sic inquit : *Manifestum est autem, quod justitia distributiva locum habeat in iis, quæ dantur ex debito, non autem in iis, quæ sponte, et misericorditer aliquis dat. Ei ideo Apostolus quæstionem solvit per authoritatem, quæ omnia divinæ misericordiæ adscribit : et hic sensus magis concordat cum nostra litera, quæ dicit : Miserebor cui voluero, et clemens ero cui mihi placet.* Ubi manifeste non meritis, sed soli divinæ bonitati adscribitur divina misericordia.

Quarto.

Tum denique : quia loquens idem Paulus de hoc eodem mysterio secundum se sumpto, seu (quod in idem saltim quoad præsens redit) de voluntate admittendi, vel excludendi modo dicto a beatitudine homines, non assignat aliam causam, seu quasi causam nisi divinam voluntatem, et ostensionem suæ justitiæ vindicis, omnipotentiæ, aliorumque attributorum : et ita inquit : *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? quod si Deus volens ostendere iram et notam facere potentiam suam, sustinuit* (idest permisit, ut exponit D. Thom.) *in multa* D.Thom. *patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam,* etc.

32. Quinto.

Accedit primo, non solum esse referendam in gratuitam Dei voluntatem constitutionem electorum in illis circumstantiis, in quibus præsciebat quod per suum arbitrium erant consensuri auxiliis gratiæ prævenientis; sed peculiariter, et potiori ratione esse in eamdem Dei voluntatem referendum, quod ipsi velint consentire, et de facto consentiant Deo vocanti : ergo non propter hoc tantum recurrit Apostolus ad voluntatem Dei, et ad inscrutabilia judicia ejus, quia nimirum pro arbitrio suo decrevit collocare hos, et non illos, in his circumstantiis, et non in illis; sed etiam, et maxime, quia pro libito suo efficaciter decrevit, quod isti, et non illi consensum præberent vocationi. Antecedens non indiget probatione. Consequentia autem probatur. Quia postquam Deus constituit Joannem v. g. et Franciscum in quibuslibet circumstantiis, et occasionibus, est illi integrum pro libito suo facere, quod uterque, vel alter solummodo consensum præbeat vocationi : ex eo quod hominum voluntates magis sunt in potestate Dei, quam in propria eorum potestate : et propterea D. Aug. in Enchir. cap. 98 inquit : August.

Quis enim tam impie desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, in bonum non posse con-
Prosper. *vertere. Aut quis* (ut inquit etiam Prosper. lib. 1 de vocatione Gent. c. ult.) *dicat, quod illa virtus gratiæ, quæ sibi quos voluit subdidit, convertere eos, qui inconvertibiles permansere, non potuit : tales fuerunt, qui sunt attracti, quales hi, qui in sua duritia sunt relicti : sed illis tribuit gratia stupenda, quod voluit, istis tribuit veritas justa quod debuit, ut judicium Dei magis inscrutabile sit in electione gratiæ, quam in retributione justitiæ :* ergo constitutis pro libito Dei Joanne, et Francisco in circumstantiis quantumvis similibus, et æqualibus, potest Deus alterum convertere, et alterum deserere : vel constitutis eisdem in circumstantiis quantumvis dissimilibus, utrumque convertere, aut utrumque deserere Et consequenter inscrutabilitas judiciorum Dei, et recursus ad ejus voluntatem, non sumitur ex eo solum, quod pro libito suo constituerit homines in his, aut illis circumstantiis; sed etiam, et maxime, ex eo quod pro libito suo voluerit efficaciter, quod isti, et non illi consentirent vocationi, et converterentur : et isti, et non illi eligerentur.

33. Ultimo. Alvarez. Accedit tandem ultima ratio, quam adducit Alvarez in lib. de Auxiliis disp. 37. Nam cum Pelagius expresse concesserit liberum arbitrium gratis omnino a Deo creari absque ullis meritis, etiam ex hypothesi futuris, a fortiori Massilienses vel concesserunt, vel facile concessissent hoc ipsum, ac proinde usus liberi arbitrii, ex hypothesi futuri, assignari rationem, propter quam ex infinitis hominibus possibilibus (quos, ut ipsi asserebant, præsciebat Deus bene usuros suo arbitrio, si crearentur in talibus circumstantiis) hos in particulari, vel illos statuerit creare, et in eisdem circumstantiis constituere, in quibus salvi fierent; sed totum id referrent ad meram et gratuitam Dei voluntatem. Neque oppositum esset credibile : alias cogerentur fateri, omnes homines, et Angelos possibiles, quos præscit Deus, bene usuros esse suo arbitrio ex hypothesi quod tali gratia, et in talibus circumstantiis excitarentur, esse re vera a Deo absoluta, et efficāci voluntate creatos, et prædestinatos : siquidem illa ratio æqualiter procedit de omnibus hominibus, et Angelis possibilibus : hoc autem illis in mentem venire non potuit : alias cogerentur ponere infinitos prædestinatos : ergo quando S. Aug. ex isto, et aliis locis Scripturæ urget Pelagianos, et Massilienses, quod non detur ex parte boni usus liberi arbitrii prævisi a Deo, causa prædestinationis, non solum contendit, quod non detur causa propter quam Deus statuerit creare hominem, et constituere in illis circumstantiis, in quibus præsciebat, illum ita bene usurum suo arbitrio, ut consequeretur salutem æternam; sed etiam, et maxime, quod non detur ex parte boni usus liberi arbitrii futuri, causa, ratio, vel conditio, a qua dependeat, quod Deus hunc elegerit ad æternam beatitudinem, aut a qua dependeat quod modus providendi Dei sortiatur rationem formalem prædestinationis, vel retineat solum rationem communem providentiæ supernaturalis.

34. Objectio contra ultimum fundamentum assertionis. Nec refert si contra hoc ultimum fundamentum nostræ assertionis ex prædicto testimonio Pauli desumptum objicias, non cohærere cum eo, ea quæ circa reprobationem disp. 8 n. 18 adduximus. Quoniam hic Paulus omnino æquiparat prædestinationem, et reprobationem quoad hoc quod est non esse ex prævisis meritis : ergo cum juxta nostram sententiam, ut ex adducendis constabit, electio prædestinatorum ad gloriam, sive gloria consideretur per modum indebiti beneficii, ut in parvulis contingit; sive per modum coronæ, ut in adultis accidit, sit ordine intentionis ante prævisa merita, oportet ut etiam reprobatio, tam ut est exclusio a regno per modum indebiti beneficii, quam ut est exclusio ab illo per modum pœnæ, sit ante prævisa demerita, cujus oppositum quoad hanc secundam partem, loco citato diximus. Vel si hoc dici nequit in reprobatione, nec etiam in prædestinatione, seu electione ad gloriam affirmari poterit.

35 Enodatur. Respondetur enim, Paulum æquiparasse prædestinationem et reprobationem, seu electionem ad beatitudinem et exclusionem ab illa quoad omnia, secundum quæ, juxta qualitatem materiæ, æquiparari possunt : et ita eas assimilavit quoad hoc, quod sicut electio ad gloriam, sive per modum indebiti beneficii, sive adhuc per modum coronæ, est ante prævisa merita, ita etiam exclusio ab illa per modum indebiti beneficii, erit ante prævisionem demeritorum. Non autem æquiparavit illas sumpta reprobatione pro voluntate excludendi a regno, ut habet rationem pœnæ. Quoniam secundum istam rationem nequit, saltim secundum communem cursum, et suavem Dei providentiam,

providentiam, dari reprobatio, nisi post prævisa demerita, ut loco citato ostendimus. Cur autem intentio dandi gloriam, adhuc ut coronam, possit esse, et de facto sit ante prævisa merita, constabit magis ex dicendis in hac disput. dub. 3 num. 79 et 112, ubi etiam magis explicabitur, cur saltim secundum communem cursum, voluntas excludendi a beatitudine per modum pœnæ, nequeat esse ante prævisa demerita.

d lita- entum. Adde posse satis probabiliter dici, Paulum in hoc ult. testimonio, solum velle voluntatem reprobandi, et salvandi esse ante prævisa merita : non autem discussisse aut explicasse, an hoc, vel illo modo sit ante talem prævisionem ; vel an secundum unam considerationem præeat hanc prævisionem, et secundum aliam ad eam in reprobatione, aut prædestinatione subsequatur. Quamvis ex hoc testimonio una cum contextu ejus, possit argui, sive colligi discrimen a nobis inter has duas voluntates assignatum.

§ VI.

Occurritur fundamentis primæ sententiæ.

36. Ad imum rioris nten- iæ. Ad primum respondetur, non reddi in eo testimonio causam præparationis regni, seu electionis ad illud, sed solum consecutionis, et possessionis ejusdem, quatenus merita executioni mandata, sunt causa meritoria consecutionis regni, quod est electis præparatum : et ita in eo testimonio nullum est verbum, quod indicet, regnum paratum esse propter merita. Quod idem cum proportione, modo tamen disp. 8 num. 18 explicato, dicendum est ad id, quod de reprobatione ibidem adducitur.

37. Ad ecun- um. Ad secundum respondetur, quod dupliciter potest præparari a Deo regnum electis. Vel ita ut Deus ex meritis præparet illud ut dandum in executione ex meritis ; vel ita ut ex sua bonitate, et misericordia, seu gratis, præparet idem regnum ut dandum in executione ex meritis, atque adeo ita ut particula *ex meritis* non modificet præparationem seu electionem ipsam, sed conjunctum illud, *dandum in executione*, ac proinde, ita ut modificet executionem, et ea, quæ ad ipsam pertinent tam secundum se sumptam, quam ut est objectum materiale, circa quod illa intentio versatur. Quia per illam intentionem Deus ex sua bonitate, et misericordia motus, et non ex meritis hominum, ac proinde gratis, habet actum intentionis, quo intendit totum hoc, nempe dare postea in executione gloriam ex meritis, quæ postea ex vi hujus intentionis sunt in sequenti signo, sive posterioritate naturæ, futura.

Quare cum inquit Paulus bona cœlestia præparari iis, qui diligunt Deum, intelligitur de præparatione hoc secundo modo, non vero illo priori. Quia Deus ex sua bonitate et misericordia intendit, et præparat bona cœlestia, ut danda in executione ex meritis in sequenti signo sive posterius natura futuris, iis qui diligunt eum. Per quod ad omnia, quæ in hoc argumento adducuntur, satis constat. Quoniam hic modus eligendi gratis, prout ly *gratis* tenet se ex parte electionis nec tollit, quinimo infert, ut in executione tribuatur regnum ex meritis, nec quod re vera sit præparatum ut dandum in executione iis, qui legitime certaverint, et Deum dilexerint.

Ad confirmationem. Ad confirmationem patet ex dictis, ibi non reddi rationem præparationis, sed executionis activæ, et temporalis illius. Quomodo autem cohærere possit, quod Deus ex sua bonitate, et misericordia, ac proinde gratis præparet regnum, seu eligat prædestinatos ad hoc, ut postea in executione det illis idem regnum ex meritis, dub. 3 hujus disp. magis explicabitur. Quibus etiam addi possunt ea, quæ in duobus numeris sequentibus ad aliqua Sanctorum testimonia dicemus.

38. Ad tertium. Ad tertium respondetur, sensum illius testimonii, tantum esse quod illis, qui gratuito eliguntur ad beatitudinem, paratum est, ut sedeant ad dexteram, vel ad sinistram propter merita, quia gratuito eliguntur, ut per sua merita acquirant illam sedem, et hoc modo intelligendus est Epiphanius, et alii Patres ibidem adducti.

39. Ad quartum prior solutio. Aug. Rom. 11. Ad quartum respondetur primo cum Augustino lib. de Dono perseverantiæ cap. 18 prædestinationem ipsam vocari præscientiam, juxta illud ad Rom. 11 : *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit*, idest prædestinavit, et ita cum Paulus inquit : *Quos præscivit, et prædestinavit*, non est sensus, quod prius sciverit eorum merita, et postea prædestinaverit; sed Deum in ipsa sua prædestinatione, ac proinde prædestinando, præscire, et prædestinare, ut conformes simus imagini filii sui. Et ita hoc modo intelligendi sunt Patres ibidem adducti. Licet etiam addendum sit librum illum, qui citatur ex Aug. de prædestinatione Dei, non esse ipsius, ut notatur in procœmio ejusdem.

Secunda solutio.

Secundo respondetur, quod in testimonio illo : *Quos præscivit, et prædestinavit*, particula illa, *præscivit*, potest intelligi de scientia approbationis. Et ita sensus est, quod eos, quos ex vi suæ electionis efficacis præscivit Deus esse futuros initiative, et radicaliter conformes imagini filii sui, eosdem per actum imperii complete præparavit, et prædestinavit, ut complete, et formaliter essent futuri conformes eidem imagini. In quo etiam sensu possunt explicari Hieron. et Ambros. adducti in argumento, et quicumque alii Patres, qui exponentes eumdem locum dixerint, Deum prædestinasse ad gloriam eos, quos sibi devotos futuros esse præscivit. Nam ante actum imperii, in quo formaliter consistit prædestinatio, datur electio, et intentio efficax : qui actus sunt quædam quasi radicalis, et initiativa prædestinatio, et præscientia. Et ideo ante formalem prædestinationem præsciuntur , modo tamen alibi tacto, in hac intentione, et electione, et initiativa prædestinatione, merita quæ tunc initiative sunt futura, et ex qua infallibiliter sequentur omnia, quæ ad futuritionem eorum completam desiderantur.

Hieron. Ambros.

Unde licet præscientia hæc meritorum, aliqualiter futurorum ex vi gratuitæ electionis ad gloriam, præcedat prædestinationem ; non tamen electionem ipsam gratuitam, per quam Deus primo elegit aliquos efficaciter ad gloriam : sicut neque etiam prædicta merita, adæquate futura, possunt præcedere ipsam prædestinationem formaliter sumptam : ac proinde propter illa sic sumpta, et ut talia prævisa, non fuerunt homines efficaciter prædestinati prædestinatione formali ad gloriam. Videantur tamen ea, quæ pro solutione aliquorum testimoniorum ex Patribus desumptorum sequenti dub. dicemus.

DUBIUM II.

Utrum juxta Augustini et D. Thom. necnon aliorum sanctorum Patrum mentem, electio efficax prædestinatorum ad gloriam, fiat omnino gratis, et ante prævisionem meritorum? an vero ex justitia, et post prævisa merita eorum?

40. Quamvis ex testimoniis Patrum, quæ adduximus ad ostendendum quomodo juxta sacram Scripturam electio prædestinatorum ad gloriam sit gratuita, ac liberalis, satis constet hanc esse mentem eorum ; nihilominus ut hoc clarius maneat, et aliquibus testimoniis ex eisdem Patribus adducendis occurratur, propterea sigillatim dubium hoc excitare placuit. Tituli autem illius intelligentia, satis ex iis, quæ in explicatione tituli dubii præcedentis diximus liquet.

§ I.

Refertur prior opinio.

Prima sententia asserit, quod juxta mentem Aug. D. Thom. et Patrum, electio prædestinatorum ad gloriam non est gratuita, et liberalis, ac ante prævisa merita, sed post prævisionem meritorum, sive ex justitia. Ita plures Doctores dubio sequenti, num. 70 referendi. Probatur primo ex August. lib. ad Simplicianum, q. 2 ante medium his verbis : *Non ergo secundum electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio, idest, non quia invenit Deus bona opera in hominibus, quæ eligat ideo manet propositum justificationis ; sed quia illud manet ut justificet credentes, ideo invenit opera, quæ jam eligat ad regnum cœlorum : Nam si non esset electio, non essent electi, nec recte diceretur : Quis accusabit adversus electos Dei? non tamen electio præcedit justificationem, sed electionem justificatio. Nemo enim eligitur, nisi jam distans ab illo, qui rejicitur. Unde quod dictum est, quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dictum, nisi præscientia. Hoc autem quod ait : non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, etc., non electione meritorum, quæ post justificationem gratiæ proveniunt, sed liberalitate donorum Dei voluit intelligi, ne quis de operibus extollatur.*

Primum argumentum Augusti.

Ubi, ut vides, electio ad vitam æternam non præcedit justificationem, seu electionem ad gratiam, sed e contra. Et ita, juxta mentem August. satis constat, qualiter Deus inveniat opera, quæ eligat ad regnum cœlorum, et ratione quorum eligat efficaciter ad æternam vitam eos, quos talia opera patraturos esse cognovit.

41. Solutio. Bellarm.

Nec refert, quod respondet Bellarmin. lib. 2 de gratia et lib. arb cap. 15, ubi ait, Augustinum cum scripsit libros ad Simplicianum fuisse juvenem, nec tunc multa invenisse in hac difficillima quæstione, quæ postea majori diligentia investigavit, et reperit : et ita non potuisse tunc intelligere, quomodo Deus eligeret ad regnum, vel excluderet ab illo, si nulla præcessisset disparitas

ritas ex parte eligendorum. Cæterum postea cum factus est doctior intellexit, Deum diligendo facere hanc disparitatem, ac proinde ante prævisa merita, quæ radicaliter ab hac dilectione proveniunt, potuisse eligere prædestinatos ad gloriam.

Impugnatur. Vazquez. Aug.

Nam contra hoc, Vazquez multa ex Aug. congerit, quibus probat Augustinum etiam senem confirmasse ea, quæ dixerat in q. citata ad Simplicianum. Nam in lib. de Prædestin. Sanct. c. 4 versans hanc eamdem difficultatem, sic inquit : *Si curassent hi fatres* (scilicet Massilienses) *invenissent istam quæstionem secundum veritatem Scripturarum solutam in* 1 *libro duorum, quos ad bonæ memoriæ Simplicianum scripsi.* Quod etiam docuit de Dono persev. c. 20 et 21.

42. Confirmatur. Aug.

Confirmatur ex eodem Aug. sermone 7 de verbis Domini secundum Matth. tom. 10, ubi sic asserit : *Elegit autem Deus sicut inquit Apost. et secundum suam gratiam, et secundum illorum justitiam.* Hæc autem duplex electio non potest aliter intelligi, nisi quia gratis electi sunt ad dona gratiæ, et postea prævisis meritis factis ex gratia, electi sunt secundum justitiam ad gloriam.

Idem.

Unde explicans deinde idem August. illud ad Rom. 11 : *Reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt,* sic loquitur : *Ego illos elegi, quia vidi mentes illorum de me præsumentes non de se, nec de Baal, non sunt mutati, sic sunt ut a me facti sunt et tu qui loqueris, nisi de me præsumeres, ubi esses?*

In quibus verbis, et concelit electionem ad gloriam, necnon ad majorem gratiam ex meritis, ut constat ex illis verbis : *Ego illos elegi, qui vidi mentes illorum de me præsumentes, etc.,* et simul admittit electionem gratuitam ad gratiam, absque præcedentibus meritis, ut constat ex ultimis verbis, ut ita ex hac gratia semel gratuito concessa pullulent bona opera, quæ postea eligantur. Et propterea in ejusdem gratiæ commendationem statim subjungit : *Cave, o Christiane, cave superbiam. Licet enim imitator Sanctorum sis, totum gratiæ semper reputa : quia ut esset aliquid reliquum* (idest, ut inde pullularent, et relinquerentur bona opera, quæ eligerentur) *gratia in te Dei, non tuum meritum fecit.*

43. Secundum argumentum. Thom.

Secundo probatur ex D. Thom. 3 p. q. 1 art. 3 ad quartum, ubi ait prædestinationem Dei supponere præscientiam futurorum. Et ideo sicut Deus prædestinat salutem aliquorum per orationes aliorum obtinendam, ita prædestinavit Incarnationem Christi in remedium peccati. Unde sicut Deus prædestinat aliquem hominem ex præscientia orationum aliorum, ex eo quod prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum, ita prædestinavit eumdem hominem ex præscientia meritorum illius : siquidem non est major ratio, cur illæ (nempe orationes aliorum) quam ista (scilicet merita prædestinati) præsupponantur ut futura ad prædestinationem.

44. Tertium. Ambros.

Tertio. Nam Ambros. lib. 5 de fide cap. 3 inquit : *Non ante prædestinavit Deus quam sciret, sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit.* Et super epist. ad Roman. in illa verba cap. 8 : *Omnia cooperantur in bonum iis qui secundum propositum, etc.,* ait : *Istos quos præscivit futuros sibi devotos, ipsos elegit ad promissa præmia capessenda.* Et infra cap. 9 in illa verba : *Jacob dilexi, etc.,* sic asserit : *Præscientiam Dei flagitat in his causis, sciendo enim quid unusquisque illorum futurus esset, dixit : hic erit dignus qui erit minor, et qui major erit indignus.* Et iterum : *Unum elegit præscientia, alterum sprevit.* Et paucis interpositis reddit rationem : *Nam neminem damnat, antequam peccet : et neminem coronat, antequam vincat.*

Chrysost.

Et similiter Chrysostom. homil. 2 ad Ephes. : *Elegit omnino* (ait) *juxta delectum liberumque propositum prædestinatos : hoc est, prædestinavit juxta quod nos viderat, antequam in sortem asciscemur.* Quod etiam docuit idem Chrysostom. homil. 51 in Genes. et homil. 80 in Matth. Damas- Damasc. cen. lib. contra Manichæos, Prosper lib. Prosper. 2 de vocat. Gent. cap. 23, 26, 29 et 31 et art. 12 ad objectiones Vincentianas, ubi ait : quod reprobi forent prædestinati, si reverterentur a peccatis, et permanerent in sanctitate. Hieron. ad Ephes. 1 in illud : *In* Hieron. *laudem gloriæ gratiæ suæ.* Et epist. 150 quæ est ad Helvidiam q. 10 explicans illa verba: *Numquid iniquitas apud Deum,* inquit : *Vasa misericordiæ non solum populus Gentium est, sed etiam ii, qui ex Judæis credere voluerunt : ex quo ostenditur non gentes eligi, sed hominum voluntates.*

§ II.

Assertio prior.

45. Prima conclusio.

Dicendum tamen est primo, quod juxta mentem August. electio efficax prædestinatorum ad gloriam facta est omnino gra-

tis, et ante prævisa merita, non vero post prævisionem eorum, et ex justitia. Ita omnes Doctores dub. sequenti, num. 78 referendi. Probatur ex eodem Augustin. lib. de Correct. et grat. cap. 14 ubi postquam dixit, volenti Deo salvum facere, nullum humanum resistit arbitrium, ex eo quod habet in sua potestate omnium voluntates, et ratione summæ efficaciæ suæ voluntatis inclinat illas efficaciter, et libero modo ad finem ab ipso intentum : et postquam hoc ipsum explicuit ex illis verbis 1 Regum cap. 10 : *Abierunt potentes, quorum Deus tetigit corda cum Saüle,* nimirum ad constituendum illum in regem : ac tandem postquam docuit hoc provenisse ex divina voluntate, ex eo quod prius intendit quod constitueretur in regem, et hinc voluit tangere illorum corda ad hunc finem a se intentum. Postquam igitur hæc dixerat, subjungit : *Si ergo cum voluerit reges in terra Deus constituere, magis habet in sua potestate hominum voluntates, quam ipsi suas, quis alius facit ut salubris sit correptio et fiat in correcto corde correctio, ut cœlesti constituatur in regno?* Ubi plane denotat, Deum ex intentione efficaci conferendi alicui cœleste regnum, movere illum efficaciter ad hoc, ut corripiatur, et pœniteat de peccatis : quemadmodum ex intentione efficaci constituendi Saül in regem, efficaciter movit illorum potentium corda : ac proinde electio ad cœleste regnum, est ante prævisam pœnitentiam et merita : siquidem ex intentione efficaci tribuendi regnum jam præexistente, voluit tribuere pœnitentiam et merita.

Primum ejus fundamentum. August.

46. Evertitur. Nec refert id, quod Massilienses responderunt August., nempe diversam esse rationem de electione ad regnum temporale, ac ad regnum cœleste : et per consequens non recte inferri Deum posse eligere ad istud ante prævisionem humani consensus, ex eo quod efficaciter possit ante eamdem præscientiam eligere ad illud.

Præcluditur. Nam contra hoc objicit August. eamdem, et multo majorem quoad hoc rationem esse de electione ad regnum cœleste. Quia sicut ad regnum terrenum, ita et multo magis ad obtinendum regnum cœleste (ex eo quod hoc est magis gratuitum, ac proinde potiori ratione a Deo gratuito proveniens) habet Deus omnipotentissimam potestatem inclinandi libere hominum voluntates, quo ipse voluerit : et ita propter regnum cœleste scriptum esse in Psalm. 118 : *Inclina cor meum, Deus, in testimonia tua.* Et Actor. 13 : *Quotquot erant præordinati ad vitam æternam.*

Psal. 118

Actor. 13

Secundo probatur eadem assertio alio testimonio ex Aug lib de Correct. et grat. c. 7 (cujus aliquid supra tetigimus) desumpto, ubi sic ait : *Illi ergo sunt electi, qui secundum propositum vocati, qui etiam prædestinati, atque præsciti. Electi autem sunt ad regnandum cum Christo, non quomodo electus est Judas ad opus cui congruebat. Illos debemus intelligere per misericordiam electos : illum per judicium. Illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum : illum ad effundendum sanguinem suum.* Ubi Augustin. loquitur de electione ad gloriam, et de electione efficaci : siquidem loquitur de electione ad gloriam, quæ non est communis Judæ cum prædictis electis. Ac tandem sermonem facit de electione ad gloriam gratuita : siquidem inquit electos esse per misericordiam ad regnandum cum Christo ; et hujusmodi electionem non fuisse factam per judicium, hoc est per operum discussionem.

47. Secundum Augu

Nec obest id, quod ex Vazquez dub. præced. dicebamus, nempe quod per illa verba *ad regnandum cum Christo* intelligit Aug. electionem ad gratiam congruam, et propterea in eodem cap. hanc electionem appellasse electionem gratiæ. Sicut etiam nec obest quod idem Vazquez in præsenti, disp. 89 c. 8 secundo respondet. Nimirum quod etsi Aug. loquatur de electione ad gloriam, non propterea excludit opera prævisa, quæ fiunt ex gratia, sed tantum illa quæ fiunt ex viribus naturæ : ut ita contradiceret Pelagianis, qui asserebant prædestinationem ad gratiam, et ad gloriam fieri ex præscientia meritorum naturalium.

48 Duplex soluti

Vazque

Non igitur hoc refert. Nam in primis prior solutio satis dubio præcedenti, num. 11 impugnata est : et nihilominus impugnatio ibidem facta potest amplius confirmari et urgeri sic. Nam Aug. in eo cap. et c. 13 sequenti distinguit gratiam congruam cum dono perseverantiæ a regno illo, ad quod prædestinati eliguntur dum ait : *Numerus sanctorum per gratiam Dei regno prædestinatus, donata usque ad finem perseverantia, illuc perducitur, et illic sine fine beatissimus servabitur :* ergo falsum est, hanc electionem gratuitam, esse ad solam gratiam congruam, non vero ad ipsam gloriam. Cur vero Augustinus hanc electionem appellaverit electionem gratiæ, satis liquet ex iis, quæ dub. præc. n. 13 dicebamus.

Evertitur prior solutio

Accedit

49. Additamentum primum.

Accedit primo, quod hoc ipso quod electio ad gratiam sit juxta mentem Augustini gratuita, et non ex prævisis meritis, oportet ut juxta eumdem Augustinum electio ad gloriam sit etiam gratuita. Quia juxta ejus mentem, ideo prædestinatus eligitur ad gratiam gratuito, quia ex mera voluntate Dei electus est ad gloriam. Unde

August.

idem August. lib. de Dono perseverantiæ c. 9 cum has tres quæstiones proposuisset, prima, cur ex duobus parvulis pariter infectis culpa originali, assumatur unus a Deo, et alter relinquatur, secunda, cur ex duobus adultis impiis unus vocetur vocatione congrua, et non alius, tertia, cur ex duobus justis uni, et non alteri tribuat Deus perseverantiæ donum : respondet ad primam, et secundam, judicia Dei esse inscrutabilia ; et ad tertiam eadem Dei judicia esse inscrutabiliora : et postea discutiens quænam sit ista discretio, concludit, discretionem hanc inter parvulos, et inter impios ex diversa electione Dei erga prædestinatos provenire : ac proinde sentit, ipsam electionem ad gratiam et perseverantiam, cujus causam, et radicem in tertia quæstione inquisierat, procedere ex alia priori electione propria, et peculiari prædestinatorum : quæ, ut constat, non potest esse alia quam electio ad gloriam : et per consequens, cum hæc supponatur ad electionem ad gratiam, quæ necessario præsupponitur ad merita, non erit ulla ratione ex meritis ; sed gratuita, et ex mera Dei voluntate.

Ipsemet.

Quod etiam docuit lib. de Correctione et gratia c. 7 supra citato. Nam postquam dixit ex massa humani generis in Adamo damnata, quosdam gratis esse discretos, alios vero in sua damnatione relictos, subdit : *Quicumque ergo ab illa originali damnatione ista divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium quod et procuratur eis audiendum Evangelium, et cum audiunt credunt, et in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant, et si quando exorbitant, correcti emendantur.* Ubi, ut constat, ex illa discretione prædestinatorum divina largitate facta, inquit Augustinus, ortum ducere quod prædicetur electis Evangelium, credant, justificentur : et si forte labuntur, resurgant, ac tandem perseverent. Unde subdit : *Hæc omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui et elegit eos in Filio suo ante mundi constitutionem.* Et postea explicans ad quod fuerant electi, inquit, ut dub. præc. referebamus : *Electi autem sunt ad regnandum cum Christo,* et infra : *Illos elegit ad obtinendum regnum suum*, nempe regnum æternum, et ita de hac electione explicat plura testimonia Scripturæ, quæ non nisi de electione ad gloriam possunt intelligi : ut est illud ad Rom. 8 : *Quis accusabit adversus electos Dei,* et sic de aliis.

Ad Rom. 8.

50. Additamentum secundum.

Accedit secundo, falsum esse id, quod in hac priori solutione supponitur, scilicet, non fuisse inter August. et Massilienses disceptationem de electione ad gloriam, sed solum de electione ad gratiam. Nam id, quod turbavit Massiliensium animos, fuit, quod Augustinus doceret, electionem ad gloriam horum præ illis esse ex mera Dei voluntate, seu secundum Dei propositum, et ante prævisa merita. Hoc autem modo Massilienses intellexisse Augustinum, et idcirco fuisse turbatos, constat ex epistola Prosperi ad Aug. quæ habetur ante librum de prædestinatione Sanct. ubi in persona eorum, sic ait : *Propositum Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani eligendorum, et rejiciendorum dicitur facta discretio, ut secundum quod placuit Creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ sint creati, et lapsis curam resurgendi adimere, et sanctis occasionem teporis afferre, eo quod utraque parte superfluus labor sit, sine quo rejectus ulla industria possit intrare, nec electus ulla negligentia possit excidere.*

Unde in fine epistolæ idem Prosper, supponendo eamdem sententiam ut Augustinianam, et veram exposcit ab Aug. ut amplius exponere velit : *Quemadmodum per hanc prædicationem propositi Dei, quo fideles fiunt, qui præordinati sunt ad vitam æternam nemo eorum, qui cohortandi sunt, impediatur, neque occasionem negligentiæ habeant, si se prædestinatos esse desperent.*

Si autem Massilienses non intelligerent electionem hanc ad gloriam secundum August. esse ex mera Dei voluntate efficaci, et ante prævisa merita, et propterea turbati essent, et ab August. dissentirent, non esset cur ipsi objicerent, per hanc electionem tolli a lapsis curam resurgendi ; et sanctis teporis occasionem afferre, nec peteret Prosper ab August. explicationem suæ sententiæ circa hoc, ut ita Massiliensibus occurreret. Quia (ut adversarii, de quo alibi, fatentur) planum erat Massiliensibus, quod si electio ad gloriam est propter merita prævisa, non poterant ulla, vel apparenti ratione inconvenientia illa contra

sententiam August. objici : nec erat necessarium ut August. explicaret, quomodo ex electione ad gloriam propter merita prævisa, non recte prædicta inconvenientia inferebantur. Sicut neque etiam, juxta doctrinam adversariorum, ipsi objicerent, ut in tract. de Scientia Dei disp. 10 n. 61 et deinceps dicebamus, quod talis electio fatalem quamdam necessitatem inducit, ut tract. citato expendimus.

51. Id ipsum magis probatur.

Quod etiam constat ex epistola Hilarii ad eumdem August. ubi refert, Massilienses graviter ferre, quod Augustinus cunctos homines in duas quasi classes secaret, nempe in unam electorum, et aliam reproborum; illosque sic ex sola Dei voluntate divisisse, ut ab una in alteram aditus esse nequiret. Ubi etiam refert, eosdem Massilienses acriter impugnare Augustinum, ex eo quod verba illa Pauli 1 ad Timoth. 2 : *Qui vult omnes homines salvos fieri*, explicuisset (inter alias explicationes quas tradit) de voluntate efficaci eligendi ad gloriam; et per consequens de omnibus prædestinatis, non autem de cunctis hominibus, et ratio quare hoc impugnabant erat. Quia supponebant, ut constat ex verbis Pauli, ipsum ibi sermonem texere de voluntate eligendi ad gloriam, quam Deus ex se habet ante ulla hominum merita. Et ita si hæc esset efficax, jam Deus efficaciter, et gratuito eligebat ad gloriam, quod ipsi graviter ferebant : et propterea de Aug. conquerebantur, ex eo quod talem electionem ad gloriam introduxisset et tamen in hac contradictione, et querela neque Hilarius significat aliquid illos imposuisse Augustino : neque Augustinus in libris sequentibus respondet negando quod Hilarius referebat de mente sua; sed potius eamdem sententiam, quam ut Augustini Massilienses referebant, ex sacra Scriptura confirmavit. Per quod satis etiam significatur de hac electione ad gloriam fuisse inter ipsum et Massilienses controversiam.

1 ad Tim. 2

52. Confirmatur.

Confirmatur. Nam plus turbabantur Massilienses ex eo quod Augustinus doceret prædestinatos fuisse electos ad gloriam ex mera Dei voluntate, ante prævisionem meritorum, quam de electione eorum ad gratiam, aut ad primam vocationem. Nam electionem ad gratiam, sive primam vocationem, jam ipsi fatebantur esse omnino gratuitam : et propterea eorum opinio (teste Prospero epistola citata) erat : *Eos Deum prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos dignos futuros esse electione, et de hac vita bona fide excessuros esse prævideret, ideoque omnem hominem ad credendum, et ad operandum divinis institutionibus admoneri ut de apprehendenda vita æterna nemo desperet, cum voluntariæ devotioni remuneratio sit parata.* Ubi, ut constat, Massilienses jam admittentes primam vocationem, seu electionem ad gratiam fieri gratis, sentiebant electionem in regnum æternum fieri post prævisionem meritorum, et ex justitia, seu ex voluntate ad remunerandum parata. Quæ quidem sententia coïncidit quoad hoc, cum ea quam defendit Vazquez in hac solutione, quam impugnamus, quamque August. ut ex dictis constat, rejicit.

Prosper.

Vazquez

53. Confirmatur. Alvarez.

Quæ omnia bene explicat, et confirmat Alvarez lib. 6 suarum responsionum adversus concordiam liberi arbitrii cum divina præscientia, providentia, et prædestinatione cap. 22 num. 7. Ubi optime docet Augustino quæstionem fuisse cum Pelagianis, et Semipelagianis, tum circa prædestinationem ad gratiam absque prævisis meritis naturæ : tum etiam circa gratuitam prædestinationem absolutam ad gloriam absque prævisis meritis gratiæ. Et hæc secunda quæstio fuit cum Massiliensibus, sed præsertim cum Fausto Regiensi, qui (ut disput. 2 de auxiliis ostendit idem Alvarez) contendebat contra Augustinum, Deum esse injustum si ante omnia prævisa merita, vel demerita unum prædestinasset ad gloriam, alterum reprobasset. Unde constat ex lib. 2 de gratia, et humanæ mentis arbitrio cap. 3 ubi ait : *Nisi præscientia exploraverit prædestinationem, nihil decernit.*

54. Evertitur secunda solutio primo.

Secunda autem solutio ejus lem Vazq. nimirum Augustinum loqui de meritis prævisis, factis viribus naturæ, non vero ex viribus gratiæ, dum negat electionem ad gloriam non esse ex prævisione meritorum, ex eo quod Massilienses de his tantum operibus bonis loquebantur, etiam corruit. Primo quidem. Nam quamvis sic senserit Pelagius, et ex Massiliensibus aliqui, qui a Pelagianismo non discedebant; attamen Massilienses illi, de quibus Prosper in verbis adductis loquebatur, existimabant electionem ad regnum æternum fieri ex præscientia boni usus facti ex gratia, ut constat ex illis verbis nuper relatis, *quos gratis vocatos, etc.*, et in fine epistolæ, *et sub ipso gratiæ adjutorio, etc.*

Quod etiam suadetur, ex eo quod in hac epistola referuntur Augustino a Prospero varii Massiliensium dicendi modi Quorum

unus,

unus, qui magis a Pelagio recedebat, continetur in verbis adductis. Postea vero referens alium, ait : *Quidam vero in tantum a Pelagianis semitis non declinant, etc. Ut dicant ad hanc gratiam, qua in Christo renascimur, posse pervenire per naturalem facultatem :* ergo ille primus dicendi modus fatebatur gratiam prævenientem; et hominem eligi ad gloriam post prævisa merita, non quidem ex naturali facultate, sed ex prædicta gratia facta : et tamen utrumque dicendi modum impugnavit Augustinus : ergo etc.

Deinde ex alio etiam capite prædicta solutio corruit. Nam Augustinus in hoc testimonio, quod discutimus, loquitur (ut intuenti patebit) de electione, quæ ita fit per misericordiam, ut simul non fiat per judicium, et quæ est principium congruæ vocationis, et meriti : electio autem ad gloriam, dependens a præscientia meritorum gratiæ, ita est per misericordiam, ut simul sit per justum judicium, cum sit remunerativa, neque est principium vocationis, et meriti, sed potius supponit illa : ergo, etc. Videatur Didacus Alvarez lib. 6 responsionum ad objectiones adversus concordiam cum divina præscientia, providentia, ac prædestinatione, ubi plura circa hæc adducit.

§ III.

Assertio secunda stabilitur.

Dicendum est secundo, quod juxta mentem Angelici Doctoris, electio prædestinatorum ad gloriam fit omnino gratis ex mera Dei bonitate, et voluntate, non vero ex justitia, seu ex prævisis meritis. Ita D. Thom. in hoc articulo ubi supponit electionem prædestinati ad gloriam non ducere ortum in Deo ex bonitate prædestinati, sed causare in illo bonitatem requisitam ad hoc, ut eamdem gloriam adipiscatur, et ita ait : *Electio tamen, et dilectio aliter ordinantur in nobis, et in Deo : eo quod in nobis voluntas diligendo non causat bonum, sed ex bono præexistenti incitamur ad diligendum : et ideo eligimus aliquem quem diligamus : et sic electio dilectionem præcedit in nobis. In Deo autem est e converso. Nam voluntas ejus, qua vult bonum alicui diligendo, est causa quod illud bonum ab eo præ aliis habeatur, et sic patet quod dilectio præsupponitur electioni secundum rationem, et electio prædestinationi.* Quare cum bonitas volita per electionem ad gloriam, sit ipsa gloria suo tempore futura, consequens est, quod hæc primo originaliter, et initiative saltim causetur per illam electionem, et dilectionem Dei antequam sint merita; ac proinde prædictam electionem esse ante prævisa merita, et omnino gratuitam.

56. Evasio. Vazquez.

Nec refert quod respondet Vazquez in præsenti, disp. 89 cap. 12, nempe D. Thomam loqui de electione ad gratiam, ex eo quod vitam æternam vocat gratiam, et justificationem.

Præclu-ditur primo.

Non itaque hoc refert. Nam sanctus Doctor in solutione ad primum distinguit electionem ad gratiam, ab electione ad gloriam, et ait, neutram supponere merita, sed causare illa, et bonitatem in objecto.

Secundo. D.Thom

Accedit, quod D. Thom. sermonem facit de electione præsupposita ad prædestinationem, ut est præceptiva omnium mediorum, quibus adipiscimur finem : at electio ista est ad gloriam, et non ad gratiam, siquidem unum ex mediis, quibus causatur eadem gloria per prædestinationem, est gratia : et ita ipsa non potest esse ratio præcipiendi omnia media, quæ per prædestinationem præcipiuntur, sed ad hoc ut illa præcipiantur per prædestinationem, debet præsupponi intentio finis, nempe gloriæ.

Tertio. D.Thom.

Accedit tandem, quod D. Thom. q. 6 de Verit. art. 1, ex quo verba a se in præsenti articulo prolata desumpsit, sic inquit : *Prædestinatio supponit dilectionem et electionem, per quam ille qui infallibiliter dirigitur in finem, ab aliis separatur. Hæc autem separatio non est propter diversitatem aliquam inventam in iis, qui separantur, quæ possit ad amorem incitare.* Ubi, ut constat, loquitur de electione ad gloriam, ac proinde de electione efficaci. Tum, quia volitio inefficax dandi gloriam fuit respectu omnium hominum, ac proinde ibidem non invenitur electio horum præ illis. Tum etiam, quia sic subdit : *Ad prædestinationem consequuntur consecutio finis, et collatio auxiliorum.* Constat autem consecutionem finis, nempe vitæ æternæ, non sequi nisi ad electionem efficacem in ordine ad illam.

57. Secundum fundamentum pro assertione.

Secundo probatur assertio ex q. 6 de Veritate art. 2 his verbis : *Finis autem divinæ voluntatis est ipsa ejus bonitas, quæ non dependet ab aliquo alio. Unde ad hoc ut habeatur a Deo, nullo alio indiget : et ideo voluntas ejus non inclinatur primo ad aliquid faciendum per modum debiti, sed*

liberaliter tantum in quantum est bonitas ejus in opere manifestata. Unde quod Deus velit alicui dare gratiam, et gloriam, hoc ex mera liberalitate procedit : in iis autem, quæ ex liberalitate procedunt, tantum causa volendi est ipsa superabundans affectio volentis ad finem, in quo attenditur perfectio bonitatis ipsius.

Et ad Roman. 9 lect. 2 explicans illa verba : *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, etc.* Sic inquit : *Ut propositum Dei, scilicet volentis unum præ alio magnificare, maneret, idest, firmum esset : et hoc non secundum merita, sed secundum electionem, idest, in quantum ipse Deus spontanea voluntate unum alteri prælegit, non quia sanctus erat, sed ut sanctus esset, secundum illud ad Ephes. 1 : Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, hoc autem est propositum prædestinationis : de quo ibidem dicitur, prædestinati secundum propositum voluntatis ejus.* Et ad Ephes. 1 explicans illa verba : *Prædestinati secundum propositum ejus,* lect. 4 sic ait : *Ponit voluntariam Dei prædestinationem, cujus quidem prædestinationis ratio non sunt merita nostra, sed mera Dei voluntas : propter quod subdit : Secundum propositum ejus.*

Idem etiam docuit art. 5 hujus quæst. in solutione ad tertium, et 3 contra Gent. cap. ult. et alibi sæpe. Peculiariter autem in dicto cap. 1 super epist. ad Ephes. lect. 1 ubi explicans verba illa : *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ,* sic ait : *Subdit Apostolus in laudem gloriæ gratiæ suæ, idest, ut cognoscat, quantum Deus sit laudandus, et glorificandus. Non dicit autem in laudem justitiæ. Nam justitia ibi locum habet, ubi invenitur debitum, vel etiam redditur. Quod autem prædestinatur ad vitam æternam non est debitum, ut dictum est, sed gratia pure gratis data. Nec solum dicit gloriæ, sed addit gratiæ, quasi gloriosæ gratiæ, quæ est gratia, in qua ostenditur magnitudo gratiæ, quæ consistit etiam in magnitudine gloriæ, et modo dandi, quia nullis meritis præcedentibus, sed adhuc immeritis existentibus eam dat. Unde Rom. 5 : Commendat autem Deus suam charitatem in nobis : quoniam si cum adhuc peccatores essemus secundum tempus Christus pro nobis mortuus est, etc., et parum post : Cum inimici essemus reconciliati sumus Deo. Patet ergo quod prædestinationis divinæ nulla alia causa est, nec esse potest, quam simplex Dei voluntas. Unde patet etiam, quod divinæ voluntatis prædestinantis non est alia ratio quam divina bonitas filiis communicanda.*

§ IV.

Assertio posterior.

Dicendum tertio, quod juxta mentem aliorum Patrum electio prædestinatorum ad gloriam, fuit omnino gratuita, non vero ex justitia, et ex prævisis meritis. Assertio hæc non aliter melius suadebitur, quam adducendo plura Patrum testimonia. In primis enim Fulgentius libro de fide ad Petrum capite 3 post medium, postquam dixit : *Per Dei judicium eos, qui pie recteque vixerunt, ituros in vitam æternam, ut cum Christo sine fine regnent.* Deinde ordinem actuum divinorum, qui sunt in prædestinatione, his verbis designat : *Illi autem cum Christo regnabunt, quos Deus gratuita bonitate prædestinavit ad regnum. Quia enim tales prædestinandos præparavit ut regno digni essent; præparavit utique secundum propositum vocandos ut obediant ; præparavit justificandos ut bene vivant ; præparavit etiam glorificandos ut regnum cœlorum sine fine possideant.* Ubi, ut constat, admittit gratuitam prædestinationem, seu electionem ad regnum, et actum illum, quo Deus gratuita sua bonitate elegit prædestinatos ad regnum per merita obtinendum, quemque nomine insignit propositi, inquit, esse causam seu rationem, cur Deus præparavit vocationem ut ei obtemperetur, et justificationem ut bene vivatur : ac proinde sentit prædictum actum esse efficacem, et ante præscientiam meritorum, et saltim ex parte nostri modi concipiendi distinctum ab actu, quo Deus elegit ad justificationem, et aliquo modo priorem illo, ut ita solutio, quam ad alia Vazquez adducit, ex hoc capite corruat. 58 Ulti conc si· Fulg

Et deinde idem docet Prosper lib. 2 de vocatione Gentium. Nam cum capit. 34 ostendisset, non esse supervacaneum laborem, qui adhibetur ad acquirenda merita in ordine ad vitam æternam capessendam, etiamsi propositum Dei circa salutem justorum sit incommutabile, cap. 36 sic ait : *In libro Tobiæ ad filium ejus Tobiam Raphaël Angelus dicit, etc., cum ceperis esse cum illa* (scilicet uxore) *surgite primum ambo, et deprecamini Deum cœli ut detur vobis misericordia* 59 Prosp

ricordia et sanitas, et nolite timere, tibi enim destinata est ante sæcula, et tu eam sanabis. Quamvis ergo quod statuit Deus nulla possit ratione non fieri, studia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propositum, liberi arbitrii devotio relaxatur, cum implendæ voluntatis Dei ita sit præordinatus effectus, ut per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum, et qui bona gesserint non solum secundum propositum Dei, sed etiam secundum sua merita coronentur.

Ubi, ut vides, loquitur de destinatione, seu electione efficaci, ut constat ex illis verbis : *Quod statuit Deus nulla possit ratione non fieri.* Et similiter sermonem facit de prædicta electione ante prævisa merita. Tum, quia frustra tanto conatu insudasset ad explicandum, et toties repetendum, quod per hujusmodi statutum Dei, et electionis propositum non relaxatur arbitrii devotio, etc. Siquidem si semel præsupponuntur merita, hoc erat ex se satis perspicuum. Tum etiam : quia inquit, ex hujusmodi electione, et proposito ipsa merita oriri, ex eo quod implendæ voluntatis Dei ita sit præordinatus effectus, ut per laborem operum, etc., fiant incrementa meritorum, quibus beatus consequatur id, quod per illam electionem, et propositum est intentum. Tum deinde : quia alioqui frustra addidisset, quod electi non solum coronandi sunt secundum propositum Dei, sed etiam secundum sua merita. Quia nisi coronentur tanquam ex prima radice, ex eo quod Deus gratuito habuit propositum, seu actum, quo illos elegit ad coronam, et simul quia hoc actu supposito, et ex vi illius habeant merita, ac tandem propter illa coronentur, non potest verificari quod coronentur non solum secundum propositum Dei, sed etiam secundum sua merita : quia tantummodo coronabuntur ex meritis, et propter merita. Tum denique : quia Prosper. idem Prosper post verba relata concludit : *Ob hoc enim in remotissimo ab humana cogitatione secreto, præfinitio hujus electionis abscondita est.* Constat autem prædiffinitionem post prævisa merita patentem omnino esse : et ita non loquitur de hac prædiffinitione satis patente, sed de alia occultiori et secretiori, quæ est ante prævisionem meritorum.

60. Bernard. Idem etiam docuit divus Bernardus sermone in illud Sapientiæ 10 : *Justum deduxit Dominus per vias rectas*, ubi sic loquitur : *Regnum Dei conceditur, promittitur, ostenditur, percipitur : conceditur in prædestinatione : promittitur in vocatione : ostenditur in justificatione : in glorificatione percipitur. Unde est illud : Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum Dei. Sic enim ait Apostolus : Quos prædestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, illos et justificavit, quos autem et justificavit, illos et magnificavit. In prædestinatione est gratia : in vocatione potentia, in justificatione lætitia, in magnificatione est gloria.* Ac tandem hoc ipsum tuentur Gregor. Magnus lib. 1 Dialogorum cap. 8 et alii plures, quos dub. præced. retulimus. Potestque amplius id suaderi omnibus testimoniis Patrum, quæ ad destruendam scientiam mediam, per quam hæc merita possent prævideri in tract. de Scientia Dei disp. 10 num. 31 adduximus. D. Gregor.

§ V.

Fit obviam fundamentis primæ sententiæ.

Ad primum respondetur primo, August. ibidem loqui de electione prædestinatorum, quoad suam executionem temporalem. Nam executio hæc adhuc active sumpta, quæ correspondet actui intentionis, quo Deus ab æterno, et gratuito elegit prædestinatos, ut per bona opera salutem æternam consequantur, ita se habet, ut secundum illam prius sint justificatio, et bona opera, ac postea subsequatur corona : ac proinde, loquendo de electione hac quoad executionem ei correspondentem, verum est id, quod ibidem addit August. dum inquit : *Unde quod dictum est, quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video, quomodo sit dictum nisi præscientia.* Quoniam hæc executio non mensuratur æternitate tanquam propria, et adæquata ejus mensura (de quo modo existendi ab æterno loquitur ibi August.) nisi quatenus est in divina præscientia, ac proinde in divinis decretis, in quibus præscitur. 61. Ad primum prior solutio. August.

Secundo respondetur, quod illa verba Augustini non ex certa et diffinitiva sententia, sed disputando, inquirendo, et cum dubitatione ab eo dicta sunt, ut colligitur ex contextu : præmiserat enim : *Nisi forte sic est distinguenda sententia*, etc. Secunda.

Tertio respondetur sustinendam esse responsionem ex Bellarmino ibidem adductam, quæ consonat cum eo, quod ipse August. lib. 1, Retractat. cap. 1 fatetur, nempe ipsum initio sui Episcopatus libros 62. Tertia. August.

illos scripsisse, et ad probationem in contrarium dicendum est, quod in lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 4 agebat de fide, utrum esset ex gratia, vel ex viribus liberi arbitrii, saltim quoad sui initium : et quoad hoc remisit Massilienses, cum quibus disputabat, ad lib. 1 ad Simplician. q. 2 quem ipse juvenis scripserat; non vero quoad hanc quæstionem, quam modo disputamus, nimirum quoad electionem gratuitam ad gloriam. Nam licet (ut Bellarm. bene notavit Bellarmin. loco citato) tunc August. nondum invenerat in hac difficillima quæstione electionis gratuitæ ad gloriam multa, qaæ postea majori cum diligentia inquisivit, et invenit : attamen adhuc tunc dum scripsit ad Simplicianum, cœpit cognoscere etiam ipsum initium fidei esse donum Dei, et effectum gratiæ, ut testatur lib. de Dono perseverant. cap. 20 et ita quantum ad hanc veritatem, de qua in prædicto capit. 4 cum Massiliensibus disputabat, eosdem ad quæstionem illam ad Simplicianum remisit.

Elucidatur tertia solutio. August. Unde idem August. in libris, quos senex elaboravit, ut patet ex lib. de Correct. et gratia cap. 7 et epistola 105 ad Sixtum, et epistola 106 ad Paulinum, explicans illa verba Pauli ad Roman. 9 : *Ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, etc.*, sic ait : *Doctor Gentium istos geminos nondum natos nihil boni, aut mali egisse testatur, ut gratia commendetur : ut quod dictum est : Major serviet minori, non ex operibus, sed ex vocante dictum intelligatur, ut secundum electionem Dei propositum mancret, non meritum hominis anteiret. Non enim dicit electionem voluntatis humanæ, sive naturæ, cum par esset in utroque mortis damnationisque conditio, sed electionem procul dubio gratiæ, quæ non invenit eligendos, sed facit.* Et epistola 105 citata explicans eadem verba, inquit : *Electionem, qua eligendos facit ipse non invenit, etc.* Constat ergo Augustinum non perstitisse in expositione illa prædictorum verborum, quam quæstione citata adhibuerat, et ex qua coactus est electionem justificationi postponere. Ac proinde licet Aug. semper retinuerit contra Pelagianos veram sententiam de gratia præveniente; et omnia merita humana, et etiam ipsum initium fidei esse ex gratia, quæ in illa quæst. præcipue intendebat : nonnulla tamen ibidem incidenter dicta, postea correxit, et mutavit : ex quibus (ut vidimus) sunt verba in argumento adducta.

63. Ad confirmationem prior solutio. Ad confirmationem respondetur, quod cum Augustin. inquit, Deum elegisse homines secundum suam gratiam, loquitur de electione sumpta ordine intentionis, et secundum id, quod formaliter, et in recto dicit : cum vero addidit elegisse eos secundum eorum justitiam, sermonem facit de electione quoad activam, et temporalem ejus executionem. Nam ut num. 110 et 114 explicabimus, optime cohæret cum hac intentione, ut prædicta executio fiat post merita prævisa, et ex justitia.

Secunda Secundo respondetur, divum Augustinum in prioribus verbis loqui, ut nuper dicebamus, de electione illa gratuita ordine intentionis sæpius repetita : et in posterioribus de electione, quam in alio signo, et ordine executionis post illam priorem electionem habuit. Etenim postquam Deus gratuito intendit eligere prædestinatos, ut per bona opera salutem æternam consequantur, et elegit media ad id requisita, in quo actu finitur ordo intentionis, ut ex dictis disput. 2 num. 66 constat, habuit ab æterno, tum actum imperii, in quo essentialiter, et in recto consistit prædestinatio, a quoque incipit ordo executionis respectu salutis electorum : tum etiam post hoc imperium, actum suæ voluntatis, quo ab æterno voluit debito, et stabilito tempore applicare suam potentiam executivam ad hoc ut tribueret prædestinatis, non vero reprobis, media efficacia ad consequendam gloriam, ac tandem ipsam gloriam, et hic actus voluntatis, quo præfert prædestinatos reprobis, vocatur electio eorum ordine executionis. Circa quem, et circa necessitatem multiplicitatis horum actuum in utroque ordine, videnda sunt ea, quæ disp. nuper citata num. 35 et deinceps diximus.

Ista autem electio (ut sic loquamur) executiva ita se habet, ut præsupponat adæquate futura electorum merita, et sit ex justitia. Et propterea August. dixit, Deum elegisse homines secundum suam gratiam, propter priorem illam electionem : et secundum eorum justitiam, propter hanc posteriorem, et executivam electionem, seu ad ordinem executionis pertinentem.

64. Ad secundum argumentum principale. Ad secundum ex D. Thom. desumptum, jam solutionem adhibuimus in tract. de Scientia Dei disp. 10 num. 78 et in disp. ult. hujus tract. num. 8 hoc idem testimonium aliter explicabimus. Quibus etiam, quoad præsens, addi potest ex iis, quæ in præcedenti solutione dicebamus, Angelicum Doctorem loqui de prædestinatione quoad

quoad hunc actum electionis æternæ, et executivæ, seu ad ordinem executionis spectantem, quem ipsa prædestinatio infallibiliter annexum, et a se illatum affert; non vero de prædestinatione quoad actum electionis horum hominum præ illis, qui ordine intentionis ad eamdem prædestinationem in recto, et formaliter sumptam præsupponitur. Nam iste est ex pura misericordia; ille vero ex justitia, et præsupponit merita futura. Videantur ea quæ disp. ult. num. 8 dicemus.

65. Ad tertium prior solutio. Secunda.

Ad tertium, quod ex pluribus Patrum testimoniis coalescit, respondetur, posse exponi juxta primam expositionem, quam primo testimonio August. primo loco tradidimus. Deinde addimus posse etiam explicari juxta secundam solutionem, quam confirmationi ejusdem testimonii August. adhibuimus : ita ut intelligantur de prædestinatione quoad actum, quem infallibiliter annexum, et illarum quasi ad instar proprietatis affert, nempe quoad electionem ordine executionis jam dictam.

Tertia. Ad testimonia Ambr.

Tertio respondetur sigillatim ad illa. Ad Ambrosii igitur testimonia dicimus, eum non velle quod Deus eligat homines ad beatitudinem, ex eo quod videat eorum merita priusquam ordine intentionis eos eligat; sed quod eligendo, et prædestinando illos videt talia merita, ex eo quod per illam electionem, et prædestinationem facit, ut sint digni beatitudine, habeantque condigna merita. Et propterea plures ex Patribus dicunt, Deum eligere ad beatitudinem eos, quos vidit bene operari, vel mereri. Quorum verborum sensus tantum est, quod elegit eos, quibus per suam electionem, et prædestinationem tribuit, ut bene operentur, et justificentur, et sic videt eorum merita.

66. Confirmatur solut. August.

Quæ solutio desumitur ex August. qui lib. de Prædest. et grat. cap. 5 ait : *Præscientia sua incommutabiliter permanente eligere faciendos, quos facturus fuerat eligendo.* Et de Prædestin. Sanct. cap. 10 sic inquit : *Prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus.*

Unde cum Ambrosius inquit, quod Deus non ante prædestinavit, quam sciret, intelligitur de anterioritate *in quo*, non vero de anterioritate *a quo*, et ita cum addidit : *Sed quorum merita præscivit, eorum merita prædestinavit*, loquitur, de præscientia, quæ præeat ipsa merita in sua propria duratione existentia, ac proinde conveniat ei illa dictio *præ* collata cum prædictis meritis sic sumptis : quamvis non collata cum ipsa prædestinatione adæquate sumpta, secundum ea quæ præsupponit, et in quibus essentialiter consistit. Sic enim potius talis scientia est (ut sic dicamus) postscientia, posterioritate secundum rationem, quam præscientia, quamvis habeat simultatem *in quo* cum ipsa. Quo etiam modo exponenda sunt alia verba Ambrosii, necnon et aliorum. Adde quod omnia hæc Ambrosii testimonia optime explicantur de prædestinatione quoad electionem executivam, seu quoad electionem ordine executionis, de qua diximus esse post prævisa merita.

67. Ad testim. Chrysost.

Ad testimonium vero ex Chrysost. hom. 2 super epistol. ad Ephes. dicendum est, loqui de electione, et prædestinatione quoad suum terminum, nempe gloriam ut executioni mandandam; sive de ipsa temporali executione electionis, et prædestinationis. Nam hæc fit juxta id, quod Deus videt meritorum in prædestinatis antequam executive in sortem, seu in gloriam asciscantur. Adde, posse etiam Chrysost. exponi de prædestinatione quoad electionem æternam, quæ ordine executionis in Deo invenitur.

Ad testim. Damasc. et Prosp.

Ad testimonium vero ex eodem Chrysostom. homil. 51 in Genesim, et homil. 80 in Matth. necnon et Damasceni, et Prosperi in quatuor prioribus locis, patet ex dictis. Ad illud autem, quod ex eodem Prospero ultimo loco adducitur, dicendum est, tantum ibidem denotari, quod a posteriori, et a signo recte colligitur, quod reprobi fuissent prædestinati, si reverterentur a peccatis, et permanerent in sanctitate. Ad id vero, quod ex Hieronym. affertur, constat etiam ex dictis, sensum illius esse : non gentes eligi, sed hominum voluntates, non quidem quæ præsupponuntur cum sufficienti dignitate electioni divinæ; sed quæ per ipsam redduntur, et fiunt dignæ, quatenus mediante illa electione tribuitur eis ut debito tempore bene, et meritorie operentur. Quamvis etiam dici possit sanctum Doctorem loqui de electione æterna ordine executionis, in Deo reperta, et sæpius a nobis repetita.

68. Additamentum primum.

Adde primo, plures ex his Patribus, nec non et Augustinum, et si qui sunt alii ex Patribus, qui asserant prævisionem bonorum operum præcedere electionem ad gloriam, posse aliter exponi, nimirum asserendo cum D. Thom. in hoc art. quod cum electionem divinam, propter rationem ab eodem sancto Doctore in præsenti tradi-

tam, præcedat dilectio non quidem, qua vult dare gratiam viæ, sed gratiam patriæ debito tempore ; et dilectio Dei sit efficax, et causativa boni in eo quem diligit : inde est, quod quando Deus eligit aliquem ad gloriam, tunc ratione dilectionis præcedentis invenit illum initiative et radicaliter justificatum gratia patriæ, necnon et bene operantem, ac distinctum ab alio : quia ex eo quod sit dilectus ad gratiam patriæ, habent radicaliter, et virtualiter esse futura merita bona illius : et ideo Deus eligit ad gloriam eum, qui isto modo radicaliter, et initiative est justificatus, bene operans, et a peccatoribus discretus. Nam, ut modo dicebamus, in illa dilectione ordine rationis, seu nostro modo concipiendi præsupposita ad electionem ad eamdem gloriam, omnia ista initiative, et radicaliter continentur.

Additamentum secundum.

Adde secundo quod, ut dubio præced. num. 39 diximus, ad prædestinationem formaliter, et in recto sumptam præsupponitur scientia approbationis, tam respectu ipsius finis, nempe salutis æternæ, quam mediorum ad illam efficaciter conducentium ; non tamen ita ut omnia ista sint adæquate futura : siquidem supposita intentione prædicti finis et electione mediorum, omnia ista fiunt adæquate futura per prædestinationem. Constat autem plures ex Patribus, ut Ambrosius in primo testimonio ex eodem relato, necnon Chrysostom. ibidem, et D. Thom. loco citato ex 3 p. loqui de ipsa prædestinatione formaliter, et in recto accepta.

Ambros. Chrysost. D.Thom.

69. Additamentum tertium.

Adde tandem, quod plures ex Theologis, qui ante errorem Pelagii scripserunt, non ita accurate rem hanc pertractarunt, nec in ista adeo difficili quæstione scopum veritatis attigerunt. Et propterea locum illum ex epist. ad Roman. 9 : *Cum nondum nati fuissent, nec aliquid boni, aut mali egissent, etc.*, ubi profundissima doctrina de æterna electione, et reprobatione hominum ex gratuita voluntate Dei facta continetur, non recte intellexerunt; sed ad præscientiam futurorum operum, ut ratione eorum Deus Jacob dilexerit, et Esaü odio habuerit, confugerunt. Unde vera ejusdem loci expositio, quam D. Augustin. locis in hoc dub. num 62 citatis adhibuit, non placuit Massiliensibus : sed eam ut novam, et inauditam rejecerunt : ut loquens de eisdem Massiliensibus expresse testatur Prosper scribens ad August. his verbis : *Et cum contra eos scripta beatitudinis tuæ validissimis et innumeris testimoniis divinarum Scripturarum instructa proferimus, obstinationem suam vetustate defendunt, et ea quæ de epistola Apostoli Pauli Romanis scribentis ad manifestationem divinæ gratiæ, prævenientis electorum merita, proferuntur, a nullo unquam ecclesiasticorum ita esse intellecta ut nunc sentiuntur, affirment : cumque ut ipsi ea exponant secundum quorum velint sensa deposcimus, nihil se profitentur invenisse quod placeat, et de his taceri exigunt, quorum altitudinem nullus attigerit.* Quare si quæ testimonia alicujus ex Theologis Augustinum præcedentibus adducantur, quibus aliqua ex datis expositionibus adhibita applicari nequeat, non est multum de eis curandum : sed in sententia D. August. et aliorum Patrum, quæ semper, præcipue vero in hac materia est summa veneratione digna, persisti debet.

Prosper.

DUBIUM III.

Utrum sufficienti ratione probetur electionem prædestinatorum ad gloriam fuisse omnino gratis, et ante prævisionem meritorum? an vero ex justitia, et post prævisa merita?

Postquam explicuimus, electionem prædestinatorum ad gloriam fuisse, juxta sacram Scripturam, et Patres, gratuitam, et ante prævisa merita, restat, ut explicemus, an id sufficienti ratione probetur? ut ita res hæc clarior maneat. 70.

§ I.

Adducitur sententia prior.

Prima sententia affirmat, electionem prædestinatorum ad gloriam fuisse post prævisa merita, et ex justitia. Pro hac refert Villegas in suis controversiis de Deo uno controv. 13, Rubionem in 1 dist. 41 q. 1 art. 2 conclus. 3, Argentinam art. 2, Joannem de Bononia in libello de prædestinatione, Osorium lib. de justitia circa medium, Camerarium in dialogo Catholico capit. 5, Franciscum Turrianum in opusculo de hac re, Stapletonium in antidotis Apostolicis in epistola ad Roman. in illud cap. 9, *cum nondum nati essent*, Sixtum Senensem lib. 4 Bibliothecæ annotatione 251, Molinam 1 p. quæst. 23 art. 3 et 5 disp. 1 membro 6 et membro 11 post quintam conclusionem § *Ut quæ hactenus*, Vazquez prima parte disput. 89 cap. 2 et disp. 90 cap.

Rubio Argentin. Bonor Osoriu Camerar. Turrian Staple Sixt. Senen Molina Vazque

ssius. cap. 2, Lessium in disp. de prædestinatione sect. 2 usque ad 6 et lib. 14 de perfectio-
canus. nibus divinis cap. 2, Becanum 1 tomo
erice. summæ Theologiæ cap. 14 quæst. 4, Herice 1 p. tract. 3 disput. 25 capit. 10 et 11 et disput. 24 capit. 3, quamvis quoad hoc, excipiat quosdam, quos eximie prædestinatos vocat.

71. imum gu- ntum. Probatur primo. Quoniam electio gratuita, efficax, et ante prævisa merita, de qua in præsenti loquimur, non cohæret cum sincera illa voluntate, qua Deus ex intimo (ut sic dicamus) cordis affectu, et ex se ipso ante prævisionem meritorum voluit omnes homines salvos fieri; nec cum divinis promissionibus, quibus ante eamdem prævisionem promittit omnibus vitam æternam conditionate, idest, si divina mandata perseveranter custodierint : nec tandem cum efficacia, quam habent bona opera perseveranter patrata ad hoc ut cum effectu, et efficaciter operans perducatur ex vi eorum in vitam æternam : ergo talis electio efficax non est admittenda. Consequentia patet. Quoniam quævis voluntas efficax Dei debet cohærere cum iis, quæ in antecedenti referuntur : siquidem omnia illa sunt necessario admittenda, ut communiter docent Theologi, et intuenti constabit.

tece- ens obba- ur ioad mam tem. Antecedens autem quoad primam partem, nempe quod non potest cohærere cum illa sincera voluntate salvandi omnes, satis constat. Nam si sincere desideraret omnium salutem, quomodo antequam prævideret futura eorum opera, tam paucos efficaciter elegit, et reliquos omnes ita neglexit, ut nullus eorum vitam æternam consequeretur. Quoad secundam vero partem, scilicet prædictam voluntatem efficacem non cohærere cum divinis promissionibus conditionatis, etiam constat. Nam qui ante prævisa merita decernit absolute, et efficaciter dare aliquid, nequit illud promittere conditionate. Ex eo quod promissio, quæ est signum alicujus voluntatis dandi rem promissam, et cum ea nectitur, debet illi proportionari : ita quidem ut promissio conditionata, et non absoluta innuat voluntatem conditionatam, et neget absolutam : et promissio absoluta, et non conditionata denotet voluntatem absolutam, et deneget conditionatam. Quoad tertiam autem partem idem antecedens probatur. Nam si Deus vult gratuito, et efficaciter eligere homines ad gloriam, eis dandam, ante prævisa merita, tunc consequentur illam, etiamsi non habeant merita; imo etiamsi habeant prædicta bona opera, non consequentur gloriam propter illa, si semel Deus voluit efficaciter, et gratuito dare eamdem gloriam : alioqui illa voluntas gratuita non esset efficax : ergo eo ipso talis voluntas non cohærebit cum efficacia, quam habent bona opera perseveranter facta ad hoc ut ex vi illorum perducatur operans in vitam æternam.

Et oad cun- im.

Et oad iam.

72. Secundum argumentum. Secundo. Nam Deus vult dare adultis gloriam ut coronam : ergo non vult dare illam gratuito : ergo nec habet voluntatem efficacem dandi illam ante prævisa merita. Antecedens videtur certum, ut constat ex Concil. Trident. ses. 6 cap. 16 et propterea beatitudo ad Timoth. 4 nuncupatur corona justitiæ. Prima vero consequentia ex antecedenti constat. Quoniam id ad quod quis eligitur, tanquam ad aliquid per modum coronæ acquirendum, non est volitum ei gratuito. Secunda vero conseq. ex hac priori, necnon ex antecedenti constat. Quia quod est volitum per modum coronæ, et non gratuito, debet esse volitum ex meritis prævisis, et propter eadem merita, non vero ante prævisionem meritorum.

Concil. Trident. Timot. 4.

Confirmatur primo. Quia idem est esse volitum aliquid alicui per modum coronæ, et esse volitum eidem ut dandum in retributionem meritorum, seu laborum : sed nihil potest esse volitum alicui in retributionem meritorum, et laborum, nisi sint talia merita, et labor, actuque prævideantur, ut ita, juxta tantitatem meritorum possit taxari retributio, et corona : ergo nihil potest esse volitum per modum coronæ, nisi sint merita, et eisdem prævisis : ergo cum gloria sit volita electis per modum coronæ, non erit volita illis ante, sed post prævisionem meritorum.

Confirmatur primo.

73. Confirmatur secundo. Confirmatur secundo. Tum, quia quoties aliquid est medium ad finem sicut causa moralis, tunc is qui alteri promittit finem consequendum per illud, nunquam dat, aut intendit dare eumdem finem donec videat medium; sed merita sunt media moralia, per quæ nobis consequendam promisit Deus gloriam : ergo nec confert, nec intendit dare hanc, nisi prius videat prædicta merita. Consequentia cum minori constat. Major autem etiam patet. Nam medium morale, quod est meritum, non est medium physicum, quod actione sua reali efficiat finem, sicut medicina sanitatem; sed est medium per modum impetrationis relatum ad voluntatem ejus, qui confert finem intuitu ejusdem medii, si-

quidem tantum est medium ex eo quod movet promittentem ad dandum præmium : at promittens nequit ab illo moveri, et excitari, nisi ipsum prævideat : ergo tunc promittens, et intendens dare finem per prædictum medium, seu causam meritoriam, non vult, et intendit dare eumdem finem, usquedum videat tale medium, sive merita.

Tum etiam : quia si rex proponeret aliquod præmium bene certantibus, ea lege ut nullus illud adipisceretur, nisi qui victoriam in aliquo certamine reportaret, tunc quantumvis aliquem amore prosequeretur, et ei præmium expeteret; nunquam tamen, persistente illa priori voluntate, decerneret dare illi tale præmium antequam eum victorem videret : ergo cum Deus æternam salutem proponat omnibus ut bravium, tribuatque illam solummodo certantibus, et propter victoriam, debuit expectare eamdem victoriam, ut ratione illius tale præmium statueret conferre.

Confirmatur tertio. Confirmatur tertio. Quia Deus eodem modo dat in tempore sua dona, quo ab æterno disposuit, et intendit illa dare : siquidem ejus intentio, et dispositio est efficacissima : ergo hoc ipso quod det gloriam in tempore propter merita, atque adeo ex prævisione illorum, et non aliter, oportet ut ab æterno intenderit, et disposuerit dare illa propter eadem merita, et per consequens ex prævisione eorum et non aliter.

74. Tertium argumentum. Tertio. Nam voluntas eligendi efficaciter ad gloriam gratuito, et ante prævisa merita, pugnat cum hoc, quod est velle dare postea in executione illam propter merita, et eis prævisis : sed Deus habet voluntatem dandi gloriam postea, et in executione propter merita, et eis prævisis : ergo repugnat ut habeat priorem illam voluntatem gratuitam ante prævisa merita. Minor cum consequentia ex se constat. Major autem etiam liquet. Tum quia idem est velle dare gloriam gratuito, et ante prævisa merita, ac velle dare illam non ex meritis, et ex prævisione illorum : hæc autem voluntas pugnat cum voluntate dandi illam postea propter merita, et eis prævisis. Tum etiam (per quod præcedens probatio explicatur) quia voluntas illa prior efficax, et ante prævisa merita, quæ per modum intentionis ponitur, est omnino liberalis, et ex solo motivo misericordiæ : posterior vero est ex debito, et ex justitia : sed repugnat quod eadem res detur ex duobus titulis, quorum unus sit ex gratia, et alter ex justitia : siquidem unus eorum excludit alterum : ergo, etc.

Confirmatur, et explicatur. Nam vel electio efficax et ante prævisa merita, per quam Deus elegit hos potius quam illos homines, intenditque eis dare gloriam, est actus justitiæ remunerativæ, vel solius misericordiæ? Si primum ergo male ponitur ante merita prævisa; sed necessario erit ex meritis, et post prævisionem meritorum : siquidem actus justitiæ remunerativæ debet esse ex meritis, et propter merita prævisa, quæ remuneranda sunt. Secundum autem dici nequit. Tum quia, ut modo dicebamus, non esset composibilis cum voluntate, qua Deus in tempore tribuit gloriam ex justitia. Tum etiam : quia intentio tribuendi aliquod bonum, et executio, qua executive tribuitur, debent pertinere ad unam, et eamdem virtutem, alioqui illa intentio non esset efficax : siquidem non poneret in executione illud bonum virtutis, quod intendit : ergo cum executio dandi gloriam sit ex meritis, et ex justitia, non vero ex misericordia, oportet ut illa intentio sit actus justitiæ, non vero solius misericordiæ : ut ita talis executio, et intentio sint inter se cohærentes.

Quarto. Quia in Deo non est ponendum decretum liberum, et efficax, nisi respectu alicujus effectus producendi ad extra, qui se habeat per modum connotati respectu talis decreti : ex eo quod omne decretum liberum et efficax Dei, quo vult tribuere aliquid, connotat per se aliquem effectum libere ponendum in esse : sed volitio absoluta, efficax, et gratuita dandi gloriam ante prævisa merita, nullum effectum habet tanquam connotatum in collatione gloriæ : ergo non est ponenda. Major cum consequentia videntur perspicuæ. Minor autem probatur. Tum, quia in collatione gloriæ solum poterat prædictæ voluntati gratuitæ, et ante prævisa merita, correspondere eadem gloria ut collata independenter a meritis, et per modum beneficii indebiti, siquidem sic fuisset volita in illa intentione absoluta et gratuita ; sed hic effectus non fit in tempore, cum collatio gloriæ non mandetur executioni nisi ex meritis, et ex debito justitiæ : ergo, etc. Tum etiam : quia circa eumdem effectum, qualis est eadem gloria, nequeunt libera Dei decreta multiplicari. Nam sicut decretum liberum Dei connotat effectum, ita pro unico effectu satis est unicum decretum :

maxime

maxime cum quodlibet Dei decretum sit infinitum et efficacissimum.

77. Confirmatur. Confirmatur. Quoniam negari non potest, quin voluntas conferendi gloriam ex meritis prævisis et ex debito justitiæ, sit sufficiens ad hoc ut efficaciter tribuatur gloria iis, qui merita condigna in ordine ad eamdem gloriam habuerint : ergo superfluit alia voluntas absoluta, et efficax ante prævisa merita, per quam Deus velit prædictam gloriam tribuere. Consequentia videtur certa. Quia tantum sunt ponendæ in Deo illæ voluntates efficaces in ordine ad dandam gloriam, quæ desiderantur ad talem collationem : et ita si una ad hoc sufficit, superflue ponuntur duæ. Antecedens autem probatur. Quia hoc ipso quod Deus post prævisa merita aliquorum velit absolute eis dare gloriam propter illa, subsequetur efficaciter, et cum effectu collatio gloriæ : sicut hoc ipso quod in humanis rex habeat post prævisa merita voluntatem absolutam tribuendi aliquid in præmium, quod plene sit in potestate regis, subsequetur etiam efficaciter, et cum effectu collatio ejusdem præmii.

§ II.

Vera sententia.

78. Conclusio. Dicendum tamen est, sufficienti ratione, quoad præsens, probari, Deum voluntate omnino gratuita, et efficaci, ac ante prævisa merita elegisse prædestinatos ad beatitudinem seu intendisse dare eis gloriam, atque adeo electionem hanc non fuisse ex justitia propter merita prius volita, et prævisa. Assertionem hanc tuentur D. Augustin., Angelicus Doctor, et alii Patres duobus dubiis præcedentibus relati, Scotus in 1 distinct. 41 quæst. 1 § *Potest aliter*, Durandus, Ægidius, Hervæus ibidem, Mayron quæst. 4, Basol. art. 4, Gregor. quæst. 2, Capreolus, et Deza quæst. 1, Sotus in cap. 9 epist. ad Roman. in digressione de prædestinatione, Driedo lib. 1 de concordia prædestin. cap. 3, Salmeron tomo 4 p. 3 tract. 14, Corduba lib. 1 quæstionali quæst. 56 in 5 opinione, Bellarmin. lib. 2 de gratia, et lib. arbit. cap. 10 et cap. 15, Toletus in cap. 9 epist. ad Roman. in annotatione 19, Henriquez in lib. de ult. fine hominis cap. 11, Suarez lib. 3 de auxiliis cap. 16 et multo fusius lib. 1 de prædestinatione cap. 8, Curiel controversia 4 in cap. 2 epist. 2 divi Petri, Machin 1 p. disp. 46 sect. 6, Gonzalez disp. 73 sect. 2, Alvarez in lib. de auxiliis disp. 37 et in lib. 6 responsionum ad objectiones adversus concordiam liberi arbitrii cum divina præscientia cap. 10, Ledesma lib. de auxiliis disp. affini de electione ad gloriam conclusione 5, fol. 443, Cajetan., Bannez, Zumel, et Zanardus in præsenti, Nazarius art. 5 hujus quæst. controvers. 2, noster Cornejo tractatu de prædestinatione art. 4 disp. unic. dub. 2, Granadus in præsenti tractatu 7 disp. 4 sect. 2, Villegas in suis controversiis de Deo uno controvers. 13 cap. 2, et alii plures.

Gonzalez. Alvarez. Ledesma Cajetan. Bannez. Zumel. Zanard. Nazar. Cornejo. Granado. Villegas.

Assertio hæc non melius suadebitur quam adducendo duplicem rationem fundamentalem, quarum prima desumitur ex dictis in duobus dubiis præcedentibus, potestque ad hanc brevem formam reduci. Quoniam de divinis decretis liberis non aliter sentiendum est, quam juxta id, quod ex Scriptura et Patribus habemus, ut multoties diximus, et communiter docent Theologi : sed ex Scriptura et Patribus habemus, electionem prædestinatorum ad gloriam, seu intentionem efficacem, qua est illis volita gloria, esse ante prævisa merita, omnino gratuitam, et liberalem; non vero ex justitia, et post prævisionem meritorum, ut ex dictis in duobus dubiis præcedentibus constat, ergo ita sentiendum est de illa, et non aliter.

Prior ratio pro assertione.

79. Secunda et fundamentalis ratio ex D.Thom. Secundam vero, et fundamentalem rationem innuit D. Thom. in hoc articulo, potestque sub hac forma proponi. Nam voluntas seu intentio efficax finis est ante voluntatem, seu electionem efficacem mediorum : ergo voluntas efficax dandi gloriam erit in Deo ante voluntatem efficacem dandi gratiam et merita : ergo talis voluntas dandi gloriam erit omnino gratuita, et non ex justitia propter merita prius volita, et prævisa. Antecedens videtur certum. Quoniam cum media efficacia, et electio eorum sint efficaciter propter finem, oportet ut sint efficaciter volita ratione finis, atque adeo quod prius sit volitio, seu intentio ejusdem finis.

Prima vero consequentia ex antecedenti constat. Quia voluntas efficax dandi gloriam, est voluntas finis : et voluntas efficax dandi gratiam et merita, est voluntas, seu electio mediorum. Secunda autem consequentia ex hac, et ex antecedenti constat. Quoniam voluntas finis, quæ est ante volitionem et prævisionem mediorum, seu meritorum, est voluntas gratuita, et non

ex justitia propter merita prius volita et prævisa, ut ex terminis ipsis constat.

80. Confirmatur primo. Confirmatur primo. Quia re vera gloria est finis gratiæ, et meritorum, et posterior illis in executione : ergo ordine intentionis prius debet esse efficaciter volita, quam quod gratia et merita sint efficaciter electa. Patet consequentia. Quoniam quæ sunt posteriora ordine executionis, debent esse prius volita ordine intentionis.

Confirmatur secundo. Confirmatur, et explicatur secundo. Nam cum de facto prædestinati discernantur a non prædestinatis per hoc quod recipiunt a Deo media efficacia ad gloriæ consecutionem, quæ isti non recipiunt, oportet ut hujus discretionis factæ in tempore, et præparatæ ab æterno, aliqua ratio ex parte Dei præparantis assignetur : at hæc non est alia nisi intentio efficax dandi gloriam illis, et non istis, ex qua provenit electio illa efficax dandi auxilia efficacia prædestinatis, secus vero non prædestinatis : ergo ante prædictam electionem horum mediorum, ac proinde meritorum, dabitur in Deo intentio efficax dandi gloriam prædestinatis : et per consequens talis intentio erit gratuita, et non ex justitia propter merita prius volita, et prævisa. Major est certa secundum fidem. Minor autem etiam constat. Quoniam ratio hujus discretionis debet esse intentio efficax alicujus finis, alioqui talis discretio fieret a casu, et præter intentionem Dei, quod est absurdum. Constat autem talem intentionem non esse alterius finis nisi gloriæ : siquidem media præparata, ad solam illam sunt utilia, et ab intrinseco ordinata, ac proinde ex ejus intentione debent procedere.

81. Confirmatur ultimo. Confirmatur, et explicatur tandem. Quia electio efficax ad gratiam, est ante omnia opera nostra, licet executio, et collatio illius non sit sine nostra cooperatione : ergo similiter licet collatio, et executio beatitudinis non sit ante nostra merita, electio tamen ad ipsam poterit esse ante prævisionem eorumdem meritorum. Consequentia videtur sequi ex paritate rationis. Quia si semel in electione ad gratiam non oportet servari eumdem ordinem intentionis, et executionis, ita nec in electione ad gloriam. Antecedens autem probatur. Quia perspicuum est, nec gratiam habitualem, nec auxilium efficax dari nobis sine consensu, et operatione nostra. Nam gratia habitualis non infunditur adultis sine dispositione illorum : et auxilium efficax ad conversionem non est sine actuali conversione : et tamen licet gratia habitualis, et actualis habeat in executione talem cooperationem ; nihilominus electio ad ipsam non præsupponit prævisionem cooperationis ad eamdem, siquidem non potest prævideri effectus, antequam causa ejus prævideatur; et antequam prævideatur electio ad gratiam, non prævidetur causa prædictæ cooperationis : ergo, etc.

§ III.

Evasiones Lessii, et præclusio earum.

82. Prior evasio Lessii. Nec refert prima evasio Lessii asserentis Deum velle conferre prædestinatis ex intentione gloriæ media, quæ sunt efficacia; non tamen formaliter ut efficacia, applicat illa ex vi prædictæ intentionis, quin potius eorum efficacia ad gloriam, materialiter tantum se habet respectu talis voluntatis : et hoc satis esse ad hoc ut media dicantur esse volita propter finem, et ex intentione finis : nec non ad hoc ut detur sufficiens discretio inter prædestinatos, et non prædestinatos : ac tandem ad hoc ut volitio efficax dandi gloriam sit post prævisa merita, licet ante eadem merita præcesserit volitio inefficax illam tribuendi.

Præcluditur primo. Non itaque hæc evasio refert. Tum, quia destruit decretum prædestinationis, de cujus intrinseca ratione est, quod sit præparatio mediorum efficacium, et beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur, ut ex definitione August. disp. 2 num. 134 tradita vidimus. Constat autem verba in definitione formaliter sumenda esse, et non materialiter : et ita hoc ipso quod prædestinatio definiatur per præparationem mediorum efficacium, ac proinde per decretum tribuendi gloriam, et media efficacia, debet intelligi de decreto applicante eadem media efficacia ut talia.

Secundo. Tum etiam : quia prædicta solutio denotat Deum esse ignorantem, vel imprudentem. Quoniam dum eligit media efficacia ad gloriam, vel cognoscit eorum efficaciam, aut eam ignorat? Si primum, ergo illorum efficaciam intendit : siquidem sciens, et prudens illa applicat, alioqui a casu, et imprudenter ea applicaret. Si secundum, ergo est ignorans.

83. Alia evasio ejusdem Lessii. Nec etiam obest alia solutio, quam tradit idem Lessius, nempe intentionem finis, non esse priorem volitione mediorum, quando finis intenditur ut præmium, qualiter in præsenti intenditur beatitudo.

Evertitur. Non igitur hoc obest. Quia semper intentio

tentio finis etiamsi intendatur ut præmium, debet esse ratio volendi media, sive talia media sint physica, sive moralia : ergo oportet ut sit causalitate prior. Conseq. patet. Quia causa vel ratio formalis, quæ propter defectum distinctionis non habet rationem causæ, debet esse vel realiter prior, si fuerit causa, vel saltim virtualiter, si tantum fuerit ratio formalis respectu ejus, respectu cujus comparatur per modum rationis formalis : ut immutabilitas est prior æternitate : quia licet non sit causa ; est tamen ratio illius.

Antecedens autem explicatur aliquibus exemplis. Nam dum Jacob servivit, ut sibi in uxorem daretur Rachel, et David pugnavit cum Goliath, ut sibi daretur Michol, tunc revera uterque hæc incrementa ut præmia suæ servitutis, et pugnæ intendebat : et tamen prius accensi sunt amore illorum præmiorum, priusque voluerunt illa quam merita, nempe servitutem, et pugnam : siquidem velle prædicta præmia fuit causa volendi servitutem, et pugnam, quod quidem ad hanc prioritatem satis est. Et similiter quotidie experimur, homines meritis carentes in ordine ad comparandam aliquam dignitatem, concupiscere, et intendere illam, ac ex amore ipsius procurare ipsa merita. Ac tandem nos sæpissime intendimus, ut amici aliquod præmium consequantur ; et ut illud digne comparent, curamus ut habeant merita condigna tali præmio, ac proinde volitio eorumdem præmiorum est causa, vel ratio curandi de meritis : et ita intentio finis etiamsi tribuatur ut præmium, erit prior volitione mediorum et meritorum.

84. ertia usdem asio.

Nec deinde refert alia solutio ejusdem Lessii, nimirum beatitudinem prius intendi a Deo in genere et in confuso, nostro modo intelligendi sine applicatione ad aliquem in particulari quam merita sint prævisa : quamvis ut applicata singulis non prius intendatur absolute, sed conditionaliter, si ipsi perseverent in gratia. Nam sicut intellectus, aut voluntas divina prius nostro modo intelligendi terminatur ad unum objectum, quam ad aliud, ut prius terminatur ad se quam ad creaturas, ita similiter possumus intelligere quod divina voluntas prius terminetur ad volendum gloriam in communi, quam ad volendum gloriam in particulari, v. g. Petro : et quod illa in communi, fuerit absolute volita : at in particulari, et ut applicata Petro, tantum sit volita conditionate.

Non igitur hoc refert. Nam licet intellectus noster possit ex parte sui imperfecti modi, concipere Deum ut volentem efficaciter beatitudinem aliquibus, non concipiendo pro tunc quinam sint illi, quibus in particulari Deus decrevit efficaciter dare eamdem beatitudinem, attamen Deus pro eodem signo, pro quo vult beatitudinem efficaciter a se dandam, vult eamdem ut applicatam in particulari ordine intentionis iis, qui postea ordine executionis illam assecuturi sunt : et oppositum hujus nequit a nostro intellectu vere Deo tribui : ergo solutio data corruit : siquidem non solum docet posse nos per intellectionem pure præcisivam, et ex parte nostri modi concipiendi imperfecti cognoscere unum ex illis duobus, nempe quod Deus vult efficaciter tribuere aliquibus beatitudinem, non concipiendo pro tunc quinam in particulari sint illi, quibus prædicta beatitudo efficaciter intenta est ; sed etiam tribuit Deo prædictum modum efficaciter intendendi eamdem beatitudinem, ita ut ante prævisa merita nequeat efficaciter intendere dare eam in particulari iis, qui postea in executione mediis suis meritis illam acquisierunt. Antecedens autem probatur. Quoniam non debet Deo tribui modus cognoscendi, aut procedendi confusus, et imperfectus, ac de potentia in actum, qualis esset ille, qui in hac solutione constituitur : quandoquidem hoc derogat summæ, et purissimæ actualitati intellectus, et voluntatis divinæ. Unde nos ratione potentialitatis, et imperfectionis, quam in modo nostro volendi, et cognoscendi habemus, possumus cum hac confusione, et de potentia ad actum procedendo intelligere, et velle. Enervatur.

85. Confirmatur primo.

Confirmatur. Quoniam cognitio Dei per scientiam simplicis intelligentiæ, quæ præcedit ad electionem efficacem, est omnino disti cta, et terminatur in particulari ad omne objectum cognoscibile, ad omnesque homines a Deo eligibiles in ordine ad æternam salutem : ergo electio efficax, et ante prævisionem meritorum subsecuta ad hanc cognitionem distinctam, et in particulari, non erit electio confusa et vaga, seu terminata ad aliquos homines confuse, et vage sumptos, sed omnino distincta, et terminata ad eosdem in particulari acceptos. Antecedens non indiget probatione.

Consequentia vero probatur. Quoniam ad naturalem sympathiam, et consensionem, ac omnimodam correspondentiam, quæ debet esse inter intellectum, et cogni-

tionem summe perfectam ex una parte, et inter voluntatem, ac volitionem summæ etiam perfectionis ex alia, requiritur ut ad cognitionem omnino distinctam, et in particulari subsequatur, juxta naturam ipsius voluntatis, ac proinde libero modo, actus omnino distinctus, et terminatus ad idem objectum, quod distincte et in particulari est cognitum, per quemque prædictum objectum ametur libere, sive eligatur, aut excludatur. Sicut propter eamdem consensionem nequit divina voluntas esse suspensa, et absque omni actu circa aliquod objectum, ut in tract. de Volunt. Dei disp. 5 num. 76 dicebamus. Et ideo respectu cujusvis objecti per scientiam simplicis intelligentiæ cogniti debet voluntas Dei habere actum aliquem juxta naturam propriæ libertatis : atque adeo debet habere actum, quo in particulari velit illud, vel quo respuat, seu excludat prædictum objectum.

86. Confirmatur s. cuido. Confirmatur iterum, et explicatur. Quoniam non est distinguendus in divinis aliquis ordo, aut prioritas, vel multiplicitas signorum, nisi ex parte objecti voliti sit aliquis ordo, aut dependentia, quatenus unum, modo alibi dicto, est alteri ratio, quare fit volitum a divina voluntate, ut constat ex iis, quæ in tract. de Voluntate Dei in animadvers. circa art. 5 n. 10 diximus, et communiter docent Theologi : sed quod sit volita a Deo efficaciter beatitudo aliquibus in communi, et vage, non est ratio quare sit volita in particulari iis, qui postea illam in executione assecuntur potius quam aliis : ergo Deus non vult prius beatitudiuem efficaciter dandam aliquibus in communi vage et in confuso, quam quod eamdem beatitudinem efficaciter velit, et intendat applicando eam ordine intentionis ad aliquos in particulari.

Confirmatur tertio. Lessius. Confirmatur et explicatur tandem eodem exemplo, quod pro se adducit Lessius. Nam ideo intellectus, et voluntas divina absque nota imperfectionis, et potentialitatis possunt terminari ad unum prius quam ad aliud, ut ad essentiam, et bonitatem Dei prius quam ad creaturas, quia divina essentia, et bonitas ut cognita et volita, est ratio quare creaturæ sint cognitæ, vel volitæ, ab ipso Deo : ergo cum beatitudinem esse volitam aliquibus in confuso et vage, non sit ratio quare sit volita aliquibus in particulari potius quam aliis, inde est, ut divina voluntas non fuerit prius terminata efficaciter ab beatitudinem ut volitam aliquibus in confuso, quam ad eamdem ut volitam aliquibus in particulari potius quam aliis.

Nec refert si in favorem hujus ultimæ solutionis ex Lessio desumptæ objicias, quod divina bonitas est prius volita, quam prædestinati in particulari sumpti eligerentur a Deo ad æternam vitam : et tamen divina bonitas sic volita non est ratio cur hi potius homines, quam illi sint in particulari electi ad æternam felicitatem : ergo licet electio illa efficax vaga, et confusa, ante prævisa merita non sit ratio quare hi potius, quam alii in particulari eligantur ; nihilominus talis electio erit prior, quam electio hominum in particulari, et post prævisa merita. Major non indiget probatione, et constat ex dictis in prædicto tract. de Volunt. Dei disp. 3 n. 30.

Minor vero etiam liquet. Quoniam divina bonitas quantum est ex se indiscriminatim inclinat ad productionem cujuslibet creaturæ, et ad electionem cujuslibet hominis in ordine ad æternam vitam. Consequentia vero probatur. Nam ex intentione efficaci salvandi aliquos, et ex indifferentia divinæ voluntatis, quæ pro suo libito potest eligere, quos sibi placuerit, oritur ut hi potius quam illi eligantur : et ita prius debet esse illa electio efficax vaga et confusa, et ante prævisa merita, quam quod aliqui in particulari eligantur : sicut quia ex divina bonitate, et ex indifferentia libertatis Dei ortum ducit ut hæ potius quam illæ creaturæ amentur, ideo divina bonitas est prius volita, quam creaturæ ; quamvis sola divina bonitas, aut sola illa electio vaga et confusa, non sit ratio quare hæ potius, quam illæ creaturæ sint volitæ aut electæ.

Respondetur enim concedendo majorem, et negando minorem. Quoniam divina bonitas aliquo modo prius amata habet ex propriis meritis, et per modum finis esse ratio quare hi potius quam illi homines eligantur ; quamvis ad hoc necessarium sit ut connotet, quod libertas divina influat ad hoc ipsum : non quidem in genere causæ finalis, sed in genere causæ efficientis, ita ut una sine alia non influeret.

88. Elucidatur solutio. Potestque hoc explicari ex eo, quod bonitas Dei continet omnem excogitabilem perfectionem in ratione bonitatis, seu virtutis finalizandi : et ita ipsamet ex propriis meritis connotando indifferentiam divinæ libertatis ad omne objectum volibile, est ratio per modum finis volendi indiscriminatim quodcumque volibile : et ipsamet ut connotat

connotat determinationem, et decretum divinæ libertatis ad hoc potius quam ad illud objectum, et in genere causæ efficientis influentem, est ratio in eodem genere causæ finalis, et ex propriis, volendi unum præ alio. Cæterum illa prior electio vaga, et indeterminata non est ex propriis meritis ratio in aliquo genere causæ, quare hi potius quam illi eligantur. Quia cum ipsa non sit summe perfecta, nec contineat perfectionem intentionis omnino determinatæ, et distincte terminatæ ad hos potius, quam ad illos homines, quia hæc ex genere suo dicit aliquid majoris perfectionis inde est, ut non possit ex propriis meritis præstare id, quod præstaret intentio determinata, et distincte terminata ad hos potius quam ad illos homines : et ita illa præelectio unius præ alio solum posset tribui libertati, et decreto divinæ voluntatis. Ex quo etiam fieret quod præelectio, qua isti præ aliis eliguntur ad æternam beatitudinem, erit absque intentione efficaci influente per modum intentionis in eam, ac proinde quoad hanc rationem esset a casu, et temere, atque adeo secundum istam rationem non erit posterior, quam prædicta intentio vaga et confusa.

§ IV.

Effugium Molinæ et Vazquez, et impugnatio eorum.

89. Effugium Molinæ. Nec etiam est alicujus momenti effugium Molinæ asserentis Deum eligere media efficacia ad beatitudinem absque ulla prævia efficaci finis intentione : ex eo quod scit quæ media sunt efficacia ad prædictam consecutionem. Putat enim quod sciens efficaciam mediorum ad aliquem finem non eget expressa illa intentione ejusdem finis. Nam qui scit medicinam aliquam esse efficacem ad sanitatem, eligit eam absque expressa intentione sanitatis : et quia scimus aquam esse efficacem ad extinguendum ignem, vel sitim, propterea illam eligimus ad hos fines absque eorum expressa intentione. Potestque hæc solutio juvari ex eo quod cum voluntas moveatur a bonitate, et convenientia objecti, inde est, ut si hæc repræsentetur ei in mediis conducentibus ad aliquem finem, statim ad eorum electionem poterit immediate moveri absque prævia finis intentione.

Declaratur. Non igitur hæc solutio est alicujus momenti, quinimo ex jam dictis facile corruit. Quoniam ex ea sequuntur eadem inconvenientia, quæ ex prima solutione Lessii deducebantur. Nam vel Deus per media, quorum efficaciam præcognoscit, vult dare gloriam electis ex intentione efficaci, aut inefficaci, aut sine ulla prævia intentione ipsius? Si primum : ergo necesse est gloriam prius in genere causæ finalis esse efficaciter volitam, quam media attingantur a divina voluntate, quod est intentum. Si secundum, vel tertium, sequitur, imprudenter, et a casu fieri electionem illam mediorum, ut efficacia sunt, quia ut sic propter nullum finem eliguntur, ut ex jam dicendis magis constabit : siquidem etiamsi detur inefficax intentio illa, non est sufficiens ad electionem mediorum efficacium : et ita perinde est ac si nullus finis fuisset intentus : et per consequens media illa imprudenter fuissent electa, cum media nequeant sub aliqua ratione prudenter eligi, nisi propter finem aliquem intentum, et assequendum. Unde id quod ad hanc solutionem juvandam attulimus, nihil eam juvat. Quoniam licet agens liberum cognoscat efficaciam mediorum; nihilominus nisi cognoscat finem, et intendat illum, nequit debite illa eligere, nisi operando præter intentionem et a casu, et per consequens temere : quæ imperfectio nulla ratione potest poni in Deo.

90. Aliud effugium. Ex quo etiam constat nullius esse roboris aliam solutionem aliquorum, et huic affinem, per quamque præcedens quodammodo corroborari videbatur, nempe intentionem gloriæ esse virtualiter inclusam in electione mediorum, v. g. in volitione dandi primum auxilium includitur intentio beatitudinis, quatenus hoc ipso quod Deus vult dare illud prædestinatis ad consequendam beatitudinem, tunc virtualiter vult dare ipsam beatitudinem, habetque virtualem intentionem illius.

Refellitur. Ex dictis igitur etiam solutio hæc corruit, ut intuenti constabit. Nam ad hoc ut quis non operetur temere et a casu, oportet ut ex prævia intentione finis agat. Unde Paulus ad Roman. 9 expresse distinguit propositum salvandi, ab ipsa vocatione. Et Augustin. hoc ipsum manifeste docet locis dubio præcedenti adductis. Rom. 9. August.

91. Additamentum primum. Accedit primo, quod operari ex expressa intentione finis dicit perfectionem, cui nulla admiscetur imperfectio, quinimo operari ex hac intentione expressa, et formali importat majorem perfectionem, quam

operari ex sola intentione virtuali : et ita prior ille modus operandi debet Deo tribui.

Secundum. Accedit secundo, quod habere hanc intentionem solummodo virtualem inclusam in electione formali mediorum est absolute, et simpliciter posterius, quam electio formalis, in qua virtualiter continetur, siquidem *esse* formale, in quo continetur aliquid virtualiter, est secundum hanc rationem simpliciter prius eo, quod in ipso virtualiter præhabetur, ac proinde electio prout præcedit hanc virtualem intentionem, non erit propter finem, sed a casu et temere.

Tertium. Accedit tandem, quod Deo non potest negari formalis cognitio principiorum, concedendo solummodo ei virtualem cognitionem eorum in conclusionibus : ex eo quod notitia eorum in se ipsis immediate dicit perfectionem sine admixtione imperfectionis : et quia cognoscere prædicta principia utroque modo est perfectior modus cognoscendi, quam attingere ipsa solum virtualiter in conclusionibus : ergo similiter tribuenda erit Deo formalis, et expressa intentio finis, et non solum virtualis in electione mediorum. Patet consequentia.

D.Thom. Quia ut docet D. Thom. supra q. 19 art. 5 cognitio conclusionis proportionatur cum electione mediorum, et intentio finis cum cognitione principiorum : ex eo quod ut

Arist. loquitur Aristot. 2 Metaph. sicut se habet principium in speculabilibus respectu conclusionum, ita finis respectu electionis mediorum.

92. Evasio. Vazquez. Nec etiam obest alia solutio, quam tradit Vazquez, nimirum quod licet ad electionem efficacem mediorum debeat necessario præcedere intentio finis, non tamen hæc intentio debet esse efficax, sed satis erit si sit inefficax, ut in præsenti contingit. Nam ex inefficaci, et æquali intentione, quam Deus habet salvandi omnes, ortum duxit efficax electio mediorum efficacium, quibus prædestinati efficaciter gloriam consequuntur. Ex quo infert, quod discretio, et inæqualitas amoris Dei erga prædestinatos, et reprobos non incipit ab intentione gloriæ, quæ est communis, et æqualis respectu amborum; sed prædicta distinctio, et inæqualitas incipit a communicatione gratiæ collatæ prædestinatis, et non reprobis, quatenus illis, et non istis tribuit gratiam, per quam de facto vitam æternam consequantur.

Impugnatur. Non itaque hæc solutio obest. Nam hoc ipso quod intentio finis sit causa, vel ratio eligendi media, oportet quod sicut electio mediorum provenit ab intentione finis, sic electio inefficax ab intentione inefficaci, et electio efficax ab efficaci intentione : ut ita effectus proportionentur suis causis, et causæ suis effectibus, alioqui causa ageret ultra suam virtutem, siquidem est ultra virtutem ejus, quod est inefficax respectu alicujus, causare id quod est efficax.

Confirmatur. Quoniam, ut nuper dicebamus, et docet Arist. 6 Ethic. c. 2 sicut se habent in speculabilibus principia respectu intellectus et cognitionis conclusionis, ita in operabilibus finis respectu voluntatis et electionis mediorum : sed in speculabilibus cognitio principiorum est causa, sive ratio cognitionis conclusionum : et propterea non potest conclusio habere majorem certitudinem, quam eam, quæ est in principiis : ergo propter eamdem rationem volitio seu intentio finis erit causa, sive ratio electionis mediorum : et ideo electio non poterit habere majorem efficacitatem, quam intentio finis. Patet consequentia. Tum ex paritate rationis. Tum etiam : quia sicut certitudo pertinet ad lineam intellectus, ita efficacia ad lineam voluntatis : ac proinde sicut in linea intellectus non potest esse major certitudo in cognitione conclusionis, quam sit in cognitione suorum principiorum, sic in linea voluntatis non poterit esse major efficacia in electione, quæ se habet ad instar conclusionis in operabilibus respectu electionis, quam sit in ipsa intentione.

Ex quo fit falsum esse id, quod in hac solutione dicitur, nempe ex æquali intentione posse provenire inæqualem electionem mediorum : ita ut ex æquali intentione beatitudinis oriatur electio efficax mediorum efficacium respectu prædestinatorum, et electio mediorum inefficacium respectu reproborum. Quoniam ex æquali causa debet oriri æqualis effectus : ergo si intentio finis est causa, sive ratio electionis mediorum, oportet ut ex æquali intentione finis non oriatur inæqualis, sed æqualis electio mediorum.

94 Secu confi mati Confirmatur et explicatur, ac simul tacita quædam solutio excluditur. Nam licet ad electionem mediorum concurrant tam intentio finis, quam facultas volitiva, et libera ipsius voluntatis; attamen intentio finis est ratio voluntati ad hoc ut eligat media, ita ut non nisi ea mediante possit prædicta media eligere : ergo per æqualem et inefficacem intentionem nequit voluntas elicere

elicere inæqualem electionem. Patet consequentia. Tum quia (juxta regulam illam Topicorum) sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis : ut si ad calefaciendum requiritur calor, ad majorem calefactionem requiretur major calor : ergo si ad electionem desideratur intentio, ad majorem electionem, seu (quod in idem redit quoad præsens attinet) ad electionem efficacem requiretur major intentio, seu intentio efficax : ac proinde ex æquali intentione inefficaci non poterit oriri inæqualis electio : ita ut una sit (ut sic dicamus) major et efficax, alia vero minor et inefficax.

Tum etiam : quia, ut nuper dicebamus, quidquid est in volitione mediorum, debet causari ex volitione finis, ex eo quod media sunt dilecta ex dilectione sive intentione ejusdem finis : ergo efficacitas et inæqualitas, quæ reperitur in hac electione potius quam in illa, et in electione horum mediorum, nempe efficacium, potius, quam aliorum, debet refundi in inæqualitatem intentionis. Alioqui illa inæqualitas electionis efficacis, nempe quod ipsa sit efficax, licet aliæ electiones aliorum mediorum tendentium in eumdem finem sint inefficaces, esset a casu et præter intentionem : siquidem, ut asserebamus, ex vi intentionis inefficacis non sequitur electio ut efficax, nec media ut efficacia intenduntur nisi propter finem efficaciter intentum.

95. Impugnatio illationis Vazquez. Tandem falsum est id, quod ex hac solutione infert Vazquez, nempe quod distinctio et discretio inter prædestinatos, et reprobos incipit a primo auxilio eisdem concesso. Nam ista discretio nequit incipere a collatione primæ gratiæ habitualis, aut actualis etiam efficacis, cum utraque possit esse communis, tam prædestinatis, quam reprobis : ergo oportet ut incipiat a largitione primæ gratiæ ut deservit ad infallibiliter perseverandum, et ad infallibilem consecutionem gloriæ : ergo cum dare gratiam ad consecutionem infallibilem gloriæ supponat aliam voluntatem priorem, ut prædestinati eamdem gloriam infallibiliter consequantur, quam non habet Deus erga reprobos, consequens est, ut ante talem collationem gratiæ jam sit aliqua discretio et distinctio inter illos.

96. Dem. Nec est alicujus roboris id quod pro se adducit Vazquez ad tuendam hanc suam solutionem, nempe ex eadem voluntate æquali omnino, qua Deus se ipsum diligit, oriri inæqualitatem volitionum liberarum, quibus suas creaturas amore prosequitur : ergo etiam ex æquali et communi intentione, et amore salvandi omnes potest oriri inæqualis electio : alia quidem efficax, alia vero inefficax.

Non itaque hoc est alicujus roboris. Quoniam illa dilectio, qua Deus se ipsum diligit, non se habet per modum intentionis respectu volitionis liberæ creaturarum. Nam talis intentio est volitio taliter manifestandi sua attributa et bonitatem, quæ quidem inæqualis est quoties datur inæqualis electio. Ratio autem propter quam nihil obest æqualitas, qua Deus se ipsum necessario diligit, ad hoc ut diligat inæqualiter, et ut sibi placuerit creaturas, est. Quia illa dilectio habet se per modum facultatis liberæ in actu purissimo consistentis, quatenus illamet volitio collata ad divinam voluntatem præcise sumptam, habet rationem voluntatis per modum naturæ : et comparata cum creaturis est indifferens ad hoc ut possit terminari, vel non terminari ad illas. Constat autem facultatem volitivam et liberam omnino æqualem secundum ea, quæ ex se habet, posse inæqualiter intendere hanc vel illam communicationem suæ bonitatis. Diluitur fundamentum Vazquez.

Nec etiam refert alia solutio, quam tradit idem Vazquez, nimirum quod etsi electio efficax mediorum respectu finis obtinendi ab illo, qui habet intentionem illius, debeat præsupponere intentionem non qualemcumque, sed efficacem; non tamen electio efficax mediorum respectu finis ab alio consequendi. Quare cum Deus non eligat efficaciter media in ordine ad beatitudinem a se obtinendam, sed a prædestinatis comparandam, inde est, ut satis sit, quod præcedat intentio inefficax, qua velit eisdem beatitudinem dare. Explicat autem, quomodo prædicta intentio inefficax sufficiat quoad præsens in ordine ad electionem efficacem jam dictam, exemplo patris, qui efficaciter vult tribuere filio media, quibus acquirat scientiam, vel dignitatem aliquam, ut expensas, libros, etc. et tamen in illo non supponitur voluntas efficax finis : siquidem talis finis non est in ejus potestate. 97. Alia evasio Vazq.

Non igitur hæc solutio refert. Tum quia licet Deus non intendat beatitudinem electorum ut ab ipso Deo sibi acquirendam, bene tamen ut a se efficaciter dandam : ergo sicut si intenderet illam ut a se acquirendam, et eligeret efficacia media in ordine ad hanc assecutionem, deberet, juxta

hanc solutionem, prius intendere beatitudinem efficaciter, ita etiam debet idem cum proportione dici hoc ipso quod intendat beatitudinem electorum, ut a se dandam, et eligat media efficacia in ordine ad hunc finem, ut ex paritate rationis constare videtur.

Retorquetur solutio contra Vazquez.

Tum etiam : quia exemplum patris, quod pro se adducit Vazquez potest contra ipsum efficaciter retorqueri. Quoniam media electa ab eo in ordine ad finem illum intentum, nimirum quod filius literas discat, vel dignitatem acquirat, non sunt efficacia infallibiliter inferentia finem, sed ad summum habent esse quantum est ex se efficacia : et propterea intentio, quam habet pater, fuit quantum est ex se efficax, ac proinde hoc ipso quod in ejus potestate plene esset quod filius literas disceret, vel dignitatem adipisceretur, haberet intentionem omnino efficacem, et similiter electionem cum eadem efficacitate infallibiliter inferentes effectum : ergo intentio et electio efficax mutuo sibi correspondent in sua efficacitate, et hoc ipso quod electio sit ex se efficax, etiam intentio erit ex se efficax : et eo ipso erit utraque infallibiliter efficax, si finis et media sint plene in potestate intendentis et eligentis : ergo cum finis æternæ vitæ, et media ad illum omnino efficacia, et infallibiliter ipsum inferentia, sint plene in potestate Dei, et habeat electionem ex se efficacem mediorum in ordine ad istum finem, habebit etiam intentionem ex se efficacem prædicti finis, a qua hæc electio procedit : ac tandem tam intentio, quam electio prædictæ, erunt infallibiliter efficaces.

Tum denique : quia alioqui nunquam Deus efficaciter intenderet aliquem finem creatum ; siquidem prædictus finis non a se, sed a creaturis comparandus est : hoc autem satis falsitatis præ se ferre videtur, ut intuenti patebit. Accedit, quod impugnationes adductæ contra priorem solutionem ejusdem Vazquez etiam militant contra istam, ut expendenti illas fiet notum.

§ V.

Alia solutio, et eversio ejus.

98. Nec præterea obstat alia solutio, quæ huic rationi D. Thom. videbatur posse adhiberi, nempe quod etsi ex ea sequatur, dandam esse in Deo tam electionem efficacem mediorum, quam intentionem etiam efficacem gloriæ, ex qua prædicta electio efficax procedat; nihilominus non inde fieri, intentionem efficacem dandi gloriam, non esse ex meritis prævisis, et ex justitia, sed esse ex misericordia. Quoniam etsi gloria efficaciter intenta, esset prior in genere causæ finalis, quam media efficaciter electa; attamen prædicta media essent priora in alio genere causæ, scilicet in genere causæ materialis, seu dispositivæ et meritoriæ, quam gloria. Et ita ex hoc capite essent prævisa antecedenter antecedentia causæ materialis, et meritoriæ, quam gloria : et per consequens intentio gloriæ esset ex prævisis meritis, ac proinde ex justitia, non vero ex misericordia.

Potestque hoc explicari exemplo reprobationis, quæ quoad voluntatem, et intentionem puniendi reprobos ita se habet, ut pœna illa intenta per hanc voluntatem sit prior in genere causæ finalis, quam peccata reproborum, licet eadem peccata sint priora, quam pœna in genere causæ materialis, sive dispositivæ, et meritoriæ : et ita propter hanc antecessionem peccatorum voluntas ista puniendi, est in hoc genere causæ materialis, et meritoriæ post prævisionem peccatorum, et ex pura et sola justitia, ut disp. 8 num. 22 hujus tractatus diximus.

99. Eversio prior.

Non igitur hæc solutio vim rationis D. Thom. infringit. Quoniam est aperta disparitas inter voluntatem puniendi, et voluntatem, quam Deus habuit per modum intentionis dandi efficaciter, electis gloriam. Etenim, ut disp. 8 num. 20 dicebamus, voluntas puniendi est de secundaria intentione Dei, seu est quodammodo voluntas occasionata, quatenus Deus non aliter quam ex occasione peccati, et ab eo provocatus habet, aut habere potest voluntatem puniendi. Cæterum voluntas dandi per modum intentionis gloriam, est de primaria intentione Dei, quia est voluntas dandi summum illud bonum beatitudinis : quod maxime Deum decet, ut gratuito illud, et liberaliter communicet : ut ita ejus misericordia, et liberalitas valde splendeat : et propterea Deus non provocatus meritis, sed sua divina bonitate allectus, et invitatus habet intentionem dandi prædictum bonum.

Alia eversio

Deinde eadem solutio impugnatur ex eo quod omnis justitia nostra erga Deum, debet, saltim secundum communem cursum, et suavem Dei providentiam, oriri ex aliqua pura misericordia, vel liberalitate, sive magnificentia

magnificentia Dei erga nos, seu (quod in idem redit) omnis voluntas Dei ex justitia circa nos, debet procedere ex alia priori voluntate omnino misericordiæ sive gratuita simpliciter priori : ergo repugnat, saltim secundum communem cursum, quod prior voluntas efficax, quam Deus erga salutem hominum habuit, quæque, juxta hanc solutionem, quam impugnamus, est voluntas dandi gloriam, et prior electione efficaci mediorum, habeat esse in Deo post prævisa merita , et esse ex pura justitia : et per consequens etiam repugnabit, saltim secundum eumdem cursum, seu suavem Dei providentiam, quod talis electio efficax supponatur in genere causæ materialis, et meritoriæ ex parte objecti ad primam voluntatem dandi gloriam.

00. timæ nse- entiæ batio.

Hæc ultima consequentia ex priori satis sequitur. Quoniam hoc ipso quod electio efficax mediorum supponatur ex parte objecti in genere causæ materialis, et meritoriæ ad primam voluntatem dandi gloriam, non potest non, secundum communem cursum, et suavem Dei providentiam, voluntas dandi gloriam esse ex justitia, et post prævisa merita, ut num. 21 hujus disp. dicebamus : et propterea voluntas infligendi pœnam reprobis est ex justitia : quia supponit in genere causæ materialis, et meritoriæ peccata, ut disp. 8 num. 22 assertum est : ergo si repugnat, secundum communem cursum, et suavem Dei providentiam, quod prior illa voluntas efficax dandi gloriam quæ ordine intentionis supponitur, sit ex justitia et post prævisa merita, etiam repugnabit, saltim secundum eumdem cursum, quod electio mediorum efficacium, seu meritorum præsupponatur ex parte objecti in genere causæ materialis, et meritoriæ ad prædictam voluntatem dandi gloriam.

nse- entiæ imæ ape- tur.

Prima vero consequentia ex antecedenti videtur deduci. Quoniam hoc ipso quod omnis justitia nostra erga Deum in ordine ad æternam salutem debeat oriri ex aliqua priori, et pura misericordia, sive liberalitate Dei erga nos, omnisque voluntas Dei ex justitia, procedat ex aliqua anteriori voluntate divina omnino misericordiosa et gratuita, oportet ut prima voluntas Dei erga nostram salutem, qua efficaciter vult dari nobis gloriam, non sit post prævisa merita, et ex justitia. Et ratio est. Tum quia talis voluntas dandi efficaciter gloriam est prima voluntas in illa serie, ex qua oritur omnis efficax justitia nostri erga Deum in ordine ad æternam salutem.

Tum etiam : quia hoc ipso quod illa prior voluntas sit ex pura misericordia, sive ex liberalitate elicitive, oportet ut sit ante prævisa merita. Quoniam, ut dicebamus, si sit post illa, erit elicitive ex justitia : ergo nequit esse ex pura justitia, et post prævisa merita : siquidem nequit eadem voluntas esse ante, et post prævisionem meritorum.

Tum denique (id quod ex præcedenti probatione sequitur) quia si semel illa voluntas est in illo priori ex pura misericordia et liberalitate, et ante prævisa merita, nequibit esse ex justitia : siquidem ad hoc desideratur, ut sit post prævisionem meritorum, ut statim magis explicabimus.

101. Antecedentis probatio. 1 Joan. 4. D. Thom.

Antecedens autem probatur. Tum ex illo 1 Joan. cap. 4 : *In hoc est charitas, non quod nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Ubi D. Thom. sic ait : *Quoniam ipse, scilicet Deus, prius dilexit nos prædestinando, vocando, justificando : et in hoc ostenditur gratuita ejus dilectio, et quod non est mercenaria : quia amantem amare naturæ est : amare autem non amantem gratiæ est.*

Ad Rom. 11.

Tum etiam : quia ut disp. 10 num. 14 dicemus, omnia dona gratiæ donantur omnino gratis a Deo, juxta illud Pauli ad Rom. 11 : *Si autem gratia, jam non ex operibus : alioqui gratia jam non esset gratia.* Hoc autem tantum est verum, quia in sua radice, nempe in prima voluntate radicali, et initiativa dandi illa ordine intentionis, seu in prima intentione efficaci finis, ratione cujus sunt volita, et in prima voluntate ordine executionis dandi primum auxilium gratiæ, necnon in executione talis auxilii intervenit pura et nuda liberalitas, ac gratuita omnino misericordia respectu v. g. prædestinati : siquidem plura dona gratiæ in se, et formaliter spectata dantur propter merita, ut in intentione gratiæ, et acquisitione gloriæ constat : ergo signum est primam voluntatem simpliciter priorem, a qua omnia ista ordine intentionis originantur in prædestinatis, nempe intentionem efficacem beatitudinis eorum, esse pure ex misericordia : sicut et prima voluntas ordine executionis, quæ est voluntas dandi primum auxilium gratiæ, est omnino gratuita et liberalis.

Tum denique : quia propterea pura creatura non potest, ut multi probabiliter volunt (de quo alibi) habere jus ex omni

rigore justitiæ respectu Dei : quia prædicta justitia debet fundari in aliqua voluntate simpliciter priori, omnino misericordiosa sive gratuita Dei erga eamdem creaturam, quod quidem justitiæ, quæ sit ex omni rigore, derogat.

§ VI.

Recens evasio, et impugnatio ejus.

102. D. Thom. Nec deinde obest alia solutio cujusdam junioris, quæ in aliquibus convenit cum præcedenti, nimirum quod licet intentio efficax dandi gloriam præcedat ex parte objecti in genere causæ finalis electionem meritorum; attamen in genere causæ materialis, et meritoriæ subsequitur quoad aliquid ad eamdem electionem ex parte objecti consideratam : et ita prædicta intentio est imperative ex misericordia, elicitive tamen ex justitia. Nam sicut si pater in humanis videat esse valde proficuum filio, quod ei vendat prædium paternum, et ex amore istius incrementi rerum filii moveatur ad talem venditionem, et ad faciendum cum eo prædictum contractum spectantem ad lineam justitiæ, tunc hic actus esset imperative ex amore paterno, quo filium diligit, et elicitive ex virtute justitiæ : ita in præsenti ex amore et misericordia, quam Deus vult exercere erga prædestinatum, vult illi gloriam. Et in eodem signo habet actum electionis, quo vult illi merita : et simul quia hoc cedit in bonum prædestinati, vult propter merita illius prævisa elicere actum justitiæ, quo intendat dare illi coronam gloriæ : ac proinde prædictus actus est elicitive ex justitia : quoniam fit propter merita modo dicto, prævisa, quamvis totum hoc, ut nunc dicebamus, ordinetur tandem in bonum prædestinati : et propterea sit imperative ex amore et misericordia erga illum.

Explodi-tur. Non igitur hæc solutio obest. Nam in primis licet intentio (ut sic dicamus) occasionata, et indispensabiliter, modo alibi dicendo, connexa cum peccatis hominum, qualis est intentio puniendi, præsupponat propter sui specialem conditionem electionem mediorum, seu permissionem peccandi, ac proinde supponat peccata in genere causæ meritoriæ, et præsupponatur ad prædictam electionem in genere causæ finalis; attamen intentio non occasionata hoc modo, qualis est intentio dandi gloriam, quæque instituta est (ut loquitur Paulus) ad ostendendas divitias gratiæ, ac proinde misericordiæ Dei, non debet esse, juxta suavem modum divinæ providentiæ, posterior electione et meritis, ac dependens ab illis, quin potius est prior simpliciter prioritate virtuali, quam merita, ita ut in illo signo rationis intelligatur prædicta intentio; non vero pro tunc concipiantur expresse merita nec electio eorum : quamvis pro sequenti signo debeant sic concipi, et in illo signo intentionis implicite, et virtualiter concipiantur, quatenus initiative, radicaliter, et virtualiter sunt in illo signo futura.

103. Elucidatur. Potestque hoc explicari. Tum ex eo quod ad intentionem dandi gloriam divo. Petro per modum coronæ, et v. g. ut mille, non desideratur ut concipiamus in illo signo merita in specie, et in particulari; sed sufficit, ut intelligamus merita ut mille in communi et vage, ac virtualiter inclusa in intentione tanquam in causa : siquidem illa intentio æque bene potuit impleri per actus pœnitentiæ, et humilitatis, v. g. ac amoris, ac per alios actus aliarum virtutum, informatos tamen charitate. Si autem prædicta intentio penderet ab electione in se, et formaliter spectata, tunc penderet ab eadem ut est electio horum meritorum ut mille præ aliis etiam ut mille. Quia ut ex dictis contra Lessium num. 85 colligitur, electio in se, et formaliter considerata non est electio meritorum ut mille vage sumptorum, sed horum in particulari : sicut et intentio in se, et formaliter spectata est intentio hujus intensionis gloriæ, et respectu hujus subjecti in particulari omnino sumpti.

Ampliatur declaratur solutionis impugnatio. Tum etiam (et est explicatio præcedentis probationis) quoniam inde colligimus actus liberos Dei, ut v. g. intentionem salvandi D. Petrum, non esse in eodem signo rationis cum iis, quæ sunt in Deo omnino necessario, ac proinde non esse in eodem signo cum intrinseca indifferentia, et libertate denudata ab omni potentialitate, quæ necessario est in divina voluntate : quia ea, quæ sunt in Deo cum omnimoda necessitate, possent in ipso reperiri, quamvis non esset prædicta intentio libera salvandi D. Petrum : sed etiam intentio efficax tribuendi D. Petro gloriam ut mille posset in Deo inveniri, quamvis non esset in eo electio horum meritorum præ illis, ut nuper dicebamus : ergo prædicta intentio, et electio in particulari horum meritorum præ illis, quantumvis sint purissimæ, et denudatæ

datæ ab omni potentialitate, non erunt in eodem signo rationis, quamvis sint in eodem instanti reali.

104. Eversio altera præcedentis solutionis.

Deinde contra eamdem solutionem urget. Quoniam idemmet bonum, et in eodem ordine intentionis, ac tandem respectu ejusdem actus intentionis nequit esse debitum, et indebitum, aut esse volitum alicui elicitive ex justitia, et imperative ex misericordia : ergo salus æterna, quæ ordine intentionis est volita prædestinato ut ultimus ejus finis, nequibit esse intenta ipsi per intentionem elicitam ex virtute justitiæ, et imperatam a misericordia. Antecedens probatur, et explicatur. Quoniam licet ordine intentionis possit esse volitum aliquod bonum alicui ex motivo misericordiæ, quia in illo ordine non præsupponuntur merita, sed subsequuntur; et ordine executionis possit eidem esse volitum prædictum bonum ex motivo justitiæ, ex eo quod in tali ordine præsupponuntur merita; non tamen in eodem ordine intentionis, et respectu unius, et ejusdem intentionis efficacis. Quia respectu illius nequeunt esse, et non esse simul cum illo merita : quod tamen requirebatur, ad hoc ut prædictum bonum esset in illo ordine, et respectu unius actus intentionis debitum, et indebitum, etc.

105. Confirmatur.

Confirmatur. Nam intentio illa ut elicitive procedens ex justitia, ideo afferret secum in eadem signo electionem meritorum, et merita ipsa, ac proinde in illo eodem signo esset debita gloria prædestinato, quia talis intentio est summe efficax : ergo eodem ratione intentio prædicta ut esset imperative ex misericordia, traheret secum in eodem signo in quo esset, tum intentionem ex justitia a se imperatam, tum eadem merita, et electionem eorum, et per consequens debitum dandi prædestinato gloriam : siquidem talis intentio ut est ex misericordia, non est minoris efficacitatis, quam ut est ex justitia : ergo sicut repugnat, quod unum et idem bonum sit in eodem ordine, et signo debitum, et indebitum, ita quod sit in eodem ordine intentionis, et in eodem signo, ex justitia, et ex misericordia.

106. Destruitur ultimo evasio adversariorum.

Tandem contra eamdem solutionem obest, quod gratis admisso quod in eodem signo *in quo*, adhuc secundum rationem, essent intentio et electio, tunc non posset simul dari duplex illa intentio, quarum una esset ex pura misericordia, et alia ex justitia, et propter merita ; sed tantum daretur, juxta suavem Dei providentiam, intentio ex justitia.

Ratio ultimæ eversionis.

Ratio autem hujus quoad negandam tunc prædictam duplicem intentionem (de quo in præsenti) ea est. Quod facta collatione inter bona gratiæ, quæ cedunt in commodum prædestinati, tunc omnia subordinantur beatitudini illius tanquam ultimo eorum fini : ergo si illa intentio dandi gloriam est ex justitia, seu actus elicitus ab illa, nequibit esse imperatus a misericordia : siquidem ad hoc desiderabatur, ut ordinaretur ulterius ex vi illius ad alium ulteriorem, et ultimiorem finem, et bonum ipsius prædestinati. Sicut intentio, quæ sit actus justitiæ, in nobis nequit ordine intentionis esse imperata a charitate, nisi ordinetur ad ulteriorem et ultimiorem finem, nempe bonum et finem charitatis.

107. Evasionis exemplum contra adversarios retorquetur.

Confirmatur retorquendo contra hanc solutionem exemplum illud, quod pro se affert. Nam pater in humanis bene potest propter prævisam pecuniam filii emancipati habere actum intentionis ex justitia, per quem intendat vendere filio aliquod prædium, quod propter majorem diligentiam ejusdem filii, aut alias circumstantias futurum sit ei magis proficuum, quam sit pretium pro quo venditur. Quoniam in hoc eventu datur duplex bonum, nempe ipsum prædium, et aliud majus incrementum rerum filii, in quod venditio illa prout a parte ut in ultimiorem finem ordinatur. Et ideo per ordinem ad hoc posterius bonum potest illa intentio esse ex misericordia patris ; et per ordinem ad ipsum prædium venditum esse ex justitia : ita quidem ut elicitive procederet ab ista, imperative autem ab illa.

Cæterum si prædium non sit illi magis proficuum propter aliquas adjunctas circumstantias, quam sit pretium, pro quo venditur, tunc intentio illa tantum erit ex justitia, non vero ex misericordia paterna. Quia ad intentionem dandi unum, et idem bonum, nequit quis moveri ex se, et non ex meritis, aut ex pretio ; et simul ex meritis, et ex pretio : ergo cum gloria ut mille, v. g. intenta prædestinato, sit una et eadem, nec possit, saltim juxta suavem Dei providentiam, ordinari in aliud bonum ipsius prædestinati, siquidem talis gloria est ultimus finis omnium aliorum bonorum, quæ in ipsius commodum cedunt, consequens est, ut talis gloria nequeat esse simul volita ex intentione puræ misericordiæ, et ex intentione justitiæ, ac proinde

non possit esse elicitive ab ista, et imperative ab illa.

108. Objectio prima. Nec refert si contra ea, quæ in prima impugnatione hujus evasionis n. 102 dicebamus, objicias primo, non cohærere cum iis, quæ in tractatu de Scientia Dei disp. 7 num. 48 et deinceps asseruimus. Nam ibi diximus, actus liberos Dei mensurari æternitate, et propterea nec posse habere rationem futurorum, nec in aliquo signo *in quo* adhuc rationis esse, aut concipi cum fundamento in re posteriores aliis actibus, aut formalitatibus divinis omnino necessariis; hîc autem asserimus, actum electionis mediorum ad vitam æternam efficaciter conducentium, nempe meritorum, esse in aliquo signo *in quo* secundum rationem cum fundamento in re posteriorem actu intentionis efficacis ad eamdem vitam æternam, ac proinde habere hanc posterioritatem non solum respectu aliorum actuum omnino necessariorum, qui sunt in Deo; sed etiam (quod amplius est) respectu alterius actus liberi, nempe intentionis efficacis dandi gloriam : ergo, etc.

Diluitur. Respondetur enim, aliud esse, an actus liberi, ut intelliguntur mensurariæ æternitate una cum aliis actibus divinis omnino necessariis, possint esse, aut concipi cum fundamento in re posteriores in aliquo signo *in quo* rationis, quam prædicti actus necessarii (quod idem cum proportione de actibus liberis Dei, inter se collatis, dicimus). Aliud vero, an comparatis actibus necessariis cum liberis, vel liberis inter se secundum propria, et peculiaria cujuslibet, ut aliquo modo distincti saltim ex parte nostri modi concipiendi ab aliis, non vero ut omnes illi mensurantur æternitate, debeant habere omnimodam simultatem in omni signo *in quo* adhuc rationis cum fundamento in re cum cæteris actibus, ita ut nullus ex actibus debeat cum prædicto fundamento concipi ut prior in signo *in quo* secundum rationem, quam alius : et per consequens eodem proportionali modo posterior; sed omnis prioritas, et posterioritas, adhuc secundum rationem cum fundamento in re ibidem inventa, tantum sit prioritas, aut posterioritas *a quo*, non tamen *in quo*.

109. Etsi ergo primum illud sit verum, non tamen hoc ultimum. Nam posterioritas prædicta alicujus, ut mensurati æternitate, et ut sic concepti pugnat cum hoc, quod est mensurari eadem æternitate, ut in tract. de Scientia Dei, dicta disp. 7 dicto num. 48 et deinceps dicebamus. Cæterum quod actus divini secundum se, et propria cujuslibet sumpti, habeant inter se ordinem jam dictum prioris, et posterioris, vel ex parte rei conceptæ, et secundum id, quod in recto afferunt, vel ex parte terminationis, quam dicunt, et ratione connotatorum quæ involvunt, non est contra eorum rationem : quia hæc prioritas, et posterioritas attenditur penes hoc, quod possint inter se ita comparari, ut unus eorum secundum propria ipsius quasi pendeat aliquo ex modis dictis ab altero; cum tamen alter non habeat hanc quasi dependentiam ab alio, nec petat intelligi in omni signo una cum illo. Quare cum hoc reperiatur in actu intentionis efficacis dandi gloriam divo Petro, collato cum electione mediorum, per quæ de facto illam consecutus est, siquidem, ut jam diximus, prædicta intentio non pendet ab his determinatis mediis, vel ab electione eorum, sed æque bene potuit aliis mediis executioni mandari, ac proinde nec exigit, ut in eodem signo *in quo* una cum electione horum mediorum concipiatur; inde est, ut modo statim explicando debeat prædictus ordo prioritatis, et posterioritatis *in quo* inter prædictos actus inveniri.

Ex quo etiam fiet (ut assertio nostra per hoc magis confirmata maneat) prædictam intentionem non posse esse ex justitia, sed ex pura liberalitate et misericordia. Quia ad hoc ut aliqua intentio sit ex justitia, oportet ut secundum propria ipsius pendeat, aut quasi pendeat ex electione meritorum, seu voluntate dandi merita, ita ut prior illa voluntas intentionis non solum habeat connexionem cum hac posteriori voluntate tanquam cum aliquo in signo posteriori inferendo, necnon et cum meritis ipsis; sed etiam hæc posterior voluntas, nempe electio quodammodo habeat aliquam quasi causalitatem respectu illius, scilicet intentionis, sitque ea quodammodo prior, ac proinde gloria ordine intentionis sit volita dependenter a meritis ut a causa materiali, sive dispositiva, et meritoria, tam ipsius gloriæ, quam terminationis saltim passivæ illius voluntatis, qua volita, et intenta est.

Animadversio. Quomodo autem (ut ita objectio, quæ hîc fieri poterat maneat soluta) cohærere possit, quod actus liberi secundum propria ipsorum præcise considerati possint inter se collati concipi, ut priores et posteriores per prioritatem, et posterioritatem modo dictam, et statim magis explicandam, et quod nihilominus, ut mensurati æternitate nequeant

neqneant sic concipi, cum tamen ipsi non habeant aliam mensuram præter mensuram æternitatis, et hanc necessario petant: quomodo igitur hæc inter se cohæreant, facile constabit consideranti, quod prædicti actus ex diverso capite habent propria, et peculiaris cuilibet ex illis, et hoc, quod est mensurari æternitate. Nam primum illud convenit eis ex vi suæ lineæ, et hoc ultimum ex vi alterius lineæ, scilicet quatenus identificantur cum divino *esse*, et ratione illius mensurantur eadem mensura qua *esse* Dei mensuratur. Et ita attendendo ad propriam eorum lineam cum præcisione sumptam habent prædictum ordinem prioris et posterioris, non tamen si considerentur ut identificantur cum *esse* Dei, et ratione hujus identificationis mensurantur per propriam illius mensuram, nempe æternitatem. Et ideo nunquam possunt cum fundamento in re concipi ut futuri: quia quoties prædicta futuritio convenit alicui rei, competit illi in collatione ad ipsammet prout est in sua propria duratione, ac proinde exigitur, quod res illa prout mensuratur secundum suum *esse* exercitum per suam durationem sit posterior posterioritate *in quo* jam explicata, quod tamen rei ut mensuratæ per æternitatem, et cum divino *esse* identificatæ repugnat.

Nec mirum debet esse, quod eidem actui sub diversis considerationibus concepto competant prædicata diversa, sicut non est mirum, ut termino formalissimo processionis per voluntatem divinam intra suam lineam præcise consideratam competat, quod non pertingat ad hoc ut ex vi ejusdem lineæ sit formaliter Deus, et quod eidem ut identificatur cum aliis, quæ sunt in Deo scilicet cum natura divina, conveniat, quod pertingat ad hoc ut sit formaliter Deus.

110. Secunda objectio.

Nec refert, si urgeas, actum intentionis, et electionis non distingui in Deo adhuc virtualiter, sed esse unum, et eumdem simplicissimum actum: ergo nequit intentio dandi gloriam præsupponi ad electionem meritorum, et ad merita ipsa in aliquo signo rationis *in quo* fundato tamen in rebus ipsis. Antecedens videtur certum. Quoniam cum intentio Dei sit infinite efficax, oportet, ut pertingat absque aliqua additione virtuali ad hoc ut simul sit electio mediorum: ex eo quod ad lineam voluntatis infinite efficacis spectat, ut se ipsa formaliter pertingat ad eligenda media, quibus finis consequendus est. Consequentia vero probatur. Quoniam licet idemmet actus absque distinctione virtuali talis possit ratione suæ eminentiæ concipi ex parte nostri modi concipiendi inadæquate, ita ut prius concipiatur secundum unum sui munus inadæquatum, et postea secundum aliud, ex eo quod noster intellectus ob sui imbecillitatem nequit rem ita eminentem unico conceptu, quoad omnia munera, quæ exercet, concipere; non tamen ita ut hæc multiplicitas conceptuum sit petita ex natura prædicti actus, seu (quod in idem redit) ita ut hoc sit cum fundamento in re, quin potius prædictus actus oppositum propter summam sui simplicitatem, et indistinctionem petit.

Solutio secundæ objectionis.

Respondetur enim concedendo antecedens, quoties intentio, et electio ad eamdem virtutem pertinent, ut in præsenti contingit: quia tam intentio dandi beatitudinem electis, quam electio meritorum est actus virtutis misericordiæ; secus tamen quando ad diversas virtutes pertinuerint. Quod idem cum proportione de actu usus subsecuto ad electionem asserimus: et propterea usus subsecutus ad electionem meritorum in ordine ad æternam beatitudinem distinguitur ab electione, et intentione jam dictis, quia iste pertinet ad virtutem justitiæ, ex eo quod est propter merita ipsa jam prævisa, ut ex dictis in hac disp. num. 63 et alibi patet.

111. Duplex ratio solutionis.

Ratio autem ob quam concedimus antecedens in priori sensu, est. Quia cum in Deo non reperiantur virtutes, verbi gratia, misericordiæ, et liberalitatis per modum habitus, seu per modum actus primi distincti aliquo modo, secundum id, quod in recto afferunt, ab actu secundo et purissimo earum, sed solum per modum actus purissimi, ut constat ex illis, quæ in tractatu de Voluntate Dei, disput. 2 num. 11 diximus, inde est, ut si in Deo actus intentionis, et electionis, verbi gratia, misericordiæ, secundum id, quod in recto, et formaliter afferunt, distinguerentur virtualiter, tunc in eo esset duplex virtus misericordiæ; quod tamen est contra communem sententiam Theologorum: sicut si in nobis virtus, seu habitus virtutis ad eligendum et intendendum aliquid naturale ex motivo misericordiæ distinguerentur, tunc haberemus duplicem virtutem acquisitam misericordiæ.

Ratio vero ob quam actus intentionis, et electionis distinguuntur virtualiter, quoties sunt actus diversarum virtutum, ex

terminis ipsis constat. Tum, quia in eo eventu pertinent ad distinctas lineas. Tum etiam : quia virtutibus specie, aut quasi specie diversis non possunt non actus virtualiter, et quasi specie distincti correspondere.

Ad formam prædictæ objectionis.

Unde concesso antecedenti juxta dicta distinguendum est consequens, et neganda consequentia, si intelligatur de eodem simplicissimo actu intentionis et electionis ut est sub diversis terminationibus, seu ut connotat distincta objecta inadæquata, et materialia ; secus vero si intelligatur de eodem actu intentionis et electionis, ut est sub una, et eadem terminatione. Nos autem non dicimus, prædictum actum in se simplicissimum, et carentem distinctione virtuali esse priorem in aliquo signo *in quo*, secundum rationem fundatam in rebus, se ipso sub eadem terminatione, sed sub diversis, seu non dicimus esse priorem se ipso secundum id, quod habet in recto ; sed quod idemmet actus ut connotat unum ex suis objectis inadæquatis et materialibus, scilicet beatitudinem intentam prædestinatis, est prior se ipso, quatenus affert pro connotato aliud objectum materiale et inadæquatum, scilicet media electa ; seu (quod in idem redit) nos tantum dicimus, actum illum intentionis, ut est sub conceptu, munere, et nomine intentionis, esse priorem prioritate *in quo*, secundum rationem fundatam in rebus, se ipso, ut est sub conceptu, munere, et nomine electionis. Quia ille simplicissimus actus non est sub conceptu, munere, et nomine intentionis, nisi prout connotat prædictum objectum, nempe beatitudinem, nec est sub conceptu, munere, et nomine electionis, nisi prout connotat aliud objectum inadæquatum et materiale, nempe merita. Et ideo fundamentum quod ad hanc prioritatem ex parte rerum datur, non est fundamentum actus et actus, sed ejusdem actus cum duplici connotato materiali, et inadæquato, seu cum duplici terminatione : quia terminationes istæ afferunt in recto eumdem actum, et in obliquo quælibet involvit suum speciale connotatum jam explicatum.

Quomodo autem et qua ratione connotata ista ratione quorum attenditur prædicta prioritas, et posterioritas, non refundant distinctionem virtualem in ipsum actum, secundum id, quod affert in recto, constat ex alibi sæpe dictis, nempe quia sunt connotata materialia, et inadæquata, quæ hoc ipso quod talia nec refundunt, inferunt, aut supponunt prædictam distinctionem in actu secundum id quod in recto dicit.

112. Elucidatur.

Potestque hoc explicari exemplo actus necessarii, quo Deus se ipsum diligit, et actus liberi, quo creaturas amat. Nam licet actus isti, secundum id, quod in recto afferunt, sint unus et idem absque distinctione virtuali, ut constat ex iis, quæ in tract. de Volunt. Dei, disp. 7 n. 45 et deinceps diximus ; attamen quia prædictus actus habet duplicem terminationem subordinatam, unam quidem primariam, aliam vero secundariam, seu unam, per quam connotat divinam bonitatem, ut objectum habens omnimodam bonitatem, aliam, per quam connotat bonitatem creaturarum diminutam, et imperfectionibus involutam ; propterea volitio Dei, prout terminatur ad divinam bonitatem, potest cum prædicto fundamento præsupponi in aliquo signo *in quo* secundum rationem ad eamdem volitionem, qua ipsemet Deus creaturas libere vult, et diligit.

§ VII.

Ultima solutio, et expugnatio ejus.

113.

Nec tandem obest alia solutio, nempe quod etsi electionem mediorum efficacium debeat præcedere aliqua intentio efficax, non tamen oportet hanc esse intentionem efficacem dandi gloriam ante prævisa merita, sed satis esse voluntatem efficacem, quam Deus habet ostendendi sua attributa.

Eventitur.

Non denique hoc obest. Quoniam ostensio divinorum attributorum est finis communis respectu omnium operum Dei, et ita ultra hunc debet cuivis seriei mediorum assignari secundum suavem Dei providentiam alius finis proximior, et proprius ac peculiaris, ultimusque in illa serie, ex cujus amore et intentione efficaci procedat electio mediorum efficacium per se ordinatorum, et deservientium ad consecutionem prædicti finis. Quare cum æterna nostra beatitudo sit finis proprius et peculiaris, ad quem media cum effectu conducentia ad illam per se ordinantur tanquam ad finem ultimum hujus seriei, consequens est, ut ultra illam intentionem efficacem ostendendi divina attributa debeat dari alia intentio efficax æternæ beatitudinis, quæ in hac serie sit prima, ex quaque procedat electio efficax mediorum, cum effectu deservientium ad illam.

Additamentum.

Accedit, quod etsi demus posse Deum per

per suam absolutam potentiam velle dare gratiam, et bona opera, ac perseverantiam in illis, absque eo quod vellet dare gloriam, ac proinde ex alio fine, quam ex fine beatificandi; attamen hoc ipso quod velit dare tam gratiam quam bona opera, et perseverantiam in illis, ac tandem gloriam propter illa, tunc suavis modus providendi, et volendi exposcit ut ex amore, et intentione hujus finis, nempe gloriæ, quæ in hac serie est finis ultimus, procedat ad electionem mediorum, et ita ex amore, et intentione finis communis, et amplectentis cuncta Dei opera scilicet ostensionis suæ bonitatis, suorumque attributorum procedat ad voluntatem dandi gloriam electis : et ex hac intentione, quæ respectu illius prioris voluntatis habet rationem electionis, moveatur ad eligenda media deservientia ad beatitudinem : siquidem rectus, et suavis ordo volendi exposcit, ut ex amore finis consecuti de facto, et efficaciter per media procedat qui prudenter agit ad electionem mediorum.

§ VIII.

Interrogatio notanda, et responsio ad illam.

114. Sed inquires, an hæc electio omnino gratuita, et ante prævisa merita, non solum sit ad gloriam utcumque, sed ad eamdem ut dandam tanquam coronam? Respondetur, electionem prædictam non esse ad gloriam qualitercumque ; sed ad eamdem ut dandam per modum coronæ. Responsio hæc satis ex assertione præcedenti, nec non ex dictis in duobus dubiis præcedentibus colligitur. Maxime vero ex ratione, quam præcedenti assertione ex D. Thom. adduximus. Nam cum electi in executione consequantur gloriam ex meritis, et ut coronam, oportet ut totum hoc procedat ex intentione efficaci Dei dandi eamdem gloriam ut coronant : cumque intentio prima, et efficax Dei debeat esse omnino gratuita, ut dictum est, consequens etiam erit, ut objectum illius gratuitæ electionis non sit gloria utcumque in executione danda, sed danda per modum coronæ.

115. Confirmatur primo. Quoniam hoc ipso quod aliqua intentio sit efficax, debet ex parte objecti materialis voliti esse intentum id ipsum, quod in executione postea ponitur, alioqui illa intentio non esset efficax; et illa executio quoad id quod non esset intentum de ea, fieret a casu, et præter intentionem : ergo cum in executione detur gloria tanquam corona, debet hoc ipsum esse volitum per modum objecti materialis in intentione : et per consequens prima et gratuita illa electio Dei per modum intentionis ad gloriam, non erit ad eam utcumque, sed ad ipsam tanquam ad coronam.

Et ita omnia testimonia Scripturæ et Patrum, quæ adstruunt hanc gratuitam, et omnino liberalem Dei electionem, virtute affirmant eam esse ad gloriam per modum coronæ. Siquidem in Scriptura et Patribus simul cum hoc habetur, executionem correspondentem huic intentioni in adultis esse gloriam actu datam tanquam coronam. Sicut etiam omnes Doctores pro assertione adducti, ut consequenter, vel saltim magis consequenter loquantur ad ea, quæ quoad prædictam assertionem dixerunt, debent huic nostri responsioni assentiri : ut ita ea, quæ sunt posteriora in executione, qualis est collatio gloriæ per modum coronæ in adultis, sint priora in intentione, quod ipsi fatentur. Unde responsionem hanc frequenter Thomistæ, et alii tuentur.

116. Confirmatur secundo ex discrimine, quod intercedit inter voluntatem infligendi pœnam pro culpa, et inter voluntatem, qua Deus ex sua bonitate, et ex motivo misericordiæ motus habet actum intentionis, quo vult electis beatitudinem, ut dandam in executione tanquam coronam. Nam illa prior voluntas est actus justitiæ punitivæ, et propterea debet in aliquo genere causæ supponere ex parte reprobi debitum solvendi talem pœnam. Quemadmodum hoc ipso quod Deus vellet ex justitia remunerare merita bona, deberet præsupponi (modo tamen alibi Deo dante dicendo) tum aliquod debitum ex parte Dei, tum etiam aliquod jus ex parte merentis. Et ideo sicut fieret quodammodo contra jus merentis si post sua merita non tribueretur ei præmium debitum, ita fieret eodem proportionali modo contra jus reprobi, si ante sua demerita puniretur, aut efficaciter, et absolute ei præpararetur pœna, ut infallibiliter infligenda : ex eo quod quemadmodum merens habet jus ut post sua merita detur ei præmium, ita quivis habet suo modo jus ut non infligatur ei pœna, nec per voluntatem efficacem, et absolutam infallibiliter infligendi eamdem pœnam illi præparetur, antequam ejus demerita ut absolute futura prævideantur.

Cæterum voluntas, qua Deus ex sua bonitate, et ex motivo misericordiæ, ac libe-

raliter intendit dare postea in executione gloriam tanquam coronam, est actus misericordiæ et liberalitatis. Quia, ut dicebamus, omnis justitia nostri erga Deum, quæ in executione, aut quovis modo reperta fuerit, debet fundari in gratuita, liberali, et efficaci voluntate, ac intentione proportionata Dei erga nos : et propterea talis intentio dandi gloriam tanquam coronam, quæ est proportionata, et correspondens prædictæ executioni faciendæ ex justitia, potest et debet, saltim secundum communem, ac suavem cursum, esse ante prævisa merita. Quia nulli fit aliquo modo injuria, sed potius magna gratia, et beneficium ex eo quod ante prævisa merita illi præparetur præmium per voluntatem talis conditionis, ut ex ea infallibiliter sequatur, ut dentur ei in sequenti posteriori merita, per quæ tandem in executione gloriam ex justitia adipiscatur. Sed hæc amplius in solutionibus argumentorum oppositæ sententiæ explicabuntur, dum explicuerimus nexum, et debitam correspondentiam inter voluntatem gratuitam ordine intentionis dandi postea in executione gloriam ut coronam, et inter voluntatem ipsam ordine executionis, qua Deus in eodem ordine vult dare eamdem gloriam, ut coronam.

§ IX.

Diluitur primum argumentum oppositæ sententiæ.

117. Diluitur primum argumentum quoad primam ejus probationem.

Ad primum negandum est antecedens quoad omnes ejus partes. Et ad probationem primæ dicendum est, quod sicut si Deus, juxta opinionem adversariorum, prævideret mala opera reproborum, esset illi integrum reprobare illos etiamsi habuerit voluntatem antecedentem, seu ineffacem salvandi omnes, ita ob alios fines, videlicet ob manifestationem divinæ justitiæ, ob ostensionem majoris misericordiæ erga prædestinatos, et ut amplius pateat quomodo electio efficax ad beatitudinem sit beneficium indebitum naturæ humanæ, ac tandem propter alios fines, divinæ sapientiæ notos, potuit ante prævisa demerita reprobare quotquot de facto ab eo reprobati sunt. Quia reprobatio tot hominum conducit ad prædictos fines : et ad salvandam voluntatem sinceram, et ex animo, qua Deus voluit salvare omnes, satis est quod spectata præcise secundum se salute omnium habuerit Deus voluntatem antecedentem, cunctos salvandi : licet inspecta eadem salute, ut est adjuncta aliis circumstantiis, et ut impedit consecutionem aliorum finium divinæ sapientiæ congruentium , habeat Deus voluntatem consequentem, et efficacem excludendi ab eadem salute quotquot ad prædictos fines consequendos convenientes fuerint.

118. Quoad secundam.

Ad probationem secundæ partis ejusdem antecedentis respondetur, optime posse decernentem absolute, et efficaciter dare aliquid aliquibus, promittere illud conditionate tam his, quam omnibus aliis, si simul cum illa voluntate absoluta, et efficaci circa quosdam ex illis, habeat etiam voluntatem antecedentem, et conditionatam respectu omnium, ut in præsenti contingit. Quia tunc promissio illa generaliter facta omnibus, qualiter Deus cunctis beatitudinem promittit, non correspondet voluntati illi peculiari, et efficaci erga aliquos, sed voluntati inefficaci, et conditionatæ, qua vult omnes salvos fieri. Nec contra hoc vim habet id, quod ibidem additur. Nam promissio illa conditionata circa salutem omnium non excludit positive voluntatem efficacem, et absolutam circa aliquos, licet non exprimat illam, sed ab ea præscindit. Ratio autem ob quam Deus non promittit absolute aliquibus vitam æternam, licet habeat voluntatem absolutam tribuendi eam ipsis, est, ut cum timore, et tremore, majorique cum humilitate eamdem salutem operentur.

119. Quoad tertiam.

Ad tertiam denique probationem dicendum est, dupliciter posse intelligi quod Deus vult gratuito, et efficaciter eligere homines ad gloriam eis dandam ante prævisa merita. Primo quidem ita ut illæ particulæ *gratuito*, et *ante prævisa merita*, cadant tam supra illud verbum *vult*, quam supra complexum illud, *gloriam eis dandam*. Secundo ita ut tantum cadant supra verbum *vult*. Si priori modo sumatur, reddit hunc sensum, nempe quod Deus ex sua bonitate, et gratuita liberalitate, ac misericordia motus habuit actum efficacem intentionis, quo voluit eligere homines ad gloriam dandam eis postea in executione gratuito, et liberaliter, et ex pura misericordia. Si vero secundo modo accipiatur, denotat quod Deus ex sua bonitate ac liberali gratuita, et misericordi voluntate motus, seu (quod in idem quoad præsens redit) ex motivo misericordiæ, et liberalitatis suæ ante prævisa merita excitatus, habuit actum intentionis, quo voluit eligere homines efficaciter

ficaciter ad gloriam, non ut gratuito, et ante prævisa merita postea in executione dandam, sed ad eamdem gloriam ut coronam, sive ut dandam postea ex meritis. Ita quidem ut licet actus ille intentionis divinæ voluntatis sit actus liberalitatis, et misericordiæ gratuitæ; attamen objectum materiale volitum, sit gloria danda in executione ex meritis, quatenus totum hoc est intentum, et volitum sub ratione formali objecti misericordiæ.

Hinc ergo ad probationem prædictam respondetur, quod si Deus vellet gratuito, et efficaciter eligere homines ad gloriam, eisdem dandam, ante prævisa merita, juxta priorem sensum, tunc homines electi consequerentur illam etiamsi non haberent merita, quinimo etiamsi haberent illa, non consequerentur eamdem gloriam propter talia merita. Cæterum Deus non elegit gratuito, et efficaciter homines in hoc sensu, sed in posteriori : in quo certum est non posse fieri electionem istam excludendo merita : siquidem talis electio est ad gloriam ut dandam postea per modum coronæ, sive ex meritis.

Quomodo autem inter se cohæreant, quod illa particula *gratuito*, possit modificare verbum illud *vult*, non vero complexum jam dictum, nempe *gloriam postea dandam*, ac proinde quomodo Deus ex sola sua bonitate, et misericordia motus, non vero ex meritis, seu ex justitia excitatus, sed ante illa, idest, non independenter ab eis, et a motivo justitiæ tanquam a motivo suæ voluntatis, tam quoad terminationem activam, quam passivam consideratæ, habeat actum intentionis quo velit gloriam dandam tanquam coronam, sive ex meritis, constabit ex iis, quæ statim num. 123 et 124 adducemus.

§ X.

Solvitur secundum argumentum contrariæ sententiæ cum suis confirmationibus.

Ad secundum respondetur, concedendo antecedens, et distinguendo consequens primæ consequentiæ, et negando eamdem consequentiam, si adverbium illud *gratuito* cadat præcise supra verbum *vult*, non vero supra verbum *dare* : secus vero si supra utrumque cadat. Et deinde neganda est secunda consequentia : siquidem, ut modo dicebamus, Deus gratuito, et ante prævisa merita habet actum intentionis, quo ex motivo misericordiæ, et gratuitæ liberalitatis vult postea in executione dare gloriam per modum coronæ, sive ex meritis : ita ut gloria sic danda sit objectum materiale, indispensabile tamen, prædictæ voluntatis. Per quod etiam ad probationem utriusque consequentiæ constat.

122. Enucleatur solutio.

Explicatur hoc ex dictis. Etenim cum omnis justitia supernaturalis nostri erga Deum debeat fundari in pura et supernaturali misericordia Dei erga nos, ut numero 99 hujus dubii dicebamus, oportet ut prima voluntas efficax, quam Deus erga nostram salutem habet, quæ est voluntas intentionis efficacis respectu illius (ac proinde est simpliciter prior aliis voluntatibus, et id a quo nostra justitia erga Deum ortum ducit) sit omnino gratuita, et ex pura misericordia, sive liberalitate, aut magnificentia, atque adeo sit voluntas, qua velit ex motivo v. g. misericordiæ, ut postea nos in executione consequamur gloriam tanquam coronam, seu coronam gloriæ.

Et ita Deus habet duplicem voluntatem. Unam quidem per modum intentionis, qua vult electis coronam gloriæ, sive quod consequantur illam ex meritis : et hæc est ex motivo misericordiæ, et ante prævisa merita, ly *ante* dicente prioritatem, et independentiam a meritis ordine intentionis. Aliam vero ordine executionis, et ex illa priori imperatam, quæ vult ex motivo justitiæ tribuere eamdem gloriam propter merita : et hæc voluntas quoad suam terminationem passivam considerata, est posterior in genere causæ materialis, et meritoriæ, quam merita : et hoc ipso quod sit justitiæ Dei erga nos, orta modo dicto in genere causæ meritoriæ ex jure justitiæ, quod nos ratione meritorum habemus erga Deum, non potest opponi cum voluntate gratuita, et ordine intentionis prima : sed potius eam præsupponit, ut ostensum est.

123. Ad primam confirmationem.

Ad primam confirmationem neganda est major, in qua asseritur, quod idem est esse aliquid volitum, et intentum per modum coronæ, et esse volitum ut dandum in retributionem meritorum. Nam si omnino proprie, et rigorose loquamur, vis illius particulæ *in retributionem* denotat priorem aliam tributionem, qua is, cui quidpiam retribuitur, prius habuit tribuere rem aliquam ei, qui ipsi aliquid retribuit : ac proinde innuit dependentiam retributionis in genere causæ materialis a priori tributione, quod tamen in præsenti, si ordine intentionis loquamur, non reperitur.

Cæterum cum hoc stat, ut licet in hoc sensu omnino proprio, et rigorose loquendo, non sit volita gloria in retributionem meritorum; nihilominus concedi possit esse volitam in retributionem, si hæc particula latius sumatur, et solum denotet, quod ordine intentionis sit volita gloria per modum coronæ, idest, quod Deus efficaciter prædestinavit, et intendit, ut postea in executione detur gloria per modum coronæ. Attamen ad hoc ut gloria sit volita hoc modo in retributionem, non est necesse ut merita sint causa materialis, et meritoria talis intentionis, aut gloriæ quatenus intentæ, vel quod sint prævisa ante prædictam voluntatem; sed satis est, tum quod alia voluntas, quæ in Deo datur per modum executionis, necnon et executio ipsa pendeant a meritis in prædicto genere causæ : tum etiam quod ex vi illius intentionis sint virtualiter futura futuritione initiativa et radicali : quamvis in illo signo non intelligantur esse formaliter in se ipsis electio meritorum et merita ipsa. Quoniam ad hoc ut Deus ordine intentionis, et ante prævisionem meritorum futurorum possit ex motivo misericordiæ motus taxare quantitatem coronæ gloriæ, satis est, quod sibi certo per scientiam simplicis intelligentiæ constet, esse in sua potestate convertere infallibiliter corda electorum ad hoc ut habeant opera meritoria juxta quantitatem coronæ intentæ. Et ita in illo signo non determinatur species, aut individuatio illorum meritorum; sed tantum quantitas illorum, verbi gratia, quod sint ut centum : et adhuc hoc non decernitur formaliter, sed tantum virtualiter, et ex vi intentionis prædictæ : ex eo quod pro illo priori intentionis nihil aliud petitur.

Ad secundam confirmationem.

Ad secundam vero confirmationem, quæ ex duabus probationibus constat, concedenda est major primæ probationis quoad primum ejus membrum, et neganda quoad secundum, nempe quoad intentionem dandi finem. Et ad probationem constat ex dictis, quomodo licet meritum sit causa moralis; nihilominus non exercet causalitatem suam materialem, et meritoriam erga gloriam ut intentam, nec erga intentionem ipsius, sed solum erga eamdem gloriam ut executam, et voluntatem exequendi, quoad suam terminationem passivam consideratam : et ita satis est, quod prævideantur ante eamdem gloriam ut executam, et ante voluntatem conferendi ordine executionis illam.

Ex quo ad aliam probationem in eadem confirmatione adductam respondetur, distinguendo antecedens : *Nunquam decerneret dare illi tale præmium antequam victorem videret,* ordine executionis, concedendum est : ordine intentionis, et dato hoc casu quod victoria certantis esset plene in potestate regis, negandum est. Quia tunc poterat rex ex amore, et benevolentia, quam erga aliquem ex certantibus haberet, moveri ad habendum actum intentionis, quo vellet dare illi postea præmium propter merita ex vi illius voluntatis, saltim inadæquate futura : quamvis non essent prævisa ante prædictam intentionem, ut in præsenti contingit. Quinimo licet victoria non esset plene in potestate regis, dummodo esset in ejus potestate adhibere media ex se efficacia in ordine ad victoriam, posset eodem proportionali modo ante prævisionem victoriæ habere actum intentionis, quantum est ex se efficacem. quo intenderet dare postea in executione præmium propter victoriam, ut ex statim dicendis magis patebit.

Ad tertiam confirmationem distinguendum est antecedens : *Deus eodem modo dat in tempore sua dona, quo ab æterno disposuit, et intendit illa dare,* si ly *eodem modo* cadat supra verbum *dare,* concedendum est : si vero cadat supra verbum *disposuit, et intendit,* negandum est. Nam si ly *eodem modo* cadat supra verbum *dare,* reddit hunc sensum : quod Deus ab æterno disposuit, et intendit quod postea in executione, et in tempore eodem modo res executioni mandarentur, quo in tempore mandantur, seu, quod ex parte executionis idem modus, qui ab æterno decretus et intentus est servari circa executionem, postmodum servetur in tempore. Nam hoc et petitur ab efficacia summa divinæ prædestinationis, et voluntatis, hocque quoad præsens invenitur : siquidem ex eo quod Deus ab æterno disposuit quod Petrus consequeretur beatitudinem per modum coronæ, propterea in tempore sic illam consequitur. Si vero ly *eodem modo,* cadat supra verbum *disposuit et intendit,* reddit hunc sensum : quod idemmet modus in ipsamet dispositione, et intentione divina ex parte ejus se tenens, debeat inveniri in executione temporali : et hoc falsum est, neque id petitur ad efficaciam divinæ prædestinationis, et voluntatis, ut constat in pluribus exemplis.

Nam Deus se solo, idest, non mediis causis

causis secundis, sed ex sua mera liberalitate, et misericordia applicuit voluntatem suam, et disposuit, quod in tempore produceretur humanitas Christi Domini : et tamen non voluit ut illa produceretur sine concursu matris, et aliarum causarum, sed mediantibus illis : et tamen ex efficacia hujus dispositionis, et voluntatis non infertur, quod si se solo disposuit, se solo debeat exequi : vel quod si mediis causis secundis exequitur, mediis illis disposuerit : quia se solo, et ex sua liberalitate disposuit admittere consortium in tali productione, seu quod mediantibus prædictis causis secundis postea executioni mandatur. Ita ergo similiter Deus ex pura liberalitate, et absque meritis prævisis, et se solo habuit actum intentionis, quo voluit, quod postea in tempore daretur prædestinatis gloria per modum coronæ, et propter merita. Et hinc non sequitur, quod si absque meritis prævisis habuit prædictum actum intentionis, absque meritis etiam prævisis tribuat beatitudinem in executione, vel quod si in executione reddit illam propter merita prævisa, quod propter eadem merita, seu ab illis (ut sic dicamus) motus, habuerit actum intentionis respectu illius, ut probatum, et explicatum est.

Et similiter electio Apostolorum ad Apostolicam dignitatem non fuit actu executa sine eorum libero consensu, sed post prævisionem illius : et tamen in intentione e contra res se habuit. Quia ante prævisum consensum electi sunt, et propterea Christus Dominus inquit Joan. 15 : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*, idest, Non vos primo elegistis me, sed ego primo elegi vos. Quasi dicat per meam electionem feci, ut me eligeretis, quæ est expositio Augustini : *Quia electi sunt* (inquit) *elegerunt, non quia elegerunt electi sunt.* Item Actorum 9 Paulus dicitur electus, ut portet nomen Christi Domini coram Gentibus, quod quidem non est executioni mandatum sine ejus libero consensu, et sine eo quod prius iste prævisus fuerit : et tamen talis electio non est facta post hunc consensum prævisum, sed potius ex tali electione factum est, ut præstaret prædictum consensum.

Et tandem ut plura alia exempla omittamus respectu effectuum causarum secundarum bene stat, Deum præliffinire absolute, et efficaciter aliquem finem ante præscientiam mediorum : cum tamen in executione ille finis non sit futurus nisi dependenter a prædictis mediis : sicut abundantiam frumenti prædiffinivit Deus tali anno futuram independenter a præscientia pluviæ eodem anno futuræ : et tamen re ipsa illa abundantia frumenti, non erit futura, nisi dependenter a pluvia : ergo similiter poterit Deus ex sola sua bonitate, et liberali misericordia motus, ac ante prævisa merita habere actum, quo intendat dare postea gloriam per modum coronæ, quamvis executio illius non sit nisi ex justitia, et propter merita prævisa. Quia licet merita pendeant etiam a libera voluntate electorum : attamen quod electi libere postea illa habeant, est plene in potestate Dei Ut ex D. Aug. lib. de Correctione et grat. cap. 14 constat his verbis : *Sine dubio habens humanorum cordium quo placuerit inclinandorum omnipotentissimam potestatem*, et infra : *Magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas.* August.

Potestque hoc magis elucidari ex eo quod non obstante summa efficacia ordinis intentionis divinæ voluntatis debet servari ordo inversus in ordinibus intentionis et executionis : et propterea ea, quæ sunt in intentione priora, habent esse in executione posteriora, quia licet prius cadant sub intentione, cadunt tamen prius sub illa ut ponenda posterius in executione. Ita ergo similiter actus intentionis, et executionis possunt habere ex parte sua modos diversos modificantes ipsos : ita ut intentio fiat gratis, et executio ex meritis, seu non gratis : quia adhuc in illa intentione gratiosa ex mera liberalitate Dei taxatur, et decernitur, quod postea in executione detur gloria non gratis, sed ex meritis. Quod quidem potiori ratione quoad præsens dicendum est; quandoquidem, ut ex dictis constat, sicut executio ex se petit, ut prius cadat sub intentione, quod postea in executione futurum est posterius, ita etiam executio dandi gloriam ex justitia, et præsupponens jus justitiæ nostri erga Deum, per se petit, ut fundetur in aliqua prima Dei voluntate ordine intentionis, quæ sit efficax et gratuita erga nos, ut ostensum est. 126. Enucleatur ult.

§ XI.

Occurritur tertio argumento, et ejus confirmationi.

Ex quo ad tertium distinguenda est major. Et si illud adverbium *gratuito* modificet tam gloriam dandam, quam voluntа- 127. Fit obviam 3 argum.

tem eligendi ad illam, concedenda est : secus vero si solum modificet voluntatem dandi per modum intentionis, non vero gloriam ipsam dandam, seu ipsam largitionem in executione ejusdem gloriæ. Nam tunc solum pugnant voluntas per modum intentionis, et voluntas per modum executionis; quarum una sit gratis, alia vero non gratis, sed post prævisa merita, et ratione illorum, quando illud adverbium *gratis* est utrobique determinatio objecti voliti, ita ut totum hoc habeat rationem prædicti objecti, nempe gloria conferenda gratis, non vero quando solum est determinatio ipsius actus divinæ voluntatis, qui habet rationem intentionis.

Per quod etiam ad primam probationem ejusdem majoris constat, necnon et ad secundam, cujus major debet juxta dicta concedi; et ad minorem dicendum est, quod etsi repugnet eamdem rem dari in executione ex duobus titulis, quorum unus sit dari ex gratia, et tanquam quid in executione indebitum, et alter ex justitia; non tamen repugnat gratis intendi, quod postea in executione detur ex justitia, et non gratis : et quod post prædictam voluntatem intentionis sit alia voluntas ordine executionis, qua ex justitia sit volita talis executio, ac proinde ex meritis.

128. Confirmationi occurritur. Ex quo ad confirmationem eligenda est posterior pars illius dilemmatis. Quia re vera ille actus intentionis divinæ voluntatis, quo efficaciter elegit aliquos ex hominibus ad gloriam ut coronam, est actus divinæ misericordiæ, et liberalitatis, quamvis per illum sit volitum et intentum, quod postea in executione detur gloria ex meritis, et ex alia voluntate virtutis justitiæ, quæ ad ordinem executionis pertineat. Et ad primam probationem in contrarium negari debet antecedens, ut ex jam dictis constat, et ex nuper dicendis patebit.

Ad secundam vero probationem negandum est antecedens, saltim universaliter intellectum. Nam multoties intentio est actus unius virtutis, et executio alterius. Potestque hoc explicari duplici exemplo. Primum est patris in humanis desiderantis filio cathedram, aut episcopatum ex pura misericordia omnino independenter a meritis illius, eo quod ex motivo misericordiæ motus, non vero ex meritis intendit, ut postea in executione prædictam cathedram, aut episcopatum filius ex meritis acquireret : et ex hac intentione postea movetur ad faciendos sumptus, et adhibenda alia media, quibus filius fiat dignus prædictis muneribus : ac tandem eisdem meritis prævisis si pater ille judicis, vel patroni officio fungeretur, deberet ex justitia in executione tribuere filio cathedram, aut episcopatum illum. Quamvis talis collatio, et executio esset imperative ex intentione misericordiæ, ex eo quod pendet, et procedit ex illa priori voluntate gratuita. Ita ergo in præsenti proportione servata dicendum est.

Secundum vero desumitur ex ipsa sententia adversariorum. Nam ipsi admittunt in Deo voluntatem antecedentem per modum intentionis salvandi omnes, quæ sit inefficax; et hanc dicunt esse gratuitam et liberalem, ac ex pura misericordia : et deinde ex hac oriri voluntatem dandi merita, necnon dandi gloriam in executione propter eadem merita, ac proinde ex justitia. Et licet exemplum hoc quatenus negat voluntatem efficacem ante prævisa merita, quæ sit liberalis et gratuita, non sit consonum doctrinæ Augustin. et D. Thom. et aliorum Patrum, ut ostensum est; attamen ex eo potest non parum efficaciter deduci, quomodo possint inter se cohærere voluntas gratuita et efficax, qua Deus ex motivo misericordiæ moveatur ad habendum actum intentionis, quo velit ut postea in executione detur gloria per modum coronæ, sicut ex eodem motivo habet actum intentionis inefficacis, quo intendat hoc ipsum. Nam quod intentio sit efficax, vel inefficax non tollit quominus si intentioni inefficaci ex motivo misericordiæ potest correspondere executio ex motivo justitiæ quoties per illam intentionem intenditur, ut postea in executione detur res illa ex prædicto motivo, ut ex dictis constat, et adversarii admittunt, non est cur non sit hoc ipsum dicendum, licet intentio præcedens sit efficax.

Et ratio videtur aperta. Nam qui habet intentionem inefficacem alicujus finis, potest ex eodem motivo intendere illum efficaciter, si suæ potestati subsint omnia desiderata ad ejus adeptionem. Quare cum potestati divinæ plene subsint omnia desiderata ad hoc ut nos gloriam adipiscamur, fit inde, ut qua ratione conceditur in Deo intentio inefficax gloriæ ante prævisionem meritorum, et ex motivo misericordiæ, quamvis ei correspondeat executio ex justitia, debeat etiam concedi in ipso intentio efficax ex eodem motivo misericordiæ, licet executio hujus intentionis sit ex justitia.

Unde

Unde ad hoc ut aliqua intentio, vel actus sit idoneus ad imperandum non utcumque, sed in ordine ad aliquam executionem, sive ad influendum in illam, satis est, quod sit talis conditionis, ut ex ea possit efficaciter sequi talis executio aut actus : ex eo quod hæc ex natura sua pendeant ab illa, ut in præsenti contingit : quia quivis actus justitiæ remunerativæ Dei erga nos debet fundari in aliqua priori voluntate per modum intentionis, quæ sit omnino gratuita et liberalis, ut ostensum est. Et ita ratio illa misericordiæ et liberalitatis, quæ est in actu intentionis, quodammodo, et participative reperitur in ipsa executione, quæ est actus justitiæ, quatenus per hoc denotatur, quod in ipsa executione est habitudo quædam ad actum misericordiæ : et in eadem executione splendet quodammodo intentio illa misericors et gratuita : siquidem ideo executio hæc est ex justitia, quia prius fuit illa intentio ex misericordia. Quemadmodum in usu, et applicatione voluntatis ad exequendum reperitur participative, et quodammodo ratio imperii intellectus, a quo talis usus procedit. Non quidem quia in actu voluntatis, qui est usus, sit plene ipsa ratio imperii; sed quia in tali usu reperitur habitudo ad imperium, a quo processit, et quia in eo splendet quodammodo virtus, et efficacia imperii, quatenus ex eo quod detur imperium, datur etiam usus.

Ex quo fit, nihil referre si objicias, non cohærere hæc cum iis, quæ n. 106 dicebamus. Nam ideo, ut ex ibidem dictis constat, nequit intentio dandi gloriam esse elicitive ex justitia, et imperative ex misericordia, quia unum et idem bonum, ad quod cætera alia, quæ cedunt in bonum prædestinati, ordinantur, non potest intendi ex virtute justitiæ, et simul ex virtute misericordiæ : ergo eadem ratione beatitudo nequibit esse in executione elicitive ex justitia, et imperative ex misericordia. Siquidem prædicta beatitudo executa, est unum et idem bonum, et finis aliorum bonorum cedentium in commodum prædestinati.

Respondetur enim, esse disparem rationem. Quoniam bonum intentum, et executum *ut quod*, et correspondens suæ propriæ, et peculiari intentioni debet esse unum, et idem *ut quod*, quamvis ratio, sub qua intenditur, et executioni mandatur, possit esse diversa. Nam id ipsum, quod intenditur *ut quod*, debet executioni mandari, alioqui intentio illa non esset efficax; licet quia in intentione non præsupponuntur merita, possit esse volitum ex motivo misericordiæ tantummodo : et quia in executione supponuntur merita, debeat, juxta suavem Dei providentiam, esse volitum ex motivo justitiæ, dependenter tamen a proprio motivo intentionis : ex eo quod executio pendet ab intentione, et ejus motivo : ac proinde ideo sit volita gloria in executione ex motivo justitiæ, quia prius est volita ex motivo misericordiæ, et ante prævisa merita.

Cæterum duplex intentio, quarum una imperet aliam, et una sit ex misericordia, alia vero ex motivo justitiæ, quæque possint separari, ut in præsenti contingit, petit duplex bonum volitum, et intentum *ut quod*, ita ut unum ordinetur ad alterum, ut ex dictis num. 106 constat. Et propterea nequit per utramque esse volitum, et intentum unum, et idem bonum beatitudinis, quod est finis omnium aliorum bonorum cedentium in commodum prædestinati, quæque nequit in ulteriorem finem in prædicta serie ordinari.

§ XII.

Fit obviam quarto argumento primæ sententiæ cum sua confirmatione.

131. Occurritur quarto argumento.

Ad quartum concedenda est major, et neganda minor, et ad primam probationem, neganda est major. Quia satis est, ut voluntati illi misericordi per modum intentionis correspondeat executio ex justitia, ut in solutione præcedentis argumenti, et confirmationis illius dicebamus. Ad secundam vero probationem ejusdem minoris negandum est antecedens. Quia circa eumdem effectum etiam in humanis possunt distingui duo actus voluntatis, vel alterius potentiæ ex diverso modo tendendi, vel ex diversis motivis formalibus. Certum autem est voluntatem, seu intentionem absolutam antecedentem ad præscientiam meritorum distingui a voluntate executiva, et subsequenti. Tum ex diverso modo tendendi : quia illa gloriam exequibilem respicit independenter a meritis, et per modum intentionis, quatenus est objectum amabile dumtaxat; hæc vero respicit gloriam per modum executionis ut factibilem, et exequibilem formaliter. Tum etiam ex diversis motivis formalibus : quia illa respicit gloriam ut beneficium sublevativum miseriæ, et ideo ut sic est actus misericordiæ et

charitatis; hæc vero respicit eamdem gloriam ut præmium debitum præcedentibus meritis, et ideo ut sic est actus justitiæ remunerativæ.

132. Ad confirmationem

Et ad confirmationem negandum est antecedens, et ad probationem negandum est assumptum, quod in ea videtur supponi, nempe posse Deum post prævisa merita aliquorum velle eis absolute, et efficaciter, ac ordine executionis gloriam absque eo quod prius in intentione hanc eamdem efficaciter intenderit. Et ratio negandi prædictum assumptum saltim secundum communem cursum, patet ex dictis. Quia nimirum utraque voluntas est satis necessaria. Nam voluntas per modum intentionis efficacis requiritur ex parte Dei volentis, ut præeat, ne scilicet applicet media præter intentionem, quod derogat perfectioni agentis liberi etiam creati, et etiam ex parte effectus quatenus executio passiva ex justitia, et præsupponens jus justitiæ nostræ erga Deum, debet oriri ab intentione gratuita, ut dictum est. Voluntas vero ex justitia, et post prævisa merita etiam desideratur ex parte effectus, ut debito ordine mandetur executioni, quatenus ab illa priori voluntate, nempe intentionis, mediate per modum quasi dirigentis, sive intendentis; ab ista vero proximius, et per modum exequentis attingitur. Tum, quia id rectus ordo procedendi in actibus voluntatis exposcit, ut nimirum ab ordine intentionis respiciente executionem ipsam ut objectum amabile ad ordinem executionis, quæ respicit eamdem executionem ut bonum exequibile procedatur. Tum etiam ut illa executio sit ex justitia. Nam hæc necessario petit actum voluntatis divinæ, qui ex justitia sit.

133. Objectio.

Nec refert si objicias, quod sicut in Deo non distinguitur intentio ab electione, ita nec executio ab utraque : ergo si voluntas, quæ in Deo datur ordine executionis, est ex justitia, et post prævisa merita, etiam voluntas per modum intentionis hoc ipsum habebit. Consequentia videtur perspicua. Antecedens autem quoad primam partem patet ex jam dictis num. 110. Quoad secundam vero nempe quoad executionem, seu voluntatem exequendi, satis constat. Quoniam si intentio Dei propter suam infinitam efficacitatem debet se ipsa pertingere ad hoc ut sit electio mediorum, non est cur propter eamdem infinitatem non pertingat etiam ad hoc ut sit ipse actus voluntatis exequendi, qui in nobis subsequitur ad electionem.

Non itaque hoc refert, ut ex dictis n. 110 patet. Nam ut ibi explicuimus quoties intentio, et electio ac usus, sive executio pertinent ad unam et eamdem virtutem, toties in Deo sunt idem absque distinctione virtuali, secus tamen quando intentio, et electio spectant ad unam virtutem, et usus sive executio ad aliam, ut in præsenti contingere satis ex dictis constat.

ARTICULUS V.

Utrum præscientia meritorum sit causa prædestinationis ?

Ad quintum sic proceditur. Videtur, quod præscientia meritorum sit causa prædestinationis. Dicit enim Apostol. ad Roman. 8 : Quos præscivit, hos et prædestinavit. Et glos. Ambros. * super illud Roman. 9 : Miserebor cui miserebor, etc., dicit, misericordiam illi dabo quem præscio toto corde reversurum ad me : ergo videtur quod præscientia meritorum sit causa prædestinationis.

2 Præterea, prædestinatio divina includit divinam voluntatem, quæ irrationabilis esse non potest cum prædestinatio sit propositum miserendi, ut August. dicit † : sed nulla alia ratio potest esse prædestinationis, nisi præscientia meritorum : ergo præscientia meritorum est causa, vel ratio prædestinationis.

3 Præterea, non est iniquitas apud Deum, ut dicitur Roman. 9. Iniquum autem esse videtur ut æqualibus inæqualia dentur. Omnes autem homines sunt æquales, et secundum naturam, et secundum peccatum originale. Attenditur autem in eis inæqualitas secundum merita, vel demerita propriorum actuum. Non igitur inæqualia præparat Deus hominibus prædestinando, et reprobando, nisi propter differentium meritorum præscientiam.

Sed contra est quod dicit Apostol. ad Titum 3 : Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos; sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit. Sicut autem salvos nos fecit, ita et prædestinavit nos salvos fieri. Non ergo præscientia meritorum est causa, vel ratio prædestinationis.

Respondeo dicendum, quod cum prædestinatio includat voluntatem, ut supra * dictum est, sic inquirenda est ratio prædestinationis sicut inquiritur ratio divinæ voluntatis. Dictum autem est supra †, quod non est assignare causam divinæ voluntatis ex parte actus volendi : sed potest assignari ratio ex parte volitorum, in quantum scilicet Deus vult esse aliquid propter aliud. Nullus ergo fuit ita insanæ mentis qui diceret merita esse causam divinæ prædestinationis ex parte actus prædestinantis. Sed hoc sub quæstione vertitur, utrum ex parte effectus prædestinatio habeat aliquam causam ? E hoc est quærere, utrum Deus præordinaverit se daturum effectum prædestinationis alicui propter merita aliqua ? Fuerunt igitur quidam qui dixerunt quod effectus prædestinationis præordinatur alicui propter merita præexistentia in alia vita. Et hæc fuit positio Origen. qui posuit animas humanas ab initio creatas, et secundum diversitatem suorum operum diversos status eas sortiri in hoc mundo corporibus unitas. Sed hanc opinionem excludit Apostol. Roman 9 dicens : Cum nondum nati fuissent, aut aliquid egissent boni, vel mali, non ex operibus, sed ex vocante dictum est : quia major serviet minori. Fuerunt ergo alii qui dixerunt quod merita præexistentia in hac vita sunt ratio, et causa effectus prædestinationis. Posuerunt enim Pelagiani quod initium benefaciendi sit ex nobis, consummatio autem a Deo. Et sic ex hoc contingit quod alicui datur prædestinationis effectus, et non alteri : quia unus initium dedit se præparando et non alius.

Sed contra hoc est quod dicit Apostol. 2 Corinth. 3, quod non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis. Nullum autem anterius principium inveniri potest, quam cogitatio. Unde non potest dici, quod aliquod in nobis initium existat, quod sit ratio effectus prædestinationis. Unde fuerunt alii qui dixerunt quod merita sequentia prædestinationis effectum, sunt ratio prædestinationis : ut intelligatur quod

ideo

ideo Deus dat gratiam alicui, et præordinavit se ei daturum, quia præscivit eum bene usurum gratia. Sicut si rex det alicui militi equum, quem scit eo bene usurum. Sed isti videntur distinxisse inter id, quod est ex gratia, et id quod est ex libero arbitrio, quasi non possit esse idem ex utroque. Manifestum est autem, quod id quod est gratiæ, est prædestinationis effectus, et hoc non potest poni ut ratio prædestinationis cum hoc sub prædestinatione concludatur. Si igitur aliquid aliud ex parte nostra sit ratio prædestinationis, hoc erit præter effectum prædestinationis, Non est autem distinctum, quod est ex libero arbitrio, et ex prædestinatione : sicut nec est distinctum, quod est ex causa secunda, et causa prima. Divina enim providentia producit effectus per operationes causarum secundarum, ut supra dictum † est. Unde et id quod est per liberum arbitrium est ex prædestinatione. Dicendum est ergo quod effectum prædestinationis considerare possumus dupliciter. Uno modo in particulari, et sic nihil prohibet aliquem effectum prædestinationis esse causam, et rationem alterius. Posteriorem quidem prioris secundum rationem causæ finalis, priorem vero posterioris secundum rationem causæ meritoriæ. Quæ reducitur ad dispositionem materiæ Sicut si dicamus quod Deus præordinavit se daturum alicui gloriam ex meritis, et quod præordinavit se daturum alicui gratiam ut mereretur gloriam. Alio modo potest considerari prædestinationis effectus in communi. Et sic impossibile est, quod totus prædestinationis effectus in communi habeat aliquam causam ex parte nostra. Quia quidquid est in homine ordinans ipsum in salutem comprehenditur totum sub effectu prædestinationis etiam ipsa præparatio ad gratiam. Neque enim hoc fit nisi per auxilium divinum secundum illud Thren. ultim. : Converte nos, Domine, ad te, et convertemur. Habet tamen hoc modo prædestinatio ex parte effectus pro ratione divinam voluntatem, ad quam totus effectus prædestinationis ordinatur ut in finem, et ex qua procedit sicut ex principio primo movente.

Q. 19 rt. 5.

Ad primum ergo dicendum, quod usus gratiæ præscitus, non est ratio collationis gratiæ nisi secundum rationem causæ finalis, ut dictum † est.

In orp. art.

Ad secundum dicendum, quod prædestinatio habet rationem ex parte effectus in communi ipsam divinam bonitatem. In particulari autem unus effectus est ratio alterius, ut dictum † est.

In orp. art.

Ad tertium dicendum est, quod ex ipsa bonitate divina ratio sumi potest prædestinationis aliquorum et reprobationis aliorum. Sic enim Deus dicitur omnia propter suam bonitatem fecisse, ut in rebus divina bonitas repræsentetur. Necesse est autem quod divina bonitas (quæ in se est una et simplex) multiformiter repræsentetur in rebus propter hoc, quod res creatæ ad simplicitatem divinam attingere non possunt Et inde est quod ad completionem universi requiruntur diversi gradus rerum, quarum quædam altum, et quædam infimum locum teneant in universo. Et ut multiformitas graduum conservetur in rebus, Deus permitti aliqua mala fieri, ne multa bona impediantur, ut supra dictum * est. Sic igitur consideremus totum genus humanum sicut totam rerum universitatem. Voluit igitur Deus in hominibus quantum ad aliquos, quos prædestinat, suam repræsentare bonitatem per modum misericordiæ parcendo : et quantum ad aliquos, quos reprobat, per modum justitiæ puniendo. Et hæc est ratio quare Deus quosdam eligit, et quosdam reprobat. Et hanc causam assignat Apostol. ad Roman. 9 dicens : Volens Deus ostendere iram, idest, vindictam justitiæ, et notam facere potentiam suam, sustinuit, idest permisit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. Et 2 Timot. 2 dicit : In magna domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed etiam lignea et fictilia : et quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam. Sed quare hos elegit in gloriam, et illos reprobavit, non habet rationem, nisi divinam voluntatem. Unde August. † dicit super Johan. : Quare hunc trahat, et illum non trahat, noli velle dijudicare, si non vis errare. Sicut etiam in rebus naturalibus potest assignare ratio (cum prima materia tota sit in se uniformis) quare una pars ejus est sub forma ignis, et alia sub forma terræ, a Deo in principio condita, ut sic sit diversitas specierum in rebus naturalibus. Sed quare hæc pars materiæ est sub ista forma, et illa sub alia, dependet ex simplici divina voluntate : sicut ex simplici voluntate artificis dependet, quod ille lapis est in ista parte parietis, et ille in alia : quamvis ratio artis habeat, quod aliqui sint in hac, et aliqui sint in illa. Neque tamen propter hoc est iniquitas apud Deum, si inæqualia non inæqualibus præparat. Hoc enim esset contra justitiæ rationem, si prædestinationis effectus ex debito redderetur, et non daretur ex gratia. In iis enim, quæ ex gratia dantur, potest aliquis pro libito suo dare cui vult plus, vel minus, dummodo nulli subtrahat debitum, absque præjudicio justitiæ. Et hoc est quod dicit Pater familias Matt. 20 cap. : Tolle quod tuum est, et vade : an non licet mihi quod volo facere?

Conclusio est negativa.

DISPUTATIO X.

De causa prædestinationis ex parte prædestinati quoad primum effectum, seu quoad omnes effectus suæ prædestinationis ordine executionis consideratos.

Ea, quæ in hac disput. dicenda sunt, non parum elucidabunt illa, quæ in disput. præcedenti diximus : et ex utraque plenior notitia de modo, quo Deus se in prædestinatione gessit circa dependentiam vel independentiam a meritis prædestinatorum, habebitur. Et propterea disputatio ista immediate post præcedentem excitanda erat. 1.

DUBIUM I.

An opera naturalia prædestinati possint esse aliquo modo causa dispositiva, vel meritoria ordine executionis respectu primi effectus suæ prædestinationis, seu respectu omnium effectuum illius?

Ex explicatione tituli hujus dubii pendent plura, quæ in hac disp. dicenda sunt : et propterea primo loco illum explicare placuit.

§ I.

Explicatur titulus.

Pro tituli intelligentia notandum est primo, quod semel explicato (ut in præcedenti disput. explicuimus) an Deus habuerit actum intentionis dandi gloriam, quæ ordine intentionis est primus effectus prædestinationis, antequam prævideret merita prædestinatorum, seu independenter a bonis operibus tanquam a causa meritoria, statim pulsat animum inquirere, an ordine executionis habuerit decretum dandi primum effectum prædestinationis ante prævisionem alicujus boni operis prædestinati, seu independenter ab eisdem operibus tanquam a causa, vel ratione dispositiva sive meritoria ejusdem effectus, et voluntatis dandi illum? ac proinde, an ex parte præ- Observatio prima.

destinati detur causa dispositiva, sive meritoria suæ prædestinationis quoad omnes effectus illius, necnon et quoad voluntatem ordine executionis consideratam, qua Deus voluit prædictos effectus tribuere? Nam ut statim explicabimus, idem est dari causam ex parte prædestinati respectu primi effectus suæ prædestinationis, et voluntatis illius quoad terminationem passivam, propter rationem in tract. de Voluntate Dei disp. 3 dub. 2 et in animadversione circa primam conclusionem art. 5 ejusdem tract. dictam, ac dari causam respectu omnium effectum ipsius, necnon et voluntatis (modo supra disp. 8 num. 2 explicato) dandi illos.

Unde merito post præcedentem disputationem de actibus divinæ prædestinationis ordine intentionis consideratis, necnon et de effectibus, qui eis correspondent, præsentem disputationem, et dubium excitavimus. Nam post ordinem intentionis subsequitur ordo executionis. Et ita semel explicato quomodo Deus se habuerit in intentione gloriæ, quæ ordine intentionis est primus effectus prædestinationis, ex quoque dependet quomodo in hoc ordine se habuerit circa reliquos, merito statim inquirimus, quomodo ordine executionis se habuerit circa voluntatem dandi ordine executionis primum effectum prædestinationis, a quo etiam dependentiam habet, qua ratione se gesserit circa reliquos. Sicut etiam primo loco inquirimus, an Deus voluerit dare primum effectum prædestinationis ante prævisionem bonorum operum naturalium? seu an bona opera naturalia sint causa, vel ratio meritoria, aut dispositiva respectu primi effectus prædestinationis ordine executionis consideratæ? ut ita a causis inferioribus ad superiores conscendentes, explicemus prius, an sit prædicta causalitas in bonis operibus, quæ sunt ordinis inferioris, nempe in bonis operibus ordinis naturalis? et postea in bonis operibus supernaturalibus, quæ sunt ordinis superioris respectu operum naturalium, hoc ipsum discutiemus? congruitque hoc cum doctrina hujus art. ut intuenti patebit.

2. Observatio secunda. Secundo notandum est, consulto in titulo additam esse illam particulam *prædestinati*. Quia in hoc dubio non inquirimus, an respectu prædestinationis, v. g. divi Petri detur causa, sive ratio dispositiva, aut meritoria ex parte alicujus alterius, ut ex parte Christi Domini, ita ut ejus opera naturalia sint causa prædictæ prædestinationis, aut ex parte alterius prædestinati? Sed tantum loquimur de ipso prædestinato, et de ejus operibus naturalibus collatis modo dicto cum sua prædestinatione, et ejus effectibus. Sicut etiam specialiter in eodem titulo inquisitum est, de causa dispositiva, sive meritoria : quia de aliis causis non est specialis difficultas, ut ex statim dicendis constabit.

Tertio notandum est, data etiam opera in titulo additam esse illam particulam, *seu respectu omnium effectuum illius*. Nam quoad præsens attinet in idem redit, inquirere, an detur causa prædestinationis quoad primum effectum ejusdem prædestinationis ordine executionis consideratæ, ac sciscitari, an detur prædicta causa respectu omnium effectuum illius? Nam quod fuerit causa meritoria, v. g. respectu primi effectus, erit utique causa respectu omnium effectuum : et ratio est. Quoniam primus effectus prædestinationis ut talis, denotat ipsummet ut cum effectu, et de facto conducit efficaciter ad consecutionem beatitudinis. Cumque non possit sic conducere nisi ut dicit se ipsum, ut cohæret cum cæteris tanquam cum effectibus subsecutis, et illatis post ipsum, saltim ex intentione efficaci Dei, oportet ut id, quod est causa prædicti primi effectus inferentis reliquos, sit etiam causa omnium aliorum, qui post ipsum subsequuntur. 3. Obse tio terti

Nomine autem primi effectus prædestinationis non intelligimus primum effectum remotum deficientem, et inferioris ordinis, qualis est, v. g. substantia ipsius prædestinati; sed primum effectum proxime procedentem a prædestinatione, et qui sit ordinis supernaturalis, qualis est prima vocatio congrua, quæ ex proposito Dei, seu ex intentione salvandi electos tribuitur ipsis a Deo. De qua August. de Prædestin. Sanctorum cap. 18 inquit : *Electi sunt autem de mundo ea vocatione, qua Deus id, quod prædestinavit implevit. Quos enim prædestinavit, ipsos et vocavit, illa scilicet vocatione secundum propositum Dei. Non ergo alios, sed quos prædestinavit, ipsos et vocavit : nec alios, sed quos ita vocavit, ipsos et justificavit.* Augu

Unde cum dicimus quod esse causam primi effectus prædestinationis in idem redit, ac esse causam omnium effectuum illius, tunc tantum loquimur de omnibus effectibus proximis proportionatis, et ejusdem ordinis. Et propterea cum in titulo inquisivimus, an detur causa meritoria, vel

vel dispositiva primi, vel omnium effectuum prædestinationis, tantum sciscitabamur de his effectibus : siquidem certum est non posse ex parte prædestinati dari prædictam causam respectu suæ substantiæ, quæ est prior, et improportionatus, ac remotus effectus suæ prædestinationis.

Cæterum cum dicimus primam vocationem congruam esse primum effectum prædestinationis, non intelligimus nomine illius cogitationem intrinsecam, et inhærentem prædestinato, qua primo ejus cor pulsatur a Deo, ita ut hæc sit semper primus effectus prædestinationis; sed vocationem congruam prout ambit omnia auxilia, sive intrinseca, sive extrinseca, quæ procedunt a Deo auctore supernaturali, omniaque principia ab eo derivata, quæ ad primam cogitationem intrinsecam concurrunt : ita ut primo auxilio, primoque principio ad id concurrenti ratio primi effectus prædestinationis competat, licet hoc in diversis sit diversum.

4. Observatio ultima.

Ultimo notandum est, consulto itidem in titulo fuisse silentio suppressum, an prædicta opera naturalia sint ordine executionis causa, vel ratio meritoria, vel dispositiva ex parte prædestinati respectu actus divini prædestinandi, ordine etiam executionis considerati, sive decreti quo Deus in hoc ordine voluit tribuere primum effectum prædestinationis. Quoniam quid dicendum sit de hoc actu tam secundum suam substantiam considerato, quam quoad suam terminationem, et an secundum suam terminationem activam, an vero solum secundum passivam possit habere causam meritoriam, aut dispositivam, et quomodo terminationes istæ habeant eum ordinem inter se, quem earum objecta, saltim ut objecta illius sunt, habent, constat ex iis, quæ disp. 8 num. 2 et in tract. de Voluntate Dei disp. 3 num. 19 et in animadvers. circa art. 5 ejusdem tract. num. 9 diximus. Ubi explicatur quomodo hoc ipso quod aliquid sit causa meritoria alicujus effectus divinæ voluntatis, debet etiam esse causa meritoria ejusdem voluntatis quoad terminationem passivam ejus ad talem effectum. Et propterea num. 1 dicebamus agendum nobis esse tam de causis effectuum prædestinationis, quam de voluntate dandi illos ordine executionis : quia ex illo priori hoc posterius in sensu dicto sequitur.

Corollarium.

Unde ex his omnibus fit totam hujus dubii difficultatem ad hoc reduci, an nimirum detur causa dispositiva, vel meritoria ex parte prædestinati respectu primi auxilii gratiæ, seu respectu primæ vocationis gratiæ congruæ et efficacis?

§ II.

Proponitur prior sententia.

5.

Prima sententia inter Catholicos (omittimus enim plures errores, circa hoc, hæreticorum) asserit, opera moraliter bona facta a prædestinato ex viribus naturæ, esse causam dispositivam, seu meritoriam de congruo respectu primi effectus suæ prædestinationis. Referuntur pro hoc O'Kamus, et Gabriel in 2 dist. 27 quæst. 1 art. 2, Durandus dist. 28 quæst. 5, Scotus, et Bonavent. in 1 dist. 41 art. 1 quæst. 2 quatenus admittunt prædictum meritum de congruo respectu justificationis, quam Bonaventura existimat esse primum effectum prædestinationis, Argentina, et Ægidius in 1 dist. 41 art. 2 et 3, Ruardus Taper art. 7, et Molina in præsenti : qui etiam addit prædicta opera bona ita esse causam meritoriam de congruo respectu primi effectus prædestinationis, ut infallibiliter illum inferant, ex eo quod Christus Dominus hoc a suo Patre obtinuit, cum eoque pepigit, ut quotiescumque nostrum liberum arbitrium conaretur ad faciendum quod in se est, toties Deus conferat illi auxilia gratiæ, quibus credat, et doleat de peccatis, sicut oportet ad justificationem.

O'Kam. Gabriel. Durand. Scotus. Bonavent. Argent. Ægidius. Ruard Taper. Molina.

6. Primum argumentum. Joan. 1.

Probatur primo ex illo Joan. 10 : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Nam si homines facientes ex suis naturalibus opera moraliter bona, quæ in sua potestate sunt, non se disponunt, et de congruo merentur auxilia gratiæ, quibus fiant filii Dei, non videtur salvari id, quod Joannes in his verbis docuit, nempe datam esse hominibus potestatem ut filii Dei fiant.

Confirmatur primo.

Confirmatur primo. Quia in sacra Scriptura promittitur auxilium gratiæ peccatoribus bene moraliter operantibus, et exercentibus opera misericordiæ, ut de eleemosyna constat Tobiæ 4 et docetur Ecclesiast. 3, 7 et 29, Daniel 4 : *Peccata tua eleemosynis redime.* Et de remittentibus injurias, quibus promittitur peccatorum remissio, patet ex Ecclesiastici 28, Matth. 6, Marci 11, Lucæ 6; at in his locis non fiunt hæ promissiones his operibus qualenus solum procedunt ex dono gratiæ supernaturalis, siquidem absolute, et sine hac res-

Tobiæ 4. Ecclesiast. 3, 7 et 29. Daniel 4. Eccles. 28. Matth. 6. Marc. 11. Lucæ 6.

trictione prædictæ promissiones fiunt : ergo fiunt his operibus, sive ex dono gratiæ supernaturalis, sive ex viribus naturalibus liberi arbitrii oriantur.

Confirmatur secundo. Nam id videtur docere D. Thom. 3 contra Gent. cap. 159 his verbis : *Deus quantum in se est paratus est omnibus gratiam dare.* Unde Ezech. 18 dicitur : *Nunquid voluntatis mei est mors impii :* si autem Deus quantum est in se, paratus est conferre omnibus lumen gratiæ, seu cogitationem congruam, quæ est primus effectus prædestinationis, et tamen non omnibus prædictum lumen confert, ideo erit, quia non omnes disponunt se, et de congruo merentur per opera naturalia tale lumen.

Confirmatur secundo. D.Thom. Ezech. 18.

7. Secundum argumentum.

Secundo. Nam licet quod homines eleventur ad gratiam proveniat ex divina misericordia, habet tamen aliquid admixtum de justitia : ergo oportet, ut per opera bona naturalia disponantur, et mereantur de congruo prædictam gratiam. Consequentia videtur legitima. Quoniam ad hoc ut aliquo modo ex justitia mereatur quis primam gratiam, seu primam gratiæ vocationem, quæ est primus effectus prædestinationis, non debet illam mereri ex operibus ab eadem gratia provenientibus, siquidem principium meriti non cadit sub merito ; sed ex operibus, quæ ex sola facultate naturali liberi arbitrii, et concursu naturali Dei procedunt. Antecedens autem suadetur. Quia, ut ait D. Thom. supra q. 21 art. 4, in omnibus operibus Dei invenitur misericordia et justitia, ac proinde etiam in collatione gratiæ prævenientis debet reperiri.

D.Thom.

8. Confirmatur primo.

Confirmatur primo. Nam sicut natura intellectualis habet immediatum ordinem ad gratiam per capacitatem insitam naturæ, quamvis respectu gratiæ sit obedientialis, ita bona opera moralia procedentia ab hac natura, habent cum eadem proportione immediatum ordinem ad eamdem gratiam : ergo sicut natura secundum se est capax remote, et prout potest, gratiæ, ita opus ejus bonum disponit, et accommodat naturam remote, et quantum potest in ordine ad illam : ergo sicut est consentaneum divinæ providentiæ, ut naturam intellectualem elevet ad ordinem gratiæ, ita etiam ut actionem naturalem moraliter bonam acceptet ut dispositionem aliqualem, et meritum imperfectum, et de congruo, quo præparetur, et disponatur illa natura ad eamdem gratiam et primum ejus auxilium.

Confirmatur secundo.

Confirmatur secundo. Quoniam quantitas gratiæ, et gloriæ datur juxta capacitatem naturalem, ut de Angelis docet D. Thom. 1 p. quæst. 62 art. 6 et 2, 2 quæst. 24 art. 3 ad tertium : ergo signum est per opera naturalia moraliter bona posse dari aliquam dispositionem, et aliquale meritum respectu primi auxilii gratiæ congruæ, juxta quod prædicta quantitas datur.

9. Tertium.

Tertio. Quia ex opposito sequuntur duo magna inconvenientia. Primum est, homines non esse admonendos ut bene naturaliter, et moraliter operentur, sed solum ut a Deo petant, et expectent auxilium gratiæ : siquidem per prædicta opera naturalia, juxta oppositam sententiam, nulla ratione possunt ad auxilium gratiæ, quo suam æternam salutem operaturi sunt, se disponere, aut aliquo modo illud promereri. Secundum est, justificationem impii, ac proinde primum auxilium gratiæ in ordine ad illam, esse opus miraculosum, cujus oppositum docuit D. Thom. 1, 2 q. 113 art. 10. Sequela patet. Quia per vires naturales nequit impius disponere se ad illa, aut ea etiam de congruo promereri. Sicut propter hanc rationem resurrectio a morte corporali est opus miraculosum : quia non est in potestate naturæ illam operari, aut ad eam se disponere.

D.Thom.

10. Quartum.

Quarto. Nam commune Theologorum axioma est : *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam :* at axioma hoc debet intelligi de facienti quod in se est viribus naturæ, et per consequens operanti ex eisdem viribus bene moraliter : ergo per opera moraliter bona poterit quis se disponere ad primum auxilium gratiæ : et illud saltim de congruo promereri. Minor probatur. Tum quia infidelis, aut puer nutritus in silvis, vel quicumque primo perveniens ad usum rationis facerent, quod in se est ex viribus naturæ, statim justificarentur, ut docet D. Thom. 1, 2 quæst. 89 art. 6. Tum etiam : quia dilectio Dei naturalis, per quam facit homo quidquid potest, est præparatio ad gratiam, ut docet idem sanctus Doctor quodlib. 1 art. 8 ad secundum. Tum denique : quia id videtur docere August. lib. 83 quæst. 68, dum inquit, hominem recipere gratiam, quia bene utitur facultate suæ naturæ. Idemque videtur docere D. Hieronym. lib. 3 contra Pelagium.

D.Thom. August. Hieron.

Confirmatio. Chrysost.

Quæ omnia confirmari possunt ex Chrysostom. homil. 17 in Joan. et in homil. 12 super epistolam ad Hebræos. Ubi inquit, Deum non prævenire nostras voluntates, ne illarum lædat libertatem, sed expectare

ut

ut nos incipiamus, et postea adjungere dona sua : ergo Chrysost. sentit, opera facta ex nostra libertate præcedentia gratiam prævenientem, esse saltim dispositionem ad eam : siquidem ea expectat ad adjungenda dona sua : imo etiam sentit esse simul causam meritoriam de congruo. Nam opera moraliter bona, quæ disponunt ad aliquod donum accipiendum, habent etiam aliquod meritum de congruo in ordine ad illud.

§ III.

Assertio prior.

11. Dicendum tamen est primo, opera bona moraliter ex solis viribus naturalibus liberi arbitrii facta, non esse causam meritoriam de congruo respectu primi effectus prædestinationis, nempe primi auxilii gratiæ, seu primæ vocationis gratiæ efficacis et congruæ. Assertio hæc habetur passim in Joan. 6. Scriptura Joan. 6 : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum.* August. Quæ verba explicat August. lib. 1 contra duas epist. Pelagianorum cap. 19 sic : *Dixit, traxerit eum, et non dixit, duxerit eum, ut intelligatur, nullam præcessisse voluntatem hominis ad auxilium Dei. Nullus enim trahi-* Joan. 15. *tur, si jam volebat*, et Joan. 15 : *Sine me nihil potestis facere.* Quod testimonium a Concil. Araus. August. S. Leo. Concilio Arausicano can. 7 et a D. August. tract. 81 in Joan. et lib. de natura et grat. cap. 32 et a D. Leone Papa sermone de Epiphania, ita explicatur, ut sensus illius sit, quod sine auxilio gratiæ, nihil possumus facere, quod conducat ad salutem æternam, ac proinde per solas vires naturales nostri arbitrii non poterit prædestinatus mereri de congruo primum auxilium gratiæ, quod ad salutem æternam conducit.

2 ad Cor. 3. Secundæ ad Corinth. cap. 3 : *Non sumus* D.Thom. *sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis.* Quæ verba sic explicat D. Thom. in hac q. art. 5 : *Fuerunt ergo alii qui dixerunt quod merita præexistentia in hac vita sunt ratio, et causa effectus prædestinationis. Posuerunt enim Pelagiani, quod initium benefaciendi sit ex nobis, consummatio autem a Deo. Et sic ex hoc contingit quod alicui datur prædestinationis effectus, et non alteri : quia unus initium dedit se præparando, et non alius. Sed contra est, quod dicit Apost. 2 ad Corinth. 3 quod non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis : nullum autem anterius principium inveniri potest, quam cogitatio. Unde non potest dici, quod aliquod in nobis initium existat, quod sit ratio effectus prædestinationis.* Ac proinde nec hæc sancta cogitatio cadet sub merito de congruo ex vi operum bonorum, quæ solis viribus naturalibus arbitrii fiunt : alioqui possemus aliquo modo ex nobis quasi ex nobis eam habere.

Ad Roman. 9 : *Non est volentis, neque* Rom. 9. *currentis, sed Dei miserentis.* Quod teste August. intelligitur de prædestinatione, et August. maxime de prima vocatione, ut constat ex capit. 32 Enchir. Si autem prædestinatus haberet illam ex operibus factis ex viribus naturalibus ante gratiam, tunc talis vocatio non esset prius Dei miserentis, ut Apostolus intendit, sed prius esset hominis volentis et currentis per bona opera.

Ac tandem ut alia omittamus, ad Titum 12. Ad Tit. 3. 3 : *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Ubi non dixit (ut recte notavit Nazarius in præsenti controversia 2) *ex* Nazar. *meritis*, sed *ex operibus*, ut admoneret, nullum opus nostrum, sive meritorium proprie, sive moraliter tantum bonum dari, quod sit meritorium de congruo justificationis, aut prædestinationis, et præcedat in nobis auxilia divinæ gratiæ.

Idem etiam habetur in Concil. Arausi- Concil. cano can. 3 ex illis verbis Isaiæ 65 : *In-* Araus. *ventus sum a non quærentibus me, palam apparui iis qui me non interrogabant.* Et Trident. ses. 6 cap. 5 ubi sic dicitur : *De-* Concil. *clarat præterea sancta Synodus ipsius justi-* Trident. *ficationis exordium in adultis, a Dei per Jesum Christum gratia præveniente sumendum esse.* Ac proinde non dabitur ex parte operum, quæ fiunt ex solis viribus liberi arbitrii meritum de congruo respectu hujus exordii gratiæ : alioqui ex eo prius quam ex ipsa gratia, exordium sumeretur.

Et similiter hoc ipsum docet D. Thom. 13. in præsenti art et ad Ephes. 1 lect. 1, ubi D.Thom. loquens de divina prædestinatione, sic inquit : *Sciendum tamen est quod effectus sunt ratio voluntatis divinæ ex parte voliti : ita scilicet quod effectus prior sit ratio ulterioris. Sed tamen cum venitur ad primum effectum, non potest ultra assignari aliqua ratio illius effectus, nisi voluntas divina, puta Deus vult hominem habere manum ut serviat rationi, et hominem habere rationem, quia voluit Deus esse hominem, et hominem esse voluit propter perfectionem universi. Et quia hic est primus effectus in creatura, non potest assignari aliqua ratio universi ex parte*

creaturæ sed ex parte creatoris, quæ est divina voluntas : ergo secundum hunc modum nec prædestinationis potest ex parte creaturæ ratio aliqua assignari, sed solum ex parte Dei. Nam effectus prædestinationis sunt duo, scilicet gratia et gloria : effectuum autem quæ ad gloriam ordinantur potest quidem ex parte voliti assignari ratio, scilicet gratia, puta Petrum coronavit, quia legitime certavit, et hoc quia fuit firmatus in gratia : sed gratiæ quæ est primus effectus, non potest aliqua ratio assignari ex parte hominis, quæ sit ratio prædestinationis. Et tandem in fine ejusdem lectionis sic concludit : *Patet ergo quod prædestinationis divinæ nulla alia causa est, nec esse potest, quam simplex Dei voluntas. Unde patet etiam quod divinæ voluntatis prædestinantis non est alia ratio quam divina bonitas filiis communicanda.*

Et tandem hoc ipsum tuentur Patres, quos art. præcedenti dub. 1 pro nostra sententia retulimus. Quos sequuntur Albertus in 2 dist. 28 quæst. 1 art. 2, Ægidius art. 1 quæst. 3, Marsilius quæst. 18 art. 2, Capreolus in 4 dist. 14 quæst. 2, Adrianus quodlib 5 art. 3, Ossius tom. 2 de confessione fidei capit. 13, Vega lib. 8 in Trident. cap. 8, Soto lib. 2 de natura et gratia cap. 3 et 4, Suarez lib. 2 de Prædestinatione cap. 6, Bellarmin. lib. 6 de gratia et lib. arbit. cap. 4, Zumel lib. de variis disputationibus quæst. 8 sect. 3, Nazarius in præsenti controv. 2, Gonzalez ibidem disp. 74 sect. 2, Petrus Cornejo disp. unic. ad hunc art. dub. 3 et alii plures.

Albert. Ægidius. Marsil. Capreol. Adrian. Ossius. Vega. Soto. Suarez. Bellarm. Zumel. Nazarius. Gonzalez. Cornejo.

§ IV.

Fundamentum unicum assertionis.

14. Synodus Palestin. Cœlestin.

Ratio autem fundamentalis hujus assertionis est, qua utitur Synodus Palestina, et Cœlestinus Papa epist. 1 ad Episcopos Galliæ cap. 4 et 8. Quia nimirum alias gratia daretur ex operibus factis ex viribus naturalibus liberi arbitrii tanquam ex aliquo merito, et non gratis, atque adeo jam non esset gratia. Sequela videtur legitima. Quia quod datur ex merito, non datur omnino liberaliter et gratuito, ac proinde nec gratis, nec illud quod datur est gratia. Quam rationem adduxit Paulus ad Roman. 11 eisdem fere verbis, nempe : *Si autem gratia jam non ex operibus, alioquin gratia jam non esset gratia.*

Rom. 11

Et Aug. serm. 15 de verbis Apost. ubi explicans illud ad Ephes. 2 : *Gratia salvi facti estis,* inquit : *Non ex operibus, ne forte dicas, promerui, et ideo accepi, non putes te promerendo accepisse, qui non promereres nisi accepisses : gratia præcessit meritum tuum, non gratia ex merito, sed meritum ex gratia. Nam si gratiam ex merito emisti, non gratis accepisti.* Et adducens illud Psal. 55 : *Pro nihilo salvos facies illos,* inquirit : *Quid est pro nihilo salvos facies?* et respondet : *Nihil invenis in eis unde salves, et tamen salvas, gratis das, gratis salvas, omnia merita præcedis, ut dona tua consequantur merita mea prorsus, gratis das, gratis salvas qui nihil invenis unde salves, et multum invenis unde damnes.*

August.

Et similiter Gregor. lib. 33 moral. cap. 20 his verbis : *Si quid nos bonæ operationis dedimus ut ejus gratiam mereamur, ubi est quod Apostol. dicit, gratia salvatis estis?* Ac tandem eadem ratione utuntur Concil. Arausican. cap. 6 et idem August. lib. 1 retract. cap. 9 epist. 105 et 106, lib. 2 de peccatorum meritis cap. 17, lib. 4 contra Julianum cap. 3, lib. 2 contra duas epistolas Pelagian. cap. 7, et de Prædest. Sanct. et de Dono persever. per totum ; Prosper contra Collatorem cap. 11 et 12, et Fulgentius de Incarnatione cap. 18.

D. Gregor. Concil. Araus. August. Prosper. Fulgent.

Nec refert si occurras, quod etsi meritum de condigno tollat ut id, quod datur intuitu ejus, detur gratis, et sit gratia ; non tamen meritum de congruo. Et propterea licet gratia sanctificans, juxta probabilem multorum Theologorum sententiam, detur propter actum fidei supernaturalis tanquam propter dispositionem, et meritum de congruo ; non tamen idcirco prædicta gratia desinit esse gratia, aut non datur gratis. Et similiter in humanis petitio non tollit a re impetrata rationem doni gratuiti, nec quod detur gratis. Quia petitio non inducit obligationem debiti, et meriti de condigno, sed solum habet rationem meriti de congruo. Et propterea non obstante quod habeat rationem hujusmodi meriti, non innititur in justitia ipsius petentis, sed in liberalitate donantis, ut constat in eleemosyna concessa pauperi pro ea preces fundenti.

15 Evasio.

Non itaque hoc refert. Quoniam impugnatio hujus evasionis solum eget aliquali expensione, et explicatione rationis factæ. Etenim Paulus, et Patres volunt primum auxilium gratiæ supernaturalis ita dari gratis, et esse gratiam, ut omnino gratuito, et liberaliter donetur, habeatque rationem doni pure gratuiti et liberalis : sed si ad illud præcedat aliquod opus bonum pure

Impugnatio.

pure naturale, quod habeat rationem meriti de congruo respectu illius, non donabitur omnino liberaliter, nec prædictum auxilium gratiæ erit donum pure liberale et gratuitum : ergo, etc.

Probatio majoris. Major videtur perspicua. Nam Paulus, et reliqui Patres ita volunt primam gratiam, seu primam vocationem gratiæ dari gratis, ut non habeat homo unde de suo glorietur, nec unde se ab alio discernat, juxta illud ejusdem Pauli ad Corint. 4 : *Quis enim te discernit? Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Si autem primum auxilium gratiæ non daretur pure liberaliter, neque esset donum pure gratuitum et liberale, tunc haberet liberum arbitrium aliquid unde gloriaretur de suo, idest, de suis naturalibus, et per quod aliquo modo se discerneret ab aliis, nempe illud opus a se factum, ratione cujus prædictum auxilium gratiæ desineret esse pure liberale, et pure liberaliter ac gratuito dari : ergo Paulus, et Patres volunt primum auxilium gratiæ supernaturalis, ita dari gratis, et esse gratiam, ut detur pure liberaliter, sitque donum pure gratuitum.

Ad Cor. 4.

16 Unde Bernardus quia sentiebat, prædictam gratiam esse pure gratiam, pureque ac liberaliter donatam, propterea dixit, quod ille qui propter suum meritum de congruo sibi datam fuisse dicit, censendus est fur et latro, utpote tollens a gratia quod sit pure gratia, et donum pure liberale, et hoc latrocinium explicat nomine gloriolæ. Quia qui judicat propter suum meritum de condigno datam sibi prædictam gratiam, habet absolute, et simpliciter, ac omnino gloriari de suo : qui vero propter meritum tantum de congruo sibi talem gratiam concessam fuisse fatetur, habet quodammodo, et secundum quid gloriari de suo : et per consequens inde gloriolam solum desumit. Bernard. Verba autem Bernardi habentur serm. 84 in Cantic., ubi sic inquit : *Quod si quis dicat, gratia Dei sum id quod sum, studeat autem captare gloriolam pro gratia, quam accepit, nonne fur est, et latro?*

Minor multipliciter suadetur. Bernard

Minor autem primi syllogismi hujus impugnationis probatur. Tum ex eodem Bernard. serm. 67 in Cant. his verbis : *Non est quo gratia intret ubi jam meritum occupavit. Nam si quid de proprio inest, in quantum est, gratiam illi cedere necesse est. Deest gratiæ quidquid meritis deputas, nolo meritum quod gratiam excludat.* Tum etiam : quia omne meritum inducit aliquam obligationem juxta talitatem meriti : ita quidem ut meritum de condigno inducat omnimodam obligationem : meritum vero de congruo aliqualem, alioqui non haberet rationem meriti : ergo eo ipso meritum illud de congruo ex viribus naturæ habitum, tollet a primo auxilio gratiæ, rationem doni in se, et formaliter pure liberalis et gratuiti. Quia quantum admiscetur ex alio motivo gratificandi, aut remunerandi tale meritum naturale, tantum detrahitur de pura et mera liberalitate, et ita inter alias conditiones, quas jurisconsulti petunt ad omnino liberalem et gratuitam donationem, una et præcipua est ut donator donet illam non propter aliam remunerationem, vel gratificationem, sed solum exerceat liberalitatem, ut constat ex l. 1 l. Aquilius, et l. donari videtur ff. de donationibus, et exponit, ibi Bartol. et Panormitan. in rubrica de donationibus. Unde antidora sive donatio remunerativa, non censetur omnino gratuita et liberalis, sed aliquo modo ex justitia debita. Quia per illam solvitur quod aliquo modo est debitum, ut docet Ulpianus in l. sed etsi lege 25 § consuluit in fine, ff. de petitione hæreditatis, et dicta l. Aquilius, ff. de donationibus, ut notat ibidem Bartolus.

Bartolus Panormit. Ulpianus.

Tum præterea : quia alioqui posset aliquis gloriari in se ipso, quod ex se, et ex suis naturalibus aliquid contulit ad primum illum effectum suæ prædestinationis, et mediante eo quod ex prædictis naturalibus apposuit, se aliqualiter ab altero discrevit, quod quidem stare non potest cum hoc quod est prædictum effectum primum suæ prædestinationis esse donum pure liberale et gratuitum.

Tum deinde : quia licet res ordinis naturalis, et effectus earum gratis a Deo producantur, et concedantur nobis, propter quod August. epist. 95 ait, quod creatio, et res ordinis naturalis non incongrua ratione possunt vocari gratiæ; attamen si loquamur Theologice, et secundum morem Scripturæ, gratia distinguitur contra res has, et solum sumitur pro supernaturali dono a Deo auctore supernaturali elicitive proveniente, et gratis nobis concesso sine aliquo debito justitiæ connaturalitatis, vel efficientiæ, sive physicæ, sive moralis, et per modum meriti : et ideo quia creatio, vel productio hominis non est gratia in isto sensu, propterea non est gratia Theologice loquendo, quod homo habeat proprietates connaturales, neque quod faciat, vel pro

17.

ducat, aut mereatur ea, quæ per vires naturæ potest producere, aut mereri : ergo si datur meritum de congruo in operibus pure naturalibus moraliter bonis respectu primæ gratiæ, seu primæ vocationis gratiæ, jam illa gratia non erit gratia Theologice : quia aliquo modo deberetur connaturali efficaciæ talium operum naturalium, alioqui non caderet sub illis tanquam sub merito.

Tum denique : quia etsi omnia dona gratiæ supernaturalis sint omnino gratis concessa ; attamen aliter prior gratia, sive primum auxilium gratiæ hoc habet, et aliter plura alia dona supernaturalia. Nam illud in se, et formaliter omnino liberaliter, et gratis est donatum : at vero hæc posteriora dona in sua radice hoc habent, v. g. in isto auxilio priori, et hoc quod est esse sic in illo liberaliter omnino donata requiritur ad hoc ut habeant rationem gratiæ, et doni gratuiti supernaturalis : quamvis secundum se, et formaliter possint cadere sub merito : et propterea dona ista dicuntur gratiæ pro gratia.

18. Respondetur ad id quod primo loco in favorem solutionis adversariorum adducebatur.

Ex quo etiam constat quomodo id, quod primo loco pro se adduxit hæc solutio ei non faveat propter apertam disparitatem inter meritum de congruo alicujus operis supernaturalis, ut verbi gratia fidei, aut alterius actus respectu primæ gratiæ sanctificantis, et inter meritum de congruo, quod esset in aliquo opere moraliter bono ex solis viribus naturalibus arbitrii facto. Nam meritum de congruo operis supernaturalis, verbi gratia, fidei, procedit a priori gratia, a qua primo habuit esse collata eadem fides, et in hac gratia tanquam in radice dicitur ipsa justificatio dari omnino gratis, et pure liberaliter : quamvis in se aliquo modo ex meritis de congruo concedatur : ita ut si hoc modo in sua radice non daretur gratis, non esset gratia : ac proinde si primum illud auxilium non daretur omnino gratis, nec ipsum, nec reliqua haberent rationem gratiæ proprie, et in rigore talis. Meritum vero pure naturale non innititur in priori gratia, sed oritur ex viribus naturalibus arbitrii, et ex auxilio naturali, vel debito titulo creationis, ac proinde quodammodo suo, vel ex auxilio ordinis pure naturalis, et non in aliqua gratia Theologica facta ipsi operanti. Et ideo præmium supernaturale collatum propter illud tolleret rationem doni omnino gratuiti, seu pure liberalis et gratiosi, habentisque rationem puræ gratiæ supernaturalis : quia non inniteretur ut in prima radice, in primo auxilio, aut dono gratiæ supernaturalis omnino liberaliter et gratis dato.

Neque hinc fit (ut per hoc objectio quædam solvatur) gratiam sanctificantem non dari magis gratis, quam gloriam. Quia licet utraque in sua radice sit omnino gratuito data ; attamen secundum se, et in se spectata, tunc gratia solum cadit ad summum sub merito de congruo, gloria vero sub merito de condigno.

19. Diluitur id quod ultimo loco pro eadem solutione affertur.

Ad id autem, quod ultimo loco in favorem hujus sententiæ additur, facile respondetur, quod ideo in humanis quod datur mediis precibus, non solet minuere rationem doni gratuiti et liberalis, quia preces quibus unus homo impetrat aliquid ab alio, non est necesse ut fundantur in obsequium ejus (nisi forte cedant aliquando in honorem et utilitatem ejus) ac proinde nec est necesse ut habeant rationem meriti de congruo respectu doni dati. At vero preces fusæ ad Deum sunt actus religionis præstiti in obsequium illius : et ita si preces ordinis pure naturalis haberent rationem meriti de congruo respectu primæ gratiæ, ac proinde Deus intuitu illarum, et ob remunerandum hoc obsequium eam conferret ; tunc collatio prædictæ gratiæ non haberet rationem doni pure gratuiti et liberalis, ut dictum est. Unde ex his omnibus satis constat quantam vim, et in quo sensu eam habeat ratio a nobis ex Paulo et Patribus adducta, nempe quod si gratia datur ex meritis, et non omnino gratis jam non esset gratia.

§ V.

Posterior assertio.

20. Dicendum est secundo, opera bona moraliter ex solis viribus naturalibus facta non posse esse causam dispositivam respectu primi effectus prædestinationis, seu respectu primæ vocationis efficacis et congruæ. Assertio hæc colligitur ex testimoniis Scripturæ pro præcedenti adductis, necnon ex illo Proverb. 8 secundum 70 juxta lectionem Aug. de gratia et lib. arbit. cap. 16 : *Præparatur voluntas a Domino.* Et eamdem docuit Concil. Arausican. can. 7, dum inquit, quod sine auxilio gratiæ nihil possumus facere, quod conducat ad salutem æternam : ac proinde nec poterimus nos ad illam disponere. Et Trident. loco assertione præcedenti relato, et can. 6 his

Prov. 8. August. Concil. Araus. Concil. Trident.

his verbis : *Disponuntur autem ad ipsam justitiam dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum.* Ubi in divinam gratiam absolute reducit dispositionem ad justitiam : et per consequens actus pure naturalis nequibit disponere ad eam, neque ad primam vocationem, seu auxilium gratiæ efficacis, mediante quo justificationem acquirimus. Unde hanc eamdem assertionem tuentur Doctores assertione præcedenti relati.

21. Ratio sertionis. Thom.

Ratio autem fundamentalis desumitur ex D. Thom. 1, 2 q. 109 art. 6. Quia forma, et dispositio ad illam requisita debent esse ejusdem ordinis : sed opera moraliter bona, quæ sunt pure naturalia, sunt inferioris ordinis respectu primi auxilii gratiæ : ergo nequibunt esse causa dispositiva illius. Minor cum consequentia sunt perspicuæ. Major autem probatur inductive, et insuper ex eo quod dispositio ad formam, et forma ipsa debent habere debitam proportionem, et commensurationem : ac proinde si forma est superioris ordinis, etiam dispositio ad eumdem ordinem debet pertinere.

Confirmatur primo.

Confirmatur, et explicatur. Nam dispositio etiam remota ad formam, est quoddam exordium ipsius formæ : exordium autem formæ debet esse ejusdem ordinis cum eadem forma : ergo actus pure naturalis, qui est inferioris ordinis respectu auxilii gratiæ supernaturalis, non poterit habere rationem dispositionis etiam remotæ respectu illius.

Confirmatur secundo.

Confirmatur secundo. Quoniam dispositio ad prædictam gratiam, etiamsi sit remota exigit, saltim remote, eamdem gratiam : et propterea talis gratia est eodem modo illi debita : constat autem quod operi bono pure naturali nequit esse debita gratia, alioqui, ut supra dicebamus, non esset gratia : ergo prædictus actus non poterit se habere per modum causæ dispositivæ respectu ejusdem gratiæ.

22. Tertia.

Confirmatur tandem. Quoniam dispositio ad gratiam quantumvis remota debet per se primo dicere habitudinem ad eamdem gratiam tanquam ad finem proprium illius, et ab ea initiative, et radicaliter petitum, siquidem omnis dispositio est hoc modo propter formam, ad quam disponit, tanquam propter finem : ergo hoc ipso quod forma sit ordinis supernaturalis, ut in auxilio primæ gratiæ contingit, oportet ut prædicta dispositio non sit ordinis pure naturalis, sed pertineat ad ordinem supernaturalem, fiatque elicitive a Deo ut auctore supernaturali. Patet consequentia. Quoniam finis proprius, et peculiaris, et per se petitus, et efficiens mutuo sibi correspondent : et ita si finis hujus dispositionis est aliquid supernaturale, procedet ut a causa efficienti a Deo ut auctore supernaturali : et per consequens ipsa non spectabit ad ordinem pure naturalem, sed ad supernaturalem.

23. Prima evasio.

Nec refert si occurras primo, hæc opera bona moraliter ordinis pure naturalis non esse dispositiones ex natura rei, et physicas, sed morales, et ideo non requiri inter eas, et gratiam proportionem secundum entitatem, ac proinde nec quod sint supernaturales, sed solum desiderari proportionem secundum prudentem æstimationem, et hanc in eis inveniri.

Rejicitur primo.

Non itaque hoc refert. Tum, quia ex dictis satis impugnatum manet. Quoniam de nulla dispositione pure naturali potest prudenter æstimari, quod ei sit debita forma supernaturalis, aut quod sit exordium illius, aut quod dicat habitudinem ad ipsam ut ad finem proprium illius : quod tamen ad rationem dispositionis etiam moralis desideratur.

Refellitur secundo.

Deinde, quia de nullo actu pure naturali potest prudenter æstimari, quod sit talis conditionis, ut per illum prædestinatus se discernat a non prædestinato, contra illud divi Pauli : *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti?* aut quod in illum ut in primum initium reducatur, saltim ordine executionis, totum negotium prædestinationis, contra Concil. Trident. ses. 6 cap. 5 et Concil. Arausican. can. 3 et 6, ubi dicitur, gratiam non esse pedisequam naturæ : ergo prædictus actus pure naturalis nequibit in *esse* morali, et secundum prudentem æstimationem habere rationem dispositionis respectu primæ gratiæ, seu primi auxilii supernaturalis : siquidem si talis actus pure naturalis esset dispositio ad illam, haberet conditiones in antecedenti recensitas.

Corint. 4.

Concil. Trident. Arausic.

24. Aliud effugium.

Nec etiam refert si secundo occurras, hæc opera pure naturalia non esse dispositiones ex natura rei, neque in *esse* moris seu meriti, sed ex sola divina ordinatione extrinseca, quatenus Deus legem statuit, se homini facienti, quod in se est viribus naturæ daturum gratiam efficacem : hæc autem lex, et decretum videtur colligi (ut inquit Molina) ex Ezechiel. 33, ubi dicitur, Deum non velle mortem peccatoris, sed

Molina. Ezech. 33.

Apoc. 3. ut magis convertatur, et vivat. Et Apocalyps. 3 ubi asseritur Deum stare ad ostium, et pulsare. Nam hoc ingens Dei desiderium salutis hominum, et intrandi per gratiam in ejus animam, satis innuit, Deum habere voluntatem communicandi se per gratiam homini hoc ipso, quod homo faciat de suo, seu ex suis viribus naturalibus, quod potest. Et similiter hæc eadem lex videtur Matt. 25. colligi ex parabola illa Matth. 25 talentorum. Ubi Christus ait illa distribui unicuique secundum propriam virtutem, scilicet naturalem.

Præcluditur. Non igitur hoc refert. Nam hinc fieret prædictam gratiam cadere sub merito de congruo respectu prædicti operis pure naturalis : hoc autem falsum est, et contra dicta assertione præcedenti : ergo, etc. Sequela probatur. Quoniam supposita ista lege teneretur aliquo modo Deus dare prædictam gratiam facienti, quod in se est ex viribus naturæ : ergo hoc ipso quod quis ex eisdem viribus bene moraliter operaretur, non posset non de congruo, seu per modum impetrationis, quæ est quoddam genus meriti de congruo, mereri talem gratiam. Patet consequentia. Nam actus bonus moraliter, cui ex promissione Dei debetur gratia, meritorius est illius, saltim per modum impetrationis; cum hujusmodi meritum præcipue fundetur in promissione divina.

25. Falsitas autem minoris (præterquam quod, ut nuper dicebamus, constat ex dictis assertione præcedenti) potest etiam peculiariter suaderi ex Concilio Arausicano Concil. Arausic. can. 3 ibidem etiam adducto, ubi sic dicitur : *Si quis per invocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere ut invocetur a nobis, contradicit Isaiæ Prophetæ dicenti : Inventus sum a non quærentibus me.*

Quam impugnationem eleganter adduxit Prosper. Prosper lib. contra Collatorem cap. 6, ubi sic ait : *Quomodo autem non advertis te in illud damnatum incidere, quod, velis nolis, convinceris dicere, gratiam Dei secundum merita nostra dari, cum aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur affirmas? Non enim nullius meriti haberi potest petentis fides, quærentis pietas, pulsantis instantia : præcipue cum omnes ejusmodi, et accipere, et venire, et intrare dicantur, in quo superfluum, imo impium est, sic velle meritis ante gratiam existentibus locum facere, ut non ex toto verum sit quod ait Dominus : Nemo venit ad me nisi Pater qui misit me attraxerit eum.*

Nec verum est id, quod in hac solutione dicitur, nempe ex Scriptura colligi prædictam legem et decretum, quo Deus decrevit dare primam gratiam iis, qui præcise ex viribus naturæ præstiterint quod in se est, seu ex suis viribus naturalibus, et auxilio naturali præcise bene moraliter operati fuerint. Tum, quia hoc pugnat cum testimoniis Scripturæ et Patrum a nobis adductis, quæ non parum efficaciter, ut intuenti constabit, oppositum suadent. Tum etiam : quia testimonia a Molina adducta nulla ratione prædictam legem continent. Nam duobus prioribus testimoniis tantum denotatur, Deum habere voluntatem antecedentem, et inefficacem salutis omnium. Ad hanc autem salvandam non est necesse, ut hoc ipso quod aliquis bene moraliter ex viribus pure naturalibus operetur, tribuat illi Deus infallibiliter primam gratiam, seu primum auxilium gratiæ; sed satis est ad hanc voluntatem, quam Deus ex animo habet salvandi omnes, quod de suo, et pure ob suam bonitatem ostendendam, et non attendendo ad prædicta opera, habeat voluntatem dandi auxilia sufficientia, quæ ad ordinem gratiæ pertinent. 26. Explodi tur id quod in favorem præcedentis effugii adducebatur

Et similiter tertium testimonium ex Matth. desumptum, non suadet intentum. Nam per talenta illa non significantur auxilia gratiæ, per quæ homo habet primo excitari ad actus bonos supernaturales, quod requirebatur ad intentum Molinæ suadendum; sed prædicta talenta, vel denotant gratias gratis datas, ut exponunt Origenes, Hieronym. et Chrysost. vel gratiam habitualem, ut vult D. Thom. 2, 2 q. 24 art. 3 ad primum, et in additionibus ad 3 p. q. 93 art. ad primum, et in hac significatione nomine virtutis non innuitur sola virtus naturalis, sed hæc simul cum conatu, quo ex auxilio gratiæ prævenientis disponit se homo ad infusionem gratiæ sanctificantis, juxta cujus conatus, seu actus supernaturalis mensuram, infunditur prædicta gratia, ut habetur in Trident. ses. 6 cap. 6. Origen. Hieron. Chrysost. D.Thom. Concil. Trident.

Ex quibus omnibus etiam fit (ut ita tacitæ cuidam interrogationi fiat satis) actus bonos moraliter, et ordinis pure naturalis non solum non esse causam meritoriam, vel dispositivam respectu primi auxilii gratiæ, ac proinde cujuscumque alterius doni supernaturalis, verum etiam non esse conditionem necessario requisitam, ad illa, et infallibiliter, 27. Corollarium.

infallibiliter, saltim per modum conditionis prædicta dona inferentis, ut intuenti ea, quæ in utraque assertione dicta sunt patebit.

Objectio. Thom. Nec refert si adversus hæc omnia objicias testimonium quoddam D. Thom. in 1 dist. 41 q. 1 art. 3 in corpor. et ad 1 et 2 necnon in 2 dist. 28 quæst. 1. art. 3, ubi, licet neget in operibus bonis ordinis pure naturalis meritum de congruo respectu primi auxilii gratiæ, admittit tamen quod disponant ad prædictum auxilium gratiæ, seu (quod in idem quoad præsens redit) ad primum effectum prædestinationis.

olutio. rnejo. Respondetur enim cum nostro Cornejo loco citato sanctum Doctorem seniorem, et doctiorem factum, mutasse sententiam, ut constat ex 1, 2 quæst. 109 art. 6.

§ VI.

Solutio argumentorum primæ sententiæ.

23. Ad 1 im:m. Ad primum respondetur interpretationem illius testimonii Joan. 1 in eodem argumento adductam, quamque innuit Molina, non colligi ex verbis Apostoli, sed ugust. eam ex professo impugnare Augustin. lib. 1 contra duas epistol. Pelagian. cap. 3 dum inquit : *Datur ergo potestas ut filii Dei fiant, qui credunt in eum, cum hoc ipsum detur ut credant in eum : quæ potestas nisi detur a Deo, nulla esse potest ex libero arbitrio.* Ubi, ut vides, potestas ista, ut homines fiant filii Dei, debet esse data, et donata a Deo, ac proinde ex auxilio gratiæ supernaturalis. Nam apud Scripturam, et Patres ea dicuntur esse donata, et data a Deo, et non ex libero arbitrio, quæ sunt dona gratiæ supernaturalis.

Ad imam ufir- atio- em. Ad primam confirmationem respondetur, testimonia illa intelligenda esse de iis, qui exercent actus bonos ibidem recensitos ex auxilio gratiæ. Et ad probationem in contrarium dicendum est, quod etsi absolute promittatur gratia prædictis actibus, debet intelligi de eis, quatenus fiunt ex prædicto auxilio propter testimonia, et rationes a nobis adductas.

Ad cun- am nfir- atio- em. Ad secundam confirmationem patet ex dictis, concedendam esse majorem, et negandam minorem. Nam Deus propter adjunctas alias circumstantias, de quibus supra, potest denegare prædictum auxilium.

29. Ad cun- um. Ad secundum respondetur ex D. Thom. loco ibidem adducto, quod in omnibus operibus Dei salvatur debitum justitiæ. Cæterum debitum hoc non est debitum justitiæ legalis, sed debitum condecentiæ, quatenus Deus operatur id, quod naturis rerum congruit, et suam decet bonitatem. Et ita justitia hæc in collatione primæ gratiæ prævenientis, seu primi auxilii gratiæ etiam servatur. Quia dum Deus illam confert, tunc misericorditer, et gratuito facit tam quod congruit prædictæ gratiæ, quam quod divinam decet bonitatem. Hinc tamen, ut constat, non fit talem gratiam cadere sub merito.

Ad primam confirmationem. Ad primam confirmationem negandum est, naturam dicere immediatum ordinem ad gratiam ut talem, per quem illam exigat, licet dicat potentiam obedientialem ad illam. Ex hoc autem non sequitur, actus ordinis naturalis ut tales mereri de congruo gratiam, aut disponere ad illam ; sed habere etiam potentiam obedientialem, ut eleventur, et imperentur ab auxilio gratiæ in ordine ad finem supernaturalem.

30. Ad secundam. Cornejo. Ad secundam confirmationem bene respondet noster Cornejo in præsenti disputatione unica, dubio quarto, mentem divi Thomæ non esse, quod gradus naturæ fuerit sufficiens, sive immediate propter propriam dignitatem, sive mediante dispositione habita propriis viribus, ut perfectiori Angelo in naturalibus, daretur perfectior gratia ; sed quod Deus pro sua libertate voluit commensurare gratiam, quam gratis dabat Angelis cum eorum perfectione essentiali in *esse* naturæ : ita ut illi, qui excedebant in natura, excederent similiter in gratia. Hoc autem non fuit sufficiens (ut dicamus) excessum in natura, fuisse dispositionem ad majorem gratiam.

31. Ad tertium. Ad tertium neganda est sequela quoad utrumque inconveniens. Et ad probationem illius quoad primum dicendum est, quod si fiat sermo de prima gratia præveniente prout est a Deo ut a causa efficienti, oportet ut cum pro hac nulla dispositio præsupponatur in nobis, ut ex dictis constat, quod solus Deus sit orandus. Nam propterea Trenorum quinto dicitur : *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur.* Si autem fiat sermo de dispositionibus ad gratiam justificantem, quæ in actibus supernaturalibus liberi arbitrii consistunt, et Deus est orandus, et homines sunt admonendi. Ille quidem ut det gratiam prævenientem ad tales actus : isti vero ut illam eliciant, et ne peccando ad gratiæ receptionem se impediant : quo pacto etiam admonentur homines credere, diligere, et pœnitere, quamvis isti

Trenor. 5.

actus non sint in solius liberi arbitrii facultate.

Adde, quod in quovis eventu sunt homines admonendi, ut saltim opera pure naturalia, et moraliter bona eliciant : sic enim mitigantur passiones, et malæ inclinationes, et disponitur homo ne peccet, ac proinde ad hoc ut removeat plura peccata, quæ demerentur, quantum est de se, collationem divinæ gratiæ, primique effectus prædestinationis. Quamvis cum hoc cohæreat, ut licet removeat plura prohibentia gratiam; non tamen disponatur ad illam, propter rationes dictas.

Ad probationem vero ejusdem sequelæ, quoad secundum inconveniens, dicendum est, quod natura intellectualis habet potentiam, activam remotam, et radicalem, quæ elevatur secundum legem ordinariam per auxilium gratiæ : et si elevata potest efficere dispositiones de lege ordinaria requisitas ad recipiendam gratiam justificantem. Cadaver autem nullam habet activam potentiam etiam radicalem ad efficiendum in se ipso dispositiones requisitas ad vitam corporalem : nec aliud agens naturale habet prædictam potentiam ad efficiendum in eodem cadavere tales dispositiones. Et insuper nulla causa creata secundum legem ordinariam supernaturaliter elevatur ad illas efficiendas : et propterea corporalis resurrectio est miraculosa, secus vero spiritualis.

32. Ad quartum. D.Thom. Ad quartum respondetur cum D. Thom. 1, 2 quæst 109 art. 6 ad secundum, maximam illam non esse intelligendam de faciente quod in se est viribus naturæ, ita ut sic ex se facienti tribuatur primum auxilium gratiæ; sed de faciente quod in se est ex auxilio supernaturali, et in ordine ad acquirendam gratiam habitualem, ita ut sit sensus : Deum non denegare gratiam istam facienti quod in se est ex auxilio gratiæ, quo illum excitat, et vocat ad conversionem.

Elucidatur. Potestque magis explicari sensus hujus axiomatis sic intellecti, si dicatur, quod facienti quod in se est ex divina motione supernaturali Deus infallibiliter dat gratiam illam, ad quam ordinatur talis motio. Et quia hæc est duplex : altera per quam homo perfecte, et efficaciter disponitur ad gratiam justificantem media contritione, et dilectione Dei super omnia; et altera per quam solum disponitur ad fidem, vel timorem supernaturalem, vel attritionem, quæ sunt imperfectæ dispositiones ad gratiam justificantem : propterea ex vi primæ motionis Deus infallibiliter dat facienti quod in se est gratiam justificantem. Quia sicut Deus statuit legem cum causis secundis fundatam in naturis ipsarum, ut posita ultima dispositione poneret cum illis formam, ita pepigit cum causis liberis, ut positis actibus contritionis, et dilectionis supernaturalis, statim daret gratiam. Quæ lex colligitur ex illo Zachariæ 1 : *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos ;* et Ezechielis 18 : *Si impius egerit pœnitentiam, vita vivet, et non morietur ;* et Joan. 14 : *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, etc.* Ex vi autem secundæ motionis Deus infallibiliter solum dabit actus illos, vel dona supernaturalia, ad quæ homo movetur, et excitatur per illam a Deo. Quæ explicatio etiam desumitur ex D. Thom. opusc. 61 cap. 17 et quæst. 14 de Veritate art. 11 ad primum. Zacha 1. Ezech 18. Joan. 1 D.Tho

33. Ad formam argumenti quoad primam probationem Unde ad formam argumenti neganda est minor. Et ad primam probationem in contrarium, dicendum est, puerum nutritum in silvis, vel quemcunque primo pervenientem ad usum rationis non esse infallibiliter justificandum ex eo quod præcise ex viribus naturæ faciat, quod in se est : bene tamen si hoc fecerit ex auxilio gratiæ. Nec D. Thom. oppositum docet loco ibidem relato : quia tantum docet, prædictum puerum statim justificari, si faciat totum quod in se est. Hoc autem ideo sanctus Doctor docet : quia ut ipse se explicat, loquitur de illo, qui vel per observantiam totius legis naturalis, vel per dilectionem perfectam, et absolutam convertit se in ultimum finem naturalem diligendo illum, modo statim dicendo, super omnia : quorum neutrum præstare potest homo in natura lapsa, sine auxilio gratiæ in sententia ejusdem divi Thomæ.

Ad secundam probationem Ex quo ad secundam probationem ejusdem minoris respondetur, quod dilectio illa naturalis, per quam facit homo quidquid potest, de quaque inquit divus Thomas esse præparationem ad gratiam, est dilectio Dei naturalis, imperata tamen a charitate. Nam tunc est in summo (ut ait idem S. Doctor) idest, in summo perfectionis, quem amor naturalis potest habere.

34. Adde, posse etiam responderi, divum Thomam loqui de dilectione Dei naturali objective, seu quoad objectum materiale, non vero de illa terminative quoad objectum formale terminandi, idest, loquitur de actu charitatis, quo Deus ut auctor naturæ

per

per modum objecti materialis diligitur, quamvis diligatur sub ratione terminativa formali, quæ sit supernaturalis. Cæterum hic actus est entitative supernaturalis : et de illo maxime verificatur id, quod ibidem docet D. Thom. nempe esse in summo perfectionis gradu. Quia re vera prædictus actus habet summum perfectionis gradum secundum speciem : ex eo quod auctor naturæ non potest amari actu perfectiori secundum speciem, quam actu charitatis supernaturali, quamvis prædictus actus ratione objecti materialis sit naturalis, seu quoad objectum materiale : quia terminatur ad Deum ut auctorem naturæ : et de hac dilectione isto modo naturali ait D. Thom. ut proxime innuebamus, esse præparationem ad gratiam.

Ad ultimam vero probationem respondetur ex dictis, D. Augustin. et Hieronym. esse intelligendos de iis, qui bene utuntur facultate suæ naturæ elevatæ per auxilium gratiæ. Nam isti hoc modo se disponunt ad gratiam habitualem, et sanctificantem.

Ad confirmationem vero ex testimoniis divi Chrysostomi desumptam, dicunt Arnobius in præfatione ad opera ipsius Chrysostom., Molina in concordia disp. 10 et 11, Vazquez in præsenti disputatione 91 cap. 8, sanctum Doctorem Semipelagianis adhæsisse, ex illoque Cassianum suam sententiam, quam docuit collatione 13 desumpsisse. Cæterum Sixtus Senensis lib. 5 Bibliothecæ annotatione 101, Suarez lib. 2 de prædestinatione cap. 8 sentiunt Chrysostomum in prædicto errore non fuisse; et merito sane, quod quidem ex tribus colligi potest.

Primo. Quia in aliis locis nostram sententiam expresse docet. Quoniam homilia 6 super capit. 3 epistol. secundæ ad Corinth. explicans illud Apostol. : *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, etc.*, sic ait : *Non ita dixi fiduciam habemus, tanquam aliud nostrum sit, aliud Dei : sed totum illud Deo adscribo, etc.*, quod etiam in eadem homilia repetit ; et homilia 12 primæ ad Corinth. super illud : *Quid habes quod non accepisti ?* inquit : Omnia merita hominis, et fidem, et in universum omnia, quæ homo habet esse ex gratia Dei. Et ita inquit : *Nihil enim habes domo allatum, sed a Deo acceptum. Quid ergo te habere præ te fers, quod non habes? at tu hoc habes, et alii tecum. Acceptum ergo habes, non hoc aut illud, sed omnia quæ habes. Non enim tua sunt hæc recte facta, sed Dei gratiæ. Etiam si fidem dicas, ea extitit ex vocatione : et si dicas remissionem peccatorum, si dona ac charismata, si docendi rationem, omnia inde accepisti. Quid ergo habes quod non habes acceptum? at ipse ex te ipso recte egisti. Non potest hoc dicere, sed accepisti : et propterea te effers, et tibi places? etc.*

Secundo. Quia in Concilio Palestino (ubi ex professo fuit contra Pelagianos, præbentes initium gratiæ ex operibus naturæ, opposita sententia diffinita, et simul, ut refert August. epist. 106 actum etiam est contra errorem jam insinuatum Semipelagianorum, antequam esset exortus : quia in veritatibus ibi diffinitis, virtute anathematizatus fuit) nulla fit mentio, aut correctio doctrinæ Chrysostomi. Quam tamen verisimile est faciendam fuisse, utpote cum Chrysostomus clarus Doctor non multo ante extitisset. Concil. Palest.

Tertio. Quia nunquam Pelagiani, aut Semipelagiani illum pro sua sententia adduxerunt, sicut attulerunt Cassianum.

Quare dicendum est, quod sicut alii Patres, qui similibus verbis utuntur, ut D. Hieronym. loco citato, divus Hilarius super Psalm. 118 in bono sensu explicandi sunt, et de facto explicantur a Vazquez ubi supra, ita divus Chrysostomus debet eodem modo in locis in hac confirmatione adductis exponi : et dici, quod cum ibidem ageret contra Manichæos, affirmantes humanam libertatem tolli per gratiam, propterea affirmat homines libere gratiæ Dei prævenienti cooperari, ibique humanam libertatem commendat : ita tamen ut cum inquit, Deum expectare ut nos incipiamus, et postea adjungere dona sua, loquatur de inceptione ex parte voluntatis nostræ elevatæ per auxilium gratiæ, verbi gratia, ad fidem, et de aliis donis postea subsecutis, ut de justificatione, et donis supernaturalibus ei annexis. Unde D. Augustin. pluribus in locis, ut lib. de natura et gratia cap. 64 et lib. 1 contra Julianum cap. 6 et 7, lib. 2 cap. 6 inquit, Chrysostomum eo tempore secure fuisse locutum in Ecclesia Catholica, quia Pelagiani nondum erant exorti, et a Catholicis recte intelligebatur. 36. Vera solutio. Hieron. Hilar. Chrysost. August.

DUBIUM II.

Utrum opera facta ex gratia sint causa meritoria , vel dispositiva primi effectus prædestinationis, vel saltim prævisio ejus sit conditio ad illum prærequisita?

Tituli hujus dubii intelligentia satis 37.

constat ex iis, quæ pro præcedenti adduximus : et ideo in ejus explicatione immorari supervacaneum esset.

§ I.

Proponitur duplex sententia.

Prima sententia. Prima sententia, quæ magis est ad rem (omissis aliis, quæ in scholis jam nunc non circumferuntur) distinguit duo in operibus a gratia procedentibus : primum est influxus ipsius gratiæ ; secundum vero cooperatio liberi arbitrii. Et de primo inquit esse effectum gratiæ, et prædestinationis : de secundo vero esse rationem, et causam primi effectus prædestinationis, necnon et ipsius prædestinationis secundum suam terminationem consideratæ, quatenus ideo terminatur ad aliquem, quia prævidit illum bene usurum auxiliis gratiæ. Ita Alens. 1 p. q. 28 art. 3 memb. 3, Baconius in 1 dist. 41 quæst. 1 artic. 2, et Henric. quodlib. 6 quæst. 19.

Alens. Bacon. Henric.

Primum fundamentum. Probatur primo. Quoniam propter opera supernaturalia subsecuta post gratiam potest anticipata solutione tribui ipsa gratia, et primum auxilium gratiæ : ergo talia opera erunt causa meritoria, et per consequens etiam dispositiva illius. Hæc secunda consequentia patet ex prima. Quoniam id, quod habet condignitatem meriti respectu præmii recepti in ipso merente, simulque cum eodem præmio in illo recipitur, non solum est causa meritoria, sed etiam dispositiva respectu illius. Prima vero consequentia ex antecedenti constat. Antecedens autem liquet. Nam sicut nihil obest, quod detur denarius mercenario in mercedem operis futuri anticipata solutione, ita etiam nihil oberit, quod detur gratia, anticipata solutione propter opera supernaturalia ad ipsam subsecuta tanquam propter opera meritoria illius.

38. Evasio. D.Thom. Nec refert si occurras ex D. Thom. 1, 2 q. 114 art. 5 ad tertium, quod denarius non est principium operis, quo mercenarius postea illud meretur, secus autem gratia respectu operis supernaturalis : et ita denarius potest cadere sub merito operis subsecuti, non vero ipsa gratia respectu prædicti operis supernaturalis, juxta commune illud axioma, nempe, quod principium meriti non cadit sub merito.

Rejicitur primo. Nam contra hoc est. Tum quod nihil obest, quod militi tribuantur arma, et equus ad pugnandum, ita ut bono usu eorum compensetur illorum pretium et valor, ac proinde propter opera, quæ ipsis mediantibus patraturus est in bello : ergo bene poterit aliquid dari in præmium operis futuri, licet res data in præmium sit principium prædicti operis. Tum etiam : quia potest quis vendere vineam propter fructus percipiendos ex eadem vinea, in quibus nulla intercedat industria emptoris. Tum denique : quia etsi gratia sit principium operis meritorii, potest cadere sub merito operum subsequentium : ex eo quod in diverso genere causæ concurrunt. Nam gratia influit ad opera ut causa physica efficiens : opera vero concurrunt ad collationem gratiæ in genere causæ moralis et meritoriæ. Sicut quia causa materialis, et formalis concurrunt in diverso genere causæ, possunt sibi invicem esse causæ. Et similiter quia causa materialis receptiva, et causa materialis dispositiva sunt diversæ species causæ materialis, propterea nihil obest ut ad invicem sint causæ. Et ita calor disponens ad formam ignis recipitur in materia tanquam in subjecto *quo*, ac proinde pendet ab illa in genere causæ materialis pure receptivæ, et disponit eam in ordine ad formam ignis : et per consequens materia pendet ab eo ut a causa materiali dispositiva.

Secundo principaliter eadem sententia suadetur, et simul confirmatur præcedens argumentum. Nam Christus Dominus per opera subsecuta ad Incarnationem meruit illam, seu unionem hypostaticam, juxta illud Apocalyps. 5 : *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem* : ergo eadem ratione poterit quivis justus mereri suam primam gratiam, quæ est primus effectus suæ prædestinationis. Patet consequentia. Quoniam unio hypostatica est primus effectus prædestinationis Christi Domini, et principium meriti, et valoris suorum operum : ergo si hæc potest cadere sub merito operum subsequentium, nihil obest quominus primus effectus prædestinationis in nobis, nempe prima gratia, cadat sub merito operum supernaturalium, quæ ad illam subsequuntur, ab eaque procedunt.

Ultimo. Quoniam meritum solum influit per modum causæ moralis, solumque petit quod existat in intentione, et eo proportionali modo, quo existit finis : ergo poterit influere in præmium, quamvis non sit realiter, et physice existens, sed tantum in intentione : ergo opera subsecuta ad gratiam, licet

licet sint futura, dummodo sint prævisa, et existant in intentione Dei, poterunt esse causa meritoria ejusdem gratiæ, a qua procedunt. Hæc secunda consequentia patet ex prima; necnon ex eo quod ideo finis potest esse causa mediorum, a quibus physice, et in executione causatur, quia ipse influit, et causat media ut est in intentione, et causatur a mediis in executione. Prima vero consequentia ex antecedenti liquet. Quia quod tantum prærequirit existentiam in intentione, potest influere antequam physice, et in executione existat : alioqui non requireret existentiam tantumodo in intentione.

Antecedens autem probatur. Quoniam causa meritoria tantum influit movendo, et excitando eum, qui largiturus est præmium, ad hoc ut illud largiatur intuitu meriti : sed ad hunc modum influendi satis est, quod influat per modum causæ moralis, habeatque solam existentiam in intentione eo proportionali modo, quo finis eam habet.

Confirmatur. Quoniam ideo gratia antiquorum Patrum potuit cadere sub meritis Christi, quia etsi prædicta merita non existant in se ipsis, existunt tamen in intentione Dei, et existentia intentionali, ad eum modum, quo finis existit : ergo signum est, quod ad rationem causæ meritoriæ, sufficit quod existat per hanc existentiam : ac proinde opera futura, prævisa tamen, poterunt esse causa meritoria primi auxilii gratiæ, quod ad ipsa antecedit.

Secunda sententia etiam distinguit in actu supernaturali duo illa, quæ præcedens sententia distinguebat, nimirum prædictum actum ut est a gratia, et ut est cooperatio liberi arbitrii, seu ut ab illo pendet. Et de primo inquit, esse effectum prædestinationis; de secundo vero asserit, non esse effectum prædestinationis, sed conditionem antecedentem, et requisitam ad hoc ut prædestinatio habeat rationem prædestinationis : ac proinde ad hoc ut primus effectus ejusdem prædestinationis habeat rationem effectus, illius quatenus talis : eo quod Deus non aliter, quam dependenter a prævisione hujus cooperationis tanquam conditionis, prius absolute et simpliciter visæ per scientiam mediam, potest aliquem prædestinare : et per consequens non nisi præcedente hac prævisione possunt dari effectus talis prædestinationis. Ita Molina in præsenti disput. 1 membro 6 et 11 et Valentia § *Secunda propositio*, dum ait, hujusmodi prævisionem esse conditionem, sine qua non esset decretum dandi gloriam prædestinato. Valentia.

Ad quam etiam sententiam tenendam, inquit Gonzalez in hoc articulo disput. 74 sectione 3 omnes alios professores scientiæ mediæ esse obstrictos. Et rationem reddit. Quoniam ideo prædictam scientiam adstruunt, quia credunt Deum salva libertate nostri arbitrii non posse absolute, et efficaciter decernere dare nobis gloriam, bona opera, et perseverantiam in illis usque in finem, nisi ex præscientia nostri futuri consensus, ita ut hæc non pendeat a prædestinatione, bene tamen e contra : et per consequens consensus iste, saltim ut a nobis est, non erit effectus prædestinationis, et gratiæ efficacis, seu congruæ in quantum hujusmodi : quia alias non posset præsupponi ut conditio ad hoc ut decretum illud haberet rationem electionis efficacis ad gloriam. Nam effectus alicujus causæ implicat, ut præsupponatur ut conditio prærequisita ad hoc ut sit talis causa : atque adeo prædicta cooperatio prævisa, quippe quæ non est effectus prædestinationis, et ad illam indispensabiliter prærequiritur, influet per modum conditionis in omnes effectus prædestinationis etiam primi. Idem tueri tenentur sectatores scientiæ mediæ teste Gonzalez.

Sententia hæc pluribus posset suaderi argumentis, quæ tam in hoc tractatu disput. 8 et disput. 9 quam in tractatu de Scientia Dei art. 13 in pluribus ex illis disputationibus adduximus. Ex eis autem hoc unum ex Molina selegimus, nimirum, quod cum æqualibus auxiliis, cum quibus unus consentit Deo vocanti, justificatur et salvatur; alius pro sua libertate nec consentit, nec justificatur, nec salutem æternam acquirit, ut patet exemplo Tyriorum et Sidoniorum de quibus dixit Christus Dominus : *Væ tibi, Corozaim, væ tibi, Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere, et cilicio pœnitentiam egissent* : idest, cum eisdem virtutibus, et auxiliis cum quibus illi pœnitentiam non egerunt. Unde pro certo habendum est (subdit Molina) plures torqueri in inferno, qui majora auxilia a Deo receperunt, quam alii qui beatitudine perfruuntur : ergo quod prædicta auxilia gratiæ, et etiam primum ejusdem gratiæ auxilium fuerit efficax, et potuerit dari a Deo ut congruum, pendet ex prævisione cooperationis liberi arbitrii tanquam ex conditione prærequisita : ergo 42. Fundamentum. Matth. 11.

talis cooperatio sic prævisa influet per modum conditionis prærequisitæ, tam ad omnes effectus prædestinationis etiam primum, quam ad hoc ut prædestinatio habeat rationem prædestinationis. Prima consequentia ex antecedenti patere videtur. Secunda vero ex antecedenti, et prima consequentia.

Nam quod est conditio prærequisita, et antecedens, ad hoc ut auxilia Dei sint efficacia, et possint dari a Deo ut gratiæ congruæ, est eodem modo conditio prærequisita et antecedens, ad hoc ut prædestinatio habeat rationem prædestinationis; siquidem prædestinatio non potest habere rationem talis, nisi provideat de prædictis auxiliis, et gratiis congruis : et quod est conditio prærequisita ad hoc ut prædestinatio habeat rationem prædestinationis, erit etiam conditio prærequisita, et influens per modum talis in omnes effectus prædestinationis etiam primum : ergo si actus supernaturales prout sunt a libero arbitrio, seu cooperatio ejusdem liberi arbitrii ut prævisa, est conditio prærequisita, et antecedens, ad hoc ut auxilia gratiæ, ac proinde etiam primum ejusdem gratiæ auxilium sint efficacia, et dentur a Deo per modum auxilii, et gratiæ congruæ, etiam erunt eodem modo conditio, et ut tales influent in omnes effectus prædestinationis etiam primum, necnon in hoc quod prædestinatio habeat rationem prædestinationis.

§ II.

Ex mente D. Thomæ dubii difficultas expeditur.

43. Prima conclusio. Dicendum tamen est primo, opera supernaturalia, adhuc prout procedunt a libero arbitrio, non esse causam meritoriam, ac dispositivam primi effectus prædestinationis. Assertio hæc est expressa D. Thom. in hoc art. ubi loquens etiam de actibus supernaturalibus, ut sunt a nostro libero arbitrio, ut ex contextu constat, sic ait : *Dicendum est ergo, quod effectum prædestinationis considerare possumus dupliciter. Uno modo in particulari, et sic nihil prohibet aliquem effectum prædestinationis esse causam, et rationem alterius. Posteriorem quidem prioris secundum rationem causæ finalis, priorem vero posterioris secundum rationem causæ meritoriæ. Quæ reducitur ad dispositionem materiæ. Sicut si dicamus quod Deus præordinavit se daturum alicui gloriam ex meritis, et quod præordinavit se daturum alicui gratiam ut mereretur gloriam. Alio modo potest considerari prædestinationis effectus in communi. Et sic impossibile est quod totus prædestinationis effectus in communi habeat aliquam causam ex parte nostra.*

D.Thom.

Ubi, ut vides, licet respectu alicujus, vel aliquorum effectuum in particulari concedat sanctus Doctor posse dari causam ex parte nostra; non tamen totius effectus prædestinationis in communi, idest, totius seriei omnium effectuum, ac proinde etiam primi. Utitur autem sanctus Doctor ad totam hanc seriem effectuum explicandam nomine totius effectus prædestinationis in communi, ex eo quod prædicta series ambit omnes effectus etiam primum prædestinationis nullo dempto : sicut ratio communis (proportione tamen servata) ambit sub se omnia inferiora.

Idem etiam docuit sanctus Doctor super cap. 1 ad Ephes. lect. 1 ut dub. præcedenti retulimus, necnon et in pluribus aliis locis quos artic. 4 adduximus. Augustinus lib. de Prædestinatione Sanct. cap. 2 et lib. de Dono persever. cap. 13. Eamdem assertionem etiam docent commentatores D. Thom. hîc, Zumel, Bannez, Nazarius, Gonzalez, et Suarez lib. 2 de prædestinatione cap. 20 qui hoc adeo certum existimant, ut oppositum omnino rejiciendum esse dicant. Quod etiam plures alii tuentur.

Assertio hæc quoad primam ejus partem, nempe quoad causam meritoriam, probatur ratione illa desumpta ex Paulo, et Patribus, quam dubio præcedenti adduximus, nempe quod si primum auxilium gratiæ, quod est effectus prædestinationis, caderet sub merito operis supernaturalis, prout tale opus est a libero arbitrio, ita ut saltim anticipata solutione daretur propter illud tanquam propter causam meritoriam, tunc jam auxilium illud gratiæ non esset gratia, nec gratis omnino daretur, siquidem tribueretur in remunerationem operis futuri, cujus oppositum loco citato latius ostendimus.

Secundo probatur assertio quoad eamdem partem ratione D. Thom. in hoc art. quam latius disp. 9 num. 100 hujus tract. prosecuti sumus. Quoniam quivis actus supernaturalis etiam prout a nostro libero arbitrio, est effectus gratiæ et prædestinationis, ut loco citato ostendimus : ergo repugnat quod prædicta cooperatio nostri

arbitrii

arbitrii sit causa meritoria omnium effectuum prædestinationis, ac proinde etiam primi : quandoquidem si esset causa meritoria omnium effectuum prædestinationis, et per consequens etiam primi, esset etiam causa meritoria sui ipsius : siquidem ipsa inter prædictos effectus connumeratur, quod quidem apertam involvit contradictionem.

46. Eadem assertio quoad secundam partem probatur.

Secunda vero assertionis pars, nempe quod prædicta cooperatio arbitrii non sit causa dispositiva primi effectus prædestinationis, ac proinde nec totius seriei effectuum ex illa procedentium, præterquam quod ex iis, quæ pro præcedenti parte ejusdem assertionis diximus, satis colligitur, potest etiam probari ratione, quam innuit D. Thom. 1, 2 quæst. 113 art. 8 quæ potest sub hac forma proponi. Quoniam primus effectus prædestinationis non est utcumque primum donum gratiæ, sed illud prout a Deo auctore supernaturali procedit : ita ut licet hoc ipsum donum aliquando intrinsece recipiatur in ipso prædestinato; nihilominus prius est quod a Deo oriatur, quam quod recipiatur : et secundum priorem illam rationem est effectus prædestinationis, imo et primus ejusdem prædestinationis effectus : at secundum hanc rationem priorem non habet aliquam dispositionem : quia dispositio tenet se ex parte recipientis, et ad munus recipiendi requiritur, non ex parte agentis, nec est desiderata ad prædictum donum ut a Deo procedit : ergo primus effectus prædestinationis non dependet a cooperatione liberi arbitrii ut a causa dispositiva.

D.Thom.

47. Confirmatur.

Confirmatur. Quoniam etsi auxilium efficax, physicum, et supernaturale, quod tribuitur voluntati, sit causa efficiens actus supernaturalis, et simul talis actus habeat rationem dispositionis respectu illius, ut multi satis probabiliter existimant, de quoque supra disp. 9 num. 81 aliquid tetigimus; nihilominus hoc ipsum de prima vocatione, seu de primo auxilio morali non est dicendum. Ex eo quod tale auxilium est primus effectus prædestinationis : et ita hoc ipso quod primus, non pendet ab alio effectu priori, qualis debet esse omnis dispositio supernaturalis, cum effectu, et efficaciter conducens ad finem vitæ æternæ. Propter quod dixit Augustin. quod licet homo tribueret sibi ut adjuto per gratiam, quod vocatus venerit ad fidem, et crederet; non tamen sibi potest tribuere, quod fuerit vocatus.

August.

Ex quo inferendum, et dicendum est secundo, actum supernaturalem prout est a libero arbitrio, seu bonam cooperationem ejusdem arbitrii prævisam ut futuram, non esse conditionem prærequisitam, et antecedentem, seu absolute, et simpliciter priorem, ac proinde nec hoc modo influere in primum effectum prædestinationis. Assertio hæc ex præcedenti, et ex iis, quæ supra diximus, satis constat. Et ita eam, sicut et præcedentem docuit August. in lib. de Prædestinatione sanctorum cap. 3 et cap. 15 ubi ait, quod prædestinatio Christi est exemplar prædestinationis nostræ, et quod sicut exemplar prædestinationis nostræ Christus Dominus sine ullis meritis prædestinatus est, ut sit filius Dei in virtute, ita nos prædestinamur, ut simus filii Dei in hac vita et futura : et per consequens nec nostra prædestinatio quoad suum primum effectum pendebit tanquam a conditione antecedenti, et prævisa ante illum, ab operatione arbitrii, quamvis quoad aliquos effectus posteriores possit ab eadem cooperatione facta mediante auxilio gratiæ pendere. Quemadmodum primus effectus prædestinationis Christi Domini, nempe unio hypostatica, non habuit dependentiam in Christo a cooperatione sui liberi arbitrii, tanquam a conditione prærequisita et antecedenti, licet aliquis effectus suæ prædestinationis, qualis est gloria corporis, habuerit dependentiam a prædicta cooperatione, imo et fuerit effectus illius in genere causæ meritoriæ.

43. Posterior conclusio.

Eamdem etiam assertionem una cum præcedenti docuerunt Prosper, et Hilarius in epistola ad August. quæ habetur tomo 7, August. ubi etiam referunt quosdam Gallos non admisisse sententiam August. dicentis hominem non prædestinari propter merita futura. Et ut refert Prosper contra Collatorem Cœlestinus Papa hanc August. sententiam approbavit. Et tandem hoc ipsum tuetur divus Thomas in omnibus locis, in quibus docet efficaciam divinæ voluntatis non pendere a cooperatione liberi arbitrii, licet eam efficaciter, et infallibiliter inferat, quos in tract. de Voluntate Dei disp. 10 num. 36 adduximus. Unde sanctum Doctorem communiter sequuntur ejus discipuli.

Prosper. Hilar. Cœlestinus. D.Thom.

Ratio autem fundamentalis hujus assertionis, est illamet, quam pro præcedenti adduximus, ad hanc tamen formam redacta. Quia actus supernaturalis prout a libero arbitrio, est effectus prædestinationis,

40. Ratio assertionis.

ut loco citato ostendimus : ergo præsupponit primum auxilium gratiæ, mediante quo elicitur, quodque est effectus prædestinationis prior eodem actu supernaturali : ergo ille actus prout a libero arbitrio, nequit in executione præcedere primum auxilium gratiæ, quod est primus effectus prædestinationis, nec prævideri ut futurus ante illud per antecessionem jam dictam : et ita nec poterit influere per modum conditionis prærequisitæ, et modo dicto antecedentis, priusque prævisæ ut futuræ respectu primi effectus prædestinationis.

Prima consequentia ex antecedenti constat. Quoniam quicumque effectus præsupponit suam causam. Secunda vero consequentia quoad priorem partem ex prima consequentia liquet. Quia cum cooperatio illa liberi arbitrii pendeat tanquam a causa, a primo auxilio gratiæ, nequibit in executione præcedere prædictum auxilium, quod, ut diximus, est primus effectus prædestinationis, nec prævideri ut futura ante illud. Maxime quia in universum effectus alicujus causæ non potest esse conditio prævia, et antecedens simpliciter in executione respectu suæ causæ, a qua in aliquo genere causæ efficientis pendet, nec prævideri ut futurus ante eam : siquidem nihil potest prævideri ut futurum ante suam causam. Ex quo etiam eadem secunda consequentia quoad secundam partem patet. Quoniam quod prædicta cooperatio possit influere per modum conditionis prærequisitæ, et antecedentis prius visæ, præsupponit quod sit conditio antecedens, et prius visa ut futura.

50. Confirmatur primo. Confirmatur primo destruendo fundamentum oppositæ sententiæ, nempe quod prædicta cooperatio arbitrii prævisa ut futura, sit conditio indispensabilis, et prærequisita, ad hoc ut providentia generalis habeat rationem prædestinationis : ita ut si non præsupponatur sic prævisa, tunc prædestinatio non manet sub ratione prædestinationis, sed solum sub conceptu, et ratione providentiæ generalis. Nam ut ad Rom. 9. Roman. 9 dicitur : *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* Quæ verba August. expendens August. in Enchir. ait, non fuisse dicta quasi non desideretur voluntas hominis, et ejus operatio; sed quia licet hæc requiratur, est tamen effectus Dei miserentis, et applicantis voluntatem hominis ad volendum, et tribuentis ipsum *velle* : et propterea totum tribuitur misericordiæ Dei, et non dicitur quod a voluntate, et concursu hominis dependet, ut Deus misereatur illius : ergo eodem modo licet prædestinatio hominis non sit sine libera cooperatione illius, non est dicendum ex ea pendere quod providentia supernaturalis Dei sit prædestinatio : quia ex ipsa efficacia, quam ex se habet prædestinatio, provenit actualis cooperatio voluntatis. Et ideo quia efficacia causæ supponitur ab ipsius effectus; et illam esse efficacem non provenit ab effectu ipso, propterea nequit dici, quod a cooperatione arbitrii, quæ est effectus prædestinationis, proveniat illam esse non generalem providentiam, sed prædestinationem efficacem.

51 Confirmat secun Confirmatur secundo. Tum ex omnibus illis, quæ in tract. de Scientia Dei art. 13 per omnes illas disputationes contra scientiam mediam, et prævisionem futurorum contingentium ante decretum efficax divinæ voluntatis adduximus. Tum etiam ex iis, quæ sæpius in hoc tract. diximus, nempe quod prædestinatio refertur in solam voluntatem Dei ostendentem divitias misericordiæ suæ : et quod homo justus non se discernit a reprobis, neque in negotio suæ salutis possit in se gloriari : et quod insolubilis sit quæstio Pauli, quare Deus prædestinet Jacob, et reprobet Esaü. Quoniam si cooperatio liberi arbitrii in actibus supernaturalibus non est effectus gratiæ, et prædestinationis, sed potius influit per modum conditionis prærequisitæ, et antecedentis ad primum effectum prædestinationis, ac proinde ad cæteros alios, necnon et ad hoc quod providentia supernaturalis Dei habeat rationem prædestinationis, tunc ut intuenti constabit, non esset negotium hoc prædestinationis referendum in solam Dei voluntatem : et justus discerneret se a reprobis, haberetque aliquid de quo gloriaretur : ac tandem quæstio Pauli esset ex vi hujus cooperationis, et boni usus solubilis.

§ III.

Diluuntur argumenta utriusque sententiæ initio adducta.

5 Ad prim quo prim prob tione Ad primum primæ bene respondetur ibidem. Et ad primam impugnationem in contrarium, dicendum est, quod in eventu ibidem dicto miles non mereretur arma, et equum ex vi laboris et pugnæ, prout procedit suo modo ab armis et equo : sed eodem labore prout procedit ab industria, et robore ejusdem militis : nam arma, et equus

equus non sunt causa illius industriæ, nec pugnæ prout ab eadem industria : et ita principium meriti non cadit sub merito. Cæterum gratia ita est principium merendi supernaturaliter, ut virtus naturalis arbitrii nullam habeat vim proximam ad supernaturaliter merendum : et ideo si prædicta gratia tribueretur propter opera futura supernaturalia, principium meriti caderet sub merito.

53. Ad secundam probationem. Ad secundam vero probationem respondetur, quod licet vere vendatur vinea pro fructibus futuris ex industria ipsius emptoris ; minime tamen pro fructibus seclusa industria. Quia isti sunt partes ipsius rei, quæ datur : res autem vendi non potest proprie pro parte sui tanquam pro pretio : sicut nequit vendi pallium pro dimidio ejusdem pallii : sed illa venditio, quæ nomine tenus, esset talis, potius haberet rationem donationis, saltim dimidiæ partis ejusdem pallii.

54. Ad tertiam probationem. Ad tertiam probationem respondetur, quod etsi gratia sit principium operis meritorii in genere causæ efficientis physicæ : et causa meritoria sit causa in diverso genere causæ, nempe in genere causæ moralis meritoriæ ; nihilominus non ob id actus supernaturalis subsecutus post gratiam, poterit esse causa meritoria gratiæ, a qua elicitur. Quia tam causa meritoria, quam causa efficiens physica habent rationem causæ efficientis (quamvis meritoria soleat ad causam dispositivam, ac proinde materialem, reduci, quatenus per meritum disponit se merens ad præmium) at de ratione causæ efficientis, quæcumque illa sit, debet esse ut sit absolute, et simpliciter prior, quam suus effectus. Et ita si principium meriti caderet sub merito, consequens esset, ut gratia esset, et non esset prior absolute, et simpliciter, quam suus effectus, nempe quam opera supernaturalia, et e converso, quod tamen repugnat, ut statim magis explicabimus.

55. Explicatur. Explicatur hoc. Etenim ideo aliquid potest esse prius ; et posterius alio in diverso genere causæ, v. g. in genere causæ finalis, et efficientis, quia quod est prius alio in genere causæ finalis, est absolute et simpliciter prius, collatum cum illo, a quo pendet, et causatur in genere causæ efficientis ; non tamen e contra. Et similiter ideo materia, et forma possunt in diverso genere causæ, scilicet in genere causæ materialis, et formalis, esse ad invicem priores, quia facta collatione inter causam materialem et formalem, ut talem, tunc absolute, et simpliciter est prior causa materialis, quam formalis, ut optime docet nostrum Collegium Complut. in lib. Physic. disp. 15 n. 15. Et similiter ideo causa materialis pure receptiva potest esse prior in genere causæ materialis receptivæ, quam sua dispositio : et simul dispositio, qua disponitur, potest esse prior in genere causæ materialis dispositivæ, quam causa materialis receptiva, quia facta comparatione inter utramque speciem causæ materialis, tunc absolute, et simpliciter loquendo prius est causa materialis receptiva, quam dispositiva. Quare cum causa efficiens debeat esse simpliciter prior, quam suus effectus, ut inductive in aliis causis efficientibus, sive physicis, sive moralibus, ut in actu peccati moraliter efficienter causante, et conservante peccatum habituale constat : propterea in his diversis generibus causæ efficientis, in quibus unaquæque illarum est in suo ordine causa principalis, nequit esse mutua prioritas, ut dictum est. Sed de hoc iterum solutione ad ultimum pro hac sententia adductum agemus, dum tetigerimus id, quod supra latius dictum est, nempe quomodode ratione primi auxilii gratiæ sit dari omnino gratis : nam ex hoc satis manet præcedens argumentum solutum. Complut.

56. Ad secundum. Ad secundum negandum est antecedens. Et ad probationem dicendum est, quod sensus illius testimonii non est, Christum meruisse unionem personalem Verbi ad suam humanitatem, sed tantum quod hæc innotesceret ; suumque nomen, quod est super omne nomen, exaltaretur.

57. Ad ultim. Ad ultimum respondetur, ex eo ad summum colligi non esse universaliter contra rationem causæ meritoriæ moraliter influentis, quod causet antequam sit in executione secundum suam realem existentiam ; non tamen quando vel bonum quod dandum est, habet talem conditionem, ut petat dari omnino gratis, ut ex se constat, et in præsenti contingit : siquidem ut num. 47 dicebamus, de ratione primæ gratiæ, seu primi auxilii ejusdem gratiæ est, ut detur omnino gratis, vel quando prædictum bonum est principium meriti, ut etiam quoad præsens accidit. Nam tunc prædictum opus bonum, quantumvis detur esse prius in intentione, nequibit rationem causæ meritoriæ habere respectu illius rei, quæ vel petit dari omnino gratis, vel habet rationem principii respectu prædicti operis boni.

58. Ad confirmationem.

Ad confirmationem respondetur concedendo (juxta ea tamen quæ num. præced. dicebamus) antecedens, et primam consequentiam. Et deinde neganda est secunda consequentia. Et ratio disparitatis est jam tacta, nimirum quod gratia antiquorum Patrum non fuit principium elicitivum meritorum Christi, sicut auxilia gratiæ nostræ sunt principium nostrorum meritorum, nec exigit ut detur omnino gratis in collatione ad Christum Dominum, sicut eadem gratia respectu eorumdem Patrum id in sensu a num. 14 usque num. 19 explicato postulat.

Ad fundamentum secundæ sententiæ constat ex illis, quæ in tract. 3 disputat. 10 dubio 2 diximus.

1 dist. 40 q. 3 art. un. ot 5. quol. q. 1 a. 2 et 11 quol a.3 et 12 quol. ar. 3 et ver. q. 6 ar.3 et 5, et ad Hebræos 12 l. 4 col. 1 line.

ARTICULUS VI.

Utrum prædestinatio sit certa?

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod prædestinatio non sit certa : quia super illud Apocal. 3 cap. : Tene quod habes ne alius accipiat coronam tuam, dicit Aug. * quod alius non est accepturus, nisi iste perdiderit. Potest ergo, et acquiri, et perdi corona, quæ est prædestinationis effectus : non est igitur prædestinatio certa.

2 Præterea, posito possibili nullum sequitur impossibile. Possibile est autem aliquem prædestinatum (ut Petrum) peccare, et tunc occidi. Hoc autem posito, sequitur prædestinationis effectum frustrari : hoc igitur non est impossibile. Non ergo est prædestinatio certa.

* Lib. de cor. et grat. c. 13 tom. 7.

3 Præterea, quidquid Deus potuit, potest : sed potuit non prædestinare quem prædestinavit : ergo nunc potest non prædestinare : ergo prædestinatio non est certa.

Sed contra est, quod super illud Roman. 8 : Quos præscivit, hos et prædestinavit, etc. dicit glos. : Prædestinatio ✝ est præscientia, et præparatio beneficiorum Dei, qua certissime liberantur quincumque liberantur.

✝ Sumitur ex Aug. lib. de Dono persev. cap. 14. tom. 7.

Respondeo dicendum, quod prædestinatio certissime, et infallibiliter consequitur suum effectum, nec tamen imponit necessitatem, ut scilicet effectus ejus ex necessitate proveniat. Dictum est enim * supra, quod prædestinatio est pars providentiæ. Sed non omnia quæ providentiæ subduntur, necessaria sunt; sed quædam contingenter eveniunt secundum conditionem causarum proximarum, quas ad tales effectus divina providentia ordinavit. Et tamen providentiæ ordo est infallibilis, ut supra ostensum ✝ est. Sic igitur, et ordo prædestinationis est certus, et tamen libertas arbitrii non tollitur, ex qua contingenter provenit prædestinationis effectus.

* Art. 1. hujus q.

✝ Q. 22 a. 4.

* Q. 14 a. 13, et q. 19 a. 4.

Ad hoc etiam consideranda sunt quæ supra dicta * sunt de divina scientia, et de divina voluntate, quæ contingentiam a rebus non tollunt, licet certissima et infallibilia sint.

Ad primum ergo dicendum, quod corona dicitur esse alicujus dupliciter. Uno modo ex prædestinatione divina, et sic nullus coronam suam amittit. Alio modo ex merito gratiæ. Quod enim meremur quodammodo nostrum est, et sic suam coronam aliquis amittere potest per peccatum mortale sequens. Alius autem illam coronam amissam accipit in quantum loco ejus subrogatur : non enim permittit Deus aliquos cadere, quin alios erigat, secundum illud Job 34 : Conteret multos, et innumerabiles, et stare facit alios pro eis. Sic enim in locum Angelorum cadentium substituti sunt homines : et in locum Judæorum Gentiles. Substitutus autem in statum gratiæ etiam quantum ad hoc coronam cadentis accipit, quod de bonis, quæ alius fecit in æterna vita gaudebit, in qua unusquisque gaudebit de bonis, tam a se, quam ab aliis factis.

Ad secundum dicendum, quod licet sit possibile eum, qui est prædestinatus, mori in peccato mortali secundum se consideratum, tamen hoc est impossibile, posito, prout scilicet ponitur, eum esse prædestinatum. Unde non sequitur quod prædestinatio falli possit.

Ad tertium dicendum, quod cum prædestinatio includat divinam voluntatem, sicut supra dictum ✝ est, quod Deum velle aliquid creatum, est necessarium ex suppositione propter immutabilitatem divinæ voluntatis, non tamen absolute ita dicendum est hic de prædestinatione. Unde non oportet dicere quod Deus possit non prædestinare quem prædestinavit, in sensu composito accipiendo, licet absolute considerando Deus possit prædestinare, vel non prædestinare : sed ex hoc non tollitur prædestinationis certitudo.

✝ Ar hujus

Conclusio est affirmativa.

Animadversio circa hunc articulum.

Plura solent circa præsentem art. dubia excitari. Primum est, an prædestinatio inferat effectum certum infallibiliter? Secundum, an prædestinatio sit certa certitudine causalitatis, vel solius præscientiæ? Tertium, an scientia media prærequiratur ad certitudinem prædestinationis? Quartum, an prædestinatio, et certitudo ejus tollat libertatem arbitrii creati? Quintum, unde concilianda sit certitudo, et infallibilitas prædestinationis cum defectibilitate, et libertate voluntatis creatæ.

Cæterum quia de primo constat ex iis, quæ in hoc tract. disp. 2 dub. 2 et 4 et in tractatu de Scientia Dei disp. 8 dub. 1 et in tractatu de Voluntate Dei disp. 10 dub. 1, 2 et 3 diximus : et similiter de secundo etiam liquet ex iis, quæ in eisdem locis asseruimus : et de tertio patet ex illis, quæ in tractatu de Scientia Dei disp. 11 dub. 1 docuimus : et de quarto, ac quinto ex dictis in tract. de Volunt. Dei disp. 10 a num. 71 usque ad num. 124 et in tract. de Scientia Dei disp. 8 dub. 1, propterea non oportet circa præsentem art. dub. aliquod a nobis excitari.

ARTICULUS VII.

Utrum numerus prædestinatorum sit certus?

1 dist. q. 3 art. un. et ver. q. art. 4.

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod numerus prædestinatorum non sit certus. Numerus enim cui potest fieri additio, non est certus : sed numero prædestinatorum potest fieri additio, ut videtur : dicitur enim Deuteron. 1 cap. : Dominus Deus noster addat ad hunc numerum multa millia. ✝ Glos. 1 diffinitum apud Deum, qui novit qui sunt ejus : ergo numerus prædestinatorum non est certus.

✝ Glos ordin. ibid.

2 Præterea, non potest assignari ratio, quare magis in hoc numero, quam in alio, Deus homines præordinet ad salutem : sed nihil a Deo sine ratione disponitur : ergo non est certus numerus salvandorum præordinatus a Deo.

3 Præterea, operatio Dei est perfectior, quam operatio naturæ : sed in operibus naturæ bonum invenitur ut in pluribus, defectus autem et malum, ut in paucioribus : si igitur a Deo institueretur numerus salvandorum, plures essent salvandi, quam damnandi : cujus contrarium ostenditur Matth. 7 ubi dicitur : Lata et spatiosa est via, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Angusta est porta, et arcta via quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam. Non ergo est præordinatus a Deo numerus salvandorum.

✝ Lib. de correct. et grat. c. 13 tom. 7.

Sed contra est, quod August. dicit in ✝ lib de Correptione et gratia : Certus est prædestinatorum numerus, qui neque augeri potest neque minui.

Respondeo

Respondeo dicendum, quod numerus prædestinatorum est certus. Sed quidam dixerunt eum esse certum formaliter, sed non materialiter : ut puta, si diceremus, certum esse, quod centum vel mille salventur, non autem quod hi vel illi. Sed hoc tollit certitudinem prædestinationis, de qua jam † diximus. Et ideo oportet dicere, quod numerus prædestinatorum sit certus Deo non solum formaliter, sed etiam materialiter. Sed advertendum est, quod numerus prædestinatorum certus Deo dicitur, non solum ratione cognitionis, quia scilicet scit quot sunt salvandi (sic enim Deo certus est etiam numerus guttarum pluviæ, et arenæ maris) sed ratione electionis, et diffinitionis cujusdam.

† Art. præc.

Ad cujus evidentiam est sciendum, quod omne agens intendit facere aliquid finitum, ut ex supra dictis de infinito † apparet. Quicumque autem intendit aliquam determinatam mensuram in suo effectu, excogitat aliquem numerum in partibus essentialibus ejus quæ per se requiruntur ad perfectionem totius. Non enim per se eligit aliquem numerum in his, quæ non principaliter requiruntur, sed solum propter aliud. Sed in tanto numero accipit hujusmodi, in quantum sunt necessaria propter aliud. Sicut ædificator excogitat determinatam mensuram domus, et etiam determinatum numerum mansionum, quas vult facere in domo, et determinatum numerum mensurarum parietis, vel recti. Non autem eligit determinatum numerum lapidum, sed accipit tot, quot sufficiunt ad explendam tantam mensuram parietis. Sic igitur considerandum est in Deo respectu totius universitatis, quæ est ejus effectus. Præordinavit enim in qua mensura deberet esse totum universum, et quis numerus esset conveniens essentialibus partibus universi, quæ scilicet habent aliquo modo ordinem ad perpetuitatem, quot scilicet sphæræ, quot stellæ, quot elementa, quot species rerum. Individua vero corruptibilia non ordinantur ad bonum universi quasi principaliter, sed quasi secundario, in quantum in eis salvatur bonum speciei. Unde licet Deus sciat numerum omnium individuorum non tamen numerus, vel boum, vel culicum, vel aliquorum hujusmodi est per se præordinatus a Deo Sed tot hujusmodi divina providentia produxit, quot sufficiunt ad specierum conservationem. Inter omnes autem creaturas principalius ordinantur ad bonum universi creaturæ rationales, quæ in quantum hujusmodi incorruptibiles sunt, et potissime illæ, quæ beatitudinem consequuntur, quæ immediatius attingunt ultimum finem. Unde certus est Deo numerus prædestinatorum non solum per modum cognitionis, sed etiam per modum cujusdam principalis præfinitionis. Non sic autem omnino est de numero reproborum, qui videntur esse præordinati a Deo in bonum electorum, quibus omnia cooperantur in bonum. De numero autem omnium prædestinatorum hominum quis sit, dicunt quidam, quod tot ex hominibus salvabuntur, quot Angeli ceciderunt. Quidam vero, quod tot salvabuntur, quot Angeli remanserunt. Quidam vero quod tot ex hominibus salvabuntur quot Angeli ceciderunt, et insuper tot quot fuerunt Angeli creati. Sed melius dicitur, quod soli Deo est cognitus numerus electorum in superna felicitate locandus

† Q. 7 a. 2 et 3.

Ad primum ergo dicendum, quod verbum illud Deuteron. est intelligendum de illis, qui sunt prænotati a Deo respectu præsentis justitiæ. Horum enim numerus, et augetur, et minuitur, et non numerus prædestinatorum.

Ad secundum dicendum, quod ratio quantitatis alicujus partis accipienda est ex proportione illius partis ad totum. Sic enim est apud Deum ratio, quare tot stellas fecerit, vel tot rerum species, et quare tot prædestinavit ex proportione partium principalium ad bonum universi.

Ad tertium dicendum, quod bonum proportionatum communi statui naturæ, accidit ut in pluribus, et defecit ab hoc bono, ut in paucioribus : sed bonum quod excedit communem statum naturæ, invenitur ut in paucioribus, et deficit ab hoc bono ut in pluribus. Sicut patet quod plures homines sunt qui habent sufficientem scientiam ad regimen vitæ suæ, pauciores autem qui hac scientia carent, qui moriones, vel stulti dicuntur; sed paucissimi sunt respectu aliorum, qui attingunt ad habendam profundam scientiam intelligibilium rerum. Cum igitur beatitudo æterna in visione Dei consistens, excedat communem statum naturæ, et præcipue secundum quod est gratia destituta per corruptionem originalis peccati, pauciores sunt qui salvantur. Et in hoc etiam maxime misericordia Dei apparet, quod aliquos in illam salutem erigit, a qua plurimi deficiunt, secundum communem cursum, et inclinationem naturæ.

Prima conclusio : Numerus prædestinatorum est certus non solum formaliter quantum ad numerum personarum, sed etiam materialiter quantum ad personas ipsas.

Secunda conclusio : Numerus prædestinatorum non solum est certus per modum cognitionis, sed etiam per modum cujusdam principalis prædiffinitionis; secus vero numerus reproborum.

Tertia conclusio : Soli Deo est cognitus numerus prædestinatorum.

Annotationes circa hunc articulum.

Notandum est primo, quod circa certitudinem numeri electorum non est opus positis iis, quæ circa præcedentem art, annotavimus, peculiare aliquod dub. movere : siquidem certitudo prædestinationis absolute sumpta, et certitudo ejus circa numerum electorum ex eodem capite petenda est. Sicut etiam, an hæc certitudo ex infallibilitate divinæ prædiffinitionis proveniat? satis constat ex iis, quæ locis nuper in animadversione circa præcedentem articulum adductis diximus. Et licet hîc etiam inquiri possit, an sit major numerus reprobórum, quam electorum? et rursus, an ex fidelibus major pars sit ex electis, an vero ex reprobis? Cæterum de primo constat ex Matth. 20 : *Multi sunt vocati, pauci vero electi*, et ibi cap. 7 : Arcta est via quæ ducit ad vitam, et pauci ingrediuntur per eam. Lata est via quæ ducit ad perditionem, et multi ingrediuntur per eam; et Isaiæ 24 : *Quomodo si paucæ olivæ quæ remanserunt excutiantur ex olea, et racemi cum fuerit finita vindemia.* Ubi paucis olivis, et racemis remanentibus post vindemiam comparat electos collatos cum magno numero reproborum. De secundo vero quia non potest certa ratione, vel auctoritate diffiniri, ideoque dixit D. Thom. rem hanc soli Deo esse cognitam, propterea speciale dubium circa illud non excitabimus.

Matth. 20. Ibid. cap. 7.

Isaiæ 24.

Et tandem quamvis circa tertiam conclusionem possit etiam inquiri, an prædestinati sint certi de sua æterna salute, et prædestinatione ? an vero id soli Deo fit notum, et nemini nisi ex speciali revelatione hoc constet? nihilominus quia simile dubium solet moveri circa certitudinem gratiæ, an nimirum aliquis possit esse certus de sua gratia sanctificante? prima secundæ quæst. 112 art. 5 propterea in præsenti illi non sciscitamur. Maxime vero quia ex iis, quæ in hoc eodem tractatu diximus, satis constat quomodo prædestinatio fit actus liber divinæ voluntatis, et

nemini ex puris hominibus, de quibus loquimur, sua prædestinatio nisi ex speciali revelatione, sive privilegio possit innotescere.

Quare solum circa secundam conclusionem hujus articuli superest, ut secundo loco animadvertamus, propterea divum Thomam asseruisse numerum electorum esse certum per modum cujusdam principalis prædiffinitionis, non vero sic esse certum numerum reproborum : quia licet Deus prædiffinierit tam formaliter, quam materialiter numerum reproborum : cæterum aliter, et aliter se habuit circa electos, et circa reprobos. Nam reprobi non sunt electi, nec prædiffiniti etiam ad *esse* naturale ratione sui eo modo quo prædestinati, sed in ordine ad ostendendam gloriam præ-
A. gust. destinatorum, ut docet D. August. 11 de Civitate Dei cap. 18 et epist. 106 : ergo eorum numerus non omnino eligitur, et prædiffinitur, sicut numerus prædestinatorum : siquidem prædestinati propter se, reprobi vero propter prædestinatos prædiffiniuntur. Quod quidem satis indicat principalitatem electionis, et prædiffinitionis circa prædestinatos collatos cum reprobis.

Accedit esse certum reprobis, quod non eliguntur, nec prædiffiniuntur quoad omnia sua opera, quibus tendunt in damnationem, nempe sicut eliguntur, et prædiffiniuntur opera prædestinatorum, quibus consequuntur beatitudinem. Et ideo propter hoc etiam dixit D. Thom. quod numerus electorum est certus per modum cujusdam principalis prædiffinitionis, secus vero numerus reproborum.

ARTICULUS VIII.

Utrum prædestinatio possit juvari precibus Sanctorum?

1 di t. 41 ar. 4 et 3, dist. 17 a. 3, q. 17 3 et 4, dist. 45, q. 3 art. 3, 5 et ver. q. 6 art. 6.

Ad octavum sic proceditur. Videtur, quod prædestinatio non possit juvari precibus Sanctorum. Nullum enim æternum impeditur ab aliquo temporali Et per consequens non potest temporale juvare ad hoc, quod aliquod æternum sit, sed prædestinatio est æterna : cum igitur preces Sanctorum sint temporales, non possunt juvare ad hoc, quod aliquis prædestinetur. Non ergo prædestinatio juvatur precibus Sanctorum.

2 Præterea, sicut nihil indiget consilio, nisi propter defectum cognitionis, ita nihil indiget auxilio nisi propter defectum virtutis : sed neutrum horum competit Deo prædestinanti. Unde dicitur Roman. 11 : Quis adjuvit spiritum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? Ergo prædestinatio non juvatur precibus Sanctorum.

3 Præterea, ejusdem est adjuvari, et impediri : sed prædestinatio non potest aliquo impediri : ergo non potest aliquo juvari.

Gregor. lib. 1 Dialog. cap. 8.

Sed contra est, quod dicitur Genes. 25 : Quod Isaac rogavit Deum pro Rebecca uxore sua, et dedit conceptum Rebeccæ. Ex illo autem conceptu natus est Jacob, qui prædestinatus fuit : non autem fuisset impleta prædestinatio, si natus non fuisset : ergo prædestinatio juvatur precibus Sanctorum.

Respondeo dicendum, quod circa hanc quæstionem diversi errores fuerunt. Quidam enim attendentes certitudinem divinæ prædestinationis, dixerunt superfluas esse orationes, vel quidquid aliud fiat ad salutem æternam consequendam, quia his factis, vel non factis, prædestinati consequuntur, reprobati non consequuntur. Sed contra hoc sunt omnes admonitiones sacræ Scripturæ exhortantes ad orationem, et ad alia bona opera. Alii vero dixerunt, quod per orationes mutatur divina prædestinatio : et hæc dicitur fuisse opinio Ægyptiorum, qui ponebant ordinationem divinam, quam fatum appellabant, aliquibus sacrificiis, et orationibus impediri posse. Sed contra hoc etiam est auctoritas sacræ Scripturæ. Dicitur enim I Reg. 15 : Porro triumphator Israël non parcet, neque pœnitudine flectetur. Et Roman. 11 dicitur, quod sine pœnitentia sunt dona Dei, et vocatio. Et ideo aliter dicendum, quod in prædestinatione duo sunt consideranda, scilicet ipsa præordinatio divina, et effectus ejus. Quantum igitur ad primum, nullo modo prædestinatio juvatur precibus Sanctorum : non enim precibus Sanctorum fit, quod aliquis prædestinetur a Deo. Quantum vero ad secundum dicitur prædestinatio juvari precibus Sanctorum, et aliis bonis operibus, quia providentia (cujus prædestinatio est pars) non subtrahit causas secundas, sed sic providet effectus ut etiam ordo causarum secundarum subjaceat providentiæ. Sicut igitur sic providentur naturales effectus, ut etiam causæ naturales ad illos naturales effectus ordinentur, sine quibus illi effectus non provenirent, ita prædestinatur a Deo salus alicujus, ut etiam sub ordine prædestinationis cadat quidquid hominem promovet ad salutem, vel orationes propriæ, vel aliorum, vel alia bona, vel quidquid hujusmodi, sine quibus aliquis salutem non consequitur. Unde prædestinatis conandum est ad bene operandum, et orandum, quia per hujusmodi, prædestinationis effectus certitudinaliter impletur. Propter quod dicitur 2 Petri 1 : Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, et electionem faciatis.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa ostendit, quod prædestinatio non juvatur precibus Sanctorum quantum ad ipsam præordinationem.

Ad secundum dicendum, quod aliquis dicitur adjuvari per alium dupliciter. Uno modo in quantum ab eo accipit virtutem, et sic adjuvari, infirmi est, unde Deo non competit, et sic intelligitur illud : Quis adjuvit spiritum Domini? Alio modo dicitur quis adjuvari per aliquem, per quem exequitur suam operationem, sicut Dominus per ministrum. Et hoc modo Deus adjuvatur per nos, in quantum exequimur suam ordinationem, secundum illud 1 ad Corinth. 3 : Dei enim adjutores sumus. Neque hoc est propter defectum divinæ virtutis, sed quia utitur causis mediis ut ordinis pulchritudo servetur in rebus, et ut etiam creaturis dignitatem causalitatis communicet.

Ad tertium dicendum, quod secundæ causæ non possunt egredi ordinem causæ primæ universalis (ut supra dictum * est) sed ipsum exequuntur. Et ideo prædestinatio * Q. 19
per creaturas potest adjuvari, sed non impediri. art. 6.

Prima conclusio : Prædestinatio quoad præordinationem ipsam Dei æternam non juvatur precibus Sanctorum.

Secunda conclusio : Prædestinatio quoad effectum juvatur precibus Sanctorum et aliis bonis operibus.

DISPUTATIO XI.

De causa prædestinationis ex parte meritorum alterius puri hominis.

Consulto in titulo addita est illa parti- I.
cula : *Ex parte meritorum alterius puri hominis*, tum quia postquam explicuimus, an ex parte meritorum ipsius prædestinati detur causa prædestinationis? restabat explicandum, an ex parte alterius personæ distinctæ ab ipso prædestinato, detur prædicta causa? Tum etiam, ut denotetur hic

non

non fieri sermonem de causa prædestinationis ex parte alterius, qui non sit purus homo, ut ex parte meritorum Christi Domini. Nam de hoc non est ex professo in
D. Thom. hac disp. agendum, ex eo quod D. Thom. 3 p. quæst. 24 art. 4 de hac causalitate meritorum Christi, et suæ prædestinationis agit : et ita titulus illius art. hoc ipsum inquirit.

DUBIUM UNICUM.

Utrum merita unius puri hominis possint esse causa meritoria prædestinationis alterius quoad omnes suos effectus consideratæ?

2. Explicatio tituli. D. Thom. Pro tituli intelligentia notandum est, non esse sermonem quoad meritum de condigno. Quoniam ut docet D. Thom. 1, 2 quæst. 114 art. 6 bona opera uniuscujusque solum sunt meritoria de condigno respectu propriæ beatitudinis operantis, necnon et aliorum effectuum (de quibus supra) qui ad eamdem beatitudinem ordinantur, non vero respectu donorum, quæ alteri personæ conferenda sunt : ex eo quod gratia puri hominis solum est gratia personalis, non vero capitalis. Et propterea soli gratiæ Christi Domini, et ejus meritis tribuitur ut possit de condigno totam nostram prædestinationem quoad omnes ejus effectus promereri. Quare hujus dubii difficultas solum procedit de merito de congruo : sicut etiam non procedit per ordinem ad divinam potentiam, sed solum secundum communem cursum, et juxta modum decernendi, quem Deus de facto habuit : quia de hoc tantum D. Thom. in præsenti agit.

Data autem opera in titulo inquisitum est de prædestinatione quoad omnes suos effectus. Nam si sermo sit de aliquibus effectibus prædestinationis in particulari, non vero de omnibus illis simul, certum est, merita unius puri hominis posse de congruo mereri prædestinationem alterius. Siquidem plura dona supernaturalia largitur Deus aliquibus ex prædestinatis propter merita alterius, ut constat in Stephano et Paulo, cujus conversio orationibus Stephani communiter tribuitur. Sicut etiam ideo de eadem prædestinatione quoad suos effectus in hoc dubio inquisitum est : quia de eadem prædestinatione quoad actus divinos, ordinationemque divinam quid dicendum sit, constat ex iis, quæ in tract. de Voluntate Dei disp. 3 dub. 2 diximus. Ubi ostendimus, quod ex parte creaturarum nequit dari causa respectu divinorum actuum concurrentium ad prædestinationem, sive illi secundum suam substantiam, sive quoad terminationem activam considerentur.

§ I.

Sententia affirmans.

3. Vazquez. Primum argumentum. Partem affirmantem tuetur Vazquez in præsenti disp. 94 cap. 5. Probatur primo. Nam idem est mereri prædestinationem quoad omnes suos effectus, ac mereri eam quoad primum ejus effectum, ut communiter docent Theologi, et constat ex iis, quæ disp. 10 num. 3 dicebamus : sed unus purus homo potest mereri prædestinationem alterius quoad primum ejus effectum : ergo etiam quoad omnes. Minor probatur. Quia primus effectus prædestinationis est prima vocatio ex proposito Dei, ut docent communiter Patres : sed hanc potest unus purus homo justus mereri de congruo alteri, ex eo quod illam a Deo enixe expostulet ; et æquum ac congruum est, ut Deus exaudiat orationes suorum amicorum, faciatque (ut sic dicamus) voluntatem eorum qui divinam voluntatem faciunt : ergo, etc. Unde August. de prima vocatione ad fidem, sive August. Concil. Trident. de gratia fidei (de qua Trident. ses. 6 cap. 8 fatetur esse fundamentum totius justificationis, ac proinde primum effectum prædestinationis) asseruit, posse mereri per eleemosynam, et orationes alterius. Quod probat ex eo quod Paulus orabat, et Ecclesia orat pro conversione infidelium ad fidem Christi.

4. Secundum. Secundo. Quoniam Christus Dominus de condigno meruit omnes effectus nostræ prædestinationis : ergo unus purus homo justus poterit de congruo mereri omnes effectus prædestinationis, alterius. Antecedens latius ostendetur loco citato ex 3 p. Consequentia vero ex paritate rationis constat. Nam sicut unio personalis est sufficiens principium meriti de condigno respectu prædestinationis aliorum hominum, ita gratia habitualis unius puri hominis est sufficiens principium ad merendum de congruo prædestinationem alterius. Tum quia ut ex D. Thoma loco citato ex prima secundæ, dicebamus, congruum est ut Deus suorum amicorum voluntatem faciat. Tum etiam : quia articulus fidei communionis Sanctorum

hoc ipsum videtur exposcere : siquidem hæc communio consistit in hoc ut justi communicent in bonis operibus, atque adeo quod bona opera unius possint prodesse alteri ad quoscumque effectus suæ prædestinationis.

5. Tertium. Tertio. Quoniam orationes, quas unus justus fundit pro alio non est necesse adhuc secundum communem cursum, ut sint effectus prædestinationis ejus, pro quo funduntur : ergo poterunt esse causa omnium effectuum prædestinationis, illius. Antecedens probatur. Nam sicut merita Christi, quibus nostram prædestinationem quoad omnes suos effectus promeruit, fuerunt effectus alterius providentiæ, nimirum hypostaticæ, quamvis cum effectu conduxerint ad nostram prædestinationem : ita etiam orationes unius pro alio poterunt esse effectus alterius providentiæ, nempe generalis, et supernaturalis, non vero effectus prædestinationis, ejus pro quo funduntur.

Consequentia vero probatur. Tum quia ut ex dicendis in hoc dubio constabit, nihil aliud obest orationibus, quas unus justus fundit pro alio, quominus sint causa omnium effectuum prædestinationis, illius, nisi quod prædictæ orationes computantur inter effectus prædestinationis, ejus pro quo funduntur. Tum etiam : quia ideo Christus Dominus est causa prædestinationis nostræ quoad omnes suos effectus, quia ejus merita non sunt effectus nostræ prædestinationis, et conducunt cum effectu, et efficaciter ad eamdem prædestinationem quoad omnes suos effectus consideratam : ergo cum etiam orationes unius justi possint efficaciter conducere ad omnes effectus prædestinationis, alterius, ut si pro omnibus illis oret, consequens erit, ut hoc ipso quod tales orationes non sint effectus prædictæ prædestinationis, debeant esse causa illius.

§ II.

Communis sententia.

6. Assertio. Dicendum tamen est, merita unius puri hominis non posse secundum communem cursum esse causam meritoriam prædestinationis, alterius quoad omnes suos effectus adæquate consideratæ. Assertio hæc habetur in Scriptura in omnibus illis locis, quæ art. 3, 4 ac 5 adduximus ad probandum prædestinationem refundi in solam voluntatem Dei ut in causam primam, et in merita ac voluntatem Christi Domini ut in causam secundam, ex eo quod ut inquit Paulus ad Ephes. 1 : *Elegit nos in ipso.* Et Joan. 15, Christus Dominus inquit : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Si autem unus purus homo posset mereri prædestinationem alterius quoad omnes suos effectus, non refunderetur multoties prædestinatio in solas has duas voluntates, nempe Dei et Christi; sed etiam in voluntates aliorum justorum, quod tamen in Scriptura et Patribus non habetur. Ephes. 1 Joan. 15

Eamdem sententiam docuerunt August. de Prædestinatione Sanctorum cap. 8 et de Dono perseverantiæ cap. 22, Prosper de vocatione Gentium cap. primo, D. Thom. in hoc art. dum ait, prædestinationem quantum ad effectus juvari precibus Sanctorum, sicut et aliis bonis operibus : quia ita prædestinatur a Deo salus alicujus, ut etiam sub ordine prædestinationis cadat quidquid hominem promovet ad salutem, ut sunt orationes propriæ, vel aliorum atque alia bona opera. Quibus verbis plane denotat prædestinationem alicujus sub se continere tanquam effectus prædiffinitos ab ipsa salutem prædestinati, et ejus bona opera atque orationes etiam alterius, dummodo cum effectu conducant ad salutem ipsius prædestinati. Sicut in universum quævis providentia divina continet sub suo ordine et effectum prævisum, et dispositionem causarum secundarum, per quas debet impleri. August. Prosper D.Thom.

Et quæst. 6 de Veritate art. 6 ubi circa finem corporis sic inquit : *Dico igitur quod prædestinationis effectus est salus humana, quæ a Deo procedit sicut a prima causa. Sed ejus possunt esse multæ aliæ causæ proximæ quasi instrumentales, quæ sunt ordinatæ a divina prædestinatione ad salutem humanam, sicut instrumenta applicantur ab artifice ad effectum artis explendum. Unde sicut prædestinationis divinæ est effectus quod iste salveiur, ita et quod per orationes tales, vel merita talia salvetur.* Ac proinde prædictæ orationes, quippe effectus prædestinationis, illius pro quo funduntur, nequibunt esse causa ejusdem prædestinationis quoad omnes suos effectus. Et secunda secundæ quæst. 83 art. 2 ubi sic ait : *Non enim propter hoc oramus ut divinam dispositionem immutemus , sed ut impetremus quod Deus disposuit per orationes Sanctorum esse implendum, ut scilicet homines postulando mereantur accipere, quod eis Deus omnipotens ante sæcula disposuit donare :* D.Thom.

ergo

ergo secundum mentem D. Thom. pariter de lege ordinaria sunt effectus prædestinationis orationes propriæ, et alienæ conducentes ad prædestinati salutem. Unde hanc sententiam sequuntur omnes, vel fere omnes Theologi : et ita supervacaneum esset singulos recensere.

7. Fundamentum assertionis. Ratio autem fundamentalis hujus assertionis tacta est in locis a D. Thom. adductis, et constat ex iis, quæ disp. præcedenti diximus, potestque ad hanc brevem formam reduci. Nam id, quod est effectus prædestinationis alicujus hominis, verbi gratia, D. Pauli, non potest esse causa omnium effectuum prædictæ prædestinationis ; alioqui idem posset esse causa sui ipsius : sed orationes, verbi gratia fusæ ab uno justo pro alio, ut orationes Stephani pro Paulo, sunt effectus prædestinationis Pauli, siquidem ut docet D. Thom. in hoc articulo, quidquid efficaciter præmovet hominem ad suam salutem est effectus suæ prædestinationis : ergo tales orationes nequeunt esse causa prædestinationis Pauli quoad omnes suos effectus.

8. Objectio. D. Thom. Nec refert si objicias ex D. Thom. tertia parte quæst. 1 art. 3 ad quartum, ubi sic inquit : *Ad quartum dicendum, quod prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum : et ideo sicut Deus prædestinat salutem alicujus hominis per orationes aliorum implendam, ita etiam prædestinavit opus Incarnationis in remedium humani peccati.* In quibus verbis videtur denotare orationes Stephani, verbi gratia, fuisse prævisas a Deo antecedenter ad Pauli prædestinationem : ac proinde non fuisse effectum illius, sed alterius prioris decreti. Quemadmodum permissio peccati originalis non fuit effectus prædestinationis Christi, sed alterius prioris providentiæ : ex eo quod Christi prædestinatio præsupponit prævisionem prædictæ permissionis et peccati.

Solutio. Non itaque hoc refert. Quia D. Thom. tantum vult, quod sicut prædestinatio, verbi gratia, Pauli per orationes Stephani, considerata secundum id, quod in recto affert, supponit easdem orationes inadæquate futuras, ex eo quod prædestinatio, quippe consistens in imperio divini intellectus, præsupponit actum intentionis, et electionis efficacis Dei, per quos actus res futuræ habent esse inadæquate futuræ, ita etiam prædestinatio Christi Domini supponit, non per omnimodam prioritatem, et in omni genere, sed solum secundum quoddam genus prioritatis nimirum in genere causæ materialis, peccatum originale, necnon et permissionem ipsius, modo tamen disputat. 8 num. 99 insinuato consideratam, ut in tractatu de Incarnatione loco citato dicemus. Quamvis cum hoc stet ut inter exemplum adductum, et rem de qua agimus, sit sua disparitas loco citato tangenda.

§ III

Diluuntur argumenta oppositæ sententiæ.

9. Ad primum. Ad primum concedenda est major, et neganda minor. Ad probationem dicendum est, sanctos Patres nomine gratiæ vocationis, quam dicunt esse primum effectum prædestinationis, non solum intelligere vocationem internam receptam in ipso prædestinato, sed etiam plura alia principia extrinseca, quæ Deus supernaturali providentia præparavit ad illum effectum, ut externam prædicationem, signa, et virtutes, et alia hujusmodi, inter quæ numerari etiam debet oratio unius pro alio, ad quam Deus movet ex intentione conversionis, et salutis ejus, cui est prædicandum Evangelium. Et propterea sanctus Fulgentius lib. 1 ad Monimum cap. 11 hanc gratiam inter vocationis initia enumerat, ac proinde nequit esse causa omnium effectuum prædestinationis, ejus pro quo funditur, ut explicatum est. Fulgent.

10. Ad secundum. Ad secundum concedendum est antecedens, et neganda consequentia. Et ratio disparitatis est, quod merita Christi Domini, quippe quæ pertinent ad gratiam unionis, et non ad gratiam filii adoptivi, non sunt effectus prædestinationis nostræ : quia hæc non extenditur ad dona adeo superiora, et eminentissima, sed solum ad effectus inferioris rationis, et pertinentes tantum, sive proxime, sive remote, et deficienter ad gratiam, qua in filios Dei adoptamur. Unde falsum est id, quod in eodem argumento adducitur, nimirum esse secundum communem cursum in gratia adoptionis sufficientem vim ad merendum de congruo omnes effectus prædestinationis alterius hominis : siquidem quidquid ad prædictam gratiam per se pertinet, et conducit cum effectu ad talem prædestinationem, est etiam effectus, illius. Sicut etiam falsum est requiri ad articulum communionis fidelium in meritis, quod aliquis eorum mereatur omnes effectus prædestinationis, alterius ; sed satis erit si aliquos ex illis habeat mereri.

11. Ad tertium. Ad tertium negandum est antecedens propter rationem dictam. Et ad probationem neganda est paritas inter Christum, et purum hominem, ut ex iis, quæ in solutione ad argumentum præcedens dicebamus, constat; necnon ex illis, quæ disp 4 num. 2 asseruimus : siquidem media efficacia in ordine ad salutem alicujus, et pertinentia ad gratiam adoptionis ut talem, qualia sunt orationes puri hominis justi, cum effectu conducentes ad hunc finem, debent oriri ex intentione efficaci dandi ei, pro quo funduntur, prædictam salutem æternam. Nec obest id, quod ibidem adducitur, scilicet posse unum justum orare pro omnibus effectibus prædestinationis, alterius. Non itaque hoc obest. Quia hæc oratio non potest esse causa meritoria sui ipsius, ac proinde nec potest pro se ipsa impetrare; sed sicut supponit affectum orandi, ita etiam supponit primum effectum prædestinationis, illius pro quo funditur. Et hæc de hoc dubio, et articulo, necnon de tota hac quæstione et tractatu, ac tandem de primo et secundo tomo nostri cursus Theologici. Quæ utinam omnia cedant in laudem omnipotentis Dei, sanctissimæ Virg. Mariæ de Monte-Carmeli, sanctorum Parentum Patrum Eliæ et Elisæi, Matris Teresiæ a Jesu, utriusque nostri Cyrilli, et Angelici Doctoris, ac Doctoris nostri, omniumque cœlestium civium! Si quid autem doctrinæ sacrosanctæ Matris Ecclesiæ aliquo modo contrarium; et ut uno verbo dicamus, si quid doctrinæ sanctissimi, et Angelici Præceptoris, aliqua ratione dissonum, aut minus consonum diximus, aut aliqualiter innuimus, illud iterum atque iterum libentissimo animo retractamus.

LAUS DEO

INDEX

INDEX ALPHABETICUS

RERUM NOTABILIUM

QUÆ IN PRIMO & SECUNDO TOMO CONTINENTUR.

Numerus prior tomum, posterior paginam demonstrat.

A

ACCIDENS. Accidentia proxime individuantur a se ipsis. I, 68. In quo sensu possunt separari a quantitate, et in quo sensu non possunt. I, 47 et 87. Principium radicale individuationis eorum est subjectum. I, 65. Cur non individuantur a materia signata quantitate tanquam a principio radicali sufficienti. I, 67 et deinceps. Nequeunt individuari a termino. I, 110. Subjectum quomodo intrat in eorum diffinitione. I, 86. Necessario supponunt esse simpliciter in subjecto, cui inhærent. I, 86. Duplex accidens solo numero distinctum nequit etiam de potentia absoluta esse in eodem subjecto. I, 84. Duo accidentia solo numero distincta quomodo possint respicere unum subjectum in *esse* entis, non tamen unum formaliter in *esse* subjecti. I, 68. Non habent partes distinctas realiter entitative, nisi a quantitate. I, 77. Eorum individuatio cur non reducatur in tempus tanquam in radicem. I, 70. Probabile est, quod accidens, quod est in hoc subjecto, potest supernaturaliter recipi in alio. I, 85. Probabilius est oppositum. I, 85. Modus connaturalis recipiendi hujus accidentis in hoc subjecto nequit de potentia absoluta esse modus recipiendi idem accidens in subjecto altero. I, 85. et b. Cur accidens semel corruptum potest supernaturaliter reproduci sine eo quod addatur aliquid ad receptionem ex parte subjecti. I, 87. Quare similiter duo accidentia contraria in summo supernaturaliter possint recipi in eodem subjecto sine tali additione, secus vero duo accidentia solo numero distincta. I, 87. Accidentia specie, et numero simul distincta non recipiuntur in uno tantum numero subjecto. I, 108. Accidens cur potest specificari ab aliquo extra proprium prædicamentum non vero substantia. I, 213. Quare etiam potest individuari ab aliquo extra proprium prædicamentum, et tamen esse unum per se. I, 53 et 54. Quam intellectualitatem tribuit illis immaterialitas. I, 326. Vide Species intentionales, Individuationis principium, Quantitas, et Subjectum.

ACTUS Physici, et Metaphysici differentia in modo actuandi potentiam. I, 108. Actus nobilior respicit nobiliorem potentiam. II, 271. Actus dicitur ineffícax, vel ineffícacitate objecti, vel in efficacitate actus. II, 145. Actus limitatur per potentiam, et receptivum ejus. I, 18. Quomodo sit verum quod id, *quod facit actus actu, facit possibiliter potentia.* I, 472; II, 184. Actus, et potentiæ correspondentia, unde desumenda est. II, 184. Possibilitas, vel impossibilitas actus, ex quo regulari debet. II, 185. Actus idem existens in *esse* rei sortitur diversas denominationes penes respectum ad objectum primarium, et secundarium. II, 119.

Actuum voluntatis, et intellectus ordo, et multiplícitas. II. 244, 279. Actus intellectus semper præcedit actum voluntatis. II, 251. Quando unus maneat in altero, et e contra, II, 275. Actus pure ordinis naturalis moraliter boni, etsi homini non deserviant ad meritum supernaturale, cur ad illos patrandos est admonendus. II, 474.

ACTUS LIBER DEI difficiliter in hac vita potest intelligi. II, 101. Non consistit in realitate, vel perfectione distincta re ipsa, vel separabili ab actu necessario. II, 103. Neque in formalitate, quæ habeat esse a se, virtualiter distincta ab actu necessario, et ab illo separabili. II, 106. Neque etiam in formalitate, quæ habeat esse a se, et includat essentiam divinam per modum transcendentis. II, 107. Neque etiam queit consistere in relatione aliqua rationis. II, 109. Neque complementum illius potest consistere in prædicta relatione rationis. II, 109. Nec in denominatione extrinseca. II, 110. Neque etiam in actu necessario divinæ voluntatis, connotando actionem transeuntem Dei. II, 110. In quo ergo essentia actus liberi divini est constituenda. II, 109. Alio etiam modo juxta mentem D. Thom. quidditas actus liberi declaratur. II, 137. Actus liberi creati et increati discrimen. II, 115. Quid addat terminatio actus liberi Dei ad creaturas super entitatem actus ejus necessarii. II, 115 et deinceps. Cur etsi actus liber sit infinitus nequit terminari ad creaturas sine connotato extrinseco. II, 115. Denominatio proveniens ab actu libero est intrinseca Deo. II, 118. Hujuscemodi denominatio actus liberi proveniat ne a forma creata, vel increata. II, 117. Cur actus liber creatus dicat in recto, quod possit adesse

et abesse, secus vero actus liber increatus. II, 151. Ordo actuum liberorum Dei. II, 137, 261, 399 et deinceps, 402. Beati vident actus liberos Dei immediate ex vi visionis divinæ essentiæ. I, 290. Nullus tamen queit omnes actus liberos divinos videre. I, 291. Bene tamen omnes qui sunt circa suum statum. I, 291. Discrimen inter actum liberum Dei, et ejus intellectionem. II, 116. Actus liberi Dei, quam mutationem ponant in creaturis. I, 597, et II, 287. Vide Decreta libera Dei, Voluntas, et Volitio divina.

Actibus divinis nequit assignari prioritas, et posterioritas, nisi quando invenitur in eorum objectis. II, 237, 443, 444.

ACTUS LIBER CREATUS. Actus liberi creati etiam prout procedunt a libero arbitrio, sunt effectus prædestinationis. II, 389. Secundum hanc rationem etiam procedunt a gratia. II, 349, 478. Actus liber ordinis naturalis nequit mereri merito de congruo primum effectum prædestinationis. II, 467. Neque potest esse dispositio ad illum. II, 470 Nec conditio omnino necessaria. II, 472. Nequit discernere prædestinatum a non prædestinato. II, 471. Prævisio actus liberi supernaturalis non potest esse conditio necessaria ad primum auxilium gratiæ. II, 479. Vide Libertas, Voluntas, Præmotio extrinseca, Decreta libera Dei, et Virtutes morales.

ACTUS INTELLECTUS. Aliquando dicitur notitia. II, 259. Aliquando etiam nequit sic appellari. I, 186. Actus intellectus dicitur conceptio. II, 259. Vide Intellectio, et Intellectus.

ACTIO prout a causa secunda debet etiam esse a causa prima. II, 170. Quando identificetur cum motu, et cum passione. II, 319. Actiones cur dicantur communiter supposito-rum. I, 68. Quomodo intelligitur illud, quod *actio est motus prout ab agente*. II, 319. Actio et passio licet identificentur inter se, neutra tamen suam formalitatem amittit. I, 136. Actio, quæ producit lumen fidei, cur non est productiva specierum; bene tamen actio productiva luminis gloriæ attingit unionem essentiæ divinæ in ratione spei intelligibilis cum intellectu beati. I, 136. Actio, quæ producit ultimam dispositionem, producit etiam formam. I, 136. Actio, quæ est de prædicamento actionis, cur indispensabiliter petit producere terminum; secus vero actio immanens perfecta. I, 184. Quando est propria alicujus agentis superioris, quomodo semper tribuatur illi ut agenti principali particulari. I, 150.

ACTIO TRANSIENS quid. I, 150. Actionis immanentis et transeuntis discrimen, I, 150.

ACTIO IMMANENS. Non petit indispensabiliter producere terminum quando est perfecta. I, 184. Potest fieri ut *quo*, et ut *quod*. I, 205.

ACTIO VITALIS naturalis creata petit dimanare a principio proximo omnino connaturali; secus vero actio supernaturalis. I, 218 et 219. Petit recipi in potentia a qua elicitur. I, 218. Vel saltim in supposito talis potentiæ. I, 328. Cur non petat recipi in specie intelligibili. I, 247. Etiam prout a causa secunda pendet a prima. II, 161. Actio vitalis creata nequit fieri a Deo sine creatura. I, 238.

ADAMUS. Adamo fuit ne prima gratia concessa ex voluntate efficaci dandi illi gloriam. II, 328 et 329. Fuitne gratia effectus prædestinationis ejus. II, 329. Vocatio inefficax illi concessa in statu justitiæ originalis, fuerit ne effectus suæ prædestinationis. II, 336. Permissio peccati Adami potuit esse effectus reprobationis damnatorum. II, 336. Peccatum ejus præcesserit ne in aliquo signo derelictionem Dei. II, 401.

ÆTERNITAS est duratio tota simul, et infinita in ratione durationis. I, 557. Licet sit formaliter indivisibilis, est tamen virtualiter divisibilis, et successiva. I, 548. Id quod mensuratur per illam ut per propriam mensuram nequit dici futurum. I, 486. Quæ prioritas, et posterioritas potest inveniri in æternitate. I, 488 et deinceps. Deus intuetur certo futura contingentia, quoad nos, ut sibi præsentia realiter physice in æternitate, juxta mentem Scripturæ. I, 539. Idem sentiunt sancti Patres. I, 539. Id ipsum tenet D. Thom. I, 542. Ipsaque recta ratio idem suadet. I, 548. Quomodo etsi prædicta futura sint præsentia in æternitate, tamen non sit verum, quod habeant absolute, et simpliciter esse, antequam in tempore producantur. I, 546. Etiam propriæ durationes futurorum contingentium sunt physice præsentes in æternitate. I, 552. Differentia inter ævum et æternitatem. I, 547. Cur huic sint præsentia physice prædicta futura, secus vero illi. I, 547. Duplex æternitatis munus. I, 552. Discrimen inter immensitatem et æternitatem. I, 556, 557. Æternitas est mensura scientiæ divinæ. I, 559. Si futura contingentia non essent præsentia physice in æternitate, scientia divina mutaretur. I, 559. Ex eo quod futura sint præsentia realiter physice in illa, non dicuntur creata simpliciter. I, 564. Futura existentia physice in æternitate non dicuntur infinita in actu, sed infinita in potentia. I, 565. Neque etiam dicuntur bis produci. I, 565. In quo sensu sit verum, quod in hoc, et in quocumque instanti est Antichristus. I, 565. Non obest hæc præsentia in æternitate, quominus prædicta futura in tempore dicantur produci. I, 565. Adamus, et Antichristus, quare etsi sint præsentes physice in æternitate, non tamen coexistant in propria duratione. I, 565. Hæc præsentia non est causa, quod verificentur contradictoria de futuris. I, 565. Nec tollit, quominus in propria duratione libere exequantur. I, 567. Si *esse* Dei, et ejus operationes non mensurarentur æternitate, non posset Deus infallibiliter cognoscere futura contingentia. I, 567. Semel tamen admisso, quod Deus et ejus operationes mensurarentur æternitate, nequit prædicta futura certo cognoscere nisi physice existant in ipsa. I, 570. Cur mensuret æternitas aliquas denominationes, quæ conveniunt Deo ex connotatione creaturarum, quasdam vero non. I, 549. Denominatio libere volentis in Deo mensuratur æternitate. II, 149.

ÆVUM. Non est necessarium quod semper careat principio et fine. I, 569. Si per impossibile esset mensura *esse* divini, et ejus operationum, non posset Deus infallibiliter cognoscere futura contingentia. I, 569. Ævum unde habeat, quod sit indefectibile de facto. I, 569. In quo distinguitur ab æternitate. I, 547.

AFFECTUS. Vide Complacentia, et Displicentia.

AFFIRMATIO, tunc est causa adæquata affirmationis,

affirmationis, quando negatio est causa adæquata negationis. I, 20.

AGENS intellectuale debet habere rationem rei fiendæ tam practice, quam speculative in intellectu, II, 251.

AMARE est velle alicui aliquod bonum, II, 74. Amare amantem naturæ est, amare autem non amantem est gratiæ, II, 449.

AMICITIA quid postulet, ut sit honesta, II, 46. Optime potest esse inter Deum et creaturas. II, 46. Amicitia postulat mutuum amorem inter amicos. II, 46. Et quod amicus velit amico potiora sua bona. II, 46. Essentialiter petit esse ad alterum. II, 46. Amicitia inter Deum et creaturas cur nequit esse æqualis. II, 46.

AMOR non petit essentialiter tendere in bonum ut possessum, nec ut absens. II, 57 et 61. Fundatur in unione amantis, et amati. II, 58. Et est unio utriusque. II, 58. Ut sit perfectus non est necessarium, ut ponat cum effectu, sed cum affectu rem amatam a parte rei. II, 62.

AMOR DEI. Amor quo Deus diligit se ipsum est amor proprie et stricte sumptus. II, 57. Est necessarius quoad specificationem et exercitium, ut versatur circa Deum. II, 50. At vero ut divina bonitas est ratio volendi creaturas, amatur libere a divina voluntate. II, 55. Non distinguitur virtualiter a gaudio divino. II, 60. Quomodo amor Dei erga creaturas est effectualis non affectualis. II, 43. Amor quo Deus diligit beatitudinem prædestinatis, sit ne amor concupiscentiæ. II, 252. Amor Dei circa prædestinatos, et reprobos alius electivus, alius executivus. II, 252. Amor Dei erga prædestinatum impium sit ne major quam erga reprobum justum II, 250. Amor Dei nequit versari circa creaturas possibiles ut tales præcise, nec libere, nec necessario. II, 70. Si tamen haberent bonitatem, tunc necessario ab eo diligerentur. II, 76. Dato per impossibile quod Deus necessario amaret creaturas possibiles, quomodo tunc magis divina bonitas amaretur, quam ipsæ. II, 79. Etiamsi ita necessario creaturas possibiles diligeret Deus, tunc tamen plus unam, quam aliam amaret. II. 79. Cur in illa hypothesi voluntas divina non specificaretur ab illis. II, 79. Diceretur ne tunc amor iste erga creaturas amor affectionis. II, 79 et 80. Quomodo intelligatur quod dicunt sancti Patres, *quod Deus amando creaturas extasim patitur*. II, 71. Amor Dei circa aliquas creaturas futuras debet versari necessario necessitate quoad specificationem. II, 81. Amor Dei erga creaturas est liberrimus in productione earum. II, 82. Non versatur necessario quoad specificationem circa omnes creaturas futuras. II, 81.

Amor Dei, ut est finis naturalis nequit fieri sine auxilio gratiæ. II, 474. Amor iste naturalis Dei quando est in summo. II, 474. Vide Creaturæ futuræ, Creaturæ possibiles, Voluntas, et Volitio divina.

ANGELUS. Angeli non habent differentiam individualem distinctam, adhuc virtualiter a differentia specifica. I, 16, 31. Quare sint immultiplicabiles numero intra eamdem speciem. I, 20 et deinceps. Quælibet eorum forma, seu quasi forma specifica habet plene totam speciem. I, 20. Et quodam modo infinitam. I, 22. Quomodo differentia specifica Angeli contrahat ejus genus. I, 22, 23. Angeli nequeunt respondere interrogationi de Dei substantia ut Doctores, sed ut collaudatores. I, 102. Intellectus eorum oritur a sua essentia, tam ut intellectiva, quam ut intelligibili. I, 97. Prædictus intellectus debet convenire in eodem gradu immaterialitatis cum objecto. I, 155. Primo, et principaliter tendit ad substantiam a qua emanavit. I, 211. Per unam tantum speciem plurima objecta possunt attingere. I, 365. Tunc tamen quid primo cognoscit eorum intellectus. I, 365. Angelorum prædestinatio potest dici ex misericordia facta, quamvis non educat eos ex miseria. II, 298. Eorum substantia quare nequit specificari a sua intellectione. I, 147. Cur Deus dederit Angelis perfectioribus gratiam perfectiorem, quam largitus est Angelis minus perfectis. II, 473. Angeli non valent solo lumine naturali cognoscere possibilitatem visionis beatificæ. I, 108. Ut comprehendant aliquam potentiam, quod objectum ejus debeant cognoscere. I, 108. Creaturæ alterius universi creabiles non cognoscuntur ab Angelis. I, 108. Cur species per quam quivis Angelus se ipsum intelligit, nequeat uniri in *esse* intelligibili cum alio intellectu. I, 137. Uniuscujusque substantia ut habet rationem speciei intelligibilis respectu propriæ intellectionis, tantum concurrit active radicaliter. I, 145. Probabilius est quod concurrit active proxime. I, 147 et deinceps. Angeli quam convenientiam in gradu immaterialitatis postulent inter se, ut ad invicem cognoscuntur. I, 165 et deinceps. Valde probabile est in via D. Thom. eorum intellectus non distingui specifice in *esse* potentiarum. I, 99, 174 et deinceps. Bene tamen in ratione proprietatum. I, 174. Angeli quando se ipsos cognoscunt cur indigent verbo distincto a sua substantia, non vero specie impressa ab eorum essentia distincta. I, 199 et deinceps. Angelus inferior quomodo illuminetur a superiori. I. 248. Angeli non excedunt essentialiter in visione beatifica Christum Dominum, I, 255. Conveniat ne tantum illis secundum rationem intellectualem communem elevari ad visionem claram Dei. I, 263 Quid requiritur, ut unus Angelus cognoscat actus liberos alterius. I, 291. Cur quando cognoscunt effectus existentes per suas species naturales, non cognoscunt determinationem causarum, secus vero quando illos in essentia divina cognoscunt. I, 297. Scientia proprie et stricte sumpta reperitur formaliter in illis. I, 334. Cur eorum attributa pertineant ad eumdem immaterialitatis gradum cum eorum essentia, secus vero attributa divina, et Dei natura I, 365 et deinceps. Potentia executiva quare non distinguatur in illis ab intellectu. I, 458 et deinceps. Intellectus practicus, et speculativus eorum non distinguuntur, neque virtualiter. I, 459. Cur Angeli etsi cognoscant primum hominis judicium naturale, non tamen cognoscant actus liberos subsecutos. I, 531. Amant suam substantiam necessario quoad specificationem, et exercitium. II, 49. Cur in primo instanti non potuerunt peccare. II, 197, 244. Cur fuit conveniens totam aliquam speciem Angelicam reprobare, non vero totam hominis speciem. II, 245. Angelorum malorum invidia erga prædestinatos non est prævisa ante eorum electionem ad gloriam, et postea alia voluntate ad ipsorum profectum ordinata

est. II, 366. Angeli comprehendentes intellectum creatum, non ob id debent cognoscere in particulari creaturas possibiles alterius universi. I, 108. Eorum intellectus non amittit rationem potentiæ executivæ etiamsi concurrat mediis habitibus ad suas operationes. I, 453. Angelus, et homo cum æquali lumine eliciunt visiones beatificas ejusdem perfectionis. I, 263.

ANIMA RATIONALIS non educitur de potentia materiæ. I, 21. In statu separationis quomodo manet individua. I, 41. Quare licet non dependeat in suo *esse* a materia, dependeat tamen in sua individuatione. I, 41. Est occasionata ex corpore. I, 41. Cur tantum in suo initio, non vero in fine dependeat quantum ad individuationem a corpore. I, 41. In statu separationis in quo sensu dicatur habere appetitum naturalem ad reunionem cum corpore. I, 112. In illo statu non cognoscit quidditative per cognitionem naturalem Angelos, bene tamen alias animas separatas. I, 175. Probabile est, etiam cognoscere Angelos quidditative, licet imperfecte. I, 184. Quando est unita corpori, quam habeat intelligibilitatem, et intellectualitatem. I, 328 et deinceps. In quo sensu sit verum quod separata a corpore retardatur a visione beatifica. I, 330. Sit ne illi melius cognoscere per conversionem ad phantasmata, quam sine illa. I, 330. Cur comparetur ab Aristotele, et D. Thom. manui. I, 377. Etsi sit adeo perfecta non satiat appetitum materiæ. I, 22. Ejus objectum proportionatum in statu separationis. I, 22. Ad quem gradum immaterialitatis pertinet in illo statu. I, 22. Anima sola non sufficit ut idem homo resurgere dicatur. I, 28. Non est collectio animarum, quæ petat recipi in materia positive una. I, 28.

Anima Christi Domini tantum habet unam providentiam monarchicam respectu totius universi. II, 25.

ANTECEDENS. Antecedentis necessitas quando inferat necessitatem consequentis. I, 475 et deinceps.

ANTIDORA quid. II, 469. Fit aliquo modo ex justitia. II, 469.

APPETITUS quotuplex, et qualis. I, 110.

Appetitus nimius quando minuit libertatem. II, 86.

Appetitus innatus ex se non dicit imperfectionem. II, 31. Imbibitur in appetitu elicito. II, 31. Et in cognitione. II, 31. Appetitus innatus quomodo reperitur in Deo. II, 31. Invenitur in non cognoscentibus. I, 356. Appetitus, quem habet anima rationalis separata ad reunionem cum corpore in quo sensu dicatur a D. Thom. naturalis I, 112. Appetitus naturalis ad visionem beatificam non datur in natura intellectuali. I, 110 et deinceps. Appetitus naturalis quid dicat essentialiter, et necessario. I, 110. Non dicit solum potentiam obedientialem passivam. I, 110. Quoties datur appetitus innatus ad aliquem finem, dantur vires in natura ad adipiscendum illum. I, 111. Homo quomodo habeat appetitum innatum ad vivendum in omnibus conformiter ad rationem. I, 113. Appetitus innatus, tantum terminatur ad objectum proportionatum, non vero ad objectum specificativum. I, 113. Appetitus innati, et animalis discrimen. I, 356. Appetitus elicitus quotuplex. I, 114. Appetitus elicitus efficax viribus naturæ non datur respectu visionis beatificæ. I, 116. Bene tamen inefficax et conditionatus. I, 116. Appetitus elicitus necessarius quoad specificationem etiam conditionatus ad videndum Deum per essentiam, an inveniatur in viatore. I, 116. Appetitus elicitus non solum appetit, quæ sunt convenientia propriæ formæ, sed etiam quæ conveniunt aliorum formis. I, 356.

Appetitus rectus dat veritatem, vel falsitatem judicio omnino practico. II, 272.

Appetitus queit esse malus, stante intentione alias optima. II, 274.

Appetitus animalis quid. I, 356. Invenitur in cognoscentibus. I, 356. Quid appetit. I, 356.

Appetitus rationalis quid. I, 356. Reperitur in homine. I, 356. Ad quid tendat. I, 356. Vide Inclinatio.

APPROBATIO quid. II, 263. Pertinet ad intellectum. II, 263.

ARISTOTELES. Sentit futura contingentia antequam determinentur in causis non habere veritatem objectivam. I, 503 et deinceps. Non assignavit speciem qualitatis ad quam per se pertineant qualitates supernaturales. I, 249.

ARS, quod habeat objectum. I, 348. In quo distinguitur a prudentia. II, 261, 283. In quo ejus propria perfectio consistit. II, 283. Possit ne ars aliqua esse effectus providentiæ domesticæ. II, 336. Ars in Deo penes quid distinguitur a scientia. I, 348. In quo differt a dispositione, a providentia, et prædestinatione. II, 261, 283. In quo differt a prudentia. II, 283. Ars in Deo non continet creaturas factibiles per modum potentiæ executivæ illarum. I, 453 et deinceps. Subordinatur scientiæ divinæ. I, 453. Quomodo concurrit cum scientia approbationis ad executionem creaturarum. I, 453. Continet intelligibiliter creaturas. I, 453. Subsequitur ad scientiam divinam. I, 453.

ATTRIBUTUM. Attributa divina quid sint. I, 343. In quo distinguantur a relationibus. I, 343. Non sunt objectum per se, et specificativum divini intellectus. I, 393. Immaterialitas eorum ad quem immaterialitatis gradum pertineat. I, 401. Attributa divina quædam sunt quasi respectiva creaturarum, quædam vero non. I, 446. Quotupliciter sint causæ creaturarum I, 447. Quæ sunt quasi respectiva creaturarum, quomodo producant illas, quæ ipsis specialiter assimilantur. I, 447 et 448. Attributa an possint respicere creaturas, ut specificativum virtuale. I, 449. Nunquam tamen, ut specificativum formale. II, 121 et deinceps. Essentia divina quomodo transcendatur in quolibet attributo. II, 52 et deinceps. Quomodo attributa inter se, unum in omnibus, et omnia in quolibet imbibantur. II, 52. Quomodo unum attributum sit perfectius alio. II, 53. Attributa divina quid dicant in ratione transcendentium. II, 126. Quodlibet attributum dicit duplicem conceptum. II. 126. Quilibet iste conceptus quid includat adæquate. II, 126. Divina attributa in quo maxime splendeant. II, 243. Cur sunt partes quasi subjectivæ attributi ut sic, secus vero providentiæ particulares Dei, respectu ejus providentiæ in communi. II, 298. Creaturæ quando debent esse similes attributis a quibus causantur. I, 446. Quod sit primum attributum, quod convenit Deo. I, 448. Quid requiritur, ut unum attributum distinguatur virtualiter ab alio. II, 22 et deinceps. Attributa alia divina possunt manere suspensa circa terminationem ad

ad creaturas, secus vero attributum divinæ voluntatis. II. 73.

AUGMENTUM GRATIÆ. Quando fit propter meritum possit ne dici fieri gratis. II, 449.

AUGUSTINUS. Divi Augustini doctrina in his commentariis perpetuo tradetur. I, 5. Cognovit possibilitatem visionis Dei per essentiam ab intellectu creato. I, 101. Sentit futura contingentia cognosci infallibiliter a Deo, quia sunt præsentia physice in æternitate. I, 540. Docet Deum certo cognoscere futura contingentia conditionata, quæcumque illa sint. I, 583. Cur licet ejus auctoritas in omnibus sit magni habenda, tamen circa scientiæ mediæ possibilitatem potissime de illa sit curandum. I, 610. Non admisit scientiam mediam. I, 611 et 622. Impugnat tam usum hujus scientiæ, quam ejus essentiam. I, 612. Quoties asserit, absolute Deum præscire futura contingentia sine mentione divini decreti, quomodo est intelligendus. I, 622. Ponit in Deo prædiffinitiones immanentes respectu cujuscumque actus boni liberi, seu necessarii creati. II, 160. Necnon etiam respectu entitatis materialis peccati. II, 204 et 205. Cur juxta mentem divi Augustini hujusmodi prædiffinitiones non auferant libertatem creatam. II, 160. Quanta sit ejus auctoritas circa prædestinationis negotium. II, 238. Diffinitio prædestinationis ab eo tradita est optima. II, 301. Electio prædestinatorum ad gloriam juxta ejus mentem non fuit facta ex justitia, sed ex misericordia, et ante prævisa merita. II, 431.

AUXILIUM. Auxilia sufficientia in prædestinatis, et reprobis cujus providentiæ divinæ sint effectus. II, 146 et 358. Non posset Deus damnare reprobos salva eorum libertate, si non illis auxilia sufficientia præstaret. II, 146, 358.

Auxilia ordinis naturæ an sufficiant ad hoc ut homo viveret in omnibus secundum rationem, data hypothesi, quod id naturaliter appeteret. I, 113.

Auxilium Dei supernaturale requiritur, ut homo faciat, quod in se est, ad hoc ut Deus non deneget gratiam. II, 472, 473, 475. Auxilium gratiæ requiritur ad actum amoris Dei, ut est finis naturalis. II, 474.

Auxilii primi gratiæ, et aliorum auxiliorum gratiæ discrimen. II, 476.

Auxilium gratiæ requiritur ad totius legis naturalis observantiam. II, 474. Vide Prædiffinitio extrinseca, Peccatum, et Decreta libera Dei.

B

BEATITUDO possit ne dici prædestinata. II, 241. Deum beatificare homines, quam sit conveniens. II, 243. Beatitudo est effectus prædestinationis electorum. II, 243 et 323. Sit ne prius volita a Deo, quam substantia prædestinati. II, 252. Velit ne illam Deus prædestinato per amorem concupiscentiæ. II, 252. Quomodo stat, quod Deus velit illam prædestinato per amorem concupiscentiæ, et nihilominus velit illam per modum ultimi concupiti. II, 252. Electio ad beatitudinem fuit facta ad illam per modum coronæ. II, 455. Et tamen fuit facta gratis, et ante prævisa merita juxta mentem Scripturæ. II, 417. Id ipsum sentiunt sancti Patres. II, 428. Idemque recta ratio suadet. II, 438.

Beatitudo in executione datur propter merita. II, 426, 433, 455. Cur intentio dandi illam nequit esse simul ex justitiæ et misericordia. II, 450 et deinceps. Beatitudo cur promittitur sub conditione, etsi intentio dandi illam sit absoluta. II, 456. Quid senserint Massilienses circa electionem ad illam. II, 432, 433. Quid nonnulli ex Pelagianis. II, 356, 433. Aliquando est inæqualis in beatis. I, 251. Aliquando vero æqualis. I, 250. In pueris tamen semper est æqualis. I, 250. His datur per modum hæreditatis. I, 250. Quæ beatitudo intelligitur in Scriptura nomine denarii. I, 250. Beatitudo quomodo sit finis Incarnationis. II, 246. Licet beatitudo, et gratia in sua radice dentur gratis, quomodo gratia donetur magis gratis quam beatitudo. II, 470. Beatitudo in divinis est prædicatum essentiale. I, 286. Non competit prius prioritate originis Patri, quam Filio. I, 286. Vide Scientia Dei, et Visio Dei.

BEATI. Nequeunt comprehendere Deum etiam de potentia absoluta. I, 271. Vident omnia necessaria, quæ sunt in Deo formaliter. I, 280. Implicat, quod videant essentiam divinam sine personis. I, 283. Aut unam personam sine alia. I, 283. Vident actus liberos Dei immediate in se ipsis ex vi visionis beatificæ. I, 290. Nequeunt tamen omnes actus liberos, qui sunt in Deo, intueri. I, 291. Bene tamen omnes, qui sunt circa suum statum. I, 291. Quilibet beatus videt omnia genera, et species hujus universi. I, 294. Ex eo præcise quod unus beatus videat plura individua, quam alius, non est beatior illo. I, 294. Beati possunt videre in essentia divina, ut in causa, vel objecto ex vi visionis, effectus existentes in aliqua differentia temporis. I, 295. Cur ad cognoscendos illos, debeant determinationem suæ causæ etiam videre. I, 297. Possunt optime videre essentiam divinam, non viso aliquo effectu existente in aliqua differentia temporis. I, 298. Licet nequeant ex vi visionis beatificæ videre omnes creaturas possibiles, bene tamen aliquas. I, 302. Quare potius intueantur has, quam illas. I, 303 et deinceps. Intellectus cujuscumque beati est causa principalis suæ visionis beatificæ. I, 204. Beatorum laureolæ sunt effectus prædestinationis eorum. II, 344. Vide Visio clara Dei, Effectus prædestinationis, et Prædestinatio.

BONITAS DIVINA. Amatur a Deo amore proprie et stricte dicto. II, 59. Quando amatur a Deo necessario tam quoad specificationem, quam quoad exercitium. II, 51. Quando vero libere. II, 55. Bonitas divina licet sit una tantum in *esse* rei, est tamen multiplex in *esse* objecti attingibilis ab attributis divinis. II, 63. Quam consonum sit bonitati divinæ, quod communicetur creaturis modo intellectuali. II, 242. In quo resplendeat maxime. II, 243. Quid habeat ratione cujus sit ratio volendi potius has creaturas, quam illas. II, 445. Bonitas divina est objectum motivum, et terminativum voluntatis Dei. II, 42. Data hypothesi quod creaturæ possibiles amarentur necessario a Deo, cur magis tunc divina bonitas diligeretur. II, 78. Ut est objectum divinæ voluntatis, ut natura, et ut libertas, non est multiplex in *esse* objecti. II, 98.

BONUM. Nequit intelligi, nisi dicat aliquo modo ordinem ad existentiam II, 71. Non est passio entis nominaliter sumpti, sed par-

ticipialiter accepti. II, 74. Bonum, et verum non convertuntur. II, 74. In quo discriminantur. II, 74. Bonum in communi, ut est objectum voluntatis creatæ, ut est libera, et ut est natura, non est multiplex. II, 98. Bonum ex se est diffusivum sui. II, 242. Bonum secundum se præit se ipsum, ut vestitum suis circumstantiis. II, 138. Bonum secundum se terminat voluntatem antecedentem. II, 138. Ut vestitum tamen circumstantiis voluntatem consequentem. II, 138, 139. Bonum, quod aliquo modo non existit, nequit terminare complacentiam. II, 72. Idem bonum nequit in intentione esse elicitive ex justitia, et imperative ex misericordia. II, 451. Cur bonum tantum scribatur in libro vitæ. II, 374. Omne bonum terminat scientiam approbationis Dei. II, 374.

C

CÆLUM. Cælorum motus prout ab Angelo cur non dicitur actio ipsius, sed effectus. II, 300.

CALVINUS, Calvini error circa causalitatem peccati in quo consistat. II, 213.

CAUSA quid. II, 103. Quando causa est efficax, et perfecta producit effectum similem sibi non solum secundum substantiam, sed etiam secundum modum. II, 172. Causæ ultimo ab æterno quoad omnem actualitatem intrinsecam, per quam actu causat, constitutæ cur non correspondeat effectus ab æterno. II, 319. Causa inferior perficitur per conjunctionem ad causam superiorem. I, 248. Idem effectus nequit tribui duplici causæ ejusdem ordinis. I, 205. Quando aliqua actio est propria causæ superioris, semper causa inferior eliciens talem actionem elicit illam in virtute superioris. I, 206. Causa attingens aliquem effectum, non est necesse, ut etiam attingat quidquid necessario connectitur, et identificatur cum illo. II, 208. Intra idem genus causæ quando, et quomodo possit esse prioritas, et posterioritas in causando. II, 252, 481. Causa, quæ influit in actionem alterius causæ, est prior illa in causando. II, 170.

CAUSA MORALIS. Causæ moralis ratio non repugnat Deo. II, 218. Prædestinatio secundum se præcise est causa moralis suorum effectuum. II, 315 et deinceps. Vide Peccatum.

CAUSA LIBERA. Inter causam liberam, et Deum, quod detur pactum. II, 474. Vide Prædiffinitio, et Voluntas creata.

CAUSA EFFICIENS. Est principium extrinsecum individuationis. I, 12. Cur actio illius est ab ea distincta, id vero, per quod materia est radix individuationis, non est distinctum ab ipsa materia I, 51. Quare possit causare simul plures effectus numero tantum distinctos, non vero causa materialis, vel formalis. I, 88. Idem numero effectus quomodo nequeat produci a duplici causa efficienti. I, 205.

Causa efficiens, et ejus effectus cur nequeant ad invicem esse causæ etiam in diverso genere causæ efficientis, secus vero cætera genera causarum. I, 482 et deinceps.

CAUSA PRIMA. Qui sit proprius modus concurrendi causæ primæ cum causa secunda. II, 170. Scientia media tollit a Deo rationem causæ primæ. I, 662. Ad rationem causæ primæ non sufficit voluntas concurrendi simultanee cum causa secunda, aut concursus ipse simultaneus cum illa. II, 170. Causa prima concurrit ad actionem vitalem ut talem causæ secundæ. II, 171. Nequit tamen fieri a causa prima actio vitalis sine causa secunda. I, 238. Causa prima nequit recipere aliquid a causa secunda. II, 170. Deus ut est prima causa clare visus, est objectum supernaturale. I, 111. In quo sensu sit verum, causam primam posse facere per se ipsam quidquid potest facere mediis causis secundis. I, 125. Causa prima nequit habere rationem talis nisi prædiffiniat extrinsece omnes actiones creatas, tam quoad substantiam, quam quoad modum. I, 529. Vide Deus, Scientia media, et Prædiffinitio extrinseca Dei.

CAUSA SECUNDA. Actio prout procedit a causa secunda, etiam debet procedere a prima. II, 170. Necessario requirit aliam voluntatem ex parte causæ primæ præter voluntatem concurrendi simultanee, et præter ipsum concursum simultaneum. II, 170. Si actiones causæ secundæ non prædiffinirentur decreto absoluto Dei, ipsa esset causa prima. II, 171. Causa secunda dependet a prima quoad quamcumque perfectionem, vel modum in ea inventum. II, 178. Actio creata vitalis, ut talis etiam prout a causa secunda est a prima. II, 171. Nequit influere in causam primam. II, 170. Actio vitalis creata nequit fieri a causa prima sine causa secunda. I, 238. Vide Prædiffinitio.

CAUSALITAS. Vide Causa efficiens, Materia, Forma, et Modus.

CHARITAS, quando, et quomodo communicat aliquid cæteris virtutibus. II, 275. Ut communicet illis valorem supernaturalem, eas præire debet. II, 275. Non solum est elicitiva actus amoris, sed etiam actus gaudii. II, 283. Quomodo prius ordinet extrinsece cæteras virtutes ad ejus finem, quam ordinentur ad finem proprium earum. II, 357. Actus aliarum virtutum sunt imperative a charitate. II, 357. Cur producit aliquid supernaturale intrinsecum in actibus virtutum acquisitarum, secus vero prædestinatio in suis effectibus naturalibus. II, 359 et deinceps. Quando postulat, ut id quod amatur, habeat rationem ultimi finis. II, 46. Etiam quando tendit ad proximum petit essentialiter tendere in Deum. II, 46. Charitati opponitur immediate peccatum. I, 465. Charitas, et meritum quomodo proportionentur inter se. I, 262. In quo sensu dicatur, quod charitas habet virtutem infinitam ex parte termini a quo. II, 194. Actus charitatis sunt dispositiones perfectæ ad gratiam. II, 244. Ejus actus terminatus ad Deum auctorem naturalem, quomodo queit esse entitative supernaturalis. II, 475. Habitus charitatis, ut eliciat actum intensiorem se ipso, indiget auxilio supernaturali. I. 247.

CHRISTUS DOMINUS. Christo Domino prædestinato cur fuit conveniens, quod etiam alii homines prædestinarentur. II, 244, Ejus sanctissima anima cur nequit esse instrumentum physicum nostræ prædestinationis. II, 251. Omnes prædestinati sunt electi ad gloriam propter Christi merita. II, 336. Justitia originalis licet non fuerit ex meritis Christi, fuit tamen ordinata ad illum tanquam ad finem. II, 354. Fuit primo omnium volitus a Deo tanquam illorum finis. II, 264 et 351. Ejus prædestinatio non distinguitur quasi

quasi specifice a prædestinatione nostra, et Angelorum. II, 299. Cur nequeunt ipse, nec ejus merita esse effectus nostræ prædestinationis. II, 321. Ejus merita cur non sint media ad nostram beatitudinem, etiamsi sint merita respectu illius. II, 322. Christi merita quomodo supponuntur, quando per indulgentias eorum nobis fit applicatio. II, 322. Sit ne Christus mortuus propter permissionem peccati, ut cedit in utilitatem electorum. II, 367. Licet complacuerit in propria passione, displicuit tamen ei peccatum crucifigentium eum. II, 367. Christus Dominus excedit intensive et extensive omnium beatorum visiones in unum collectas. I, 255. Prædestinatio ejus quomodo est prior, quam justitiæ originalis decretum. II, 393 Necnon et quam permissio peccati originalis. II, 393. Corpus Christi Domini cur nequit in Eucharistia videri oculis corporeis. I, 286. Ejus anima unicam tantum habet providentiam monarchicam respectu totius universi. II, 25. Christus Dominus fuit prædestinatus filius naturalis Dei. II, 244. Fuit etiam prædestinatus, ut Redemptor. II, 354. Ejus prædestinatio est exemplar nostræ prædestinationis. II, 479. Fuit electus ad gloriam absque prævisione meritorum. II, 479 Unio hypostatica cur non habuit dependentiam a libero arbitrio Christi Domini, secus vero gloria corporis II, 479. Non meruit unionem hypostaticam. II, 480. Bene tamen meruit sui nominis exaltationem. II, 480. Solus ipse potest mereri alteri de condigno donum supernaturale. II, 487. Cur ipse queit mereri nobis merito de condigno omnes effectus nostræ prædestinationis, non vero purus homo queit illos alteri mereri merito de congruo. II, 489. Vide Unio hypostatica.

CHRYSOSTOMUS, cognovit possibilitatem Dei per essentiam. I, 100. Nunquam Semipelagianis adhæsit. II, 475.

COGNITIO quidditativa Dei cur coïncidat cum cognitione intuitiva ipsius. I, 93. Cognitio perfecta, et inconfusa petit volitionem perfectam et inconfusam. II, 443.

Cognitio divina nonnunquam a sanctis Patribus nomine scientiæ insignitur. II, 303.

COGNOSCENTIA. In quo peculiarissime differant a non cognoscentibus. I, 354. Vide Objectum, Potentia, et Species intentionales et intelligibiles.

COMMENTARIA ista in D. Thomam quare cursus Theologici titulo insigniantur. I, 1. Cur non a prima et secunda q. 1 p., sed a tertia initium sumpserit. I, 2. Eorum partitio divisio et methodus. I, 3 et deinceps. Commentaria ista tantum disputationes illas, quæ in scholis ventilantur, continent. I, 2. Doctrina sanctorum August. et Thom. in illis perpetuo tradetur. I, 5.

COMMUNIO SANCTORUM Ecclesiæ militantis quam petat communicationem meritorum inter fideles. II, 487.

COMPLACENTIA creata, aut increata nequeunt terminari ad objectum, quod aliquo modo non existit. II, 72.

Complacentia supponit voluntatem efficacem, et operativam. II, 81.

Complacentia in Deo circa aliquas creaturas futuras est necessaria necessitate quoad specificationem. II, 82. Nequit versari circa creaturas possibiles præcise ut tales. II, 70.

COMPLUTENSES. Cur in omnibus consonantiam servant ipsi, et iste cursus Theologicus. I, 2.

COMPONERE unum cum alio quid sit. II, 189.

COMPREHENSIO quid. I, 267. Nullus beatus queit de potentia absoluta comprehendere Deum. I, 270. Ad comprehensionem alicujus potentiæ quod objectum illius debeat cognosci. I, 108 et 109. Comprehensio, vel supercomprehensio præcise, qua Deus comprehendit causas proximas creatas cum suis circumstantiis, non sufficit, ut cognoscat futura conditionata absoluta ante decretum suæ voluntatis. I, 497. Quid requiritur ad supercomprehensionem. I, 498. Data hypothesi, quod daretur lumen infinitum, posset ne tunc quis comprehendere Deum. I, 277. Vide Visio Dei.

CONCEPTIO. Dicit actum intellectus, et terminum per illum productum. II, 260.

CONCUPISCENTIA. Possit ne extendi ad peccatum, ut tale reduplicative. II, 212. Quomodo intelligitur illud Jacobi : *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua.* II, 212.

CONCURSUS DEI. Concursus simultaneus Dei cum creatura non sufficit ut salvetur in illo ratio primæ causæ. II. 170. Ex necessitate concursus simultanei causæ primæ cum causa secunda quomodo colligitur indigentia præmotionis extrinsecæ Dei ad omnes operationes creatas. II, 172. Concursus divinus cum causa secunda ad operandum, qui sit indifferens ad actum positivum, vel ad actum, et ejus privationem, repugnat perfectioni divinæ. I, 663. Vide Causa prima, Causa secunda, Decreta libera Dei, et Prædiffinitio extrinseca ejusdem.

CONFIRMATIO IN GRATIA. Quid addat supra donum gratia. II, 197.

CORRECTIO. Cur iteranda multoties. II, 333. Correctionis fraternæ præceptum non necessario supponit peccatum, sed fragilitatem naturæ. II, 333.

CONSENSUS. Vide Intentio, et Electio.

CONSEQUENS Quando infertur necessario ex antecedenti necessario. I, 475.

CONSILIUM. Cur nequit in recto constituere electionem. II, 242.

CONSTITUTIVUM, et distinctivum idem sunt. I, 39. Constitutivum alicujus potest esse in duplici differentia. I, 420. Constitutivum quando non est necessarium, ut distinguatur, distinctione rationis cum fundamento in re, ab eo quod constituit. I, 420. Constitutivum divinæ essentiæ, tantum est intellectio divina. I, 418. Vide Essentia divina, Intellectio, et Volitio

CONTRITIO. Quomodo ex parte termini *a quo* habet virtutem infinitam. II, 194. Contritio est dispositio perfecta ad gratiam. II, 194.

CREATURÆ. Nequeunt convenire genere cum Deo. I, 158. Creaturæ, et Deus licet nequeant convenire univoce in aliqua ratione *quæ*, bene tamen in aliqua ratione *sub qua*. I, 98. Creaturæ possunt esse specificativum virtuale alicujus attributi divini. I, 449. Terminant actum voluntatis divinæ. II, 37. Non tamen sunt objectum formale motivum, nec terminativum prædictæ voluntatis. II, 42. Quomodo amentur a Deo amore effectuali, non vero affectuali. II, 43. Quomodo intelligitur, quod dicunt sancti

Patres, quod *Deus amans creaturas extasim patitur*. II, 71. Nequit manere suspensa divina voluntas, et quasi negative se habens circa creaturas. II, 89. Creaturæ quædam magis latent in essentia divina, quædam vero minus. I, 304.

CREATURÆ POSSIBILES. Cur nequeunt omnes ab intellectu creato cognosci; bene tamen Deus ut est in se. I, 99. Creaturæ possibiles spectantes ad aliud universum comprehenduntur sub objecto adæquato intellectus Angelici, et nihilominus non est necesse ut Angelus comprehendens suum intellectum, cognoscat illas in particulari. I, 108 et 109. Creaturæ possibiles sunt objectum materiale connaturale respectu omnipotentiæ. I, 109. Essentia divina habet necessariam connexionem cum creaturis possibilibus. I, 302. Quomodo ex impossibilitate earum colligeretur impossibilitas divinæ essentiæ, et e contra. I, 302. Quare potius istæ, quam illæ cognoscuntur a beatis in divina essentia. I, 303 et deinceps. Quo perfectius est lumen gloriæ, plures creaturas possibiles attingit. I, 303. Creaturæ possibiles sunt objectum scientiæ simplicis intelligentiæ. I, 303. Creaturæ possibiles præcise, ut tales nullam habent bonitatem. II, 71. Ex necessaria connexione, quam omnipotentia nunc habet cum creaturis possibilibus, non sequitur Deum diligere illas, ut tales. II, 76. Nequeunt amari a Deo nec libere, nec necessario præcise ut sunt possibiles. II, 70. Si tamen haberent bonitatem ad hoc ut a Deo amarentur, in illa hypothesi diligerentur a Deo necessario, et non libere. II, 76. Quomodo et si Deus ipsas necessario amaret, tunc plus unam, quam aliam diligeret. II, 78. Quomodo etiam in illa hypothesi magis necessario divina bonitas amaretur. II, 78 In illo casu cur divinus amor non ab illis specificaretur, etsi tenderet necessario in ipsas. II, 78. Tunc in quo sensu diceretur amor ille effectionis II, 78 et 80.

CREATURÆ FUTURÆ Aliquæ creaturæ futuræ amantur a Deo amore efficaci, vel amore complacentiæ necessario necessitate quoad specificationem. II, 81. Ordinantur ad Christum Dominum tanquam ad finem. II, 264, 321, 350. Cognitio divina creaturarum futurarum concomitatur cognitionem, per quam procedit Verbum divinum. I, 489. Cognoscuntur a Deo in suis decretis. I, 527. Non tamen in decretis, ut futuris. I, 485. Accipiunt suam futuritionem a divinis decretis in genere causæ efficientis. I, 480, 481. Ante prædicta decreta non habent veritatem objectivam. I, 502.

Creaturæ futuræ ordinis naturalis ordinantur ad Eucharistiam, et ad justos tanquam ad finem. II, 350.

CREATURÆ EXISTENTES in differentia temporis possunt videri a beatis ex vi visionis beatificæ. I, 295. Sunt objectum scientiæ simplicis intelligentiæ secundum suas quidditates. I, 433. Est Deus liberrimus in productione earum. II, 83. Quando debeant esse similes attributis divinis a quibus causantur. I, 446.

Creaturæ existentes in aliqua differentia temporis ordinantur ad Christum Dominum tanquam ad finem. II, 264, 321, 350. Creaturæ ordinis naturalis aliquando existentes ordinantur ad Eucharistiam, et ad justos, ut ad finem II, 350.

CREDIBILITAS fidei nostræ; evidentia unde sumatur. I, 109.

CRUDELITAS, quid? II, 76, 375. Deus non exercet crudelitatem etiamsi nolit dare gloriam reprobis, ut est beneficium indebitum ante prævisa demerita. II, 76.

CURA quid. II, 266. Ad quam potentiam pertineat. II, 266. Quomodo includatur in providentia. II, 266. Aliquandos umitur pro actu imperii. II, 266.

D

DAMASCENUS. Quomodo intelligat voluntatem antecedentem et consequentem. II, 139.

DECRETA LIBERA DEI. Videntur a beatis ex vi visionis beatificæ immediate in se ipsis. I, 290. Nequeunt tamen videri omnia decreta, quæ sunt in Deo ab aliquo intellectu beato. I, 291. Bene tamen illa, quæ sunt circa suum statum, I, 291. Ad hoc ut Deus cognoscat futura contingentia per suam essentiam, requiruntnr decreta libera.. I, 479, 480. 485, 521. Decreta Dei nequeunt habere rationem futurorum. I, 527. Neque in ipsis, ut futuris queit Deus attingere creaturas futuras. I, 385. Si attingeret Deus creaturas in decretis ut futuris, tolleretur libertas divina. I, 490 et deinceps. Decreta libera Dei sunt causa futuritionis creaturarum in genere causæ efficientis. I, 481, 482. Ante prædicta decreta futura contingentia, non habent veritatem objectivam. I, 502. Si per hæc decreta Deus non determinaret futuritionem omnium eorum, quæ quomodocumque pendent a voluntate creata, non esset causa universalissima. I, 487. Efficacitas absoluta horum decretorum non tollit libertatem voluntatis creatæ, sed potius conducit ad illam. I, 535; II, 160. Si non darentur talia decreta circa futuritionem actuum liberorum voluntatis creatæ, ipsa esset causa prima. II, 170. Decretum Dei in ordine ad actum voluntatis in communi sine eo quod determinet actum quoad suam speciem, et individualem rationem, non sufficit ut Deus dicatur causa prima. I, 532. Sicut etiam non sufficit decretum sub conditione, si voluntas creata voluerit concurrere ad talem actum. I, 532. Per decreta ista non solum cognoscuntur a Deo futura quoad an est? sed etiam quoad quid est ipsorum. I, 533. Formalissima ratio eorum non consistit in relatione rationis. I, 533. Futura contingentia conditionata, sive disparata, sive quæ habent probabilem connexionem cum conditione, cognoscumtur a Deo in suis decretis. I, 588 et 593. Non potest divina voluntas manere suspensa sine decreto positivo de futuritione, vel non futuritione cujuscumque futuri, sive absoluti, sive conditionati. I, 594; II, 160. Si tamen non haberet prædictum decretum positivum, sed tantum negativum, quid in illa hypothesi infallibiliter Deus cognosceret. I, 594, 595. Decreta ista quam mutationem ponant in futuris conditionatis. I, 596. Quem ordinem prioris, et posterioris servent inter se. II, 127, 399, 402. Quomodo fiat distributio inter decreta divina, et rationes, quas determinant, vel permittunt in peccato. II, 215. Etiamsi detur decretum efficax,

efficax circa entitatem physicam peccati, non est titulus sine re decretum permissivum malitiæ illius. II, 214. Nequit assignari prioritas, et posterioritas in decretis, nisi quando invenitur in objectis per illam determinatis. II, 137, 441, 445. Vide prædeffinitio, Peccatum, Scientia Dei, Æternitas, et Actus liber Dei.

DENOMINATIO intrinseca potest aliquando convenire subjecto de novo sine nova ejus mutatione. I, 560; II, 118, 131. Quare in Deo quædam denominationes, quæ conveniunt illi ex connotatione creaturarum, adæquate mensurentur æternitate, aliæ vero non? I, 560. Denominatio uniti cum humanitate est intrinseca Deo. I, 561. Denominatio libere volentis in Deo quid. I, 560. Denominatio hæc libere volentis est intrinseca Deo. I, 560 et deinceps. A qua forma proveniat illi hujusmodi denominatio. I, 569. Prædicta denominatio libere volentis mensuratur æternitate. II, 149. Hujusmodi denominatio, quomodo possit adesse et abesse a Deo sine ejus imperfectione. II, 131 et deinceps. Quomodo nihilominus possit provenire a volitione increata. II, 122 et deinceps.

Diversa denominatio provenit actui aliquando ab objecto primario, ac est illa quæ provenit a secundario. II, 122. Denominatio intellecti in objecta sit ne intrinseca illi. I, 191 et 195.

DERELICTIO Dei, quomodo sit posterior, quam peccatum originale ex parte Adami. II, 401. Vide Permissio peccati, et Prioritas, et Posterioritas.

DEUS est peculiariter primum principium extrinsecum individuationis. I, 12. Ejus existentia est immultiplicabilis. I, 19. Est intra objectum adæquatum intellectus creati. I, 95, Quam habeat proportionem cum intellectu creato, ut est ejus objectum. I, 95. Potest convenire univoce cum creaturis in aliqua ratione *sub qua* extrinseca, non vero in aliqua ratione *quæ*, et ipsis intrinseca. I, 97. Cur Deus, ut est in se possit cognosci ab intellectu creato, non vero omnes creaturæ possibiles. I, 98. Deus ut est prima causa, et ut est unus clare visus, est quid supernaturale. I, 111. Cur non potest uniri in ratione formæ naturalis cum creatura; bene tamen in ratione formæ intelligibilis I, 132 et deinceps, et 254. Non datur species creata quæ repræsentet Deum quidditative, et prout est in se. I, 128 Sed ipse unitur in ratione speciei intelligibilis cum intellectu beati. I, 128 Nequit etiam de potentia absoluta dari prædicta species I, 154. Cur non repugnet species creata repræsentans per se primo creaturam, et secundario Deum quoad an est? I, 155. Nequit Deus convenire generice, aut specifice cum creaturis. I, 157. Esse objectum actu intellectum est essentiale Deo. I, 191. Nequit videri ut est in se etiam de potentia absoluta per intellectum aliquem creatum, vel creabilem ordinis naturalis, et non elevatum. I, 203. In quo sensu sit verum, Deum posse facere se solo quidquid facere potest mediis causis secundis. I, 238. Nequit uniri in ratione luminis gloriæ cum intellectu creato I, 244. Cur potest uniri in ratione existentis et subsistentis cum creatura; non tamen in ratione luminis gloriæ. I, 244. Nequit comprehendi etiam de potentia absoluta ab ullo intellectu creato etiam elevato. I, 271. In Deo formaliter invenitur cognitio intellectiva. I, 319. Scientia non est constitutivum ejus. I, 342. Nec ratio substantiæ spiritualis per essentiam est potissimum ejus constitutivum. I, 405. Nec ratio intellectivi radicaliter præcise sumpta. I, 417. Sed constituitur in sua essentia per intellectionem actualissimam. I, 417. Repugnat Deo unitas per accidens formaliter, quomodocumque ponatur. I, 407. Secus vero unitas per accidens virtualiter tantum. I, 407. Nomen *qui est*, quomodo est propriissimum Dei. I, 422. Non habet potentiam executivam distinctam a scientia practica. I, 443. Cognoscit mala sive culpæ sive pœnæ. I, 461. Nequit tamen illa cognoscere, nisi per bona creata, quibus opponuntur. I, 463. Nihil est Deo immediate oppositum. I, 463. Denominatio uniti cum humanitate est intrinseca Deo. I, 561. Quid requiritur in Deo, ut unum attributum distinguatur virtualiter ab alio. II, 16, 22. Habet voluntatem proprie dictam. II, 2. Diligit se necessario necessitate, tam quoad specificationem, quam quoad exercitium. II, 50. Ipse vero, ut est ratio volendi creaturas, amatur libere. II, 54. Determinat effectus, non solum quoad substantiam, sed etiam quoad modum. II, 177. Habet magis in sua potestate voluntates hominum, quam ipsimet homines. II, 178. Optime queit esse causa moralis. II, 219. Quod Deus communicetur creaturis intellectuali modo, quam sit convenienis. II, 242. Ordo cognoscendi et volendi objecta creata in ipso. II, 137, 264, 399, 402. Cur non peccet Deus in permissione peccatorum. II, 388. Etsi repugnet Deo operari propter causam finalem, non tamen propter aliquam rationem finalem. II, 288. Quod habeat pactum cum causa libera circa dispositionem ad dona gratuita. II, 475. Vide Causa prima, Decreta libera Dei, Futura contingentia, Immaterialitatis gradus, Species intelligibilis, Prædiffinitio extrinseca, Peccatum, Peccatores, Scientia Dei, Intellectio divina, Voluntas, et Volitio divina, Verbum divinum, et Visio clara Dei.

DIFFERENTIA SPECIFICA, non distinguitur in Angelis, nec virtualiter a differentia numerica. I, 16. Semper debet provenire a forma. I, 16. In Angelis quomodo coarctet eorum genus. I, 18. Nomine differentiæ specificæ potest intelligi tota species. II, 309.

DIFFERENTIA INDIVIDUALIS, non solum constituit individuum in ratione indivisi a se, sed etiam in ratione distincti a quolibet alio. I, 38.

DILECTIO. Vide Charitas, et Amor.

DISPENSATIO legis quomodo fieri debeat a Deo. II, 113.

DISPLICENTIA Dei, quomodo supponat actum efficacem, et operativum. II, 81. Displicentia in Deo circa peccatum actuale est necessaria necessitate quoad specificationem, et exercitium. II, 82.

DISPOSITIO in quo distinguitur ab habitu. I, 249.

DISPOSITIO PROUT EST VIRTUS intellectualis quid. II, 261. In quo distinguitur ab arte, a providentia et prædestinatione. II, 261. Cur ejus actus frequenter attribuuntur providentiæ. II, 261. Providentia cur est causa dispositionis. II, 261.

DISPOSITIO AD FORMAM. Nequit esse connaturalis subjecto, nisi etiam forma con-

veniat illi connaturaliter. I, 208. Ad quas formas requiratur semper dispositio. I, 228. Dispositio quæ requiritur ad effectum primarium, requiritur etiam ad secundarium. I, 233. Quomodo sit verum, quod qui potest introducere dispositionem destructivam formæ, possit etiam destruere ipsam formam. II, 185. Ultima dispositio potest produci per eamdem actionem ac formam, ad quam disponit. I, 136 et 137. Dispositiones pertinent ad genus causæ materialis. I, 55. Quomodo sint priores et posteriores, quam forma. I, 55 et deinceps. Dispositio et forma debent esse ejusdem ordinis. I, 208; II, 471. Est exordium formæ. II, 471. Ordinatur ad formam tanquam ad finem. II, 472.

DISPOSITIO AD GRATIAM, debet esse ejusdem ordinis cum ipsa. II, 471. Ordinatur ad gratiam tanquam ad finem. II, 472. Nequit dari aliqua dispositio ordinis naturalis ad receptionem gratiæ. II, 471. Dispositio moralis ad gratiam, quam proportionem debet habere cum illa. II. 472. Dispositio ad gratiam quotuplex. II, 474. Charitas, et contritio quomodo sint dispositiones ad gratiam. II, 474. Attritio et timor supernaturales sunt dispositiones imperfectæ ad gratiam. II, 474. Cur nequit dari ex parte nostri liberi arbitrii dispositio ad primum effectum nostræ prædestinationis. II, 479. Nequit etiam dari dispositio supernaturalis meritoria de congruo ejusdem gratiæ. II, 470.

DISTINCTIO proveniens a forma non est numerica, sed specifica. I, 15. Distinctio formalis nequit provenire à materia ut tali. I, 16 et 17. Distinctio a quolibet alio pertinet ad rationem individui ut talis. I, 39. Distinctio substantialis petit necessario provenire a substantia. I, 39. Distinctio virtualis sit ne distinctio rationis. I, 339. Distinctio realis actualis, quæ præexistat ante separationem extremorum, non semper recte deducitur ex separatione unius ab alio. I, 379. Quotuplex modus distinctionis realis. I. 379 et deinceps. Quid requiritur in Deo, ut unum distinguatur virtualiter ab alio. II, 16, 21.

DISTINCTIVUM, et constitutivum sunt idem. I, 39.

DOMINIUM. In Deo cur nequit multiplicari quasi specifice. II, 294.

DONATIO remunerativa non est omnino gratis, sed aliquo modo ex justitia. II, 470.

DONUM SPIRITUS SANCTI, quod correspondeat actui imperii, quodnam sit. II, 279. Cur non annumeretur sub nomine actus imperii, vel præcepti. II, 279. Proprium ejus munus. II, 279.

DONUM GRATUITUM. Admittit rationem talis si fiat propter meritum de congruo. II, 470 et 471. Dona gratiæ in Scriptura quo nomine insigniantur. II, 473.

E

EFFECTUS. Cur aliquando procedit similis suæ causæ tam secundum modum, quam secundum substantiam, aliquando vero non. II, 172. Deus prædeterminat per suum decretum omnes effectus causarum secundarum non solum quoad substantiam, sed etiam quoad modum II, 176. Idem effectus numero quomodo nequit tribui duplici causæ ejusdem ordinis. I, 70. Effectus omissionis quid requirit ut sit voluntarius. II, 368. Causæ ultimo ab æterno constitutæ quoad omnem actualitatem intrinsecam cur non correspondet effectus ab æterno. II, 319. Cur plures effectus solo numero differentes possunt causari ab una numero causa efficienti, non vero ab una numero causa materiali vel formali. I, 88. Effectus primarius et secundarius eamdem petunt dispositionem. I, 233. Effectus quando nequit esse conditio prærequisita, a qua dependeat sua causa. II, 464. Quando et id nequeat esse dispositio ejusdem causæ. II, 470. Nequit esse causa efficiens suæ causæ efficientis in diverso genere causæ efficientis. II, 470. Effectus existentes in aliqua differentia temporis possunt videri in essentia divina, ut in causa, vel objecto ex vi visionis essentiæ. I, 295. Idem effectus quomodo queat subordinari multiplici providentiæ divinæ. II, 353.

EFFECTUS PRÆDESTINATIONIS Ut aliquid sit effectus prædestinationis quas conditiones debet habere. II, 321. Primus effectus prædestinationis nequit mereri merito de congruo per opera naturalia. II, 467. Neque etiam potest dari dispositio naturalis ad illum. II, 469. Sicut nec conditio necessaria ordinis naturalis. II, 474. Neque etiam per opera supernaturalia potest quis mereri merito de congruo prædictum primum effectum. II, 477. Primus effectus prædestinationis cur nequit dependere a dispositione liberi arbitrii prædestinati. II, 477 et 480. Omnes effectus prædestinationis non potest purus homo alteri mereri merito de congruo. II, 485. Bene tamen aliquos. II, 484. Effectus prædestinationis sunt glorificatio. II, 247 et 323. Beatorum laureolæ, II, 344. Vocationes omnes efficaces. II, 333 et etiam inefficaces. II, 332. Omnis justificatio etiam interrupta. II, 325 et 326. Actus supernaturales etiam prout a libero arbitrio procedunt. II, 339 et 346. Omnia dona supernaturalia. II, 343. Omnes permissiones peccatorum. II, 362. *Esse*, et substantia prædestinati. II, 348. Omnes creaturæ ordinis naturalis. II, 348. Non tamen est necesse, ut omnes illæ sint effectus prædestinationis cujuscumque electi. II, 353. Substantia reproborum, et eorum damnatio etiam est effectus prædestinationis electorum. II, 353. Effectus naturales imperati a prædestinatione cur non debent participare aliquid intrinsecum supernaturale ab illa, secus vero actus virtutum naturalium a charitate imperati. II, 359.

EFFECTUS REPROBATIONIS. Quomodo permissio peccati Adami sit effectus reprobationis damnatorum. II, 397. Cæteræ omnes peccatorum permissiones, propter quæ reprobus damnatur, sunt effectus suæ reprobationis. II, 403. Necnon substantia reprobi. II, 408. Et similiter carentia divinæ visionis, tam ut est pœna, quam ut est indebitum beneficium. II, 403. Inter effectus reprobationis connumeranda sunt perseverantia in peccato. II, 403. Omnia dona tam naturalia, quam supernaturalia. II, 411. Totum universum ordinis naturalis. II, 412.

EFFICIENS. Vide Causa efficiens, et Effectus.

ELECTIO. Cur nequit coalescere in recto ex actu intellectus, et voluntatis. II, 257. Executio mediorum addit difficultatem supra electionem. II, 263. Intentio cur aliquando nuncupatur electio. II, 279. Quomodo sit prior, et posterior in ordine directo, et reflexo quam imperium.

imperium. II, 278 et 279. Ut est usus in ordine reflexo, quam difficultatem novam dicat supra se ipsam, ut est electio. II, 278 et 279. Electio est consensus sui in ordine reflexo. II, 280. Electio efficax mediorum necessario præsupponit intentionem efficacem finis. II, 441. Etiamsi electio terminetur ad merita, et intentio ad finem per modum præmii, hæc necessario præsupponitur ad illam. II, 442 et deinceps. Quamvis intentio sit respectu finis ab alio exequendi, necessario præsupponitur ad electionem. II, 448. Sicut etiam si sit electio medii, de cujus efficacia certo constet eligenti. II, 446. Ad hoc ut salvetur quod intentio præcedat electionem, non sufficit, quod in electione mediorum virtualiter includatur intentio finis. II, 446. Non est satis, quod præcedat electionem efficacem intentio inefficax. II, 446 et deinceps. Electio inæqualis respectu creaturarum quomodo queat præsupponere intentionem æqualem, et efficacem respectu Dei. II, 447. Non sufficit ad electionem judicium synderesis. II, 275. Quod judicium requiratur ad electionem. II, 275. Stante intentione, alias optima, queit electio esse prava. II, 275. Media ut sunt objectum electionis diversimode terminant, ac ut sunt objectum actus usus. II, 275. Electio cur non constituatur in recto per consilium. II, 259.

ELECTIO DEI qua eligit ad gloriam cur aliquando non insigniatur nomine intentionis. II, 280. Electio prædestinatorum fuit facta ad gloriam per modum coronæ. II, 455. Non fuit facta propter prævisa merita juxta mentem Scripturæ. II, 417. Et juxta auctoritatem sanctorum Patrum. II, 428. Idque optima ratio suadet. II, 438. Electio in confuso, et non in particulari nequit reperiri in Deo. II, 446. Electio proprie dicta, ac formalis mediorum, quæ virtualiter sit intentio finis, et non præsupponat ipsam intentionem formalem finis, saltim ex parte nostri modi concipiendi distinctam, nequit esse in Deo. II, 448. Electio mediorum in particulari ad gloriam quem ordinem prioris, et posterioris habeat cum intentione dandi gloriam. II, 452. Non sufficit, quod præcedat electionem mediorum intentio ostendendi divina attributa. II, 454. Quomodo electio divina mensuretur æternitate, quomodo possit esse posterior, aut prior aliis actibus. II, 453 et deinceps. Electio Dei an distinguatur virtualiter ab intentione. II, 455. Electio mediorum in Deo, an causetur a volitione finis. II, 134.

ENS participialiter sumptum habet pro passione bonum, non vero ens nominaliter sumptum. II, 74. Ens ut abstrahit a naturali, et supernaturali, non est evidens lumine naturali, esse objectum adæquatum intellectus creati. I, 107. Omnia entia ordinis naturalis sunt effectus prædestinationis electorum. II, 348. Entia naturalia possunt cadere sub merito. II, 348; et sub spe Theologica. II, 349. Potest etiam pro illis oratio fieri ad Deum. II, 349. Ordinatur ad Eucharistiam ut ad finem. II, 350, et ad homines justos. II, 350. Entia corporea ordinis naturalis subduntur homini. II, 353.

EPICHEIA, in voluntate, cui virtuti correspondeat in intellectu. II, 271.

ESSE entitativum an dicat limitationem, non vero *esse* intelligibile. I. 132 et deinceps. Qui non habet *esse* a se, neque etiam operari. II, 169. *Esse* prædestinati est effectus prædestinationis ejus. II, 348. *Esse* alicujus prædestinati quomodo queit cadere sub merito. II, 349. Ac sub spe Theologica. II, 349. Quomodo potest oratio fieri pro illo ad Deum. II, 349. *Esse* reproborum est effectus prædestinationis electorum: II, 349. Et reprobationis ipsorum. II, 427.

ESSENTIA. Essentiæ etiam si sint æternæ, et necessariæ, habent causas suæ necessitatis. I, 336.

ESSENTIA DIVINA. Non redditur intellecta per Verbum divinum, sed e contra Verbum per essentiam. I, 198. Cur requirit necessario dispositionem ut uniatur in ratione speciei intelligibilis, secus vero Verbum divinum ut uniatur hypostatice. I, 229. Unitur in ratione speciei intelligibilis cum intellectu beati. I, 128. Implicat contradictionem species impressa creata quæ repræsentet eam prout est in se. I, 154. Nequit dari Verbum creatum, quod repræsentet illam prout est in se. I, 121, 124, 183. Ratio objecti, speciei intelligibilis, et intellectus sunt omnino idem cum essentia divina. I. 393, 394 395. Quare ut gerit munus speciei intelligibilis, non uniatur in *esse* entitativo cum intellectu beati, secus vero cæteræ species intelligibiles. I, 129. Influit active in visionem beatam, quando gerit munus speciei impressæ. I, 143. Habet necessariam connexionem cum creaturis possibilibus. I, 302. Quomodo ejus impossibilitas colligatur ex impossibilitate creaturarum, et e contra. I, 302. Quid exprimit, ut est objectum intellectus divini, quid vero, ut est objectum scientiæ Dei. I, 314. Essentia divina prout est distincta ab attributis et relationibus, est objectum per se primum, specificativum intellectionis divinæ. I, 393. Non distinguitur virtualiter a natura. I, 405. Non constituitur in sua ratione formali per ratiotnem substantiæ spiritualis per essentiam, u per potissimum constitutivum. I, 405. Neque per rationem intellectivi pure radicaliter. I, 407. Neque per volitionem, aut voluntatem, ita ut aliquo modo intrent formaliter in conceptu ejus formalissimo. II, 28. Constituitur in ratione talis formalissime per intellectionem actualissimam. I, 417. Cur melius explicetur conceptus divinæ essentiæ per intellectionem, quam per cætera, quæ cum illa identificantur. I, 420. Quare non potest habere pro specificativo virtuali extrinseco creaturas, bene tamen id possunt habere ejus attributa. I, 480. Quomodo transcendat omnia divina attributa. II, 53 et deinceps. Quid dicit ut habet rationem essentiæ, quid vero ut habet rationem transcendentis. II, 126. Quædam creaturæ magis latent in essentia divina, quædam vero minus. I. 303. Amatur a divina voluntate amore proprie, et stricte dicto. II, 58. Amor iste est necessarius quoad specificationem et exercitium. II, 56. Quare repugnet illi uniri in ratione formæ naturalis cum creatura. I, 132 et deinceps.

EUBULIA quid. II, 271. Antecedit imperium. II, 271. Deservit prudentiæ. II, 271. Quæ vitia opponantur ei. II, 278.

Eubulia in Deo est distincta virtualiter a scientia. I. 348. In quo actu consistit. II, 271.

EUCHARISTIA est finis omnium sacramentorum, et omnium creaturarum ordinis naturalis, quæ ad hoc universum spectant. II, 350.

In Eucharistia cur nequit videri Corpus Christi Domini oculo corporeo. I, 286.

EVIDENTIA credibilitatis mysteriorum nostræ fidei unde sumatur. I, 109.

EXECUTIO mediorum addit difficultatem supra electionem ipsorum. II, 274. Executio facilior proponitur voluntati, quando longe abest, ac quando instat. II, 275. Executionis ordo unde incipiat, et ubi finiatur. II, 275. Quod est posterius in executione, est prius in intentione. II, 441. Discrimen duplex inter ordinem intentionis et executionis. II, 276. Executio gloriæ fit ex meritis. II, 427, 435, 454. Executio gloriæ cur possit esse ex justitia, etiam si intentio sit ex misericordia. II, 450, 459, 460. Executio gloriæ distinguitur virtualiter ab electione ad gloriam. II, 453. Executio non semper pertinet ad eamdem virtutem, ac intentio. II, 460. Vide Reprobatio.

EXISTENTIA per se subsistens nequit esse nisi una numero. I, 17. Susceptivum existentiæ, et individuum, *ut quod* idem sunt. I, 18. Existentia partialis, neque in Deo, neque in nobis potest reperiri. I, 407. Existentia quomodo sit indispensabilis ad rationem boni. II, 72. Quæ existentia requiritur in creaturis futuris, ut actu physice coexistant divinæ æternitati. I, 562. Cur nequeat eadem entitas existere per duplicem existentiam ordinis entitativi, bene tamen per unam ordinis entitativi, et aliam ordinis intelligibilis. II, 10. Quæ sit existentia ordinis intelligibilis. I, 148; II, 8 et deinceps. Aliter concurrit ad integritatem essentiæ, ac cæteræ aliæ perfectiones. II, 73. Vide Amor Dei, Creaturæ possibiles, et Intellectio.

F

FALSUM. Quomodo opponitur vero. I, 522.

FERITAS, quid. II, 406.

FIDES. Fidei nostræ credibilitatis evidentia unde sumatur. I, 109. Actio productiva illius cur non est productiva specierum intelligibilium ipsi deservientium. I, 134, 138. Fidei Summi Pontificis quid superaddatur, ut non possit errare, cum diffinit aliquid circa fidem. II, 197. Fidei actus in quo sensu dicatur habere virtutem infinitam ex parte termini *a quo*. II, 194.

FILIATIO adoptiva nequit esse sine gratia etiam in hypothesi, quod quis participaret visionem beatificam, et non gratiam. I, 245.

FINIS. Possibilitas finis nequit demonstrari, nisi possit demonstrari possibilitas mediorum. I, 105. Quando amatur amore concupiscentiæ, sit ne primo volitus, quam is, cui concupiscitur. II, 252. Directio in finem præsupponit voluntatem finis. II, 255. Prima ejus volitio a quonam sit. I, 531; II, 283. Prima volitio finis est necessaria. I, 531. Prima hæc volitio finis non subjacet imperio. I, 531. Repugnat finis aliquis, qui sit causa respectu actuum divinorum, non vero ratio finalis. II, 287. Qui vult efficaciter finem, debeat ne velle omnia necessaria ad obtentionem illius. II, 368. Finis sic se habet respectu voluntatis in operabilibus, sicut prima principia respectu intellectus in speculabilibus. II, 450. Potest amari amore concupiscentiæ, et tamen esse ultimum volitum. II, 252.

FORMA. Non est se ipsa individua. I, 17. Nec etiam est radicale principium individutionis pure materialis. I, 17, 22, 77. Semper est principium distinctionis specificæ et formalis. I, 20. Forma per se subsistens separata omnino ab ordine ad materiam est immultiplicabilis. I, 21. Forma per se subsistens an habeat plenitudinem totius speciei. I, 21. Et quodammodo infinitatem. I, 21. Forma limitatur per materiam. I, 21. Habet esse *hæc*, et individua ratione materiæ. I, 22. Quare sit prima radix specificationis positivæ. I, 22. Cur forma se sola est determinata ad dandam specificationem, non vero materia ad dandum individuationem. I, 32. Cur de se non est incommunicabilis. I, 30. Per quod reddatur incommunicabilis. I, 30. Cur non repugnet illi ex propria linea esse universalem, et communicabilem, ut repugnat materiæ. I, 32. Debet recipi in materia singulari. I, 39. Formæ causalitas cur distinguatur realiter ab ea. I, 49. Forma prius recipitur in materia in genere causæ materialis pure receptivæ, quam quantitas. I, 54. Quomodo quantitas in genere causæ materialis dispositivæ prius recipitur in materia, quam forma. I, 54. Si forma consideretur, ut est *hæc*, prius continetur quantitas in materia, quam ipsa. I, 55. Forma terminat quantitatem. I, 57. Quomodo intelligitur maxima illa divi Thomæ, quod forma receptibilis in materia. non est ex se, ut ex prima radice individua, I, 77. Forma naturalis, et in *esse* entitativo necessario involvit imperfectionem. I, 132 et 133. Secus vero ratio formæ intelligibilis. I, 132 et 133. Forma intelligibilis non limitatur per receptionem in subjecto. I, 132 et 133. Recipitur secundum amplitudinem formæ. I, 132 et 133. Quid sit recipi secundum amplitudinem formæ. I, 132 et 133. Forma quomodosit prior, et posterior, quam dispositiones. I, 54. Forma et ejus dispositio debent esse ejusdem ordinis. I, 208. II, 471. Forma est finis suæ dispositionis. II, 472. Dispositio moralis ad aliquam formam, quam proportionem petit cum ipsa forma, ad quam disponit. II, 472. Deus nequit uniri cum creaturis in ratione formæ naturalis. I, 133 et 182. Si forma fuerit ultima in aliquo ordine necessario petit dispositiones. I, 228. Volitio alicujus formæ quomodo supponat volitionem subjecti talis formæ. II, 357. Quando sit verum quod qui potest introducere dispositionem destructivam formæ, possit etiam destruere ipsam formam. II, 185. Actio productiva ultimæ dispositionis ad formam, an sit productiva ejusdem formæ. I, 135, 136. Forma naturalis nequit habere totam perfectionem sui effectus radicaliter, vel eminenter. I, 164.

FORMALITAS aliqua realis quomodocumque accepta, quæ possit adesse, et abesse a Deo, nequit esse constitutivum actus liberi Dei. II, 107, 108.

FUTURUM CONTINGENS quid, et quotuplex. I, 469, 543. Futura contingentia absoluta cognoscuntur a Deo. I, 471, 477. Quomodo etsi ex suppositione non possint non esse, absolute tamen potuerint non esse. I, 472 et deinceps. Nequit Deus illa cognoscere ante decretum suæ voluntatis. I, 478, 484. Prædicta futura habent suam futuritionem a decretis. I, 472; et habent illam in genere causæ efficientis. I, 473, 474. Nequit Deus cognoscere prædicta futura

tura in decretis, ut futuris. I, 447. Si cognoscerentur per decretum ut futurum tolleretur divina libertas. I, 452 et deinceps. Nequeunt etiam infallibiliter cognosci in comprehensione causarum secundarum cum omnibus suis circumstantiis ad operandum si secludatur decretum. I, 457. Futura contingentia illative tantum sunt ratio scientiæ in Deo. I, 440. Propositiones contradictoriæ de futuro contingenti an veritatem debeant habere in quocumque signo. I, 515, 516. Quædam futura contingentia tantum pendent a voluntate divina, quædam vero a divina et creata. I, 522. Si Deus non determinaret per decretum suæ voluntatis prædicta futura, non esset universalissima causa. I, 528. Si haberent futuritionem ante decretum, futura essent necessario ex natura rei, non vero contingenter. I, 464. Nullum *esse* objectivum possunt habere, quod non sit vel in se ipsis, vel in suis causis. I, 459. Ante prædictum decretum nequeunt habere verum *esse* objectivum et infallibile. I, 457 et deinceps. Licet posito decreto infallibiliter erunt prædicta futura, tamen erunt libere. I, 532, 535. Non sufficit quod Deus determinet futura contingentia in communi et non in particulari, ut salvetur in ipso ratio primæ causæ. I, 532 et deinceps. Determinat illa quoad ultimam in ipsis inventam rationem. I, 532. Non solum cognoscuntur a Deo quoad an est? sed etiam quoad quid est? I, 535. Futura contingentia connotantur a decretis divinis, non ut connotata antecedentia, sed ut subsequentia. I, 536. Quomodo revelentur per prophetiam comminationis. I, 537. Futura contingentia sunt realiter physice præsentia in æternitate, juxta mentem sacræ Scripturæ. I, 540, 541. Id ipsum senserunt sancti Patres I, 542. Nec non et id recta ratio suadet. I, 551. Ratione hujus præsentiæ cognoscuntur certo et infallibiliter a Deo. I, 551. Non dicuntur proprie præsciri a Deo. I, 542. Si tamen daretur præsentia objectiva præcise, respectu Dei, tunc illa proprie Deus præsciret. I, 543. Quomodo etsi sint præsentia physice in æternitate, non supponantur cum existentia, antequam sint in propria duratione. I, 547. Duratio etiam propria ipsorum est præsens physice in æternitate. I, 547 et 550. Cur licet sint præsentia physice in mensura æternitatis, non ita sint in mensura ævi. I, 543 Si non cognoscerentur, ut præsentia physice in prædicta mensura æternitatis, quomodo esset mutabilis divina scientia. I, 558. Quam existentiam postulant, ut verificetur de illis, quod coexistunt æternitati. I, 561. Omnia prædicata, quæ conveniunt illis in æternitate, conveniunt illis in propria mensura præter prædicatum unum. I, 562. Non dicuntur absolute et simpliciter creata, vel existentia, quia sint hoc modo præsentia in æternitate, sed tantum cum addito. I, 562, 563. Etsi existant physice, et actu in æternitate, cur solum dicantur infinita in potentia, et non in actu. I, 562, 563. In quo sensu sit verum, quod in hoc instanti, et in quocumque alio hoc futurum contingens sit. I, 562, 563. Hæc præsentia futurorum in æternitate nihil obest, ut in tempore dicantur creari. I, 565. Adamus, et Antechristus, v. g. etsi sint physice præsentes in æternitate, cur non dicantur coexistere in propria mensura. I, 565. Hæc præsentia non facit, quod verificentur contradictoria de prædictis futuris. I, 565. Non tollit quominus libere fiant in tempore. I, 565. Non posset Deus certo illa cognoscere, si ejus essentia, et operationes non mensurarentur æternitate. I, 567. Semel tamen admisso, quod divina essentia mensuretur æternitate, nequit certo illa cognoscere, nisi existant physice in mensura æternitatis. I, 569.

FUTURUM CONDITIONATUM; futurum contingens conditionatum quid, et quotuplex. I, 574 et deinceps. Futura conditionata disparata juxta mentem Scripturæ Deus certo cognoscit. I, 576. Quæ vero habent conjecturalem connexionem cum conditione, probabilius est etiam juxta Scripturam certo et infallibiliter a Deo cognosci. I, 577. Id ipsum sufficienti ratione convincitur. I, 588. Per quam scientiam prædicta futura conditionata, quæ habent probabilem nexum cum conditione, attingantur a Deo? I, 599. Deus habet decretum positivum de futuritione, vel non futuritione horum omnium futurorum. I, 599. Data hypothesi, quod non haberet decretum conditionatum, circa non futuritionem prædictorum, futurorum, tunc tamen posset Deus cognoscere illa non esse futura. I, 593. In ea tamen hypothesi nequiret certo cognoscere futuritionem positivam prædictorum futurorum. I, 594 et deinceps. Prædicta futura conditionata, quomodo mutentur ex vi prædicti decreti etiam si nunquam de facto existant. I, 595.

G

GAUDIUM, et amor in Deo quomodo distinguantur. II, 62. Gaudium elicitur a charitate. II, 283.

GENTILES; nomina non licet nobis habere communia cum gentilibus. II, 164.

GENUS. Nequit desumi a forma, ut a prima radice, sed a materia, I, 18. Non potest reperiri in Deo II, 289. Genus Angelicum quomodo limitetur per differentias. I, 22. Generis nomine aliquando intelligitur species aliqua. II, 309. Genera omnia hujus universi videntur a quolibet beato. I, 294.

GLORIA. Vide Visio clara Dei, Intellectus creatus, Beatitudo, Prædestinatio, Electio ad gloriam, et Executio.

GLORIFICATIO est effectus prædestinationis. II, 328.

GNOME quid. II, 271. Antecedit imperium II, 271. Deservit prudentiæ, II, 271. Gnome in Deo quomodo distinguitur a scientia. I, 348.

GRATIA. Si daretur per se subsistens, cur esset ipse Deus. I, 214. Gratia sanctificans non facit hominem justum objectum formale divini amoris, sed tantum objectum materiale proximum congruum. II, 122. Confirmatio in gratia quid addat supra donum gratiæ. II, 196. Possit ne dici gratia prædestinata II, 240. Gratia per peccatum deperdita quomodo per pœnitentiam reviviscat. II, 328. Et si amittatur per peccatum, manet in acceptatione divina. II, 330. Quis sit proprius ejus effectus. II, 339. Influit in actus supernaturales, etiam prout sunt a libero arbitrio. II, 338, 389, 478. Est libera ut quo. II, 340. Dat quantitatem virtutis in ordine ad actus supernaturales. II, 340. Determinat voluntatem juxta naturam ejus. II, 340. Resurgat ne peccator cum majori gratia semper per pœnitentiam quam illa, quam per peccatum ami-

sit. II, 370. Quomodo intelligitur illud Tridentini, quod Deus semel justificatos non deserit, nisi prius deseratur ab illis. II, 401. Gratia consummata est idem ac gloria. II, 420. Gratia concessa Adamo in statu justitiæ originalis fuerit ne effectus prædestinationis illius. II, 323. Fuerit ne data illi eadem gratia ex intentione dandi illi gloriam. II, 323. Sine gratia, etiam data hypothesi quod quis esset beatus, nequiret esse filius Dei adoptivus. I, 427. Si gratia daretur ex operibus, non esset gratia. II, 468 et 478. Quomodo salvetur, quod gratia non sit ex operibus. II, 453, 480. Cur gratia sanctificans amitteret rationem gratiæ, si daretur propter meritum de congruo naturale, secus vero quando datur propter meritum de congruo supernaturale. II, 480. Licet gratia et gloria in sua radice dentur gratis, cur tamen gratia detur magis gratis quam gloria. II, 480. Nihil fieri potest sine gratia conducens ad beatitudinem. II, 480. Dispositioni remotæ ad gratiam quomodo debeatur gratia. II, 480. Gratia est finis suæ dispositionis. II, 481. Dispositio moralis ad gratiam quam proportionem petat cum illa. II, 481. Gratia nequit esse pedisequa naturæ. II, 481. Quomodo intelligitur illud axioma : *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.* II, 481, 483, 484. Detur ne gratia juxta talentum propriæ virtutis. II, 483, 484. Motio ad gratiam quotuplex. II, 483, 484. Contritio et charitas sunt dispositiones perfectæ ad gratiam. II, 483, 484. Auxilium gratiæ requiritur ad actum amoris Dei, ut est finis naturalis. II, 485; et ad totius legis naturalis observantiam. II, 485. Nequit dari meritum de congruo ordinis naturalis respectu primæ gratiæ. II, 480. Nec etiam meritum ordinis supernaturalis. II, 486. Nequit etiam dari dispositio ordinis naturalis ad illam, II, 484. Nec etiam prævisio actus supernaturalis prout a libero arbitrio queit esse conditio necessaria ad primum auxilium gratiæ. II, 487. Cur gratia ut est principium meriti, nequit cadere sub merito. II, 488. Gratia Theologice sumpta quid dicat formalissime. II, 479. Fur est gratiæ qui asserit dari gratiam ex operibus. II, 479. Meritum et gratia quomodo proportionentur. I, 365. Vires gratiæ quomodo per reprobationem innotescant. II, 372. Quid senserint Massilienses circa electionem ad gratiam. II, 431. Quid etiam Pelagiani. I, 615. Peccatum, et gratia opponuntur immediate. I, 465. Quomodo dum quis est in gratia, non queat peccare. II, 473. Gratia in Baptismo datur æqualis omnibus pueris. I, 251. Dat illis jus ad gloriam per modum hæreditatis. I, 251. Datur abundantius in novo, quam in veteri Testamento. I, 251. Quomodo stat, quod gratia detur ex misericordia, et quod Deus in omni opere suo exerceat justitiam. II, 473. Quomodo cohæreat, quod gratia detur gratis, et quod nihilominus data sit Angelis, juxta quantitatem perfectionis suæ naturæ. II, 474. Resurrectio, quæ fit per gratiam quomodo non sit miraculosa, secus vero resurrectio corporalis. II, 474

Gratiæ gratis datæ appellantur in Scriptura nomine talentorum. II, 474.

Gratiæ vocationis nomine quid intelligant sancti Patres. II. 488.

GUSTUS. Quod sit ejus objectum formale. II, 122.

HABITUS in quo differat a potentia. I, 232. Per quod distinguatur essentialiter a dispositione. I, 249. Cur speciem sumat a termino extrinseco, individuationem vero a subjecto, cui inhæret. I, 69. Ejus influxus immediatus non tollit rationem potentiæ executivæ ab intellectu Angelico. I, 453. Qui actus sint dispositiones ad habitum. I, 234.

HABITUS ACQUISITUS. Aliquando indiget actu aliquo per modum dispositionis in subjecto, aliquando vero non. I, 234. Cur non tribuat potentiæ, quod per illum habeat simpliciter et absolute posse conari ad operandum, secus vero habitus supernaturalis. I, 266.

HABITUS SUPERNATURALIS Dat simpliciter *posse*. I. 235, 266. Quomodo verificetur, quod subordinetur potentiæ. I, 235, 266. Ejus actus necessario recipitur in ipso. I, 236.

HABITUS PRIMORUM PRINCIPIORUM. Quid. II, 283. Pertineat ne ad intellectum practicum, vel ad speculativum. II, 283.

Habitus, aut quasi habitus primorum principiorum distinguitur in Deo a scientia. I, 347 et deinceps. Nequit habere rationem potentiæ executivæ Dei. I, 452. Quod est objectum habitus, aut quasi habitus primorum principiorum in Deo. I, 452.

HOMO. Cur dicatur omnis creatura in sacra Scriptura. II, 244. Cur nullus homo fuit prædestinatus, vel reprobatus in statu justitiæ originalis. II, 245. In prædestinatione et reprobatione hominum cur magis, quam in prædestinatione Angelorum divinæ perfectiones resplendeant. II, 244. Omnes creaturæ ordinis naturalis sunt subditæ illi. II, 352. Habeat ne appetitum innatum ad vivendum in omnibus secundum rationem. I, 113. Quotuplex appetitus inveniatur in homine. I, 354. Ut resurgat idem numero homo, non sufficit eadem anima, nisi etiam sit eadem materia. I, 20. Homo et Angelus cum æquali lumine gloriæ eliciunt visiones beatificas ejusdem perfectionis. I, 263.

I

IDEA. In Deo quid dicat formalissime. I, 281. Idea practica nunquam nuncupatur prædeterminatio. II, 158. Ante decretum liberum divinæ voluntatis quid repræsentet. I, 480. Ideæ sunt causæ creaturarum per modum exemplaris. I, 433, 449. Ideæ nomen cui peculiariter applicatur. II, 158. In quolibet agente intellectuali respectu rei fiendæ debet reperiri. II, 250. Idea speculative et practice sumpta penes quod distinguatur a providentia et prædestinatione. II, 259. Actus voluntatis non adjungitur essentialiter ideæ. II, 259. Ideæ divinæ constituunt unicum attributum quasi atomum. II, 298. Cur ut dicit respectum rationis ad creaturas, dicatur multiplex, secus vero providentia divina. II, 298. Ideæ non conveniunt Deo libere. II, 259.

IDENTITAS, realis quotuplex. I, 142 et deinceps. In quo sensu est vera illa maxima, quod ea quæ semel identificantur, nunquam possunt separari. I, 142 et 381. Quomodo intelligitur illud proloquium, quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se. I, 367 et 382.

IMMATERIALITAS. Est ratio intellectualis. I, 164, 324. Sit ne tamen ratio a priori, an a posteriori. I, 332. Tot sunt gradus specierum intentionalium, quot gradus immaterialitatis. I, 165. Quotuplex ejus gradus. I, 165. Attributa divina ad quem gradum immaterialitatis pertineant. I, 401. Quando perfectior immaterialitas arguat perfectiorem modum intelligendi I, 330. Potentia et objectum connaturale ipsius debent pertinere ad eumdem gradum immaterialitatis. I, 411. Sit ne hoc universaliter verum. I, 164.

IMMENSITAS. Immensitatis et æternitatis discrimen. I, 556.

IMPERIUM. An sit. II, 270. Quid. II, 269 et 270. Quotuplex. II, 266. Quomodo sit ratio rei fiendæ. II, 258. Qui actus antecedant, et subsequantur ad ipsum. II, 265. Providentia et prædestinatio consistunt ipso. II, 269. Sicut, et reprobatio II, 376. Pertinet ad intellectum practicum. II, 272, 283. Habet distinctum objectum formale ab objecto formali judicii. II, 274. Ut aliquis exerceat imperium respectu sui ipsius non est necessaria vis coactiva. II, 274. Est actus efficacissimus inter omnes actus rationis practicæ. II, 276. Est etiam actus præcipuus, et finalis ejusdem rationis practicæ. II, 271, 277. Licet voluntas sit primum movens quod exercitium, imperium tamen movet quoad exercitium et specificationem. II, 278. Cur in brutis non detur imperium, secus vero in nobis. II, 278. Datur donum Spiritus sancti correspondens imperio. II, 278. Ejus prioritas, et posterioritas respectu electionis in ordine directo et reflexo. II, 278. Imperium reflexum quando requiratur in ordine reflexo, quando vero non. II, 280. Imperium efficax non tollit libertatem actus imperati. II, 281. Nec etiam meritum. II, 282. Cur et si aliquando imperium sit efficax, non tamen ponatur actus imperatus. II, 281. Differentia inter imperium respectu actuum imperatorum, et virtutes internas respectu actuum externorum. II, 281 et deinceps. Cur actus intentionis non subjaceat imperio. II, 282. Imperium cur nequit habere rationem judicii formaliter talis. II, 283. Per quod explicetur optime ejus efficacia. II, 283. A quo sumat suam veritatem vel falsitatem. II, 273, 283, 284. Ad quam operationem intellectus pertineat. II, 273, 283, 284. Cur etiam si sit conceptus ultimatus, fiat proprio uniuscujusque idiomate. II, 273, 283, 284. Queit optime dari in intellectu imperium respectu sui ipsius. II, 273, 283, 284. Intimatio ipsius non debet esse indicativi modi. II, 273, 283, 284.

IMPERIUM MONASTICUM. Reperitur in Deo. II, 276. Cur possit esse in Deo, secus vero oratio. II, 285.

INCARNATIO. Vide Christus Dominus, Unio hypostatica, et Verbum divinum.

INCLINATIO NATURALIS. Nimia in aliquod objectum, quando minuat libertatem. I, 86. Vide Appetitus naturalis, et Elicitus.

INCOMMUNICABILITAS. Quotuplex. I, 33. Quæ incommunicabilitas sit præcipua in individuis. I, 33.

INCONSIDERATIO. Opponitur synesi. II, 277. Necnon Gnome, et judicio. II, 277.

INCONSTANTIA. Opponitur prudentiæ. II, 277.

INDIVIDUATIONIS PRINCIPIUM. Quotuplex. I, 13. Principium metaphysicum individuationis quid sit. I, 13. Prædictum principium metaphysicum unde sumatur, tanquam a radice. I, 13. Principium adæquatum *quod*. I, 13. Principium extrinsecum *quod*. I, 13. Intrinsecum, et primum quodnam in substantiis materialibus. I, 26, 28, 36, 39, 47, 50. Principium radicale individuationis in accidentibus est subjectum. I, 66. Vide Quantitas, Accidens, Tempus, Situs, Materia, et Forma.

INDIVIDUUM. Quid sit præcipuum in individuis. I, 33. Debet habere unitatem per se. I, 37. Quid pertineat ad constitutivum ipsius. I, 37. Debet distingui substantialiter individuum substantiæ ab alio substantiæ individuo. I, 37. Quomodo possit separari a quantitate. I, 37 et deinceps. Materia unius individui quomodo distinguatur a materia alterius. I, 45.

INDULGENTIA. Indulgentiarum applicatione applicantur nobis Christi merita. II, 322. Actus applicandi illas ad quem ordinem pertineant. II, 322.

INSTRUMENTUM. Indispensabiliter requirit elevari per virtutem intrinsecam. I, 241. Anima Christi Domini nequit esse instrumentum physicum nostræ prædestinationis. II, 251.

INTELLECTUALITAS optime deducitur ex immaterialitate. I, 164 et 324. Ejus gradus multiplicantur a multiplicatione graduum immaterialitatis. I, 165. Quotuplex ejus gradus. I, 165.

INTELLECTUS CREATUS. Possit ne videre Deum prout est in se. I, 95. Quod sit objectum ejus adæquatum. I, 95. Quam proportionem petat cum suo objecto. I, 95. Cur nequeat attingere omnes creaturas possibiles, bene tamen Deum prout est in se. I, 99. Quid dicat essentialiter, et secundum se præcise, quid vero ut est potentia naturalis, et supernaturalis. I, 99. Non est evidens lumine naturali, objectum ejus esse ens prout abstrahit a naturali et supernaturali. I, 105. Etiam de potentia absoluta nequit videre Deum prout est in se per vires naturæ præcise. I, 203. Ex eo quod detur intellectus possibilis, quomodo colligatur, dari intellectum agentem. I, 112, 113. Intellectus necessario requirit lumen gloriæ, ut recipiat in se visionem claram Dei. I, 232. Non est secundum se principium proximum visionis beatificæ. I, 239. Non concurrit ad visionem beatam, ut instrumentum. I, 240, 241. Perfectio naturalis illius non conducit ad eliciendam perfectiorem visionem beatam. I, 256. Implicat contradictionem, quod comprehendat Deum. I, 271. Identificatur cum suo objecto in *esse* intelligibili. I, 135, 362. Quomodo non obstante hac identitate possit dicere relationem realem ad suum objectum. I, 370. Probabile est, dicere tantum relationem rationis ad illud. I, 370. Attingit ultimam, et atomam rationem inventam in quacumque intellectione supernaturali. I, 225. Est ratio a priori voluntatis. II, 2. Ejus efficacitas quomodo proveniat a voluntate. II, 245. Ejus actuum ordo, et multiplicitas. II, 255. Ordo actuum ejus in ordine reflexo an sit. II, 255, 266. Intellectus est potentia omnium superior. II, 286. Intellectus et voluntatis sympathia in modo terminandi se ad objecta. II, 443. Intellectus per quid existat in ordine intelligibili. I, 270; II, 7.

INTELLECTUS PRACTICUS ET SPE-

CULATIVUS. Quomodo distinguantur inter se. II, 274 et 284. In quo conveniant. II, 289. Sunt partes objectivæ intellectus in tota sua latitudine. II, 289. Eorum actus et virtutes. II, 273. Nequeunt habere habitum unum ad judicandum de re speculabili, et alium ad reflectendum super illum actum. II, 275. Judicium intellectus practici cur solet nuncupari speculativum. II, 274. Probabile est, quod distinguuntur in nobis a potentia executiva. I, 456. Probabilius est oppositum. I, 456. Eorum multiplex actus. II, 284.

INTELLECTUS ANGELICUS. Oritur ab essentia Angeli, tam ut est intelligibilis, quam ut est intellectiva. I, 145. Quam convenientiam petat in gradu immaterialitatis cum altero Angelo, ut cognoscat ipsum. I, 168 et deinceps. Probabile est, non distingui specifice in *esse* potentiæ unum intellectum Angelicum ab alio. I, 171. Imo nec ab humano. I, 172. Secundum quam rationem conveniat illi elevari ad visionem claram Dei prout est in se. I, 264. Non amittit rationem potentiæ executivæ, etiamsi concurrat mediis habitibus. I, 452. Primo, et principaliter tendit in suam substantiam. I, 211. Quando per unam speciem cognoscit plura objecta quid primo, et principaliter attingat. I, 365.

INTELLECTUS DIVINUS. Ut dicit præcise vim radicalem ad intelligendum, non est constitutivum divinæ essentiæ. I, 417. Cur non multiplicetur quasi specifice. II, 294 et deinceps. Non specificatur ab attributis. I, 393.

INTELLECTUS HUMANUS. In statu separationis quod habeat objectum proportionatum. I, 171. Secundum quam rationem conveniat illi elevari ad visionem Dei prout est in se. I, 264. In statu separationis, an cognoscat Angelos cognitione naturali. I, 171. Ad quem gradum immaterialitatis pertinet in illo statu. I, 171.

INTELLECTIO. procedit etiam ab objecto, ut tribuente peculiarem concursum. I, 129. In quo consistat. I, 175. Non necessario petit producere verbum I, 178. Nec est propter verbum. I, 178. Quoad suam rationem atomam a quo procedat. I, 223. Petit recipi in potentia proxima elicitiva illius. I, 118. Non vero in specie intelligibili. I, 118. Est perfectio simpliciter simplex. I, 319. Habeat ne rationem existentiæ in ordine intelligibili. I, 385. II, 7 et deinceps. Semper præcedit volitionem. II, 271. Quando maneat virtualiter in volitione, et e contra. II, 275. Intellectionum ordo, et multiplicitas. II, 264. Intellectio speculativa, et practica quotuplex. II, 264. Intellectio supernaturalis non coalescit ex una ratione naturali, et alia supernaturali. I, 223.

INTELLECTIO DIVINA. Invenitur formaliter in Deo. I, 319. Quid debeat habere, ut sit infinite perfecta. I, 342. Quid ut sit constitutivum Dei. I, 342. Quomodo sit comprehensiva essentiæ divinæ. I, 343. Quod sit ejus objectum primarium. I, 388. Quod sit ejus objectum specificativum. I, 392. Est simul reflexa et directa. I, 390. Identificatur omnibus modis cum essentia divina, tam ut est species intelligibilis, quam ut est objectum, et intellectus. I, 393, 394. Est constitutiva divinæ essentiæ. I, 342, 393, 415. An sit actualior et abstractior secundum rem, quam ipsum *esse* Dei. I, 424, 425. et deinceps. Quomodo abstrahat abstractione formal I, 424, 425. Multoties insignitur a sanctis Patribus nomine scientiæ. II, 303.

INTELLIGENTIA. Quid. II, 283. Pertineat ne ad intellectum practicum et speculativum. II, 283.

INTELLIGENTIA IN DEO nequit habere rationem potentiæ executivæ. I, 453. Quod est ejus objectum. I, 453. Distinguitur a scientia. I, 343.

INTENTIO prima a quonam sit. I, 531, et II, 303. Quando est necessaria. I, 531. Qui actus ad illam præcedant et subsequantur. II, 266. b. Ordo actuum intentionis in voluntate unde incipit, ubi finiatur. II, 271. Quando est libera, cur etiam nuncupatur electio. II, 275. Quando non subjaceat imperio intellectus. II, 283. Intentio efficax finis necessario antecedit electionem efficacem mediorum. II, 441. Etiam si intentio finis sit per modum præmii. II, 441 et deinceps. Imo etsi sit respectu finis ab alio assequendi. II, 447. Et etiamsi electio sit mediorum, de quorum efficacia respectu finis intenti certo constat eligenti. II, 445. Ad hoc ut intentio præcedat electionem non sufficit, quod virtualiter in voluntate mediorum includatur intentio finis. II, 445. Præcedentia intentionis inefficacis respectu electionis efficacis non sufficit. II, 445 et deinceps. Intentio efficax et æqualis, qua Deus se ipsum diligit, quomodo potest esse ratio electionis inæqualis respectu creaturarum. II, 445. Intentio efficax, et electio mediorum an sint in eodem instanti rationis. II, 445. Quod est prius in intentione, est posterius in executione. II, 442. Stante bono alias intentione, quomodo queat esse appetitus malus. II, 272. Discrimen duplex inter ordinem executionis et intentionis. II, 274.

INTENTIO DEI. Intentio efficax dandi gloriam in Deo non fuit propter prævisa merita juxta mentem Scripturæ. II, 417. Nec secundum sanctos Patres. II, 428. Idque sufficiens ratio suadet. II, 438. Cum hoc tamen stat, quod gloria intendatur a Deo per modum coronæ. II, 450. Intentio dandi gloriam in confuso, et non in particulari nequit reperiri in Deo. II, 440. Intentionis dandi gloriam prædestinatis, et intentionis puniendi reprobos discrimen, quantum ad præsuppositionem mediorum. II, 444, 445. Idem actus intentionis dandi gloriam nequit esse elicitive a justitia, et imperative a misericordia. II, 446. Bene tamen queit stare intentio ex misericordia, et executio ex justitia. II, 455, 456. Intentio ostendendi divina attributa non sufficit, quod præcedat ad electionem mediorum in ordine ad gloriam, sed debet præcedere alia intentio. II, 450. Intentio et executio debeant ne pertinere ad eamdem virtutem. II, 456. Distinguatur ne virtualiter ab electione et executione. II, 453. Intentio finis in Deo nequit esse causa vera volitionis mediorum. II, 134.

INTIMATIO. Quotuplex. II, 286.

J

JUDICIUM, intellectus practici in quo sensu appelletur speculativum. II, 272. Unde sumat veritatem, et falsitatem. II, 272. Ejus objectum formale distinguitur ab objecto formali imperii. II, 272. Quæ vitia opponantur illi. II, 275. Quomodo habeat rationem imperii

imperii in ordine reflexo respectu electionis. II, 280. Judicium synderesis non sufficit ad electionem. II, 274.

JUSTIFICATIO. Quare non dicitur opus miraculosum. II, 473. Justificatio non interrupta est effectus prædestinationis electorum. II, 327. Necnon justificatio interrupta. II, 326. In prima hominis justificatione quomodo Deus justitiam exerceat, etiam si homo justificetur gratis. II, 472. Justificatio quomodo etsi fiat in homine faciente quod in se est, fiat gratis. II, 472.

JUSTITIA ORIGINALIS. Non erat perpetua. II, 245. Cur in illo statu nullus homo fuit prædestinatus, vel reprobatus. II, 245. Status justitiæ originalis quomodo fuit propter Christum. II, 354. Fuit ne posterior prædestinatione Christi. II, 393. Vide Adamus, Prædestinatio, et Vocatio.

JUSTITIA DIVINA. An resplendeat in omnibus operibus. II, 382. Distinguitur virtualiter a voluntate. II, 18. Creaturæ non sunt ejus objectum formale. II, 122. Idemmet bonum nequit in intentione esse elicitive ex justitia, et imperative ex misericordia. II, 451. Bene tamen intentio dandi illud queit esse ex misericordia, et executio ex justitia. II, 430, 437, 455. Ad divinam justitiam spectat, ut multoties non ignoscat peccatis. II, 377.

JUSTITIA VINDICATIVA DEI. Valde resplendet in reprobatione. II, 372. Non perfecte ostenditur in pœnis, quas Deus in hac vita infligit prædestinatis. II, 373. Intentio ostensionis ejus sit ne prior, quam intentio permissionis peccatorum in reprobis. II, 387.

JUSTITIA CREATA. Justitia nostra erga Deum semper debet provenire ex aliqua misericordia divina. II, 450. Justitia nostra erga Deum nequit esse rigorosa. II, 450.

JUSTITIA LEGALIS. Cui virtuti intellectuali correspondeat. II, 270.

JUSTUS. Justi sunt fines creaturarum ordinis naturalis. II, 359. Non sunt objectum congruum formale, sed tantum materiale divinæ dilectionis. II, 122. Quomodo non possint peccare, dum sunt in gratia. II, 252.

L

LAUREOLA. Beatorum laureolæ sunt effectus prædestinationis eorum. II, 344.

LEX. Quid. II, 270. Lex æterna Dei est quasi principium, unde colligitur providentia divina. II, 269. Quam legem Deus statuerit causæ liberæ circa dispositionem ad dona gratuita. II, 474. Legis dispensatio quomodo debeat fieri a Deo. I, 113. Habeat ne homo appetitum innatum ad servandam totam legem naturalem. I, 113. Data hypothesi, quod talem haberet appetitum, auxilium ad servandam illam pertineret ad ordinem naturæ. I, 113. Modo tamen pertinet ad ordinem gratiæ. II, 475.

LEGES ligant principes quoad vim directivam; licet non quoad coactivam. II, 275.

LIBER VITÆ. Cur detur in Deo, non vero liber mortis. II, 374. In libro vitæ quid scribatur. II, 374.

LIBERALITAS. Distinguitur in Deo virtualiter a voluntate. II, 19.

LIBERTAS. Quotuplex. II, 48. Libertas in operando non semper dicit perfectionem. II, 54. Libertas perfectissima in quo consistat. II, 83 et 90 et deinceps. Quando minuatur ex nimia inclinatione in aliquod objectum, quando vero non. II, 86.

LIBERTAS DIVINA. Non tollitur ex infinita inclinatione ad objectum. II, 86. Quomodo distinguatur a conceptu naturæ in divina voluntate. II, 97. Cur maxime splendeat in prædestinatione et reprobatione hominum. II, 244. Quare læderetur, si Deus cognosceret futura contingentia in decretis divinis, ut futuris. I, 490.

LIBERTAS CREATA. Non læditur ex positione divini decreti absoluti et efficacis ad omnes actus voluntatis creatæ. I, 532; II, 160. Quomodo concilietur cum certitudine infallibili divinæ scientiæ. I, 572. Cur non læditur per prædiffinitionem Dei extrinsecam. II, 160, 163, 187. Quomodo salvatur etiam si voluntas extrinsece præmota ad aliquem actum non possit non in sensu composito illum elicere. II, 178. Non tollitur per imperium efficax. II, 281. Resplendet valde in reprobatione. II, 372. Non perfecte ostenditur in peccato tantum. II, 373. In quo perfecte ostendatur. II, 373. Libertas quomodo conveniat gratiæ. II, 343.

LIBERUM ARBITRIUM, est potentia remota in ordine ad actus supernaturales. I, 240; II, 340. Actus supernaturales, prout ab illo procedunt, sunt effectus prædestinationis et gratiæ. II, 340, 341, 345. Si gratia non influeret in actus supernaturales, prout sunt ab ipso, cur posset gloriari liberum arbitrium de illis. II, 342. Imo cur etiam primatum sibi vindicaret. II, 342. Ejus defectibilitas quomodo in reprobatione ostendatur. II, 372.

LIMITATIO. Formæ provenit a materia. I, 18. Unumquodque limitatur per suum oppositum. I, 19. Quæ limitatio sit apta ad hoc, ut aliquid sit principium individuationis, I, 19.

LOCUS. Unus et idem in *esse* entis quo modo queit esse multiplex, in *esse* loci formaliter. I, 70.

LUMEN NATURALE. Vide Visio Dei, et Intellectus creatus.

LUMEN GLORIÆ. Solum est determinatio ex parte potentiæ. I, 123. Per eamdem actionem, per quam producitur, unitur essentia divina in ratione speciei intelligibilis. I, 134. Cur non oriatur ab essentia divina, ut est intelligibilis, sed tantum ut est intellectiva sui. I, 143. Quomodo non sit principium omnino connaturale visionis beatificæ. I, 164. Implicat contradictionem, quod sit connaturale alicui substantiæ, vel intellectui creato. I, 218. Cur dicat habitudinem connaturalem ad substantiam creatam, non vero substantia creata ad ipsum. I, 216. Nequit habere rationem speciei impressæ respectu visionis beatificæ. I, 122, 220. Intellectus, et species simul cum lumine gloriæ tantum constituunt unam causam totalem. I, 223. Est dispositio requisita ad recipiendam essentiam divinam in ratione speciei intelligibilis. I, 225. Cur non requirit dispositionem in intellectu ad sui receptionem. I, 229. Necessario requiritur in intellectu ad hoc ut recipiatur in eo visio clara Dei. I, 230. Nequit de potentia absoluta intellectus creatus videre Deum, prout est in se sine lumine gloriæ. I, 232. Non solum in genere causæ efficientis, sed etiam in genere causæ formalis concurrit ad visionem beatam.

I, 239. Quam habeat vitalitatem. I, 242. Essentia divina nequit uniri in ratione luminis gloriæ cum intellectu creato etiam de potentia absoluta. I, 244. Lumen gloriæ elicit visionem beatam etiam quoad *esse* entitativum. I, 245. Aliquando non requiritur communicatio ejus per modum permanentis. sed sufficit per modum transeuntis. I, 246. Nequit multiplicari specifice. I, 254. modo quo crescit, eodem etiam modo crescit visio beata. I, 254. Nequit dari lumen gloriæ infinitum secundum intentionem etiam de potentia absoluta. I, 277. Admisso tamen per impossibile, non tamen comprehenderet Deum. I, 277. Idem lumen quod sufficit ad videndas duas perfectiones divinas, sufficit ad videndas cæteras omnes, quæ sunt formaliter in Deo. I, 280. Quo lumen gloriæ est perfectius, eo plures attingit creaturas possibiles I, 302.

LUTHERUS. Lutheri error circa causalitatem peccati in quo consistat. II, 213.

M

MALUM. Mala cadunt etiam in bonum universi. II, 352, 377, 378. Cur non scribantur a Deo in libro vitæ. II, 175. Non sunt objectum scientiæ divinæ approbationis. II, 175. Mala cur sit conveniens permitti a provisore universali, non vero a particulari. II, 379.

MALUM CULPÆ. Mala culpæ et pœnæ cognoscuntur a Deo. I, 461. Nequit tamen Deus illa cognoscere nisi per bona quibus opponuntur. I, 464. Deus nec prædiffinit decreto absoluto. et ex se efficaci, nec vult malum culpæ. II, 198. Permittit tamen illud. II, 215. Non opponuntur immediate Deo. II, 215. Malum præcise, prout dicit quid privativum, nequit fundare intelligibilitatem II, 215. Malum culpæ quoad suum materiale. An prædiffiniatur a Deo. II, 203 et deinceps.

MANICHÆI. Asserebant per gratiam auferri libertatem. II, 475.

MANUS. Cur dicitur organum organorum ab Aristotele. I, 353.

MARTYRIUM. Appetere martyrium non est peccatum etiamsi nequeat inflgi sine peccato tyranni. II, 368.

MASSILIENSES, quid senserint circa electionem ad gratiam. II, 432. Quid existimaverint nonnulli ex illis circa electionem ad gloriam. II, 432 et 433. Qui fuerint eorum errores D. August. propositi a sanctis Prospero et Hilario. II, 302.

MATERIA PRIMA, ut talis nequit esse causa unitatis, vel distinctionis formalis. I, 15 et 17. Est primum principium totius *esse* materialis et potentialis. I, 17, 29, 30. Cur genus sumitur a materia. I, 15. Negatio materiæ est negatio multiplicitatis numericæ, sicut ejus affirmatio est affirmatio ipsius. I, 18. Materia limitat formam. I, 19, 20. Eadem negative est in pluribus compositis successive, non vero eadem positive. I, 19, 20. Quomodo est principium re ipsa, non vero principium in actu individuationis. I, 19, 20. Nequit ipsa secundum se præcise esse principium individuationis materialis. I, 28 et 77. Qua ratione repugnet illi, ut de subjecto dicatur. I, 29 et deinceps. Discrimen inter illam, et formam notatu dignum. I, 32, 33. Ut antecedit receptionem formæ est singularis. I, 38. Quare tribuitur illi in individuis substantiæ, quod sit radix individuationis in se. I, 44. Materia unius individui quomodo distinguatur a materia alterius. I, 47. Materiæ causalitas cur distinguitur realiter ab ipsa, non vero id, per quod est intrinsece radix individuationis. I, 52. Recipiat ne prius quantitatem, quam formam substantialem. I, 55. Cur potius contineat hanc quantitatem, quam aliam. I, 60. In quo sensu dicatur una negative. I, 61. Addatur ne aliquid ei in *esse* entis, ratione cujus præcontineat hanc quantitatem potius. quam aliam. I, 62. Licet omnes formæ sublunares possint recipi in eadem materia negative, non vero in eadem positive. I, 19.

MATERIA SIGNATA QUANTITATE est primum, et radicale principium intrinsecum individuationis substantialis. I, 26. Non habet rationem talis per quantitatem, ut per formam inhærentem. I, 37. Neque per quantitatem, ut connotatum intrinsecum. I, 41. Nec per modum substantialem superadditum. I, 43. Quantitas præcontenta a materia qualis debet esse. I, 59, 60. Quid significetur per materiam signatam quantitate. I, 54 et deinceps. Materia signata quantitate constituit per modum omnino primi principii intrinseci substantias primas in ratione talium. I, 30. Est primum principium incommunicabilitatis. I, 31. Cur non est principium sufficiens individuationis accidentium. I, 67 et deinceps.

MEDIUM. Media, ut exequenda addunt difficultatem supra se ipsa, ut eligibilia. II, 273. Nisi possibilitas mediorum possit demonstrari, nequit demonstrari possibilitas finis. I, 106. Ut sunt objectum electionis, et usus important rationes formales diversas. II, 274. Licet finis sit alias optimus et optime intentus, media in ordine ad illum electa possunt esse mala. II, 274.

MEMBRUM. Membra externa an indigeant virtutibus a se distinctis ad exequendos actus externos. II, 283.

MEMORIA PRÆTERITORUM, est pars minus principalis prudentiæ. II, 258. Ad quid ordinatur. II, 258.

MENSURA, exercitii alicujus quando debet esse eadem, ac mensura exercentis. I, 561. Vide Æternitas, et Ævum.

MERITUM. Non tollitur ex eo quod detur actus efficax imperii respectu illius. II, 283. Quid sufficiat ad illud. II, 283. Quando habeat rationem medii respectu beatitudinis. II, 322. Meritum supernaturale nequit esse medium in ordine ad rem naturalem. II, 322. Meritum queit versari circa res ordinis naturalis. II, 349. An debeat esse simpliciter prius, sive respectu præmii, sive respectu pœnæ. II, 402. Electio prædestinatorum ad gloriam nequit fieri propter merita. II, 417, 430, 441. Bene tamen executio illius. I, 436, II, 415, 436, 455. Non exercet suam causalitatem circa gloriam, ut intentam, bene tamen ut executam. II, 458. Tam meritum de congruo, quam meritum de condigno respectu primæ gratiæ tollunt ab illa rationem gratiæ. II, 468. Meritum quomodo licet sit causa præmii, non sit causa voluntatis dandi præmium. II, 136. Meritum de congruo proveniens ex actibus supernaturalibus cur non tollit a gratia sanctificante rationem gratiæ, secus vero si daretur respectu illius meritum

meritum de congruo operis naturalis. II, 470. Preces fusæ coram Deo cur habeant meritum de congruo, secus vero preces fusæ coram hominibus. II, 470. Meritum de congruo ordinis naturalis nequit dari ad primum auxilium gratiæ. II, 467. Nec meritum ordinis supernaturalis. II, 478. Principium meriti cur nequit cadere sub merito. II, 481. Meritum ut influit in præmium, quam postulet existentiam. II, 482. Nullus præter Christum Dominum potest mereri alteri merito de condigno præmium supernaturale. II, 489. Neque etiam merito de congruo queit mereri unus alteri omnes effectus suæ prædestinationis. II, 490. Bene tamen aliquos ex illis. II, 489. Christus Dominus potest nobis mereri merito de congruo omnes effectus prædestinationis. II, 491. Ad communionem meritorum fidelium quid requiratur. II, 491. Quantitas gloriæ correspondet quantitati meriti. I, 365.

MERITA CHRISTI DOMINI, cur licet sint nobis merita ad beatitudinem, nequeant tamen esse media respectu illius. II, 322. Vide Gratia, et Prædestinatio.

METHODUS. Horum commentariorum I, 3 et deinceps Methodus, quam D. Thom. tenet in hac 1 p. q. 14 sit ne optima. I, 317. Necnon etiam quam q. 23 observat. II, 238. Recta methodus postulat, ut a communioribus ad minus communia procedatur. II, 238.

MIRACULUM. Cur non invenitur in resurrectione spirituali per justificationem facta, secus vero in resurrectione corporali. II, 474.

MISERICORDIA. In Deo distinguitur virtualiter a voluntate. II, 19. Creaturæ non sunt ejus objectum formale II, 122. Quod est ejus objectum formale. II, 20 et 122. Discrimen inter misericordiam et voluntatem divinam. II, 94. Omnia divina opera ordinentur ne ad ostensionem divinæ misericordiæ. II, 381. Intensive cur splendeat magis in reprobatione, quam splenderet, si non esset reprobatio. II, 399. Possit ne versari misericordia circa aliquod etiam si non elevet illud a miseria. II, 299. Idem bonum nequit in intentione esse imperative ex misericordia, et elicitive ex justitia. II, 451. Bene tamen intentio dandi illud queit esse ex misericordia, et executio ex justitia. II, 427, 435 et 455.

MYSTERIA FIDEI, Mysteriorum fidei nostræ credibilitatis evidentia unde sumatur. I, 109.

MODUS. An modus receptionis unius accidentis, qui est in uno subjecto, possit de potentia absoluta esse modus recipiendi ejusdem accidentis in alio subjecto. I, 85.

MOLINA. Non recte inquit, ex disputationibus D. August. fuisse turbatos fideles, et usque ad Pelagianismum defecisse. I, 610.

MOTUS. Non specificatur a termino a *quo*, sed a termino ad *quem*. II, 298. Quid requiratur ad ejus unitatem. I, 70.

MOTUS CŒLORUM. Prout ab Angelo sit ne effectus an actio illius. II, 319.

MUTATIO. Qualis debet esse in creatura, ut intelligatur novus actus in Deo. I, 597, et II. 287. Vide Decreta libera Dei, Futura conditionata.

N

NATURA DIVINA. Non distinguitur virtualiter ab essentia Dei. I, 405. Cur non possit habere pro specificativo extrinseco, virtuali tamen, creaturas, secus vero attributa divina. I, 450 et 451. Vide Constitutivum. Essentia divina, Intellectus, Intellectio, et Voltio divina.

NATURÆ OPUS. Cur dicitur ordinatissimum. II, 259.

NECESSITAS. In voluntate quotuplex sit. II, 49. Necessitas in operando dominio sui actus non semper dicit imperfectionem. II, 55. Necessitas antecedentis quando inferat, et quomodo necessitatem in consequenti. I, 475 et 476. Vide Libertas, Decreta, libera Dei, Scientia Dei, Prædiffinitio extrinseca, Voluntas creata, Sensus compositus et divisus, et Angelus.

NECESSITAS EX SUPPOSITIONE quando est tantum in essendo dicit imperfectionem. II, 104.

NEGATIO. Tunc est causa adæquata negationis, quando affirmatio est causa adæquata affirmationis. I, 18.

NEGLIGENTIA opponitur prudentiæ, seu imperio. II, 278.

NOMEN alicujus speciei aliquando sumitur a nomine generis. II, 309. Nomine speciei potest intelligi ratio differentialis, et e contra. II, 309. An nomina communia cum Gentilibus non liceat nobis habere. II, 174.

NOMEN PROPRIUM DEI. An sit *qui est*. I, 423.

NOTITIA. An dicat actum intellectus, et terminum productum per illum. II, 260.

NUMERUS resultat ex unitatibus, non vero ex aliis numeris. I, 39.

O

OBJECTUM. Intellectus creati etiam ambit Deum clare visum, prout est in se. I, 96. Quæ proportio sufficiat ad hoc, ut aliquid claudatur intra objectum adæquatum alicujus potentiæ. I, 96. Ratio *sub qua* attingendi illud non est necesse, quod sit intrinsece in eo. I, 98. Objectum intellectus creati non est evidens lumine naturali præcise, esse ens prout abstrahit a naturali et supernaturali. I, 107. Cognitio objecti specificativi et connaturalis tantum an sufficiat ad comprehensionem alicujus potentiæ. I, 107, 108 et 109. Objecto per se primo et adæquato alicujus potentiæ variato, variatur etiam potentia. I, 117. Si tamen in adæquatum varietur, non per se primo variatur potentia, sed tantum per se secundo. I, 117. Quando est per se intelligibile, et proportionatum intellectui, non indiget specie intelligibili. I, 128. Ex ipso et potentia paritur notitia. I, 128. An verbum sit simile objecto. I, 129. Habet specialem concursum respectu volitionis et intellectionis. I, 129. Identificatur in *esse* intelligibili cum intellectu. I, 135, 372. Quomodo sunt ejusdem naturæ in *esse* intentionali objectum et ejus species. I, 157, 354. Immittit modo naturali et non libero speciem impressam sui. I, 163. Debet convenire in eodem gradu immaterialitatis cum specie et cum potentia connaturali. I, 161, 389. Esse actu in intellectum an sit in eo denominatio intrinseca. I, 191, 194. Objec-

tum quod non causatur a sua scientia, mensurat illam. I, 436. Objectum primarium aliquando nequit videri etiam de potentia absoluta sine secundario. I, 286. Objectum formale alicujus potentiæ non debet probari, sed supponi ex communi Doctorum calculo. I, 343; II, 20. Identificatur cum potentia cognoscitiva in *esse* repræsentativo. I, 372. Non tollit rationem objecti secundarii quod attingatur in eodem signo *in quo* etiam rationis, ac objectum primarium. I, 389. Objectum, non semper est necessarium, ut distinguatur a virtute cognoscitiva. I, 390. Potentia in ordine ad quod objectum habet appetitum innatum. I, 391. Objectum primarium an tribuat actui diversam denominationem ab illa quam tribuit ei objectum secundarium. II, 122. Objectum concurrit active ad cognitionem I, 142. Determinat potentiam ad hunc actum, potius, quam ad illum. I, 142.

OBLIQUUM. Necessario petitur a recto. I, 62. Per additionem obliqui additur recto aliquid in *esse* recti, non vero in *esse* entis. I, 62; II, 118. Vide Rectum.

ODIUM. Quid. II, 391 Odium Dei quomodo etsi physice sit recessus a Deo, physice etiam tendat in Deum. II, 208. Quomodo est destructivum Dei. II, 56. Deus non odit peccatum odii actu efficaci necessario, sed libero. II, 56. Bene tamen actu simplicis displicentiæ. II, 82 et 83. Vide Peccatum, et Prædiffinitio.

OMISSIO. Omissionis effectus, ut sit voluntarius, quid requiratur. II, 368.

OMNIPOTENTIA. Habet pro objecto connaturali licet materiali omnes creaturas possibiles. I, 108. Quod est objectum formale ipsius. I, 123. Ut cognoscatur a beatis, quod objectum illius debeat ab eis cognosci. I, 275 et deinceps. Per quid constituitur formalissime. I, 454; II, 123. Etsi ametur necessario a Deo, non amantur necessario creaturæ possibiles, cum quibus ipsa necessario connectitur. II, 76. An causet omnes rationes in peccato inventas, quæ non dicunt aliquo modo deformitatem. II, 207. Est fundamentum dominii divini II, 294. Cur nequit quasi specie multiplicari. II, 294. Per ordinem ad quod nunc dicatur potentia naturalis, nunc supernaturalis. II, 297.

OPERA. Moraliter bona et naturalia nequeunt mereri merito de congruo primum effectum nostræ prædestinationis. II, 467. Nec possunt esse causa dispositiva respectu ejusdem primi effectus. II, 470. Sicut nec conditio requisita. II, 472. Etiamsi ad hoc homini non deserviant prædicta opera, cur ad illa patranda est admonendus. II, 473.

OPUS Naturæ cur dicatur ordinatissimum. II, 259.

ORATIO. Actus cujus potentiæ est. II, 283. Est actus religionis ad superiorem. II, 286 Cur nequit esse in Deo, bene tamen imperium II, 286. Quando potest fundi ad Deum pro rebus naturalibus. II, 349. Cur nequit fieri pro permissione peccati, etiamsi condacat ad finem beatitudinis. II, 367. Non pro omni eo, quod fieri potest ab aliquo sine peccato, queit oratio fieri. II, 367. Oratio pro aliqua re supposito divino decreto futuritionis, vel non futuritionis illius ad quid deservit. II, 488. Oratio alicujus puri hominis potest mereri de congruo aliquos effectus prædestinationis alterius. II, 488. Non tamen omnes. II, 489.

ORATIO GRAMMATICALIS. Ejus partes, seu species. II, 285. In quanam illarum queit inveniri verum, vel falsum. II, 285.

ORDO naturalis et supernaturalis an inter se connectantur. II, 352. Vide Entia ordinis naturalis.

P

PARS. Partium duplex genus. I, 46. Substantia et accidentia non habent partes entitativas nisi a quantitate. I, 78.

PARTES UNIVERSI minus nobiles sunt propter nobiliores. II, 352.

PARS OBJECTIVA. Quid. II, 289 et deinceps. Intellectus practicus et speculativus sunt partes objectivæ intellectus ut sic. II, 289. Prædestinatio est pars objectiva providentiæ divinæ. II, 292. Quod convenit uni parti objectivæ essentialiter, debet convenire cæteris ejus compartibus, secus vero quod convenit accidentaliter. II, 299 Vide Prædestinatio, et Providentia.

PARS SUBJECTIVA. Quid. II, 289 et deinceps.

PASSIO. Quando identificatur cum actione. II, 320. Licet identificetur cum actione, nullam suam formalitatem amittit. I, 136.

PATER. Æternus non est prior prioritate originis cæteris personis, quantum ad essentialia. I, 286. Nec est prior beatus etiam prioritate originis, quam Filius. I, 286 Pater æternus cur producit Verbum, secus vero beati. I, 199.

PATERNITAS. Paternitatis relatio in divinis quomodo prius constituit Patrem in *esse* personæ, quam referat ad Filium. I, 72. Paternitas in creatis una tantum cur respicere possit plures filios. I, 90.

PECCATORES. Cur non possint de Deo conqueri etiamsi non tribuat eis auxilium efficax, ut convertantur. I, 608, 609. Nec etiamsi prædiffiniat extrinsece entitatem physicam peccati, quod committunt. II, 229. Peccatores prædestinati quomodo, et quando magis diliguntur a Deo, quam reprobi et justi. II, 251. Peccatori facienti quod in se est, quod Deus non deneget gratiam quomodo intelligatur. II, 472, 474.

PECCATUM Quomodo continetur in *intelligere*, et in natura Dei. I, 427. In quo sensu asserat sacra pagina nesciri a Deo. I, 461. Nequit cognosci a Deo nisi per bonum, cui opponitur. I, 463, 464. Non opponitur immediate Deo, sed gratiæ, charitati, etc. I, 465; II, 56. Peccatum cur solum libere Deus odio habeat, et non necessario loquendo de actu odii efficacis. II, 56. Peccatum actuale odit Deus affectu simplicis displicentiæ necessario necessitate quoad specificationem, et exercitium simul. II, 82, 83. Triplex ejus notanda consideratio. II, 198. Cur nequit Deus esse causa illius quoad ejus deformitatem. II, 198, 222. Nec etiam quoad fundamentum illius, ut est fundamentum talis deformitatis. II, 198, 222. Non ideo Deus nequit esse causa malitiæ, quia non potest operari moraliter, sed propter aliam rationem. II, 220. Peccatum ut tale, et ut ens physicum qnomodo respicit voluntatem. II, 224. Entitas physica, et moralis in illo aliquo modo distinguuntur. II, 198. Quod est morale in peccato, quod possit attingi a Deo. II, 209 et 220. Prædiffinitur a Deo decreto efficaci quoad omnes rationes, quæ malitiæ aliquid

aliquid non important. II, 203 et 211. Possit ne peccare voluntas sequens divinam prædiffinitionem. II, 227 et deinceps. Vel volens entitatem physicam peccat II, 231. Prædiffinitio ista quomodo non sit contra divinam perfectionem. II, 228 et deinceps. Cur etiam non facit quod Deus sit causa peccati, etiamsi prædiffinitio hæc sit a solo Deo immediate II, 232. An malitia sequatur ad entitatem prædiffinitam. II, 226, 228. Cur divina omnipotentia causet actum peccati secundum omnes prædictas rationes, quæ non dicunt malitiam. II, 207, 209. Peccatum odii quomodo non sit secundum entitatem physicam recessus a Deo, ut a fine. II, 208. Non est major ratio, quare Deus concomitanter influat in entitatem physicam peccati, quam ut prædiffiniat extrinsece eamdem entitatem. II, 210. An juxta modum, quo adversarii dicunt, Deum concurrere ad materiale peccati, absque prædiffinitione extrinseca et ex se efficaci, difficilius salvetur Deum non esse causam peccati. II, 210. Possit ne concupiscentia terminari ad peccatum, ut tale. II, 212 In quo sensu asserebant Lutherus et Calvinus, Deus esse causam peccati. II, 213. Cur non superfluit decretum permissivum malitiæ peccati, etiam si detur prædiffinitio efficax ad entitatem physicam ipsius. II, 214. Quomodo fiat distributio inter divina decreta et rationes, quas determinant, vel permittunt inventas in peccato. II, 214. Fundamentum formaliter sumptum respectu peccati quid sit. II, 220. Cur entitas physica præcise sumpta non est fundamentum malitiæ, neque *esse* morale ut tale. II, 222. Peccaret ne Deus, si præciperet, vel consuleret entitatem physicam peccati. II, 227, 228. Prædiffinitio ad vitandum peccatum nulli puræ creaturæ est debita. II, 229. Decretum permissivum peccati sit ne prius prædiffinitione ad entitatem physicam illius. II, 229. Quomodo intelligitur illud : Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit. II, 251. Et si occasionaliter conducat ad beatitudinem, nequit esse effectus prædestinationis. II, 336. Sit ne majus malum, quam pœnitentiæ bonum. II, 370. Infamia, quæ ex illo sequitur, an possit prædeterminari a Deo. II, 370. Quomodo præsupponitur ad pœnam. II, 368.

PECCATUM ORIGINALE. Peccati originalis permissio quomodo supponit, et supponitur ad prædestinationem. II, 356. Solum fuit causa sufficiens in aliquibus ad reprobationem. II, 390 et 391. Ut antecedit decretum Incarnationis an prævideatur tantum ut morbus naturæ. II, 390, 391. Permissio illius est posterior decreto prædestinationis Christi. II, 393. Peccatum originale remissum nequit esse causa meritoria alterius peccati. II, 398. Nihil ejus remanet post baptismum. II, 398. Peccati originalis prævisio sit ne prior reprobatione. II, 410, 411. Permissio peccati originalis in Adamo potuit esse effectus reprobationis damnatorum. II, 397.

PELAGIANI ponebant in Deo scientiam mediam. I, 612. Non admittebant in Deo voluntatem salvandi homines, nisi prævideret eorum bona opera. I, 615. Non admittebant decreta efficacia in Deo circa salutem et bona opera nostra ante prævisionem nostri consensus, ne læderetur libertas. I, 615. Asserebant, scientiam bonorum operum et salutis nostræ antecedere decretum illorum, non vero subsequi. I, 615. Cur contendebant, Deum quibusdam pueris baptismi gratiam largiri, quibusdam vero non. I, 615. Asserebant Deum tantum esse adjutorem ad bona opera nostra, non vero totius operis largitorem. II, 343. In quo sita fuit controversia eorum cum Augustino circa prædestinationis causam. II, 356. Quid senserint nonnulli eorum circa prædestinationem ad gloriam. II, 432. Initium gratiæ tribuebant operibus naturæ. II, 475. Vide Prædeterminatio extrinseca, Prædiffinitio.

PERMISSIO consistat ne præcise in negatione actus. II, 380. Ut conducit ad beatitudinem sit ne ex meritis Christi. II, 367. Permissiones omnium peccatorum in reprobis sunt effectus reprobationis ipsorum. II, 404. Non prius vidit Deus invidiam diaboli erga Sanctos, et postea alia voluntate ordinavit permissionem illius peccati in profectum Sanctorum. II, 366. Ostensio divinæ justitiæ et punitio quam prioritatem habeant, respectu permissionis peccati. II, 387. Permissio primi peccati habeat ne causam meritoriam ex parte reprobi. II, 396. Permissiones aliorum peccatorum sint ne posteriores quam voluntas puniendi reprobos. II, 399 et deinceps. Permissiones omnium peccatorum sunt effectus prædestinationis electorum. II, 362 et deinceps. Qui sit finis permittendi peccata in electis. II, 230, 364 et deinceps. Cur nequeat peti a Deo permissio peccatorum, etiam si conducat ad beatitudinem. II, 368. Cur Deus non peccet in permissione peccatorum. II, 368. Quamvis Deus velit permissionem peccati, non est necesse, ut velit peccatum ipsum. II, 369. In quo sensu permissio sit propter pœnitentiam. II, 369. Permissio peccati Adami potuit esse effectus reprobationis damnatorum. II, 397. Cur permissionem hujus peccati non possit quis mereri per peccatum ipsum per illam permissum. II, 401. Permissio malitiæ peccati sit ne posterior in aliquo signo, quam prædiffinitio entitatis physicæ illius II, 230. Permissio peccati originalis sit ne prior prædestinatione. II, 356. An sit posterior prædestinatione Christi. II, 393. Permissiones omnes excepta prima eorum peccatorum propter quæ reprobus damnatur non decernuntur nisi post prævisum primum peccatum primamque permissionem. II, 388. Vide Christus, Justitia originalis.

PERSONA Verbi divini potest uniri per modum termini absque ulla sui imperfectione. I, 131. Qomodo potest esse illi connaturalis unio cum humanitate, non tamen ipsi humanitati. I, 217. Nequit videri in essentia divina una persona sine alia. I, 283. Non est prioritas nec posterioritas originis inter illas quantum ad essentialia. I, 286. Ac proinde nec quantum ad beatitudinem. I, 286. Non sunt objectum primarium et specificativum divinæ intellectionis I, 286. In quo sensu possit etiam dici oppositum. I, 286. Vide Relatio, Visio clara Dei.

PŒNA. Possit ne quis prædestinari a Deo ad pœnam. II, 375. Cur intentio infligendi illam necessario præsupponat culpam, non vero intentio dandi præmium. II, 387, 448. et deinceps. Pœna æterna damnatorum est effectus reprobationis eorum. II, 404. Pœnæ temporales sint ne medicinales in reprobis. II, 407. Vide Reprobatio, Voluntas.

POENITENTIA. Quomodo est causa revivis-centiæ gratiæ per peccatum deperditæ. II, 328, Cujus occasione fuit volita a Deo. II, 369. In quo sensu sit propter ipsam permissio peccati. II, 369. Sit ne magis bona quam peccatum sit malum. II, 370. Debeat ne semper peccator resurgere per pœnitentiam cum majori gratia. II, 370. Discrimen ejus cæteris vitutibus. II, 369.

PONTIFEX. Pontificis fidei quid superadditur, ut non possit errare in diffinitionibus circa res fidei. II, 197. Indulgentiarum applicatio ab ipso facta cujus ordinis sit II, 322.

POSTERIORITAS. Vide Prioritas.

POTENTIA. Quam proportionem debet habere in ordine ad objectum. I, 96. In potentia intellectiva creata quotuplex potentia distinguatur. I, 97. Ad ejus comprehensionem cujusnam objecti ejus sufficiat cognitio. I, 108 et 109. Potentia quomodo varietur ad variationem objecti. I, 117. Quando tendit connaturaliter in aliquod objectum, debet convenire in eodem gradu immaterialitatis cum illo. I, 164. Quando vero hoc non requiritur. I, 411. Quæ differentia sit inter ipsam et habitum. I, 231. Quid sit in illa connatus ad operandum. I, 266. Dicit habitudinem necessariam necessitate, tam quoad exercitium, quam quoad specificationem ad suum objectum quando nulla ipsam impedimenta retardant. II, 52. Quomodo sit verum quidquid faceret actus actu, facit possibiliter potentia. I, 473; II, 184. Correspondentia ejus cum suo actu unde sumenda est. II, 187. Quæ dicitur proprie potentia ad componendum simul cum alio. II, 189. Quomodo intelligitur illud frustra est potentia, quæ non reducitur ad actum. II, 194. Cur specificatur a termino extrinseco, individuatur vero a subjecto. I, 69. Eo ipso quod detur potentia passiva innata ad formam, et appetitus ad illam, debet dari potentia activa. I, 112, 113. Ad quod objectum habeat appetitum innatum. I, 112, 113. Potentia principalior respicit actum principaliorem. II, 271. Quando, et quomodo perfectio, quæ convenit potentiæ inferiori, conveniat etiam superiori. I, 107. Potentiarum objecta non debent probari, sed supponi ex communi Doctorum calculo. I, 343; II, 20. An et quomodo potentia ex parte rei conceptæ sit deneganda Deo, et solum sit ei concedenda potentia ex parte nostri modi concipiendi imperfecti. II, 13.

POTENTIA COGNOSCITIVA identificatur cum objecto in *esse* repræsentativo. I, 372. Vide Intellectus, Objectum, Visio Dei, et Scientia Dei.

POTENTIA EXECUTIVA. Distincta a scientia practica non reperitur in Deo. I, 444. Cur aliquando in creatis distinguitur realiter ab intellectu, secus in divinis. I, 457. In nobis probabile est, distingui realiter ab intellectu in via D. Thom. I. 457. Probabilius est oppositum. I, 457. Cur in Angelis non distinguatur ab intellectu. I, 458. Nequit intelligentia in Deo esse ipsa potentia executiva. I, 453. Neque ars. I, 453. Sed est ipsa divina scientia prout connotat voluntatem. I, 444. In Deo quomodo est prior et posterior ad prædestinationem. II, 307. Est se ipsa prior, et posterior secundum diversa munera. II, 307. An debeat omnino identificari cum actuali executione. II, 317. Quomodo essentia divina sit per modum objecti ratio sub qua potentia executiva Dei terminetur ad creaturas. I, 456. Vide Scientia Dei, Scientia, visionis, Ars.

POTENTIA OBEDIENTIALIS. Formaliter supernaturalis quomodo sit in intellectu. I, 97. Non est principium proximum etiam supernaturale respectu actuum supernaturalium, sed tantum radicale. I, 239. Non ipsa sola sufficit ad constituendum appetitum innatum. I, 112. Ex eo quod sit in nobis potentia obedientialis ad gratiam, et alia dona supernaturalia, non sequitur, posse per actus ordinis naturalis mereri prædicta dona. II, 473.

POTENTIA GENERATIVA. Potentiæ generativæ munus in divinis quomodo exerceat essent a divina prout in Patre. I, 62.

POTENTIA VITALIS. Quando, et quomodo petit oriri a substantia propria. I, 217. An petat recipere in se actionem a se elicitam. I, 233.

PRÆCEPTUM correctionis fraternæ non supponit necessario peccatum, sed fragilitatem naturæ. II, 369. Omissio, ut sit culpabilis, supponit præceptum. II, 368.

PRÆMIUM. Efficax intentio præmii est ante electionem efficacem meriti. II, 442. Voluntas dandi præmia cur non supponat merita, secus vero voluntas infligendi pœnam. II, 387, 418 et deinceps. Præmium adaptatur meritis et gratiæ, non vero perfectioni naturæ. I, 262.

PRECES. Fusæ coram Deo cur habeant rationem meriti de congruo, secus vero multoties preces fusæ coram hominibus. II, 470.

PRÆCIPITATIO. Opponitur cubuliæ, seu consilio. II, 258.

PRÆDESTINATIO. An sit. II, 250. Quid sit. II, 301. Ejus sublimitas, et profunditas. II, 236. Quanta sit in hac parte D. August. et D. Thom. auctoritas. II, 236, 438. Quid nominis ipsius, prædestinationis quoad præsens. II, 240. Aliquando appellatur præscientia. II, 256. Ly *præ* in prædestinatione dicat ne prioritatem, et quænam illa sit. II, 239 et 240 Quam conveniens fuerit, Deum aliquos prædestinare. II, 242. Cur fuit conveniens, ut plures prædestinarentur. II, 243 et deinceps. Diffinitiones prædestinationis traditæ ab August. et D. Thom. sunt optimæ. II, 301, 305. Prædestinationis et destinationis differentia. II, 240. Debet esse efficax II, 240 et 305. Imo et efficacissima. II, 277. Hæc tamen efficacia tantum est in genere causæ moralis. II, 315. Possint ne gratia, et vita æterna dici prædestinatæ. II, 241. Prædestinatio absolute sumpta sumitur semper in bonam partem. II, 241. Cum addito etiam sumitur in malam. II, 241. Cur creaturæ irrationales non dicantur prædestinatæ. II, 241. Prædestinatio, et ejus certitudo nequeunt componi in Deo cum scientia media. I, 654. Nequit fieri independenter a meritis prædestinatis, si semel datur in Deo scientia media præcedens prædestinationem adultorum. I, 657; II, 151. In prædestinatione maxime divina bonitas, et cætera attributa resplendent. II. 243. Prædestinatio Christi sit ne posterior peccato originali. II, 393. In prædestinatione, et reprobatione hominum cur peculiariter resplendet divina libertas. II, 241. Non est occasio hominibus negligentiæ, desperationis, vel cessandi ab oratione, et ab aliis piis operibus. II, 247 et deinceps. Nullus queit esse certus de sua prædestinatione.

prædestinatione. II, 248. Prædestinatio necessario connotat actum voluntatis. II, 255. An consistat essentialiter in recto in actu intellectus. II, 255. Cur nequit utrumque actum in recto importare. II, 255. Quomodo stat, ut sit actus intellectus, et simul sit ratio et exemplar talis actus. II, 257. Actus intellectus, in quo consistit prædestinatio, est actus imperii. II, 269. Prædestinatio est pars prudentiæ. II, 269 et 277. Cum dicitur, quod est ratio transmissionis in vitam æternam, ly ratio quid adæquate dicat. II, 257. In quo distinguitur ab idæis tam speculative, quam practice acceptis. II, 258. Ejus ordinatio in quo distinguitur ab ordinatione virtutis dispositionis II, 258. In quo distinguitur ab arte. II, 258. In quo differt a providentia generali. II, 262, 354 et 305. Et a providentia ut sic. II, 262, 354 et 305. Est pars objectiva divinæ providentiæ. II, 292. Formalissimus ejus finis, sive ratio finalis. II, 299. Quomodo sit prior, et posterior scientia approbationis. II, 307, 308. Ponat ne aliquid in prædestinato. II, 312, 316. Quid requiritur, ut aliquid sit effectus prædestinationis. II, 321. Beatitudo nostra est ejus effectus. II, 323 Omnis gratia nostra est effectus prædestinationis. II, 326, 327. Gratia primo parenti in statu justitiæ originalis concessa fuerit ne prædestinationis effectus. II, 328, 329. An omnes vocationes sint effectus prædestinationis. II, 331, 332. Vocatio inefficax concessa primo parenti fuerit ne effectus prædestinationis ejus. II, 335. Peccata licet occasionaliter conducant ad beatitudinem, cur non sint effectus prædestinationis. II, 336. Permissiones tamen peccatorum sunt effectus prædestinationis. II, 362. Actus supernaturales, ut etiam procedunt a libero arbitrio, sunt effectus illius. II, 339. Et omnia dona supernaturalia. II, 344. Et omnes res naturales. II, 348, 353. Substantia reproborum, et eorum damnatio sunt effectus prædestinationis electorum. II, 348, 353. Prædestinatio an supponat permissionem peccati originalis. II, 356. Sit ne prior, quam volitio subjecti prædestinati. II, 357. Quomodo est posterior subsistendi consequentia, quam providentia generalis. II, 357. Voluntas consequens prædestinationis sit ne prior semper voluntate antecedenti, vel e contra. II, 358. Cur non semper prædestinatio producat aliquid intrinsecum supernaturale in suis effectibus naturalibus. II, 358. Prædestinatio, ut dicit intentionem dandi gloriam prædestinatis, fuit ad dandam illam per modum coronæ. II, 455. Et tamen fuit ante prævisa merita juxta sacram Scripturam. II, 417. Id ipsum sentiunt unanimiter sancti Patres. II, 430. Idque recta ratio suadet. II, 438. Executio prædestinationis fit ex meritis. II, 427, 435, 455. Prædestinatio formaliter et in recto, ut dicit actum imperii, est post prævisa merita. II, 415. Cur qui meretur primum effectum prædestinationis, debet mereri cæteros. II, 464. Primus effectus prædestinationis nequit mereri merito de congruo per opera naturalia moraliter bona. II, 467. Neque etiam queit dari dispositio ordinis naturalis ad illum. II, 470. Sicut nec conditio ejusdem ordinis. II, 472. Cur prædestinatio convenit Deo libere, non vero idea. II, 260.

PRÆDESTINATIO CHRISTI. Est exemplar nostræ prædestinationis. II, 479. Fuit prædestinatus ante prævisa merita. II, 479 Prædestinatio Christi sit ne posterior peccato originali. II, 393. Cur Christus Dominus nequit esse instrumentum physicum prædestinationis. II, 251. Prædestinatio Christi non distinguitur quasi specie a prædestinatione nostra et Angelorum. II, 299. Vide Christus Dominus.

PRÆDESTINATUS. Cur fuit conveniens, quod essent plures prædestinati, non vero nisi unus hypostatice unitus. II, 242. Cur in statu justitiæ originalis non est aliquis prædestinatus, vel reprobatus. II, 241. Peccatores prædestinati diligantur ne plus pro tunc à Deo quam reprobi justi. II, 251. Prædestinatus sit ne prius a Deo volitus, quam sua beatitudo supernaturalis. II, 252. Sit ne finis respectu creaturarum ordinis naturalis. II, 350. Discretio prædestinatorum a reprobis unde incipit. II, 447 Omnes electi sunt prædestinati propter Christi merita. II, 336. Nequit prædestinatus discerni a non prædestinato per actum naturalem tantum. II, 471. Prædestinati sint ne pauciores, quam reprobi. II, 485.

PRÆDETERMINATIO EXTRINSECA. Vide Prædiffinitio.

PRÆDIFFINITIO. De qua in his commentariis disputatio instituitur, est decretum efficax, et absolutum Dei, quo aliquid ab æterno prædeterminat futurum. II, 151. Juxta sacram Scripturam datur in Deo ad omnes actus liberos bonos, et quæcumque alium actum, sive effectum creatum et bonum. II, 152. Id ipsum unanimiter sentiunt sancti Patres. II, 158. Ratio naturalis id ipsum suadet. II, 169. Peccatum per illam prædiffinitur quoad omnes rationes in eo inventas, quæ non important aliquid malitiæ. II, 203, 211. Non vero malitia ipsa. II, 198. Hæc prædiffinitio multoties insignitur nomine prædestinationis, et ideæ practicæ. II, 158. Licet sit infallibilis, non tamen creaturæ adimit libertatem in operando. II, 161, 163, 186. Prædiffinitio ista cur nequit esse sub conditione, si voluntas creata voluerit concurrere. I, 532. Si non daretur hujusmodi prædiffinitio ad omnes operationes creatas darentur duæ primæ causæ. II, 171. Indigentia hujus prædiffinitionis extrinsecæ in causa secunda quomodo deducitur ex indigentia concursus simultanei primæ causæ ad actiones creatas. II, 172. Si tollatur a Deo hujusmodi prædiffinitio concurret cæco modo cum creaturis. II, 172. Prædiffinitio, hæc non solum determinat substantiam effectus, sed etiam modum. II, 163, 172, 177. Quomodo cohæreat cum libertate voluntatis, quod prædiffinita nequeat in sensu composito dissentire. II, 178. Secus tamen in sensu diviso. II, 178. Unde oritur infallibilitas prædiffinitionis. II, 194. Cur etsi nunquam ponatur actus contrarius semper relinquat potentiam ad illum. II, 185 et deinceps, et 195. Terminus *a quo* et *ad quem* hujus prædiffinitionis. II, 194. Sit ne infinita syncategorematice in influendo. II, 194. Respiciat ne actum, ad quem datur cum indifferentia ad oppositum. II, 194. Cur etsi voluntas nequeat operari sine hac prædiffinitione, imputetur ei carentia operationis debitæ, etiamsi extrinsece a Deo non præfiniatur ad illam. II, 195. Non dat voluntati, quod possit agere, sed quod libere, et infallibiliter agat. II, 195. Non est major difficultas in eo, quod Deus concomitanter concurrat ad entitatem physicam peccati, quam in eo quod illam extrin-

sece præfiniat. II, 210. Imo facilius intelligitur, Deum non esse causam peccati, etiamsi sit causa entitatis physicæ illius, si assignatur hæc prædiffinitio, quam eam denegando. II, 210. Peccet ne voluntas sequens, ac volens hanc prædiffinitionem ad entitatem physicam peccati. II, 227 et deinceps Cur Deus non peccet prædiffiniendo entitatem physicam peccati, secus tamen si præciperet, vel consuleret. II, 228. Præfinitio entitatis physicæ peccati quomodo non sit contra perfectionem divinam. II, 228 et deinceps. Sit ne posterior in aliquo genere causæ, quam decretum permissivum malitiæ peccati. II, 229, 230. Præfinitio ista licet sit a solo Deo immediate non facit, quod Deus sit causa peccati. II, 232. An liceat voluntati velle illud *esse* entitativum physicum peccati, ad quod extrinsece præmovetur. II, 231. Infamia ex peccato secuta possit ne præfiniri a Deo. II, 370. Possit ne aliquis præfiniri ad pœnam. II, 375. Prædiffinitio hæc, qua effectus liberi prædiffiniuntur, non determinat per modum naturæ. II, 195.

PRÆPARATIO divina quotuplex. II, 304.

PRÆSCIENTIA posita in diffinitione prædestinationis, nequit supponere pro scientia media. II, 302. Præscientia non reperitur proprie in Deo. I, 540. Vide Scientia Dei, Prædestinatio.

PRIMUM in uno quoque genere est causa cæterorum. I, 18, 29.

PRINCEPS potest sibi ipsi imperare, quamvis non habeat respectu sui ipsius vim coactivam. II, 275. Providet sibi providentia monastica. II, 275. Ad justum principem multoties spectat, ut non ignoscat culpis. II, 374.

PRINCIPIUM, quod in rerum natura re ipsa est tale coïncidit cum principio in actu. I, 20. Principium meriti nequit cadere sub merito. II, 481. Vide Individuationis principium, Quantitas et Materia.

PRIORITAS. Quotuplex. II, 239. Prioritas et posterioritas, an possint reperiri intra idem genus causæ. II, 253. An sit in divinis actibus quando non est in objectis. Vide Decreta libera, Prædestinatio, Reprobatio, Permissio.

PRIVATIO sola secundum se præcise nequit fundare intelligibilitatem. I, 463, 464.

PROPHETIA. Prophetiæ lumen cur possit specie multiplicari non vero lumen gloriæ. I, 257. Innititur scientiæ Dei. I, 471. Quando est prophetia comminationis quomodo futura per ipsam revelantur. I, 535. An quæcumque prophetia excepta comminationis, vel quæ continet aliquam remunerationem debeat habere determinatam veritatem metaphysicam, et non solum moralem. I, 582.

PROPHETÆ, cur futura præcinant verbo præteriti temporis. II, 242.

PROPOSITIO. Propositiones contradictoriæ de futuro contingenti quam veritatem, vel falsitatem postulent pro quocumque signo. I, 516 et deinceps. Ante decretum divinæ voluntatis non sunt formaliter propositiones, neque earum termini aliquid significant; nisi tantum materialiter. I, 516. Ante decretum divinæ voluntatis quam conformitatem habeant cum objecto futuro. I, 518 et deinceps Licet pro illo priori non sint veræ, non tamen pro eodem signo sunt falsæ. I, 520. Sed pro tunc nec sunt veræ, nec falsæ, sed non veræ, vel non falsæ. I, 520 et 521. Quando et quomodo propositio de *inesse* sit regula veritatis propositionis de futuro. I, 520 et 521. Vide Futura contingentia absoluta, et Decreta libera Dei.

PROVIDENTIA. Quid. II, 378. Providentiæ particularis et universalis discrimen. II, 379. Providentia generalis in quo differat a prædestinatione. II, 241, 262, 305. Consistit in recto in actu rationis. II, 255. Et est actus imperii. II, 258, 269. Includit tamen actum voluntatis. II, 258, 269. Est pars præcipua prudentiæ. II, 258. Proprium ejus munus. II, 259. In quo distinguitur ab ideis, tam speculative, quam practice acceptis. II, 260. In quo ordinatio ipsius distinguatur ab ordinatione virtutis dispositionis. II, 260. In quo distinguitur ab arte. II, 260. Dicit in obliquo actum curæ, et studii. II, 261. Providentia altera approbationis, altera concessionis. II, 263. Prædestinatio est pars objectiva ejus. II, 292. Aliquando actus dispositionis cur tribuantur providentiæ. II, 261. Cur est quodammodo causa dispositionis. II, 261. Ejus adæquatum, objectum. II, 292. Non multiplicatur quasi specifice. II, 292 et deinceps. Cur ut connotat creaturas, nequit multiplex appellari, secus vero ideæ divinæ, ut illas connotant. II, 298. Quod convenit essentialiter alicui parti providentiæ debet cæteris convenire, non vero quod convenit accidentaliter. II, 299. Ejus efficacia vel inefficacia unde oritur. II, 309. Non dicit imperfectionem, quod aliquando fit inefficax ex parte terminationis. II, 309. Cur ad eam spectet mala in universo permittere, II, 378 et deinceps. Lex æterna est quasi principium providentiæ. II, 269. Providentia monarchica in Christo Domino respectu totius universi est tantum unica. II, 25.

PRUDENS, an debeat esse moralibus virtutibus ornatus. II, 257, 262.

PRUDENTIA in Deo distinguitur a scientia. I, 349. Non continet creaturas per modum potentiæ executivæ. I, 453. Prudentia quid. II, 236. Consistit in recto in actu rationis. II, 236, 258, 278. Est recta ratio agibilium. II, 258. Nequit reperiri prudentia sine virtutibus moralibus. II, 262. Ejus pars principalissima est providentia. II, 258. Præscribit ea, quæ attentis omnibus circumstantiis agenda sunt. II, 258. Est principalior inter virtutes morales. II, 270 In quo distinguitur a sagacitate. II, 265, 271. In quo sensu sit verum, quod versentur circa idem. II, 265, 271. Quæ vitia opponantur illi. II, 278. In quo distinguitur ab arte. II, 278.

PRUDENTIA MONASTICA, an inveniatur in quocumque. II, 272. Unde multiplicetur in nobis. II, 295.

PRUDENTIA ARCHITECTONICA. Quæ. II, 257. De prudentia civili et politica ad quem pertinet tractare. II, 257.

Q

QUANTITAS in recto, et informans materium nequit esse principium individuationis substantiæ. I, 37. Nec ipsa ut connotatum materiæ intrinsecum. I, 41. Quodammodo est radix propriæ individuationis. I, 28, 72, 73 et deinceps. Potest, ut est individua sensibiliter separari a substantia. I, 43. Alia vero accidentia ut sunt individua individuatione sensibili, non sunt separabilia a quantitate. I, 43. Quare attribuitur illi quod sit radix individuationis,

duationis, et distinctionis numericæ substantiæ a quolibet alio. I, 44. An, et quomodo in genere causæ dispositivæ recipitur prius in materia, quam forma substantialis. I, 55. E contra vero res se habet in genere causæ materialis receptivæ. I, 55. Si forma substantialis consideretur, ut est *hæc*, prius præcontinetur absolute et simpliciter in materia quantitas, quam prædicta forma. I, 56, 57. Non intelligitur terminata in illo priori, in quo intelligitur ante formam. I, 59. Bene tamen intelligitur determinata. I. 60. Non ut terminata habet rationem connotati ad individuationem. I, 59. Penes quod differant quantitas terminata et determinata. I, 60. Cur hæc quantitas potius quam aliam præcontineatur a materia. I, 60. Duplicem habet conceptum inadæquatum. I, 73. An prout dicit rationem extensionis hujus substantiæ individuetur a subjecto sicut alia accidentia. I, 73. An ut exprimit situm, vel positionem partium, individuetur quodammodo a se, ut a prima radice. I, 73. Ipsi soli conpetit habere a se partes ejusdem rationis realiter distinctas. I, 73. Indiget subjecto, vel dispositionibus, tanquam connotato ut sit radix suæ individuationis. I, 75. Cur non reducitur in situm individuatio quantitatis tanquam in radicem. I, 76. Habet peculiariter posse intelligi pure præcisive, ut individua sine ordine ad subjectum. I, 81, 82. Quomodo intelligatur illud, quod communiter dicitur de illa, quod est sua extensio. I, 134. Individuum substantiæ supernaturaliter potest separari a quantitate. I, 41. Vide Materia signata quantitate, et Principium individuationis

QUALITAS. Qualitates ordinis supernaturalis, an sit necessarium, ut pertineant ad species qualitatis ab Aristotele numeratas. I, 249. An Aristot. cognoverit illas. I, 249.

R

RECTUM. Actu, et in exercitio petit necessario obliquum. I, 62. Per additionem obliqui additur recto aliquid pertinens ad lineam recti; non tamen necessario aliquid in *esse* entis. I, 62.

REFLEXIO actuum intellectus, et voluntatis. Vide Intellectus, Voluntas, Judicium. Imperium, et Electio.

RELATIO. Una numero potest respicere plures terminos numero distinctos. II, 296. Relatio, quam dicunt species intentionales ad objectum, in quo fundetur. I, 158.

RELATIO DIVINA. An relationes divinæ sint suum *esse* existentiæ. I, 152. An sint objectum primarium et specificativum divini intellectus. I, 285, 286. In quo sensu sit probabile oppositum. I, 285, 286. Nequeunt etiam de potentia absoluta videri a beatis sine divina essentia, vel una sine alia. I, 282. In quo distinguantur ab attributis. I, 343. Cur sunt partes quasi subjectivæ divinæ relationis ut sic, secus vero providentiæ particulares respectu providentiæ Dei ut sic. II, 298.

RELATIO PATERNITATIS prius constituit Patrem in ratione personnæ, quam referat ad Filium. I, 72. Vide Paternitas, Visio clara Dei.

RELIGIO. An multiplicetur specie. II, 294.

REPROBATIO. An sit. II, 371. Quid sit II, 376. Quas habeat convenientias. II, 372. Voluntas antecedens salvandi omnes homines non est incomposibilis cum voluntate reprobandi aliquos ex illis. II, 374 et deinceps. Neque etiam prædicta voluntas est illusoria ex eo quod aliqui reprobentur. II, 375. Circa quæ immediate versetur. II, 381. Prout dicit actum imperii in recto, præter dubium est, præsupponere demerita et peccata reproborum. II, 382. Duplex ejus acceptio. II, 386. Reprobatio prout dicit inflictionem pœnæ, debet esse dependenter a peccatis. II, 386. Est tamen ante prævisa peccata prout dicit denegationem beneficii indebiti. II, 388. Ut est inflictiva pœnæ, quomodo supponat peccatum originale. II, 393, 394. Detur ne ex parte reprobi causa meritoria primi effectus reprobationis. II, 426. Permissio peccati Adami potuit esse effectus reprobationis damnatorum. II, 397. Quomodo ordinandus processus divinorum actuum circa reprobationem. II, 399 et deinceps, 402, 403. In reprobatione cur resplendeat magis divina misericordia intensive circa prædestinatos. II, 399. Reprobationis effectus assignantur. 404 et deinceps, 408, 412, 413. Sit ne prius peccatum originale transfusum quam reprobatio. II, 411. Solum fuit causa sufficiens reprobationis in aliquibus. II, 390, 391, 412. Reprobatio est effectus prædestinationis electorum. II, 354. An per reprobationem gratiæ vires innotescant. II, 372. An etiam libertas creata per eam patefiat. II, 372. Necnon et defectibilitas liberi arbitrii creati. II, 372. Vide Prædestinatio, Prædestinationis effectus.

REPROBUS. Reprobi solent appellari prædestinati ad gehennam. II, 240. Cur in statu justitiæ originalis nullus fuit reprobus. II, 244. Cur non fuerit conveniens totam hominis speciem reprobari, bene tamen totam aliquam speciem Angelicam. II, 244 et deinceps. Reprobi justi an diligantur pro tunc a Deo, plus quam peccatores prædestinati. II, 251. Reproborum substantia, damnatio, etc., sunt effectus prædestinationis electorum. II, 354. Nequiret Deus illos damnare nisi donaret auxilia sufficientia. II, 359. Pœnæ temporales in reprobis an sint medicinales. II, 407. Ejus substantia potest procedere, tam a voluntate antecedenti, quam a voluntate consequenti. II, 409. Reproborum a prædestinatis discretio unde incipit. II, 447. Sint ne plures reprobi, quam prædestinati. II, 485.

RESURRECTIO. In resurrectione generali quomodo fiet distributio materiæ inter homines qui carnibus vescuntur humanis. I, 21. Non sufficit eadem numero anima, ut idem numero resurgat homo. I, 21. Resurrectio corporalis quare sit miraculosa, secus vero spiritualis. II, 485.

S

SACRAMENTUM. Omnia sacramenta ordinantur ad Eucharistiam. II, 350.

SAGACITAS. Quid. II, 271. Non est idem ac prudentia. II, 271. Quomodo aliquando versentur circa idem. II, 273. An sit idem ac bona intelligentia. II, 273.

SAPIENTIA. In Deo est idem ac scientia. I, 338. Queit habere rationem potentiæ executivæ. I, 454.

SAPOR cur sit specificativum gustus. II, 122.

SÆVITIA. Quid. II, 406.

SCIENTIA. Quæ cognitio requiratur ad rationem scientiæ proprie dictæ. I, 334. Scientia quæ non est causa sui objecti, mensuratur per illud. I, 436. Reperitur formaliter et proprie in Deo. I, 334. Tam respectu attributorum suorum quam respectu cujuscumque veritatis creatæ etiam necessariæ. I, 335. Aliquando apud sanctos Patres intellectio divina insignitur nomine scientiæ. II, 303. In quo distinguitur ab intelligentia. I, 338, 348. Est simul sapientia. I, 338. In quo distinguatur ab arte. I, 453. Cur est prior quam ars divina. I, 453. Ars subordinatur illi. I, 453. Est attributum Dei, non vero constitutivum essentiæ. I, 342. Distinguitur ab eubulia, synesi, et Gnome. I, 349 et deinceps. Quare in divinis non convenit in eodem materialitatis gradu cum objecto. I, 411. Est vera causa rerum. I, 432. In quo sensu dividitur in scientiam visionis, et simplicis intelligentiæ. I, 433. An hæc divisio sit adæquata, et quomodo. I, 433. Cur sit primum attributum, quod convenit Deo. I, 448. Per illam Deus cognoscit mala, sive culpæ sive pœnæ. I, 461. Nequit scire mala creata nisi per bona, quibus opponuntur. I, 464. Attingat ne futura contingentia absoluta per suam essentiam et ideas. I, 471, 477. Futura tantum sunt illative in Deo ratio scientiæ. I, 449. Quomodo falli non possit, etsi futura absolute possint non esse. I, 473 et deinceps. Non est in ipsa præteritum et futurum. I, 476, 486. Ut sit necessaria sufficit, ut attingat objectum per medium necessarium ex suppositione. I, 476. Respectu futurorum non proprie in Deo appellatur præscientia. I, 540. Nequit cognoscere futura antecedenter ad decretum liberum divinæ voluntatis. I, 479, 486. Neque in hoc decreto ut futuro, sed ut præsenti. I, 486. Neque in comprehensione causarum secundarum si semoveatur decretum. I, 496. Cognoscit illa in decreto libero efficaci, et absoluto divinæ voluntatis. I, 509 et deinceps. Non solum attingit illa in prædicto decreto quoad an est? illorum, sed etiam quoad quid est. I, 533. Mensuratur æternitate. I, 559. Attingit etiam certo prædicta futura contingentia, et absoluta, juxta mentem Scripturæ, ut præsentia realiter physice in mensura æternitatis. I, 539. Et etiam juxta mentem sanctorum Patrum. I, 540. Et D. Thom. I, 551. Id ratio sufficiens suadet. I, 551. Si non cognosceret prædicta futura, ut præsentia in æternitate, esset mutabilis. I, 559. Denominatio intrinseca uniti cum humanitate, et alia hujusmodi cur possint in Deo secundum id, quod dicunt adæquate non mensurari æternitate, non vero denominatio intrinseca scientis creaturas. I, 560. Si non mensuraretur scientia Dei æternitate, sed ævo, nequiret certo cognoscere futura contingentia absoluta. I, 569. Semel tamen admisso quod mensuretur æternitate, nequit certo cognoscere prædicta futura, nisi existant physice in æternitate. I, 570. Ejus certitudo et infallibilitas, quomodo concilietur cum libertate creata. I, 572. Juxta mentem Scripturæ attingit futura contingentia conditionata et disparata. I, 576. Et etiam juxta mentem sanctorum Patrum. I, 583. Quæ vero habent conjecturalem connexionem cum conditione, probabilius est, etiam juxta mentem Scripturæ, quod certo ipsa attingat. I, 577. Id ipsum sentiunt sancti Patres. I, 583. Convincitur recta ratione prædicta omnia futura infallibiliter a scientia divina attingi. I, 589, 594. In quo attingantur infallibiliter a Deo prædicta futura. I, 594. Si Deus non haberet decretum positivum circa non futuritionem conditionatorum, an posset infallibiliter cognoscere non futuritionem eorum. I, 595 et deinceps An si non haberet decretum positivum circa illorum futuritionem, posset illam certo scire I, 596. Scientia hæc futurorum conditionatorum non est idem, ac scientia media. I, 600. Vide Decreta libera Dei, et Futura contingentia.

SCIENTIA MEDIA. Non potest admitti in Deo juxta mentem sacræ Scripturæ. I, 603. Nec juxta mentem August. I, 611, 612. Imo et cum principiis auctorum scientiæ mediæ nequit cohærere, illam esse de mente August. I, 622. Auctoritas Aug. maxime attendenda est ad rejiciendam scientiam mediam. I, 610. Augustinus non solum impugnat contra hæreticos usum scientiæ mediæ, sed ipsam scientiam mediam. I, 612. Nequit etiam juxta mentem D. Thom. concedi. I, 629, 630, 632. Nec juxta rectam rationem. I, 662 An approbent scientiam mediam Theologi qui ab Augustini temporibus, ad hanc usque nostram tempestatem floruerunt. I, 635. Patres Concilii Trident. illam saltim virtualiter rejecerunt. I, 636, 637. Nequit dici, scientiam mediam latuisse antiquos Theologos, et a junioribus, ex August. et aliis Patribus fuisse erutam. I, 638. Imo potius Theologi antiqui illam non solum cognoverunt, sed etiam rejecerunt. I, 645, 647. Nullatenus prædicta scientia media est necessaria ad id ad quod eam ponunt ejus auctores. I, 652, 653. Imo si ponatur in Deo, destruit certitudinem divinæ prædestinationis, et modum proprium quo Deus prædestinavit electos. I, 652, 653, 657. Tollit etiam libertatem divinam. I, 661. Subtrahit a Deo rationem primæ causæ, primique auctoris gratiæ. I, 663. Aufert quod Deus possit implere quod promittit circa fidem vel conversionem creaturæ rationalis ex facultate suæ omnipotentiæ. I, 666. Reddit Deum inscium, cæcum, et ignarum in modo operandi, et operantem sine intentione finis particularis. I, 667. Si admittatur in Deo, cogimur admittere in illo quod discat aliquid ex eventu, et experientia. I, 668. Præscientia posita in diffinitione prædestinationis, nequit esse scientia med. II, 256.

SCIENTIA SIMPLICIS INTELLIGENTIÆ ad quid terminetur tanquam ad objectum. I, 433. Est causa creaturarum loquendo de causa in actu primo, non vero in actu secundo. I, 435, 436. An attingat futura conditionata, tam disparata, quam quæ habent connexionem probabilem cum conditione. I, 600. An petat necessario quod ejus objectum formaliter sumptum non existat actu. II, 65.

SCIENTIA VISIONIS. Cur sub hoc formalissimo conceptu non sit appellanda attributum Dei. I, 274. Ejus objectum adæquatum I, 274. Quomodo comparetur respectu peccati. I, 438, 461. Est causa creaturarum loquendo de causa in actu secundo, non vero in actu primo. I, 435. Quomodo sit mensura sui objecti. I, 438. Sit ne verum in aliquo sensu, quod terminatur ad res futuras, quia futuræ sunt. I, 439. Licet sit intuitiva

tuitiva sui objecti, non est necessarium, quod præsupponat illud in aliquo priori. I, 439. Ut connotat voluntatem habet rationem potentiæ executivæ creaturarum. I, 444. Quando nuncupatur scientia approbationis. I, 452. An ut habet rationem potentiæ executivæ versetur circa Deum tanquam circa rationem *sub qua* I, 456.

SCIENTIA APPROBATIONIS. Quid. II, 303. Scientia approbationis intelligitur per illam particulam *præscientia*, posita in diffinitione prædestinationis. II, 303. Cur in illa diffinitione ponatur in recto. II, 306, 307. Quomodo est prior ac posterior prædestinatione. II, 306, 308. Etiam est prior, et posterior se ipsa secundum diversa munera. II, 308. Terminatur ad bonum, non vero ad malum. II, 152.

SEMIPELAGIANI, Semipelagianorum error virtute fuit anathematizatus Pelagianorum errore anathematizato. II, 475.

SENSUS, compositus et divisus, quid. II, 178. Quomodo cohæreat cum libertate creata, et certitudine extrinsecæ Dei prædiffinitionis, quod voluntas prædiffinita ad aliquem actum non possit in sensu composito illum non elicere, bene tamen in sensu diviso. II, 178.

SITUS. An det partibus quantitatis quod non distinguantur. I, 73. Cur non tribuit quantitati individuationem. I, 76.

SOLLICITUDO. Quid. II, 262. Ad quam potentiam pertineat. II, 262. Quomodo includitur a providentia. II, 262. Sumitur aliquando pro actu imperii. II, 262.

SPECIES. Speciei nomine queit optime differentia specifi a intelligi. II, 309. Species omnes hujus universi videntur a beatis. I, 294. Species intentionales sunt ejusdem naturæ ex parte formæ cum suo objecto primario. I, 157, 354. Non vero cum objecto secundario. I, 137. Species intentionales sensibiles possunt communicari medio in *esse* entitativo, non vero in *esse* intentionali. I, 365. In quo sensu aliquando verificentur eadem de intentionalibus speciebus ac de objecto, aliquando vero non. I, 366. Identificantur cum potentia in *esse* cognoscitivo. I, 372. In *esse* cognoscitivo formalissime sumpto non individuantur a subjecto, sed ab objecto. I, 375. An sit necessarium, quod præsupponant illud in aliquo priori. I, 375. Vide Accidens, Individuum, Species expressa, Species impressa, et Verbum.

SPECIES EXPRESSA tenet se ex parte objecti. I, 133, 200. Vide Verbum.

SPECIES IMPRESSA, tenet se ex parte objecti, non vero ex parte potentiæ. I, 121, 122, 133. Lumen gloriæ non habet rationem speciei impressæ respectu visionis beatificæ. I, 123, 221. Non datur species impressa creata repræsentativa Dei ad visionem beatificam. I, 121, 128. Nec potest dari de potentia absoluta. I, 154. An repugnet species impressa creata, quæ repræsentet Deum quoad an est? I, 155. Essentia divina unitur in ratione speciei in visione beatifica. I, 154. An detur species impressa distincta ab objecto quoties objectum est per se intelligibile. I, 154. Non petit essentialiter inhærere. I, 155. Cur species impressa, et creata universaliter petat uniri, tam in *esse* intelligibili, quam in *esse* entitativo, cum tamen id non postulet essentia divina, ut gerit munus speciei respectu intellectus beati. I, 136 et deinceps. Tam creata, quam increata concurrunt active ad intellectionem. I, 141. Creata aliquando sufficit quod concurrat radicaliter, non vero increata, et quare. I, 145. Primo, et per se respicit *operari*, et secundario *esse*. I, 148. An petat essentialiter esse substantiam, vel accidens in *esse* entitativo, an vero abstrahat. I, 149 et deinceps. Quomodo habeat vitalitatem. I, 151. Debet esse ejusdem naturæ in *esse* intentionali cum objecto primario. I, 157, 354, 364. Secus vero cum secundario. I, 157, 354, 364. Ejus relatio similitudinis ad objectum in quo fundetur. I, 158, 159. Dicit formalem similitudinem, et non tantum virtualem cum objecto. I, 160. Immittitur modo naturali, non vero libere ad objectum. I, 163. Debet convenire in eodem gradu immaterialitatis cum objecto. I, 164. Multiplicatur juxta multiplicitatem graduum immaterialitatis. I, 165. Constituit unam rationem causæ totalis cum intellectu. I, 225. Quotuplex specierum impressarum, gradus. I, 165. Quid sit ipsam recipi in intellectu secundum rationem formæ. I, 133, 325. Habet duo genera essendi. I, 358. Ejus natura optime explicatur. I, 358, 364. Cur modus quidam ejus diminutus sit dispensabilis in ea. I, 360. Modus iste est accidens prædicabile respectu essentiæ speciei. I, 367. Identificatur cum objecto in *esse* intelligibili. I, 372. Ex eo quod species intelligibilis separetur ab intellectu, non colligitur distinctio actualis eorum inter se dum actu sunt unita. I, 379. Duæ species repræsentantes duo individua ejusdem speciei, v. g. humanæ, differunt specie. I, 88, 89. Hujuscemodi duæ species possunt esse in eodem subjecto. I, 88, 89. Species intelligibilis cur non petit recipere intellectionem, secus vero intellectus. I, 238. Quam habet existentiam in ordine intelligibili. I, 385; II, 8.

SPECIFICATIVUM, virtuale attributorum Dei optime possunt esse creaturæ. I, 449, 450. Specificativum in substantiis cur debet esse intra proprium prædicamentum, in accidentibus vero aliquando oppositum contingat. I, 213. Vide Potentia, Terminus.

SPES THEOLOGICA potest versari circa res ordinis naturalis. II, 349.

SPIRITUS. Spiritus Sanctus prius intelligitur procedere a voluntate divina, quam ipsa libere terminetur ad creaturas. II, 92 et deinceps. Nequit esse posterior cæteris divinis personis quantum ad essentialia. I, 286. Ac proinde nec quantum ad beatitudinem propriam. I, 286. Ejus processio cur esset generatio, si voluntas pertineret ad constitutivum formale divinæ naturæ. II, 30.

STUDIUM. Quid. II, 262. Ad quam potentiam pertinet. II, 262. Quomodo includitur in providentia. II, 262. Præsupponitur ad providentiam. II, 262.

SUBJECTUM, an semper limitet actum in eo receptum. I, 18, 19. Subjectum unum in *esse* entis, quomodo queit esse unum in *esse* subjecti, formaliter sumpti. I, 69, 70, 87. Sit ne principium radicale individuationis accidentium. I, 66. Debeat ne supponi in intentione volitio ipsius ad volitionem accidentis II, 357. Quomodo intrat in diffinitione accidentis. I, 67. Unum formaliter existens nequit de potentia absoluta recipere duo ac-

cidentia solo numero distincta. I, 84. Quomodo sit probabile quod accidens existens in uno subjecto possit transire supernaturaliter ad aliud. I, 85. An probabilius sit oppositum. I, 85. Indigeat ne aliquo superaddito ad receptionem accidentis reproducti. I, 87. Vel ad receptionem duplicis accidentis contrarii. I, 87. Subjectum recipiens duo accidentia specie, et numero distincta non est unum formaliter. I, 90. Vide Accidens, et Individuationis principium.

SUBSISTENTIA. Subsistentia divina cur possit uniri, sine sui imperfectione cum natura creata. I, 130. cum tamen Deus nequeat uniri in ratione potentiæ, vel luminis cum creatura. I, 244.

SUBSTANTIA, quomodo sit individua a se non vero accidentia. I, 29. 32 et deinceps. Cur non habeat a se partes realiter entitative distinctas. I, 78. Cur si illas haberet, non diceretur quantitas quodammodo individua a se in via D. Thom. I, 78, 79 et deinceps. Quare quantitas, ut radicaliter præhabita non possit dare substantiæ partes entitativas substantiales realiter distinctas. I, 79 et deinceps. An substantia Angelica possit esse immediate operativa in ratione speciei intelligibilis respectu intellectionis sui. I, 145, 146 et deinceps. Quare substantia creata in *esse* entitativo considerata, quia respicit suum *esse*, non est immediate operativa, secus vero accidentia. I, 148. Substantia supernaturalis creata, quæ possit sine elevatione videre Deum prout est in se, implicat contradictionem. I, 208. Nequit specificari per ordinem ad aliquod extrinsecum. I, 212. Substantia pure spiritualis, quæ nullam habet operationem non est dabilis. I, 328. Si daretur substantia, quæ produceret tantum species in intellectibus creatis, per quam actionem id efficeret. I. 328. Nequiret præcise illas producere in illo casu per modum principii puri radicalis, sine eo quod esset substantia pure intellectiva. I, 328. Individuum substantiæ, saltim supernaturaliter, potest esse separatum a quantitate. I, 41. Ratio substantiæ spiritualis præcise nequit esse constitutivum divinæ essentiæ. I, 405. Quam intellectualitatem tribuit substantiis immaterialitas. I, 326, 327. Substantia prædestinati est effectus prædestinationis illius. II, 348. Potest cadere sub merito. II, 349. Et esse objectum spei Theologicæ. II, 349. Potest pro illa fieri oratio ad Deum. II, 349. Substantia reproborum est effectus prædestinationis electorum. II, 354. Imo reprobationis damnatorum. II, 412.

SUPERNATURALITAS, in rebus creatis in quo consistat. I, 212, 216.

SYNDERESIS. Judicium synderesis non sufficit ad electionem. II, 275.

SYNESIS. Quid. II, 271. Antecedit imperium. II, 271. Deservit prudentiæ. II, 271. In quo sensu sit verum, quod ipsa, et prudentia versantur circa idem. II, 279. In quo distinguuntur. II, 271, 279. Est idem ac bona intelligentia. II, 279. Est in Deo distincta a scientia II, 349. In quo actu consistit. II, 269.

T

TALENTUM. Talenti nomine, Matth. 24, intelliguntur gratiæ gratis datæ II, 472. Potest etiam intelligi gratia habitualis. II, 472.

TEMERITAS opponitur Ebuliæ. II, 278.

TEMPUS. Per temporis connotationem multiplicantur, vel distinguuntur accidentia in subjecto formaliter. I, 70, 87. Ad unitatem motus requiritur, et non sufficit unitas temporis. I, 70, 87. Tempus præteritum quomodo respiciatur ab accidenti, quando idem numero accidens supernaturaliter iterum recipitur in suo subjecto. I, 87. Vide Quantitas, Subjectum.

TERMINUS, an habeat rationem formæ respectu sui terminabilis. I, 86. Cur Deus possit uniri in ratione termini cum natura creata sine sui imperfectione. I, 131. Ad unitatem motus requiritur, et non sufficit unitas termini. I, 70. Termini plures numero possunt respici ab una numero relatione. I, 89.

U

UNIO, essentiæ divinæ cum intellectu beati an sit major, quam unio Verbi divini cum humanitate. I, 384.

UNIO HYPOSTATICA est maxima Dei erga nos communicatio in *esse* entitativo. II, 242. Cur fuit conveniens fieri in unico tantum individuo, visionem vero beatam in pluribus. II, 244. Facta hac unione cum humana natura quodammodo fit cum omni creatura. II, 245. An respiciat visionem nostram beatam tanquam finem *cui*. II, 247. Fuit prius volita a Deo tanquam finis omnium aliarum rerum. II, 264, 350 Non tamen ut finis assequendus a substantiis ordinis naturalis. II, 247. Quomodo etsi omnia ordinentur ad ipsam, non tamen omnis providentia in Deo. adhuc juxta nostrum modum concipiendi, sit hypostatica. II, 297. Cur non est effectus nostræ prædestinationis. II, 322. Quomodo licet sit connaturalis ex parte Verbi Divini, possit esse supernaturalis ex parte humanitatis. I, 217. Sit ne major quam unio essentiæ divinæ cum intellectu beati. I, 384. An habuerit dependentiam in Christo Domino a cooperatione liberi ejus arbitrii. II, 479. An meruit illam Christus Dominus. II, 481.

UNITAS proveniens a forma est unitas specifica. I, 15. Formalis nequit provenire a materia. I, 16. Numerica est materialis. I, 20. Unitas per accidens formaliter talis repugnat Deo. I, 407. Non tamen virtualiter talis. I, 407. Est unitas secundum quid. I, 407.

UNIVERSUM quomodo possit subordinari multiplici providentiæ Dei. II, 354. In ejus utilitatem cedunt mala, quæ in ipso contingunt. II, 352. Partes ejus minus nobiles, sunt propter nobiliores. II, 352. Est effectus prædestinationis electorum. II, 353. An sit effectus reprobationis damnatorum. II, 413.

UNUM per se nequit coalescere ex rebus diversorum prædicamentorum. I, 38, 41.

USUS, cujus potentiæ sit actus. II, 271. An distinguatur ab electione. II, 271.

USUS DIVINUS subsecutus ad electionem meritorum ad gloriam, an distinguatur virtualiter ab intentione et electione. II, 453.

V

VERBUM datur in omni intellectione ordinis naturalis. I, 124. Non datur in visione beata

beata in sententia D. Thom. I, 121 124. Id ipsum ratio suadet. I, 183. Cur Pater æternus producit Verbum ex fœcunditate, secus vero beati videntes Deum. I, 199. An verbum sit simile objecto I. 129. Ejus productio, an sit generatio vitalis. I, 160. In quo sensu dicatur notitia. I, 186. Non consistit in intellectione. I, 186 et deinceps. De ratione ejus essentiali est esse intellectum. I, 192, 193. Tenet se ex parte objecti. I, 121, 122, 123. Partim etiam ex parte potentiæ. I, 200.

VERBUM DIVINUM cur non reddit intellectam essentiam divinam, sed e contra. I, 198. Cur non requirit dispositionem ad hoc ut uniatur humanitati Christi hypostatice, cum tamen essentia divina illam requirat, ut uniatur intellectui beati. I, 229. Licet non procedat ex cognitione creaturarum futurarum; nihilominus cognitio per quam procedit concomitanter cognoscit creaturas futuras. I, 489. Dicitur sapientia genita. I, 186. Nequit esse posterius posterioritate originis quam Pater, quantum ad essentialia. I, 286. Ac proinde neque quantum ad beatitudinem. I, 286. Quomodo licet unio cum humanitate ex parte Verbi sit connaturalis, ex parte vero humanitatis sit supernaturalis. I, 217. Quare non dicit imperfectionem quod uniatur per modum personæ cum humanitate. I, 131. Cum tamen nequeat uniri Deus in ratione luminis, vel potentiæ cum creatura. I, 244. Unio Verbi cum humanitate an sit major, quam unio essentiæ divinæ cum intellectu beati. I, 492. Denominatio uniti cum humanitate est intrinseca Deo. I, 561.

VERITAS. Objectiva veritas nequit intelligi in futuris ante decreta libera divinæ voluntatis. I, 510. An propositiones contradictoriæ pro quocumque signo debeant esse veræ. I, 516 et deinceps. Veritatem metaphysicam quando postulat prophetia. I, 582, 583. Quando vero tantum moralem. I, 582, 583. Veritates etiam necessariæ possunt habere causam suæ necessitatis. I, 336, 337.

VERUM. Falsum et verum quomodo opponuntur. I, 521. Verum et bonum non convertuntur. II, 74. In quo discriminantur. II. 74.

VIRTUS. Virtutes affectivæ distinguuntur in Deo virtualiter a divina voluntate. II, 19. Quomodo inter se distinguantur. II, 19, 20, 21 et deinceps. Quid petat earum quælibet ut sit infinita. II, 19, 20, 21.

VIRTUTES distinctæ a membris externis, an ponuntur in ipsis ad exequendos actus imperatos a voluntate. II, 283, 284.

VIRTUTES morales naturales imperantur a charitate. II, 357. Cur tunc charitas debeat producere aliquid supernaturale in earum actibus, secus vero prædestinatio in effectibus a se imperative factis. II, 355. Actus earum, ut participent valorem supernaturalem a charitate debent esse posteriores, quam ipsa. II, 276. An prius ordinentur ad finem charitatis, quando imperantur ab illa, quam ad proprium ipsarum. II, 357. Virtutes morales cur debent reperiri in quocumque prudente. II, 257, 263.

VIS coactiva non requiritur ad legum observantiam, sed sufficit directiva. II, 275.

VISIO. Clara Dei visio prout est in se, a creatura intellectuali est possibilis. I, 95. Cur Deum prout est in se attingere queit creatura intellectualis, non vero omnes creaturas possibiles. I, 99. Hanc visionis claræ Dei possibilitatem cognoverunt sancti Patres. I, 100. Eam tamen nequit cognoscere lumen naturale præcise secundum se. I, 105. Supposita tamen revelatione fidei dupliciter potest illam ostendere. I, 106. Ad hanc visionem non est appetitus innatus in creatura intellectuali. I, 110. Visio Dei prout est in se ut est unus, et ut est trinus, ac ut est prima causa, est quid supernaturale. I, 110. Non datur viribus naturæ appetitus elicitus efficax in ordine ad illam. I, 116. An detur inefficax, et conditionatus. I, 116. Appetitus elicitus necessarius quoad specificationem etiam conditionatus in ordine ad hanc visionem non datur in non vidente Deum per essentiam. I, 116. Non datur ad eam species intelligibilis creata juxta mentem D. Thom. I, 121, 128. Id ipsum ratio suadet. I, 121, 128. Nec potest dari de potentia absoluta. I, 154. Ipsa essentia divina unitur in ratione speciei intelligibilis in ordine ad hanc visionem. I, 154. Divina essentia, ut est objectum, habet peculiarem influxum respectu illius. I, 129. Essentia divina, ut habet rationem speciei respectu ejus, concurrit active. I, 141. Et nequit concurrere active radicaliter, sed proxime. I, 144. Visio Dei soli Deo potest esse omnino connaturalis. I, 169. Cur potius se extendat ad has creaturas possibiles, quam ad illas in beatis. I, 303. Non potest etiam de potentia absoluta verbum producere. I, 183. Visio beata procedat ne, tamquam a causa æquivoca ab intellectu beati. I, 185. Nequit de potentia absoluta elici ab aliquo intellectu ordinis naturalis solis propriis viribus. I, 203. Non habet respectu illius rationem speciei impressæ lumen gloriæ. I, 123, 221. Quoad suam rationem atomam non solum elicitur a lumine gloriæ, sed etiam ab intellectu. I, 223. Ratio generica intellectionis in ea inventa non est naturalis. I, 223. Necessario requirit lumen gloriæ in intellectu, ut recipiatur in eo. I, 232. Nequit etiam de potentia absoluta elici fine lumine gloriæ. I, 237. Dependet a lumine gloriæ non solum in genere causæ efficientis, sed etiam in genere causæ formalis. I, 238. Elicitur non solum quoad *esse* intelligibile, sed etiam quoad *esse* entitativum a lumine gloriæ. I, 245. Non tamen semper indiget illo per modum permanentis, sed sufficit per modum transeuntis. I, 246. Intellectus creatus est causa principalis illius. I, 205. Visio, quam habet Paulus in patria, an distinguatur essentialiter ab ea, quam habuit in via. I, 249. Est eminenter habitus, et dispositio. I, 249. Est inæqualis in beatis. I, 250. Adultis confertur per modum coronæ. I, 250. In pueris baptizatis et aliquando in adultis est æqualis. I, 251. Non distinguitur essentialiter in beatis. I, 254. Quando elicitur a duplici intellectu inæquali in perfectione naturali cum lumine gloriæ omnino æquali, non est una perfectior alia. I, 260. Visio beata creata, et quæ sit comprehensiva Dei, implicat contradictionem. I, 271. Terminatur ad omnia necessaria, quæ sunt in Deo formaliter. I, 280. Implicat terminari ad essentiam divinam sine personis, vel e contra, vel ad unam personam, et non ad aliam. I, 283. Terminatur ad actus liberos Dei immediate, et in se ipsis. I, 290. Implicat tamen quod ad omnes, quæ sunt in Deo, terminetur. I, 291. Bene tamen terminari queit ad

illos, quæ sunt circa statum beati. I, 291. Quælibet visio beata attingit in Deo omnia genera, et species hujus universi. I, 294. Potest formaliter terminari ex vi visionis divinæ essentiæ, tanquam causæ, vel objecti ad effectus existentes in aliqua differentia temporis. I, 295. Potest etiam visa essentia non terminari ad prædictos effectus. I, 298. Potest esse simul intuitiva, et abstractiva respectu diversorum. I, 300. Ex vi sua licet non possit terminari ad omnes creaturas possibiles; bene tamen ad aliquas juxta majus, vel minus lumen. I, 302. An sit participatio cognitionis notionalis. I, 125. Si miraculose participaretur sine gratia non præberet effectum filiationis adoptivæ. I, 427. Communicatio Dei facta in visione beata est maxima in ordine intelligibili. II, 242. Cur communicationes Dei per illam sint quamplurimæ, secus vero communicationes per unionem hypostaticam. II, 243. Est finis *cui*, seu finis effectus Incarnationis. II, 246. Est effectus nostræ prædestinationis. II, 326.

VISIO BEATIFICA Christi Domini excedit intensive, et extensive cæteras omnes visiones beatorum in unum collectas. I, 256.

VITALITAS. Quotuplex I, 242. Quomodo conveniat lumini gloriæ. I, 242. Quomodo speciei intelligibili. II 151.

VOCATIO, alia naturalis, alia supernaturalis. II. 331. Alia interna, alia externa. I, 151, 332. Utraque potest esse efficax, vel inefficax. II, 332. An sint effectus prædestinationis. II, 332, 333. Vocationes inefficaces quos causent effectus in prædestinatis. I, 334. Vocatio inefficax concessa Adamo in statu innocentiæ, an fuerit effectus suæ prædestinationis. II, 336. Vocationis gratia quomodo usurpatur apud sanctos Patres. II, 487.

VOLITIO procedit ab objecto, ut a tribuente peculiarem influxum respectu illius. I, 129.

VOLITIO DIVINA non est de conceptu formalissimo essentiæ, seu naturæ divinæ. II, 28 Terminatur ad creaturas volendo eas. II, 37. In volitione divina, et est ratio affectionis, et ratio effectionis. II, 43. Volitio hæc potest esse duplex, alia efficax, alia simplicis complacentiæ, seu displicentiæ. II, 81. Volitionis divinæ, et creatæ discrimen quoddam. II, 116. Volitionis Dei, et ejus intellectionis discrimen aliud. II, 116. Terminatio volitionis divinæ ad creaturas quid addit supra entitatem et perfectionem ejus. II, 116 Cur nequit terminari ad creaturas etsi sit infinita sine aliquo connotato extrinseco. II, 116. Licet volitio Dei velit, ut media sint ad finem, non tamen volitio finis est causa volitionis mediorum. II, 135. An meritum sit causa volitionis divinæ dandi præmium. II, 136. Volitio libera Dei quid. II, 119. 127. Vide Actus liber Dei, Voluntas.

VOLUNTAS DIVINA. Voluntas in Deo vere reperitur. II, 1. Et id optime convincit ratio D. Thom. II, 3. Unde colligatur in natura intellectuali ponendam esse voluntatem ab ipsa natura distinctam. II, 7. 8. In Deo non habet rationem potentiæ ex parte rei conceptæ. II, 13. Id habet ex parte modi concipiendi. II, 13. Cum summa actualitate, et infinitate lineæ voluntatis divinæ stat optime quod habeat virtutes affectivas, misericordiæ verbi gratia, justitiæ, etc. distinctas virtualiter ab ipsa. II, 20. Cur in voluntate divina ponantur hujusmodi virtutes virtualiter ab ipsa distinctæ, secus vero divina providentia non sit multiplex virtualiter. II, 25. Quomodo distinguitur in divina voluntate conceptus libertatis, et conceptus naturæ. I, 540. De ratione voluntatis divinæ est independentia a quacumque alia voluntate. I, 530. Voluntas triplex assignatur in Deo. II, 81. Voluntas, divina nequit habere rationem potentiæ executivæ respectu creaturarum. I, 453. Ex suo genere non est ita perfecta, ac divinus intellectus. I, 453. Quomodo requiratur ad productionem creaturarum. I, 436, 454, 530. Non esset efficacissima, nec universalissima si ex ea non penderent actus liberi creati quoad substantiam, et modum libertatis. I, 530, 531 et deinceps. Nequit manere omnino suspensa circa creaturas, sed circa quamcumque debet habere actum quo velit, vel nolit ipsam esse. I, 595; II, 89. Cur hoc debet concedi voluntati, secus vero cæteris attributis divinis. II, 94, 95. Quid requiritur, et sufficit ut voluntas divina sit infinita per modum actus purissimi. II, 20, 21. Non est de formalissimo conceptu naturæ Dei. II, 28. Cur si voluntas divina pertineret ad constitutivum divinæ essentiæ, processio Spiritus sancti esset generatio. II, 30. Linea voluntatis unde incipit. II, 34. In Deo est voluntas terminata ad creaturas. II, 37. Cur non perficitur ex terminatione ad illas. II, 38 Objectum formale motivum et terminativum illius. II, 42 Amor divinæ voluntatis erga creaturas quomodo non est affectivus, sed effectivus. II, 43 et deinceps. Voluntas efficax divina non potest non amare necessario, necessitate quoad specificationem aliquas creaturas futuras. II, 81. Est tamen liberrima in productione illarum. II, 83. Necessario necessitate quoad specificationem et exercitium odit peccatum actuale loquendo de affectu simplicis displicentiæ. II, 82. Non vero loquendo de affectu efficaci. II, 56. Libertas divinæ voluntatis quantam habeat actualitatem. II, 90 et deinceps. Prius intelligitur voluntas divina producere Spiritum sanctum, quam intelligatur libere terminata ad creaturas. II, 92 et deinceps. Quomodo sit causa rerum. II, 133. In quo sensu est verum quod ait D. Thom. nimirum quod voluntatis divinæ nequit dari aliqua causa. II, 134. Licet voluntas Dei velit, quod hoc sit propter hoc, non tamen propter hoc vult hoc. II, 136. Hæc propositio : *Hoc est volitum a voluntate Dei, quia illud volitum est,* et ista : *Hoc vult voluntas Dei, quia vult illud,* idem sunt Theologice et Metaphysice. II, 135. Decreta voluntatis divinæ quem ordinem prioris, et posterioris servent inter se. II, 137, 399, 402, 403. Non omnis actus voluntatis divinæ, et in ea existens formaliter habet semper totaliter impleri. II, 143, 144, 145, 147. Quod Deus velit omnes homines salvos fieri, et quod non velit omnes homines salvos fieri, non sunt actus voluntatis divinæ oppositi, et quare. II, 146. Actuum voluntatis Dei quibus vult punire, et præmiare discrimen. II, 448. Voluntatis et intellectus divini sympathia in modo terminandi se ad objecta. II, 444. Vide Appetitus innatus, Amor Dei, Deus, Creaturæ, Actus liber Dei.


VOLUNTAS ANTECEDENS ET CONSEQUENS. Voluntas Dei antecedens, et consequens quid. II, 138 et deinceps. Voluntas antecedens est formaliter in Deo. II, 143. Voluntas divina adæquate dividitur in antecedentem et

et consequentem. II, 139. Voluntas antecedens est voluntas secundum quid, voluntas vero consequens voluntas simpliciter. II, 140. Illud Pauli : *Deus vult omnes homines salvos fieri*, de qua voluntate intelligi debet., II, 141 et 374. Quod est volitum voluntate antecedenti, non semper est necessarium quod sit nolitum voluntate consequenti, licet ita sæpe contingat, sicut et oppositum. II, 141, 374. Voluntas Dei antecedens non semper impletur totaliter. II, 143, 144, 146. Auxilia sufficientia in prædestinatis et reprobis an proveniant a voluntate antecedenti salvandi omnes homines. II, 144, 358. Inefficacitas voluntatis antecedentis non dicit imperfectionem in Deo. II, 146. Quando dicitur, quod voluntas antecedens non semper impletur, non significatur, quod ex vi sua præcise aliquando impleatur, nisi ei superaddatur voluntas consequens. II, 146. Voluntas consequens semper impletur. II, 148. Voluntas antecedens sit ne prior subsistendi consequentia quam prædestinatio. II, 358. Voluntas antecedens salvandi omnes homines non pugnat cum voluntate consequente aliquos ex illis reprobandi. II, 374. Voluntas antecedens salvandi homines cur non est illusoria, etsi adsit voluntas consequens et efficax aliquos reprobandi. II, 375. Neque otiosa. II, 146. Voluntas antecedens, et consequens possunt habere pro effectu substantiam reprobi. II, 409. Voluntas antecedens non semper insignitur hoc nomine quia semper præeat consequentem. II, 359. Sed propter objectum ad quod tendit. II, 139 Quomodo voluntas antecedens est prior, quam consequens, et e contra. II, 359. Vide Amor Dei erga creaturas.

VOLUNTAS CREATA, a quo necessitetur quoad specificationem. I, 117. Et quando a quo tam quoad specificationem, quam quoad exercitium. II, 52. In via non necessitatur quoad specificationem ad appetendam appetitu elicito visionem beatificam. I, 117. Quare in patria necessitetur respectu Dei clare visi. I, 118. Etiam per potentiam obedientialem formaliter supernaturalem non est principiuæ partiale proximum, sed tantum radicale actus supernaturalis I, 239 ; II, 340. Ad primam volitionem, quæ est circa bonum universale movetur a Deo. I, 531. II, 283. Ratio ejus a priori est intellectus. II, 2. Cur perficitur ex eo quod se extèndat ad objecta particularia, secus vero voluntas divina. II, 38. Quotuplex ejus determinatio. II, 119. Quæ determinatio est contra, vel juxta ejus naturam. II, 119 Magis est in potestate Dei quam in potestate ipsius creaturæ. II, 177. Quomodo salvetur ejus libertas etiam si extrinsece præfinita a Deo ad actum aliquem non possit non in sensu composito illum elicere. II, 177. Etiam si non detur præmotio extrinseca Dei, sine qua nunquam operabitur, sine quaque in sensu composito nequit operari, imputabitur ei carentia debitæ operationis. II, 195. Præfinitio hæc an det voluntati aliquid tenens se ex parte potentiæ. II, 195. Tota efficacia intellectus, an proveniat a voluntate. II, 256. Voluntas creata non est ordinativa unius in aliud. II, 259. Eligit, utitur et tendit ad res secundum ordinationem rationis. II, 259. Ejus actuum ordo et multiplicitas. II, 263. Quemlibet actum ejus debet præcedere actus intellectus. II, 271. Est primum movens quoad exercitium. II, 276, 278. Duplex ejus habitudo ad objectum ordine intentionis et executionis. II, 276. Quomodo inter se hæ voluntatis habitudines comparentur. II, 277. Ordo actuum ejus in ordine reflexo, an et quomodo sit II, 278. Ex eo quod detur ordo iste actuum, non sequitur quod detur processu in infinitum. II, 282, 283. Cur voluntas non indiget virtute alia distincta a charitate ut eliciat actum gaudii. II, 283. Quomodo includat inter suos actus curam et sollicitudinem. II, 262. Voluntatis et intellectus sympathia in modo terminandi se ad objecta. II, 444. Objectum ejus ut est natura et ut est libertas non est multiplex. II, 98. Voluntas volens finem efficaciter debeat ne attingere omnia connexa cum ipso fine. II, 368. Ejus defectibilitas quomodo per reprobationem innotescat. II, 260. Actus supernaturales etiam prout sunt ab illa, sunt a gratia. II, 338, 339, 343. Cur si non ita procederent voluntas contra Deum posset gloriari. II, 341. Imo et primatum in eorum efficientia sibi vendicaret. II, 341. Vide Libertas, Prædiffinitio, Potentia obedientialis, Scientia Dei, Gratia, Scientia media, et Liberum arbitrium.

FINIS

Anicii, ex typis M.-P. Marchessou.



- cursus theo-
1081

Salmanticensis

1081.

